JOH. HENRICI HEIDEGGERI ... SIVE DE HISTORIA SACRA PATRIARCHARUM EXERCITATIONES...

Johann Heinrich Heidegger

Digitized by Google

10
36
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
5
18

LIBRE . M.

C
111
14

Digitized by Google

Digitized by Google

JOH. HENRICI HEIDEGGERI

רָאשֵׁי אָבוֹת

SIVE DE

HISTORIA SACRA PATRIARCHARUM,

Tomus Poſterior.

Accedit

CHRONOLOGIA SACRA PATRIARCHARUM.



AMSTELODAMI,

Apud PETRUM LE GRAND.

M. DC. LXXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex Bibl. Ios. Ren. Card. Imperialis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtribus, Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque Viris

D. FRIDERICO VAN DORP,

Moſædami Domino, ordinis Equeſtris Aſſeſſori, Rhenolandiæ Præpoſito & Aggerum Præfecto, ad Magnos Poloniæ & Sueciæ Reges Exlegato.

D. JOHANNI VAN THILT, J.C.

Reipublicæ Harlemenſis Conſuli & Senatus Rhenolandici Aſſeſſori.

D. CORNELIO DE WITT, J.C.

Ruardo & ſupremo Aggerum territorii Puttenſis Præfecto, Balivo Beyerlandiæ, Dordracenæ Reipublicæ Exconſuli, Conſeſſus D. D. Deputatorum Hollandiæ Conſiliariorum Aſſeſſori,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Celeberrimæ Academiæ Lugduno Batavæ

CURATORIBUS:

Digitized by Google

Ut &

Nobiliſſimis, *Ampliſſimis*, *Spectatiſſimisque Reip. Leidenſis* Coss.

D. JOHANNI MEERMAN, J.C.

Ad Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem Exlegato.

D. PAULO SWANENBURGH, J.C.

Conſeſſus D. D. Deputatorum Hollandiæ conſiliariorum Aſſeſſori.

D. JACOBO MAAS.

D. DANIELI VAN ALPHEN, DAN. F.

Nec non

Graviſſimo Spectatiſſimoque Viro,

D. PETRO BURGERSDICIO, J.C.

Reip. Leydenſis Syndico, & Nobiliſſ. D. D. Curatoribus à Secretis.

Baſilius Græcus Imperator, *Viri Illuſtres & Nobiliſſimi*, in libello, quem κεφάλαια παραινετικὰ inſcripſit, Leoni filio futuro Principi Hiſtoriam laudat verbis digniſſimis, quæ libri hujus

Digitized by Google

jus fronti præfigantur. Ἱστορίας, inquit, ἀρχαίας ἐξέρχεσθαι μὴ κατόκνει. ἐν αὐταῖς γὰρ εὑρήσεις ἀκόπως, ἅπερ ἕτεροι συνῆξαν ἐγκόπως. Καὶ μάθοις ἐκεῖθεν τάς τε τῶν σπουδαίων ἀρετάς, καὶ τὰς τῶν φαύλων κακίας, τάς τε τοῦ βίου πολυτρόπους μεταβολάς, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων τὰς ἐναλλαγάς, καὶ τοῦ κόσμου τὸ ἄστατον, καὶ τὸ τῆς ἀρχῆς εὐμετάπτωτον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τῶν μὲν φαύλων τὰς ἀμοιβάς, τῶν δὲ σπουδαίων πράξεων τὰς ἀντιδόσεις, ὧν τὰς μὲν φύγῃς, ἵνα τῆς ἐκεῖθεν δίκης πεῖραν μὴ λάβῃς, τὰς δὲ κατορθώσῃς, ἵνα τῶν ἐντεῦθεν ἐπάθλων καταξιωθῇς. *Per hiſtorias veteres ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alii collegerunt cum labore. Atque illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes & rerum in ea converſiones: mundi hujus inſtabilitatem & imperiorum præcipites caſus. Et, ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in divinæ juſtitiæ manus incidas: hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris.* Eſt ſanè cùm omnis hiſtoria cuſtos illuſtrium virorum virtutis, teſtis malorum ſceleris, benefica in omne genus humanum; tum imprimis ſacra. Quæ quidem hoc præcipuè ſalubre & frugiferum habet, quòd viam æternæ ſalutis ac myſterium patefaciens, ubique μαρτυρίας Ἰησοῦ *teſtimonium Jeſu* conjunctiſſimum habet. Quæ me ratio impulit, ut omnibus aliis curis poſteriore loco amandatis, animum applicarem ad Hiſtoriam ſacram, & quidem non ab ovo, quod ajunt gemino, ſed ipſo orbe condito arceſſendam ſtylóque exprimendam. Primitias orbi literato aliquot retro annis expoſui. Quas cùm bonis Sapientibúſque Viris haud

omnino improbari cernerem, ſimulque me impulſoribus amicis ad perficienda cœpta ſtimulari animadverterem, non dubitavi ſanè denuo admovere calamum, & lucubrationis fuliginem bibere. In hac verò longinqua per multas Cycladas & Symptegadas navigatione qua ſim cynoſura uſus, quem mihi ſcopum propoſuerim, nihil ferè attinet pluribus ediſſerere. Princeps facilè mihi cura fuit, Ambroſii verbis uti liceat, *verum exquirere & quaſi emolere*, ut falſa à veris internoſcerem & vera à falſi ſuſpicione vindicarem. Nam & vera falſi & falſa veri colore ſæpiuſcule humanæ credulitati illudunt. Cùm multa paſſim in ſacra hiſtoria occurrant ἐναντιοφανῆ, quibus Deus ſapientiſſimus lectoris tum faſtidium detergere, tum ſtudium & ἀγχίνοιαν intendere voluit, hoc mihi negotii datum putavi, ut ea dextrè conciliarem, cum iis, quæ certiora videntur, in gratiam redigerem, & Sacræ adeò Scripturæ ſuaviſſimam παναρμονίαν aſſererem. Judæorum, præcipuè illorum, quos tanquam claſſicos diurna nocturnáque manu recutiti volutant, puta Jarchii & Abenezræ παρερμηνείας depellere ubique ferè laboravi. Eſt, ubi eorum conſenſum laudo. Nam quo ingenio pleríque accerrimo & ſubactiſſimo valent, hinc inde interpretamenta depromunt, quæ minimè aſpernabitur, quisquis ſine ira & ſtudio veritatem indagare inſtituerit. Eſt, ubi eorundem γραώδεις μύθους, jam olim à Gentium Apoſtolo iis datos crimini, ipſis delirantium verbis propono, ut ingenium gentis miro Dei judicio excæcatæ detegam ac propalem. Hoc etiam operæ mihi fuit, ut He-

Hebraicæ veritatis hoc potiſſimum Seculo diverſis contendentium ſtudiis appetitæ, defenſionem, quàm fieri potuit curatiſſimam ſuſciperem, quò ἱερὰ γράμματα, arx illa & baſis Chriſtianæ fidei adverſus quorumlibet inſultus, ſarta tectáque & immota perſtent. Neque etiam negligendum putavi eruendi genuini Scripturæ ſenſus ſubſidium præſtantiſſimum, Orientalium nimirum verſionum & paraphraſeon συμβίβασιν, quæ arduum hocce iter ingreſſo phari inſtar fuit. Authorum porro loca non nudè citare, ſed lectori bona fide repræſentare conſilium fuit. Non neſcio equidem, eam citandorum auctorum curam, vulgò novitii aut Grammatici commatis haberi, & aut à vano, lectionem variam jactantis, aut puſillo, credi diffidentis, animo profectam. Sed excuſabit, credo, me exemplum cùm magnorum Virorum, præclarè teſſellata ſua opera eadem ratione texentium, quos ſum, licèt impari valde paſſu, ſecutus; tum etiam ea ratio, quòd Euripide monente

—— Λόγος ἐκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει.

—— Ab obſcuris profecta oratio
Et à probatis eadem, non idem valet.

Sicut enim in telo aut gladio multum intereſſe videmus, à qua manu veniat: ità in ſententiis, ut penetrent, robu-

robuſtæ alicujus & inveteratæ pondus auctoritatis plurimum valet. Denique quantum brevitatis ſtudium, multiplex rerum varietas, & virium adeò mearum imbecillitas ferre potuit, dedi operam, ut paſſim aſpergerem documenta pietatem & bonos mores ſpectantia, dum modò gentilitiæ ſuperſtitionis ἀβελτερίαν demonſtrare, modò Dei providentiam irrefragabilibus indiciis aſſerere, modò virtutum uberes fructus, vitiorum infauſtos exitus intento digito oſtendere mihi ſtudium fuit. Reliquas inſtituti mei partes ſilentii ſupparo involvam, ingeminato Ambroſii verbis ejusmodi voto: *Utinam meas quoque ſpinas illuminet Deus! Erit fortaſſe, qui etiam in noſtris ſentibus aliquem mirentur lucere fulgorem. Erunt, quos ſpina noſtra non urat. Erunt, quibus de rubo audita vox noſtra ſolvet de pedibus calceamentum, ut impedimentis corporalibus exuatur mentis inceſſus.*

Cœterum quicquid illud eſt, quod publicam in lucem, doctorumque comitium profero, Vobis *Viri Illuſtres*, *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi*, ſe in clientelam totum tradit, dicatque. Etenim non hoc inpræſentiarum cum gratiarum juſtiſſima profeſſione laudi Vobis dabo, quòd univerſas ferè Muſas jam pridem Vobis obnoxias in ſolidum reddidiſtis, benigniſſimi & munificentiſſimi, quod univerſus propedum melior orbis novit & ſonorè prædicat, earum Mœcenates & Promotores. Nam illam omne genus liberalium ſtudiorum incomparabilem officinam, & Reginam veluti Academiarum magnifico impendio è viſceribus ærarii veſtri tueri; Viros omni eru-

Digitized by Google

EXERCITATIO PRIMA
DE
PATRIARCHIS CHALDÆIS.

Breviarium.

Tranſitus Authoris ad continuationem operis. 1. *Patriarchæ Chaldæi enumerati. Chaldæorum nomine cur veniant?* 2-7. *Noachidæ ex arca egreſſi, an ſedes fixerint in Armenia? An in Thamua? An in Scythia? Methodius, Boulducus, Pſeudo-Beroſus, Temporarius refutati.* 3-6. *Noachidarum migrationes. Patriarchas Semo oriundos in Chaldæa habitâſſe probatur.* 6. *Arphaxadus an fuerit curator Chaldææ? An Jonithus Methodii, vel Cainan Græcorum? An parens Chaldæorum? An miſſus ex Thamua in Etham ut Dux Coloniæ? An ab eo nuncupatus ſit fluvius Indiæ Cainas? An Sinenſium Imperium ab eo propagatum?* 7. *De Cainane Sententiarum divortia.* 8. *Eum non genuinum, ſed inſititium eſſe probatur.* 9. *Cainanem in ipſa LXX-virali verſione eſſe ſuppoſititium probatur. Verſio Græca duplex ex Hieronymo diſtinguitur. Philonis, Joſephi, Theophili, Antiocheni, Julii Africani, Euſebii, Hilarionis de Cainane ſilentium.* 10. *Cainan apud Lucam non eſt idem cum Sale, nec cum Arphaxado. Lucas non inſeruit Cainanem, ſed eum librarii intruſerunt. Antiquiſſimi codicis fides. Corderii conſenſus. Quâ occaſione intruſus ſit, conjicitur.* 11. *Pro Cainane argumentum Harvillæi rejicitur. Cainan eſt* עאמר *Authoris Tarich.* 12. *Schælachus ita dictus in memoriam immiſſi diluvii.* 13. *Heber unde dictus? Hebræorum de trajecta ab Arphaxado Tigri circa ortum Heberis figmentum.* 14. *Boulduci ſententia de Hebræis ab Hebere nuncupatis ventilatur.*

Digitized by Google

latur. 15. *Heber eſt Orientalium Hudus.* 16. *Heber an fuerit
Propheta?* 17. *An condiderit Hebronem? Boulduci argumenta
diſcuſſa.* 18-21. *Ciriath-arbe unde ſic dicta? De eo Conjecturæ
Rabbinorum, Capelli, Bocharti examinantur. Enak cur dictus
Arba?* 19. *Heber an inſtituerit religioſum ordinem Enacitarum ſeu
Torquatorum?* 21. *An ædificaverit Tanin Ægyptiacam?* 22-23.
*Taniticum & Saiticum oſtium ſunt diverſa. Tanis deſcribitur ex
Orientalibus. Quid lapis Tanites? accipiter Taniticus? Plinius
emendatur.* 22. *Boulduci argumenta, quod Heber condiderit
Tanin, refelluntur. Titanum fabulæ quid repræſentaverint?* 23.
*Phalegus unde dictus? Suidas notatur. Phaleg eſt Zelachus Mu-
hammedanorum.* 24. *Aureum ſeculum an reducendum ad tem-
pora Phalegi?* 25. *Reu, Sarug, Nachor unde dicti?* 26. *Thæ-
rachus cur Muhammedanis veniat nomine Azara? Thærachi uxo-
res juxta Orientales.* 27. *Thærachi filii. Haranis mors, & de
ea fabulæ Hebræorum. Nachor an exiverit cum Patre Chaldæâ?* 28.
Patriarcharum Chaldæorum Idololatria. 29. *Epiphanii Senten-
tia de quatuor matricibus hæreſeωn, Barbariſmo, Scytiſmo,
Helleniſmo, Judaiſmo ad incudem revocata.* 30. *Locus ad Col-
loſ.* III. *v.* 11. *explicatur. Quomodo Scytha eo loco opponatur
Barbaro? Salmaſii explicatio improbatur.* 31. *De origine & for-
ma idololatriæ Patriarcharum ſententia Euſebii, Cedreni, Epi-
phanii, Chronici Alexandrini, Johannis Damaſceni, Suidæ,
Iſidori, Bedæ.* 32. *nec non Orientalium Patricidis & Elmaci-
ni.* 33. *An Serugi tempore orta ſit? εἴδωλον & עצבים à dolore in
conſpiciendis mortuorum ſtatuis.* 34. *Vera de origine Idololatriæ
ſententia.* 35. *Adorârunt Patriarchæ primò Solem; mox ejus
Symbolum ignem. Ur unde dicta? Cur Camarina? à Chaldæis cul-
tus ignis tranſiit ad Perſas. Quid πυραθεία? Quid ſacra Nergal?
Quid* חמנים? 36. 37. *Cultus Deorum Penatum, quales Teraphim.
Quid fuerint Teraphim? Kircherii opinio, quòd Teraphim fuerint
Serapis Ægyptiorum, improbata.* 38. *Abrahamus an Idololatriæ
hujus fuerit particeps? De eo fabula Hebræorum. Pontificii de eo pu-
gnantes committuntur.* 39.

I. Cœptam

Digitized by Google

I. CŒptam ſuperiori volumine telam proſequi, &, *ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν*, pertexere animus nobis, & ſtudium erit. Orandus in anteceſſum quæſitiſſimis precibus Deus eſt, ut quam hactenus indulſit gratiam, eandem in poſterum clementer & cum fœnore adſpirare ne dedignetur, juxta eam menſuram, quam nominis ejus ſanctiſſimi gloria, & noſtra adeò *οὐδένεια* poſtulat. Atque ea freti nunc progrediemur מחיל אל חיל *ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν*, ſpe certa, hasce qualescunque demum lucubrationes non defraudaturos idoneos fructus, qui in atriis Dei noſtri ſuo etiam loco floreant. Ita faxit almus ille Dator donorum!

II. Principium capimus à Patriarchis Chaldæis, ad quorum hiſtoriam uſque ſuperioris libri Moſaicis veſtigiis adhærentis tractatio excurrit. Intelligimus Patriarchas Chaldæos, quorum mentio eſt apud Moſen Geneſ. XI. 10--27. Súntque nominatim ארפכשד *Arphaxadus*, שלח *Schelachus*, עבר *Heberus*, פלג *Phalegus*, רעו *Reu*, שרוג *Serug*, נחור *Nachor*, תרח *Thærachus*, cujus memorantur filii tres אברם ונחור והרן *Abram*, *Nachor & Haran*. Hos *Chaldæorum Patriarcharum* nomine cur inſigniamus, ante omnia evolvenda eſt ratio. Atque ut evolvatur feliciùs, habitatio Patriarcharum poſt diluvium paulò altiùs repetenda fuerit.

III. Poſtquam Noë cum ſuis arcâ exivit, in montibus Armeniæ conſedit, donec aquis decedentibus planiora & amœniora loca appetere poſſet. Incertum autem eſt, quâ in planitie primò ſedem ſtabilem quæſiverit. Epiphanius initio Panarii arbitratur, Noam primam ſedem fixiſſe in Armeniæ monte Lubar, & in eodem vitem panxiſſe. Neque aliter Beroſus Annianus Antiquitatum Chaldaicarum quinto. Methodius verò in libro Revelationum ſcribit, duodecimo poſt diluvium anno filios Noæ *ædificâſſe novam poſſeſſionem in exteriora terræ, & appellâſſe nomen regionis illius Thamua, ſecundùm nuncupationem filiorum Noë; & numerum illorum qui exiverunt de arca.* Et ex ea Regione Thamua Noam ablegâſſe poſtea *Jonithum* filium in Terram Etham. Ex ea terra Etham progreſſos eſſe turris Babylonicæ machinatores: ipſo tamen Jonitho in terra Etham permanente, & dominationis ſuæ fines extendente *uſque ad mare, quod vocatur Heliochora, id eſt, Regio Solis, in qua Solis ortus fit.* Has velut ex quercu natas Methodii narrationes cupidiſſimè amplectitur Boulducus, vir ſanè *πολυμαθέστατος*, verùm ingenio ſuo liberaliùs, quàm par erat, indulgens. Is igitur Methodii agens interpretem *Thamuam* à תמים quo epitheto Noë inſignitus, dictam ſtatuit, quia eam Regionem Armeniæ incoluerint Noë & ejus filii *perfectionis ſtatum* ſectati. Jonithum verò interpretatur Arphaxadum, ducem illius ſecundæ profectionis. Denique & *Etham*

Digitized by Google

facit partem Orientalis Chaldææ, quam Moſes Geneſ. xi. v. 1. קדם *orientem* nuncupaverit. Dictam autem eſſe eam regionem Chaldææ *Etham* quaſi אתם, id eſt, *adventus eorum*, ob Arphaxadi, multorumque Noëticæ familiæ virorum primum ad illam adventum. Et geminæ huic, cujus poſterior tamen ſpecialis fuerit quorundam, migrationi adjungit tertiam generalem illam factam ex ipſa regione *Thamua*, ubi Noë tribus filiis, mundi Chiliarchis totum terrarum orbem diviſerit. A qua Gentium diviſione diſtinguit apertè alteram illam Gentium diſperſionem & illam quidem priùs factam communem fuiſſe inter tres filios Noæ, & illos Gentium Patriarchas, qui Geneſeos decimo pertexuntur: hanc verò priori illi ſuccedaneam propriam fuiſſe eorum, qui ex Etham relicto Arphaxado, ipſi digreſſi ſunt in campos Sennaar, ubi famoſi illius facinoris in conſtruenda turri attentati reos ſe fecerint. Sic Boulducus Methodium ſuum ſecutus. Qui ſi vincunt, Patriarchæ illi, de quibus agimus, Arphaxadus nimirum & poſteri habitaverint in *Etham* ſive *Kedem* illa Moſis, putà Chaldæa Orientali. Verùm cur narrationibus ejuſmodi fidem non adhibeam, rationes ſequentes faciunt.

IV. Etenim *primò* Noachidas in planitie Armeniæ diu habitâſſe, eſt *αἴτημα μέγα λίαν*. Cùm enim clementiorem haud dubiè auram ſecuti fuerint, Armeniæ partes ſaltem Aquilonares horrent perpetuis nivibus, quas proinde Strabo lib. 10. c. 14. vocat *νιφοβόλους μάλιστα*, *nivibus admodum obnoxias*. Nec in Armenia vites plantare potuit Noë, cùm teſte eodem Strabone, ne quidem facilè vitis ibi naſcatur. Quid quòd Armenia paludoſa propter reſtagnationem Araxis ſerò admodùm ſiccari potuit, ac proinde idoneus receptus Noachidis non fuit? *Secundò* regionis illius *Thamua* nec vola nec veſtigium apparet apud Moſen, cujus ſolius authoritate hic ſtandum. Et lepidum hîc figmentum eſt Boulduci, perfectionis quendam ſtatum ex nomine Thamua elicientis. *Tertiò* eadem temeritate ſine ſuffragio Moſis aſſeritur migratio Arphaxadi ex Thamua in Etham. Quid hîc præter ſomnium Methodii videre eſt? Si fides eſt authori huic, oportet, qui ex Etham progreſſi ſunt, fuerint iidem qui venerunt מקדם *ex Oriente* in campum Sennaar. Atqui qui ex Oriente moverunt, in campum Sennaar, & poſtea inde diſperſi ſunt in ſuperficiem Terræ, non fuerunt ſanè pauci quidam, qui cum Arphaxado in ſegregem locum ſeceſſerint. Id ſatis liquet ex Geneſ. xi. 1,2. ubi qui ex Oriente venerunt, dicuntur fuiſſe omnes illi, quorum in univerſa terra labium unum fuit: adeoque homines omnino omnes. Proinde ipſe etiam Arphaxadus ex Oriente migraverit in campum Sennaar. Non igitur Patriarcha-

Digitized by Google

triarcharum illorum habitatio fuit in commentitia illa urbe Etham. *Quartò* frivolum etiam eſt, quòd diviſio terræ à diſperſione Gentium ita diſtinguitur, ut illa tanquam generalior omnium Gentium præceſſerit, hæc propria quorundam, qui ex Etham Babyloniam profecti dicuntur, ſecuta demum ſit diviſionem. Id ſi recipitur, conſequens erit, Arphaxadum cum ſuis diviſum non fuiſſe, qui tamen Geneſ. x. 24. ubi juxta mentem Authoris hujus diviſio gentium deſcribitur, diſertè etiam commemoratur. Et quomodo pauci ædificaverint turrim, pauci diſperſi fuerint, cùm tamen Moſes diſertè teſtetur, Babele confuſum eſſe labium כל הארץ *omnis terræ*, & inde Jehovam eos diſperſiſſe על פני כל הארץ *ſuper faciem univerſæ terræ*, Geneſ. xi. 9? Quid quæſo ſervatum longè ampliori illi Noachidarum multitudini, ſi pauci illi Arphaxado creti homines diſperſi ſunt *ſuper faciem univerſæ terræ?* Pro certo igitur tenendum, in narratione Moſaica manifeſtam eſſe ὑςέρωσιν, quam Hebræi vocare ſolent מוקדם ומאוחר, ita ut quæ capite decimo Geneſeos narrantur, non geſta ſint niſi poſt labii confuſionem, undecimo capite recenſitam. Addo nunc, non Methodii tantùm revelationes Apocryphas eſſe, & eodem numero habendas, quo Rabbinorum, Philonis, Biblii, Ben-Gorionidis, & aliorum ejuſmodi hominum commenta: Verùm etiam quæ in iis dicuntur de Jonitho Latinè (ſi tamen *Latinè*, cum non immeritò Raderus annot. 7. in Chron. Alex. rudia vocet & barbara) Græcè dicuntur de Semo. Sed nec dimiſſionis in terram *Etham* Græcus textus meminit.

V. Neque Methodio & Boulduco probabiliora habent Beroſus Annianus, & Temporarius. Et Beroſus quidem fingit, finito diluvio, cum arca in Gordyæo monte Armeniæ conſediſſet, deſcendiſſe Noam in loca planiora, & brevi mirabiliter multiplicata progenie (perpetuò enim geminos edidiſſe, marem & fœminam) adeò completa eſſe hominibus ea loca, ut neceſſe haberent inde ſecedere. Noam tamen ibi manſiſſe, & Armenos docuiſſe agriculturam, artemque colendi vites, & conficiendi vinum, tum ſacros ritus, & ceremonias colendi Deum. Nempe tum jam Armeni fuerunt, quos inſtitueret Noe. Piget putidiſſimorum Monachi illius Viterbienſis mendaciorum. Et potuit tamen longo tempore viris etiam doctis & emunctiorum narium imponere. Temporarius verò pertendit, Noam ſacrificiis Deo peractis montana incoluiſſe, nimirum Nyſea, Margiana, Bactriana, Sogdiana, vicinaque Scythica, non auſum aquarum horrore, qui ipſius animo inſidebat, vallibus & planitiei ſe committere. Quod de pavore Noæ deſcendere ex montibus reformidantis dicit, hauſit aliqua ſui parte ex Joſepho, qui Antiq. lib. 5. ita

 ſcribit:

Digitized by Google

ſcribit: *Tres Noæ filii, Semus, Japhetus & Chamus primi relictis montibus planitiem habitare cœperunt*, καὶ τοὺς ἄλλους σφόδρα δεδιότας διὰ τὸν κατακλυσμὸν τὰ πεδία, καὶ ὀκνηρῶς ἔχοντας πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν ὑψηλῶν τόπων κατάβασιν ἔπεισαν θαρσούσαντας μιμητὰς αὐτῶν γενέσθαι, *& aliis* (adeóque etiam Noe) *recenti etiam tum cladis memoria pavidis, nec audentibus à celſiori loco deſcendere, idem faciendi authores & exemplum fuêre.* Verùm fruſtra eſt Temporarius tum ablegans nobis Noam in Indiam, & ad Scythas, tum eidem ſimul cum Joſepho tribuens eum pavorem, qui in conſtantem virum non cadit, nedum in eum, qui divinis Oraculis toties confirmatus eſt.

VI. Profectio igitur Noachidarum ejuſmodi omnino fuit. Ex Armenia quantocyùs in partes proximas Mediæ, invitante ſalubriori aurâ, ſeceſſerunt. Cùm enim Noachidas verſus ortum perrexiſſe conſtet, nihil iis priùs occurrere potuit quàm Μηδικὰ Τέμπεα *Medica Tempe*, uti ex Dionyſio Periegete liquet. Accedit, quòd teſte Strabone omnia in Orbem Armeniæ circumpoſita montoſa ſint & aſpera πλὴν τῶν πρὸς Μηδίαν κεκλιμένων ὀλίγων, *paucis exceptis, quæ ad Mediam inclinant*. Hinc ſenſim progreſſi in Suſianæ & Aſſyriæ campos, in unum agmen poſtmodum collecti, profectionis initio inde facto, per Aſſyriam penetrârunt in Babyloniam, ſeu campum Sennaar. Atque adeò venerunt מקדם *ex Oriente*, cùm Aſſyria Babyloni ad Orientem ſita ſit. In campo Sennaar ignobile facinus attentatum, ædificata turris. In eorum tamen cætu, qui væſanum inſtitutum ſuſceperunt, nec Noam, nec Semum, nec Patriarchas illos celebres, qui Semo progeniti ſunt, comparuiſſe, ſuo loco manifeſtum fecimus. Cui conſequens eſt, ut eoſdem in Chaldæa manſiſſe, non procul disjectos cum Noachidis ſontibus, putemus. Neque enim conſtat, ullum ex majoribus Abrahami in longinqua divertiſſe. Etſi enim non uni loco tanquam glebæ addicti fuerunt, tamen liberum eis fuit manere in priſtinis ſedibus. Cujus rei evidens & hoc argumentum eſt, quòd Patria Abrahami ſtatuitur אור כשדים *Ur Chaldæorum* Geneſ. XI. 31. Sive enim Ur patria illa Abrahami ſita fuit inter Tigrin & Niſibin, ubi eam collocat Ammianus Marcellinus: ſive in Babylonia, uti viſum Eupolemo, qui Uram facit urbem Babyloniæ Camarinam: utraque rectè *Ur Chaldæorum* dicitur. De poſteriori dubium non eſt. Sed & prior Chaldææ deputari poteſt eo ſenſu, quo Meſopotamiæ pars propior Aſſyriæ terræ Chaldæorum nomine venire ſolet. Hinc etiam eſt, quòd plerique illi Patriarchæ ortum dederunt gentibus haud procul à Chaldæa diſſitis, ut Arphaxadus Arrapachitidi parti Aſſyriæ: Schælachus Suſianæ: Haran Charræ. Accedit expreſſa teſtificatio Dei apud Joſuam

cap.

Digitized by Google

cap. XXIV. 2. בעבר הנהר *Trans flumen habitarunt patres veſtri* מעולם *à ſeculo*, ut *Thærach Pater Abrahami, & Pater Nachor, ſervieruntque Diis alienis.* Ubi intelligi Chaldæam, ſive illam latè ſumptam, ad quam etiam pars Meſopotamiæ referri ſolet: ſive propriè dictam, in qua fuit Babylonia, planum eſt. Illa enim trans flumen juxta Euphratem omnino jacuit. Hæc verò trans flumen ſita dicitur, quia Patriarchæ in Chananæam commeantes Euphratem trajecerunt, in Meſopotamia per tempus aliquod commoraturi. Quòd verò de Abrahamo, Thæracho, Nachore dicitur apertè, idem de antiquioribus etiam Patriarchis ſubintelligendum eſſe, ratio nulla eſt, quæ addubitare jubeat. Et innuit id ipſum, quòd trans flumen habitâſſe dicuntur מעולם *inde à ſeculo.* Habemus igitur rationem cur *Chaldæorum* nomine Patriarchæ ſuperiùs recenſiti nobis veniant. Ad ſingulos nunc procedimus.

VII. De Semo benedicto illo Noæ filio, in cujus Tabernaculis Eccleſia Dei, & qui eam ſanguine ſuo redemit, JESUS CHRISTUS hoſpitari debuit, abundè in ſuperioribus dictum. Is natus centum annos genuit ארפכשד *Arphaxadum* duobus poſt diluvium annis. Geneſ. XI. 10. De Arphaxado hoc nihil præterea Scripturæ, niſi quòd anni ejus tum τεκνογονίας, tum vitæ recenſentur, v. 12. 13. Verùm liberrima de eo extant commenta Autorum. *Primò* enim Arphaxadum dictum eſſe quaſi רפא כשד *Rapha Caſed*, hoc eſt *curatorem & Antiſtitem Chaldææ*, fingit Boulducus *de Eccleſia ante legem* lib. II. 2. Nempe Arphaxadus ei eſt ex numero Raphaim, quos antea mirabili licentia, fecit homines fideles θεραπευτὰς καὶ κουρήτας, *Medicos & Reſtauratores* puta *Animarum*, qui à Noa miſſi homines ad cultum Dei revocarent. *Secundò* trinominem facit Arphaxadum idem. Imponit enim ei nomen *Jonithi* illius, cujus meminit non tam Methodius, quàm ejus interpres Latinus, qui mala fide reddidit Græca: nec non *Cainanis*, quem filium Arphaxadi faciunt Græci ſeniores. Et Jonithum quidem idem eſſe quod יונתי *columba mea:* Cainanem verò idem quod כיונה *ſicut columba.* Ut ita dictus ſit à Semo in memoriam columbæ, quæ ramum olivæ ore ſuo detulerat, ſignum ceſſantis diluvii. *Tertiò* Chaldææ parentem faciunt plerique, Joſephum ſecuti. Verùm deceptos eos eſſe invento in voce Arphaxadi themate כשד *Caſad*, alibi diximus. *Quartò* Arphaxadum à Noa miſſum eſſe ex Thamua in Etham, ducem celebris Coloniæ, idem Methodius prodidit. *Quintò* Arphaxadum in *Etham* ſtabilem ſedem fixiſſe, & poſteris etiam Chaldæis Patriarchis reliquiſſe, idem memoriæ tradidit. *Sextò* Boulducus ab Arphaxado dictum pertendit fluvium Indiæ *Cainas*, quem

ſe in

Digitized by Google

ſe in Gangem exonerare, & Brachmanorum agrum irrigare memorant Plinius & Arrianus in Indicis. Sed & urbem כנה *Chene*, ſitam non longè à Sinu Perſiæ, in Oriente Arabiæ Felicis, cujus meminit Propheta Ezechiel XXVII. 23. ab eodem ſive ædificatam, ſive inſignitam, idem ſciſcit. Neque his finibus incluſa fingendi licentia. Arphaxadus enim ſeu Cainan, ſi Authori huic credimus, ortum dedit Regno ampliſſimo, quod hodiéque vocatur *la Chine*, adeóque vaſtiſſimo illi Sinenſium Imperio. Amplius quid. *Scaliger* inquit, *ut in Euſebium ceſſet incandeſcere, ſi bene ſapiat, inveniet apud Japonios Chinarum vicinos, ab ipſo Arphaxad, aut ejus diſcipulis circa hoc tempus introductam non quidem Chriſtianorum Monachorum, ſed antiquiſſimorum Prophetarum Enoſchæorum, aut Chinæorum ſectam, in iis, qui Bonzii nunc nominantur, licet paulatim in Idololatriam lapſi ſint.* Ὀξυδερκέστατον ſanè Scaligerum magis quàm Aquila vel Serpens Epidaurius, ſi Arphaxadi poſteritatem in Bonziis reperire potuit. *Sed &*, ita pergit hic λῃρώδης, *cuilibet comperire licebit paulò poſt adventum Arphaxadi in dicta regione Etham circa annum diluvii* 68. *jam in Chaldæa ſuſcitatam fuiſſe primum Brachmanorum Originem quorum Princeps & Choragus dicebatur Jarcha, quod eſt Hebraicè Rapha*, ſicut ille Cainan nomine dignitatis vocabatur Arphaxad, id eſt, *Rapha Caſed*, Curator Chaldææ. Nugamenta talia recitâſſe eſt refutâſſe. Si Zaleucus Locrorum Legiſlator, uti narrat Polybius lib. XII. eum, qui legem humanam in ſequiorem ſenſum interpretatur, dignum judicavit, qui laqueo vitam finiret: quo ſupplicio dignos judicabimus eos, qui deditâ operâ Scripturas divinas detorquent in peregrinos & tantùm non ridiculos ſenſus?

VIII. Arphaxado Hebraicus Codex ἀμέσως ſubjungit שלח *Schælachum*. Verùm turbant hîc LXX Seniores, qui Arphaxadum inter & Schælachum infarciunt *Cainanem*, quem Hebraicus Codex ne uno apice quidem attingit. Verba Græcæ verſionis ſunt: Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἔτη ἑκατὸν τριάκοντα πέντε, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνάν. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἔτη ἑκατὸν τριάκοντα καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. *Et vixit Arphaxad annos centum triginta quinque, & genuit Cainanem. Et vixit Cainan annos centum triginta, & genuit Sale.* Videmus hîc inſertum Cainanem, quem conſtanter Hebræi Codices reſpuunt. Contentio hinc graviſſima eruditorum exercuit ingenia, Sítne Cainan hic genuinus, an aſcititius, & fide non bona intruſus? Jam ſuo tempore Venerabilis Beda, Præfatione in Acta Apoſtolorum faſſus eſt, ſe maximè mirari, & propter ingenii tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſum neſcire perſcrutari, *quâ ratione cùm in Hebraicâ veritate à diluvio uſque ad Abraham decem tantùm inveniantur generationes: ipſe*

Lucas

Digitized by Google

Lucas, qui Spiritu S. calamum regente nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes, juxta LXX *Interpretes adjecto Cainan, in Euangelio ponere maluit.* Verùm non pari modeſtia alii, quibus corruptionem Hebraici Contextus eâ ratione arguere propoſitum, in eo argumento verſati ſunt, inprimis Pontificii, ac nominatim Contius, qui in notis ad Nicephori Chronicon inclementer debacchatur in Hebraicæ veritatis aſſertores; Salianus Avenionenſis Annal. ad A. M. 1694. Gordonus in Chronologia: Alphonſus Salmero, Torniellus, Harvillæus, Philippæus, Samerius, Ribera, Verronius, Morinus, aliique ejuſmodi Κεραοβόλοι. Quibus ſe oppoſuerunt inter Pontificios ipſi ii, qui inviſo apud ipſos nomine Hebraizantium deprimuntur. Certè Petrus Poſſinus Diallact. Genealogic. cap. 2. conſentientes inducit Abulenſem, Eugubinum, Cajetanum, Cornelium Janſenium, Sixtum Senenſem, Genebrardum, Pererium, Cornelium à Lapide, Dionyſium Petavium, qui uno ore negant, fuiſſe inter homines Cainanem, qui Arphaxadi quidem filius, Salæ verò Pater extiterit. Et inter Reformatos viri maximi, J. Cappellus, Frid. Spanhemius, Uſſerius Armachanus, G. J. Voſſius, Hugo Grotius, Samuel Bochartus argumentis adeò accuratis & prægnantibus Cainanem hunc obelo confixum exturbârunt, ut impendiò mirari ſubeat, reperiri adhuc viros doctos, qui neſcio quo erga Hebraicam veritatem odio imbuti, in propugnando Cainane hoc animum obfirment. Non eſt equidem inſtituti noſtri argumentum iſtud hoc loco latiùs exequi, quamvis ita occaſio poſtularet, ne poſt Homerum Iliada conſcribere videamur. Præcipua tamen argumenta, quibus Cainanem hunc ex Patriarcharum numero exigendum eſſe, & velut παρείσακτον loco movendum conſtet, delibare, & in medium proponere conſtitutum habemus.

IX. Ac *primò* quidem Cainanem hunc genuinum non fuiſſe, ſatis arguit Hebraici Textus conſtantia. Cùm enim ter repetatur hæc Genealogia, Geneſeos capite decimo & undecimo, nec non primi Paralipomenon capite primo, conſtanter ubique omnes Hebraici Codices Arphaxadum genuiſſe Schælachum aſſerunt. Cainanis ne leviſſima quidem mentio. *Secundò* aut nota fuit Moſi generatio hæc Cainanis, aut incognita: Si incognita, unde LXX interpretes ſcire potuerunt, quod Moſen longè ætati Patriarcharum propinquiorem, & inſuper Spiritus S. afflatu præditum latuit? Si nota, quî factum, ut ſilentio eum præteriret Moſes, qui intentè & maximo ſtudio deſcripſit eos ex Semo Oriundos Patriarchas, ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem generari debuit. Quæ cauſa eſt, cur, cùm reliquorum Patriarcharum annos tam παιδογονίας quàm

vitæ tanta induſtria conſignaverit, Cainanis hujus ne meminerit quidem? Quod enim ajunt quidam, voluiſſe Moſen generationes, quæ fuerunt ante & poſt diluvium, ad duas tantùm decades redigere; *id*, uti meritò Pererius reſpondet, *nec probari ab iſtis poteſt, & leve ac futile eſt, nec tale, ut propter id debuerit Moſes Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere.* Porrò ſciviſſe Moſen generationem Cainanis, & ſcripſiſſe bona fide, ſed Scripturam ejus immutatam & depravatam eſſe, ſi quis dicat, tanquam ὀνειροπωλῶν & vanus conjectator repellendus erit. *Tertiò* Cainanem iſtum ignorant Onkeloſus Paraphraſtes Chaldæus, Philo & Joſephus, Perſa, Arabs, uterque vulgatus Interpres. Sed & Beroſus Chaldæus apud Joſephum Antiq. 1. 8. citatus, μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ *poſt diluvium decima generationē* Abrahamum fuiſſe ſignificans, nullum locum relinquit undecimæ huic Cainanis generationi. Eodem modo Eupolemus ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, productus ab Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium Præp. Euang. lib. 9. decem duntaxat generationes agnoſcit. Neque aliter Julius Africanus, quem Euſebius citat in Chronico pag. 9. editionis Scaligerianæ: Γενεαλογία τοῦ Ἀβραάμ κατὰ τὸν Ἀφρικανόν. μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν Σὴμ ἐγέννησε τὸν Ἀρφαξάδ, Ἀρφαξὰδ δὲ γενόμενος ἐτῶν ρλε γεννᾷ τὸν Σαλᾶ. *Genealogia Abrahami ſecundùm Africanum. Poſt diluvium autem Sem genuit Arphaxadum, Arphaxad autem natus annos* 135. *genuit Sala.* Sed & Julio Africano antiquior Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum, omiſſo Cainane, Arphaxadum Patrem facit Salæ. Imò & ipſorum Apoſtolorum temporibus Doſitheus Cainanem cum ſuis annis prorſus omiſit. Quid quòd & Samaritani Codices in numero generationum Hebraicis codicibus planè ſunt genuini, cum aliâs in ſupputatione annorum tam ab Hebræis, quàm à Græcis non leviter diſcrepent? *Quartò* ipſi LXX. in Romana Carathæ & Pariſina editione omiſerunt Cainanem libri primi Paralipomenon capite primo, minimè id facturi eo loco, quo alibi omiſſi ſuppleri aliâs ſolent, ſi talis Cainan in rerum natura extitiſſet. Quin & deſiderari in emendatioribus Græcis indicant Maſſæus lib. 2. & Pererius in Cap. 10. Geneſeos.

X. Verùm nihil validiùs facit contra iſtum Cainanem, quàm quod apud ipſos LXX. Interpretes non genuinus ſit, ſed ὑποβολιμαῖος & inſititius. Hoc ne mirum videatur, probabimus certis argumentis. Et *primò* quidem Cainan non habetur in ea LXX. Interpretum editione, quam olim in Alexandrina Cleopatræ Bibliotheca repoſitam, & in Ægypto, Palæſtina ac Syria receptam, Hexaplis ſuis inſerendam curavit Orige-

Digitized by Google

Origenes, quæque olim teſte Hieronymo epiſt. 135. ſola incorrupta & immaculata cenſebatur. Altera enim dicta *κοινὴ communis & vulgata*, nec non λυκιανὶς, teſte eodem *pro locis & temporibus & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio eſt.* Prior autem illa & omni exceptione major ſic Moſaicum Textum repræſentavit: Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλὰ &c. *Et vixit Arphaxad* 135. *annos, & genuit Sala.* Docet Hieronymus in Epiſt. 107. ad Chromatium, Origenem in communi editione τῶν LXX. Theodotionis miſcuiſſe editionem *aſteriſcis deſignantem quæ minus fuerunt, & virgulis, quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita.* Hîc verò Origenes ea quæ ad Cainanem ſpectant, uti invenit, ita etiam reliquit, ſed virgula ſive obeliſco notata. Liquet hoc ex Procopio Gazæo in cap. XI. Geneſeos ita ſcribente: *Hebraica veritas habet, Selam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur, obeliſco ſignata viſuntur*, ex more nimirum Origenis, obeliſco ſignantis ſuperflua. *Secundò* LXX. Interpretes integros Cainanem ignorâſſe, arguit, quod ii qui eorum verſione uſi ſunt, in recenſendis Patriarcharum generationibus eum prætériverunt. Ita Philo Judæus & Joſephus, qui in aliis hanc verſionem ſecuti ſunt, Cainanem penitus ignorant. Ignorat etiam Theophilus Antiochenus, qui l. 3. ad Autolycum, genealogiam Patriarcharum ita referens, ut in numero annorum Græcos preſſè ſequatur, Arphaxad tamen genuiſſe Salam ſcribit, omiſſo penitus Cainane. Julii Africani & Doſithei ſuffragium anteà recitavimus. Sed & Epiphanius, cum aliâs Verſioni Græcæ mordicus hæreat, Hæreſi 55. quæ eſt Melchiſedecianorum, diſertè Arphaxadum genuiſſe Salam narrat. *Tertiò* inprimis evidens eſt teſtimonium Euſebii Pamphili. Is enim in priori Chronici ſui libro annos Patrum recenſens ex triplici textu, Hebraico, Græco & Samaritano, Cainanem nuſpiam poſuit. Et in eo textu, qui eſt κατὰ τὴν ὁ ἑρμηνείαν *juxta* LXX. *Interpretationem* Arphaxadum genuiſſe Salam commemorat his verbis: Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν ρλε γεννᾷ τὸν Σαλᾶ. *Arphaxad natus annos* 135. *gignit Salam.* Et eo nomine in Euſebium ſtomachatur non tantùm Georgius Syncellus, eò quòd *lecti per omnes Chriſtianas Eccleſias Geneſeos libri Cainanem habeant:* ſed etiam Georgio longè antiquiores Chronographi Alexandrini, Anianus & Panodorus apud Georg. Syncel. Chron. p. 35. 36. Quin & ipſe Scaliger, cui nondum ſubolucrat vitium, non uno nomine reprehendendum Euſebium putat, quòd ponens Septuaginta Chronologiam, Cainanem omiſerit. Verùm unde Scaligero conſtitit, non omittendum eſſe? Euſebio jungit Uſſerius concordes Joſephum Chriſtianum authorem in Hypomneſtico adhuc

vitæ tanta induſtria conſignaverit, Cainanis hujus ne meminerit quidem? Quod enim ajunt quidam, voluiſſe Moſen generationes, quæ fuerunt ante & poſt diluvium, ad duas tantùm decades redigere; *id*, uti meritò Pererius reſpondet, *nec probari ab iſtis poteſt, & leve ac futile eſt, nec tale, ut propter id debuerit Moſes Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere.* Porrò ſciviſſe Moſen generationem Cainanis, & ſcripſiſſe bona fide, ſed Scripturam ejus immutatam & depravatam eſſe, ſi quis dicat, tanquam ὀνειροπωλῶν & vanus conjectator repellendus erit. *Tertiò* Cainanem iſtum ignorant Onkeloſus Paraphraſtes Chaldæus, Philo & Joſephus, Perſa, Arabs, uterque vulgatus Interpres. Sed & Beroſus Chaldæus apud Joſephum Antiq. 1. 8. citatus, μετὰ κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ *poſt diluvium decima generatione* Abrahamum fuiſſe ſignificans, nullum locum relinquit undecimæ huic Cainanis generationi. Eodem modo Eupolemus ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων, productus ab Alexandro Polyhiſtore apud Euſebium Præp. Euang. lib. 9. decem duntaxat generationes agnoſcit. Neque aliter Julius Africanus, quem Euſebius citat in Chronico pag. 9. editionis Scaligerianæ: Γενεαλογία τοῦ Ἀβραάμ κατὰ τὸν Ἀφρικανόν. μετὰ γὰρ τὸν κατακλυσμὸν Σὴμ ἐγέννησε τὸν Ἀρφαξάδ, Ἀρφαξάδ δὲ γενόμενος ἐτῶν ρλε γεννᾷ τὸν Σαλᾶ. *Genealogia Abrahami ſecundùm Africanum. Poſt diluvium autem Sem genuit Arphaxadum, Arphaxad autem natus annos* 135. *genuit Sala.* Sed & Julio Africano antiquior Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolycum, omiſſo Cainane, Arphaxadum Patrem facit Salæ. Imò & ipſorum Apoſtolorum temporibus Doſitheus Cainanem cum ſuis annis prorſus omiſit. Quid quòd & Samaritani Codices in numero generationum Hebraicis codicibus planè ſunt genuini, cum aliâs in ſupputatione annorum tam ab Hebræis, quàm à Græcis non leviter diſcrepent? *Quartò* ipſi LXX. in Romana Carathæ & Pariſina editione omiſerunt Cainanem libri primi Paralipomenon capite primo, minimè id facturi eo loco, quo alibi omiſſi ſuppleri aliâs ſolent, ſi talis Cainan in rerum natura extitiſſet. Quin & deſiderari in emendatioribus Græcis indicant Maſſæus lib. 2. & Pererius in Cap. 10. Geneſeos.

X. Verùm nihil validiùs facit contra iſtum Cainanem, quàm quod apud ipſos LXX. Interpretes non genuinus ſit, ſed ὑποβολιμαῖος & inſititius. Hoc ne mirum videatur, probabimus certis argumentis. Et *primò* quidem Cainan non habetur in ea LXX. Interpretum editione, quam olim in Alexandrina Cleopatræ Bibliotheca repoſitam, & in Ægypto, Palæſtina ac Syria receptam, Hexaplis ſuis inſerendam curavit Orige-

Digitized by Google

Origenes, quæque olim teſte Hieronymo epiſt. 135. ſola incorrupta & immaculata cenſebatur. Altera enim dicta *κοινὴ communis & vulgata*, nec non λουκιανὸς, teſte eodem *pro locis & temporibus & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio eſt.* Prior autem illa & omni exceptione major ſic Moſaicum Textum repræſentavit: Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλὰ &c. *Et vixit Arphaxad* 135. *annos, & genuit Sala.* Docet Hieronymus in Epiſt. 107. ad Chromatium, Origenem in communi editione τῶν LXX. Theodotionis miſcuiſſe editionem *aſteriſcis deſignantem quæ minus fuerunt, & virgulis, quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita.* Hîc verò Origenes ea quæ ad Cainanem ſpectant, uti invenit, ita etiam reliquit, ſed virgula ſive obeliſco notata. Liquet hoc ex Procopio Gazæo in cap. XI. Geneſeos ita ſcribente: *Hebraica veritas habet, Selam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur, obeliſco ſignata viſuntur*, ex more nimirum Origenis, obeliſco ſignantis ſuperflua. *Secundò* LXX. Interpretes integros Cainanem ignorâſſe, arguit, quod ii qui eorum verſione uſi ſunt, in recenſendis Patriarcharum generationibus eum præteriverunt. Ita Philo Judæus & Joſephus, qui in aliis hanc verſionem ſecuti ſunt, Cainanem penitus ignorant. Ignorat etiam Theophilus Antiochenus, qui l. 3. ad Autolycum, genealogiam Patriarcharum ita referens, ut in numero annorum Græcos preſſè ſequatur, Arphaxad tamen genuiſſe Salam ſcribit, omiſſo penitus Cainane. Julii Africani & Doſithei ſuffragium anteà recitavimus. Sed & Epiphanius, cum aliâs Verſioni Græcæ mordicus hæreat, Hæreſi 55. quæ eſt Melchiſedecianorum, diſertè Arphaxadum genuiſſe Salam narrat. *Tertiò* inprimis evidens eſt teſtimonium Euſebii Pamphili. Is enim in priori Chronici ſui libro annos Patrum recenſens ex triplici textu, Hebraico, Græco & Samaritano, Cainanem nuſpiam poſuit. Et in eo textu, qui eſt κατὰ τὴν ό ἑρμηνείαν *juxta* LXX. *Interpretationem* Arphaxadum genuiſſe Salam commemorat his verbis: Ἀρφαξὰδ γενόμενος ἐτῶν ρλε γεννᾷ τὸν Σαλᾶ. *Arphaxad natus annos* 135. *gignit Salam.* Et eo nomine in Euſebium ſtomachatur non tantùm Georgius Syncellus, eò quòd *lecti per omnes Chriſtianas Eccleſias Geneſeos libri Cainanem habeant*: ſed etiam Georgio longè antiquiores Chronographi Alexandrini, Anianus & Panodorus apud Georg. Syncel. Chron. p. 35. 36. Quin & ipſe Scaliger, cui nondum ſuboluerat vitium, non uno nomine reprehendendum Euſebium putat, quòd ponens Septuaginta Chronologiam, Cainanem omiſerit. Verùm unde Scaligero conſtitit, non omittendum eſſe? Euſebio jungit Uſſerius concordes Joſephum Chriſtianum authorem in Hypomneſtico adhuc

Digitized by Google

huc inedito, & Quintum Julium Hilarionem in libello de Mundi duratione. *Quartò* nec illud prætereundum, magnam eſſe Græcæ lectionis inconſtantiam tum in annis Arphaxadi poſt genitum Cainanem, tum in annis, qui Cainani tribuuntur poſt natum Salam, quæ ipſa corruptionis indicium præbet. Ubi enim in Exemplari Romano Arphaxado poſt natum Cainanem anni tribuuntur 400. ibi Latina Flaminii Nobilii verſio habet 300. Aldina & Germanicæ editiones cum antiquiſſimo exemplari Cothoniano, Syro Chronographo & Faſtis Siculis 330. Georgius Syncellus 355. Complutenſis cum Alexandrino 430. Ita etiam in annis, qui Cainani poſt natum Salam tribuuntur, alia Exemplaria annos legunt 330. alia, quæ etiam Georgius Syncellus ſequitur, 430.

XI. Sed quid fiet, inquias, de teſtimonio Euangeliſtæ Lucæ? Is enim cap. III. 36. in Genealogia Chriſti Arphaxadum inter & Salam Cainanem inſeruit. Mirè hîc non tantùm æſtuant eruditi, ſed etiam, quod pace eorum dixerim, errant plerique: Alii enim Cainanem & Salam faciunt eundem, ut ſenſus illorum verborum: τῦ Σαλὰ, τῦ Καϊνὰν ſit, *qui fuit Sala, qui & Cainan.* Ita Hermannus Contractus, Joh: Lucidus, Lud: de Dieu, Franciſcus Gomarus. Alii Arphaxadum & Cainanem eundem faciunt. Quos etiam Boulducus ſequitur. Verùm neutri probabiles. Cùm enim toties repetatur in eo capite articulus τῦ, & eodem conſtanter ſenſu acceptus deſignet Patrem, quæ ratio erit, cur hoc loco conſuetum ſenſum deſeramus? Præſertim cùm in ipſo textu nullum mutati ſignificatus indicium appareat. Et unde quæſo fidem nobis facient, vel Arphaxadum vel Salam cognominatum Cainanem? Alii aſſerunt, B. Lucam pia συγκαταβάσει retinuiſſe Interpretationem Græcam quàmvis erroneam, ne intempeſtivo diſſenſu ſuo ſcrupulum injiceret, aut Euangelii ſui αὐθεντίαν in diſcrimen adduceret apud infirmos vel pertinaces. Verùm nec hi veriſimilia dicunt. Non enim putandum, Sacro Scriptori plus curæ fuiſſe famam quàm veritatem. Et ut vitari potuerit hac ratione ſcandalum Helleniſtarum: at objeciſſet ſe cavillis Hebræorum, Euangelium ejus cum Hebraico codice contendentium. Ego reputando ſingula, veriſſimum eſſe exiſtimo, quod Viri tum docti tum prudentes pronuntiare non erubuerunt, nimirum Cainanem non à B. Luca inſertum Textui, ſed à Librariis errore intruſum eſſe demùm poſt Euangeliſtæ tempora. Cùm enim purior illa & defæcatior LXX. Interpretum verſio Cainanem non agnoverit, & antiquiſſimi quique tum præcedentes Lucam tum ſequentes Authores alto eum ſilentio premant, cur eum adoptavit Lucas, intemerata haud dubiè exemplaria ſecutus?

Accedit

Digitized by Google

Accedit authoritas vetuſtiſſimi Codicis Græco-Latini, qui in antiquiſſimis membranis Literis majuſculis, ſine Spiritibus & accentibus deſcriptus, complexus quatuor Euangeliorum & Actorum Apoſtolorum hiſtorias, ex Græcia olim in Galliam perductus, à Theodoro Beza vindicatus & anno ſuperioris Seculi 1581. ab eodem publicæ Academiæ Cantabrigienſis Bibliothecæ, in qua adhucdum viſitur, donatus eſt. In eo enim codice exertè legitur: τȣ Φαλεκ, τȣ εβερ, τȣ Σαλα, τȣ Αρφαξαδ, τȣ Σημ. *Qui fuit Phaleg, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem.* Et ex Pontificiorum Caſtris Johannes Cordeſius libro de Genealogia Chriſti, negat Cainanis nomen in primitivis Lucæ Codicibus extitiſſe. Qua jam ratione in Textum ſive Lucæ ſive LXX. Interpretum irrepſerit peregrinus & ſpurius hic hoſpes, cognoſcere ad ſummam rei parum refert. Doctiſſimus quidem Uſſerius non dubitat, quin Cainanis nomen ante Chriſti tempora extiterit in verſione Græca illa κοινῇ, cujus anteà ex Hieronymo meminimus: idque probat ex Demetrii in libro de his qui in Judæa regnaverunt, Chronologia apud Euſebium Præparat. Euangel. lib. IX. ab Alexandro Polyhiſtore propoſita. Conjectat igitur, Cainanis nomen ex κοινῇ ſive *vulgata* Geneſeos editione in Chriſti apud Lucam Genealogiam fuiſſe transfuſum. In quo etiam Pererium ſuffragantem habet. Quod ſi id minùs placet (quanquam cur placere non debeat, rationem non video) ſequemur conjecturam Bocharti Viri nunquam ſine laude loquendi. Is enim ariolatur, Scribarum incuria, vocum ordine perturbato transferri potuiſſe voculam *Cainanis* filii Enos, ex verſu 37. in verſum 36. Quo errore ſemel admiſſo, & in exemplaria aliquot Lucæ propagato, audaculos homines id ipſum inſeruiſſe in Græca Seniorum editione, ut quam corruptam eſſe putarent propter diſſenſum à Luca. Et argumento eſſe putat, quòd Geneſ. XI. 13. 14. 15. τῷ Καινὰν & τῷ Σαλὰ iidem planè tribuuntur anni tam generationis quàm vitæ poſt generationem actæ. Unde veriſimili ratione colligit, id quod LXX. Seniores de ſolo Sala ſcripſerant, repetiiſſe Scribas, ut eadem commentitio Cainani tribuerent.

XII. Cùm igitur Cainan talis Arphaxadi filius in rerum natura extiterit nunquam, ſua vanitate ruunt, quæ de nationibus ab eo ortum ducentibus Authores commenti ſunt. Et pugnat eo argumento planè futili pro ὑπάρξει Cainanis Harvillæus. Quia enim Chronicon Alexandrinum à Cainane derivat Sarmatas: Euſtathius Antiochenus Saggodianos: Georgius Syncellus Gaſphenos: Epiphanius Cajanos: hinc Cainanem aliquem extitiſſe colligunt. Et foret collectio idonea, ſi aſſertioni fidem

facerent illi Authores. Quod cùm non præſtent, ſimpliciter rejicienda eorum ſententia eſt. Nec enim plus merentur fidei, quàm vel Salianus à Cainane deducens Cainas Indiæ fluvium: vel Patricides mortem Cainanis conjiciens in anni Phalegi 36 menſem Ab: vel Cedrenus aſſerens, Cainanem Scripturam inveniſſe gigantum, & eam apud ſe occultâſſe: vel Collector catenæ in Pentateuchum Arabicæ, quæ teſte Uſſerio in Bodliana Bibliotheca habetur, adſeverans, Cainanem 13. menſis Elul, feria ſexta exceſſiſſe, ab ejus filiis pollinctum & ſepultum, nec non cultum luctu 40. dierum. Nempe qui Cainanem omnino extitiſſe voluerunt, operam dare debuerunt, ne nudum nomen vel κωφὸν πρόσωπον fuiſſe poſteritas crederet. Unum hoc addendum, ipſis etiam Turcis agnoſci Cainanem, quem Author Tarich vocat יאכר quod notat *habitantem*, locum incolentem, poſſidentem: ſicut קינן Cainan notat poſſeſſorem. Ita L. de Dieu Authorem Tarich explicavit, quem hoc loco corruptum eſſe immeritò putavit Schickhardus.

XIII. Poſtquam igitur Cainanem ex numero Patriarcharum expunximus, nunc ad γνήσιον Arphaxadi filium movebimus. Eſt autem is שלח *Schælachus*, de quo ſic Moſes Genes. XI. 12. *Arphaxad vixit quinque & triginta annos*, ויולד אתשלח *& genuit Schælachum*. Notat שלח Hebræis *emiſſionem*, puta aquarum ſuper terram. Quomodo Job. V. 10. שלח מים על פני חוצות *emittit aquas ſuper faciem agrorum*. Nempe Arphaxadus pius Pater filio indidit hoc nomen in memoriam horrendi ſupplicii, diluvii nimirum, quo aquæ cælitus emiſſæ mundum obruerunt & peſſum dederunt. Quomodo Enochus proviſo diluvio filio nomen indidit מתושלח *Methu ſchælach*, quia eo *mortuo emiſſio* aquarum ſeu diluvium in totius generis humani perniciem graſſaturum erat. Porrò Schælachus anno ætatis trigeſimo genuit Heberum: cui poſtquam ſupervixit annos tres & quadringentos, naturæ debitum tributum expendit. Plura de eo Moſes non habet. Verùm Elmacinus Arabs pro more ſuo menſem obitus ejus deſignat, nimirum Adar, qui ברהמאת *Barhamath* dictus.

XIV. Schelachum excipit עבר Heberus, ille Hebraicæ gentis ſator & conditor: Vocabulum ipſum ſignificat *tranſitum*. De quo ſic Iſidorus: *Etymologia ejus eſt myſtica, quòd ab ejus ſtirpe tranſiret Dominus, nec perſeveraret in eis tranſlata Gentibus gratia. Ex ipſo enim ſunt exorti Hebræi.* Aliam tamen rationem Etymi ſed commentitiam afferunt Hebræi. Fingunt nempe, Arphaxadum eo tempore, quo natus eſt Heber, trajeciſſe fluvium Tigrim, cum omni familia ſua & progenie, & primum omnium

con-

Digitized by Google

onſediſſe in Chaldæa, ac proinde infantem tunc natum *Heberum* dictum ſſe à *tranſitu*. Verùm illa Arphaxadi migratio fruſtra aſſeritur. Nec proabile eſt etiam, interceſſiſſe orbis terrarum diviſionem, ſi diſceſſeris ab ı, quæ tempore Phalegi contigit. Et miror etiam Torniello hoc veiſimile videri potuiſſe.

XV. Ab Hebero deſcendiſſe Hebræos planum fecimus tum prioris :xercit. XVI. 23. 24. &c. Suffragiis ibi allegatis addi poſſunt duo Orienıles, Patricides & Elmacinus; qui uterque vocant Heberum אבו אלעבראני *'arentem Hebræorum*. Cæterùm omitti non debet ratio, ob quam ab *Heere* totam Iſraelitarum nationem nomen accepiſſe *Hebræorum* exiſtimat ʒoulducus. Negat enim Hebræos ab Hebere dictos Iſraelitas, quia ab llo per Abraham carnalem habuerint originem: vel quia in diviſione ınguarum apud illam nationem lingua Hebræa integra remanſerit: *Sed uia cùm apud Prophetas, Filiosque Dei Heberis diſcipulos, tanquam Sapientiores, 'anctiores, officioque Doctores cum lingua Sancta verus Dei cultus remanſiſſet, mnes, qui illis adhæſerunt, verámque religionem in tanta rerum ſimul ac Linuarum confuſione amplexati ſunt; cujuscunque nationis eſſent aut familiæ, Heræi ſunt appellati*; de Eccl. ante Legem lib. II. 9. Hinc igitur factum, ut ıomen, quod ſpeciale erat prius illorum Prophetarum, toti fidelium nultitudini ſit attributum. Et ipſum Abrahamum vocatum עברי *Heræum*, non ſolùm, quia carne erat nepos Heberis, ſed quia *Spiritu filius*, ıoc eſt, diſcipulus Doctorum, qui ſuo tempore ab illo Hebræi nuncuıabantur. Proinde etiam illos חניכים *novitios* ſeu *initiatos* Abrahami, ıuorum mentio eſt Geneſ. XIV. 14. eos fuiſſe, qui educati erant in illa Hebræorum Schola, quam apud ſe Abraham habuerit. Ita argutè & ngenioſè *ὁ δεῖνα*. Cui ſi applaudere lubet, tempore Abrahami & retro Hebræi fuerint, qui nec ab Hebere originem traxerunt, nec Hebraici diomatis callentes fuerunt. Nam extra familiam Heberi fuiſſe etiam ılios, qui veram religionem tuerentur, unus Melchiſedecus documento eſt, quem plerique ortum ex Hebere negant. Sed & Jobus fuerit Heoræus, quia Heberi diſciplinæ & religioni inhæſit? Et ubi quæſo ejusnodi Prophetarum & filiorum Spiritualium Heberis chorum oſtendit? Neque teruncio emerim probationem, quam arceſſit ex 2. Cor. XI. 22. ıbi Paulus contra Pſeudapoſtolos quosdam gloriatur: *Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: Abrahæ ſemen ſunt, & ego.* Quaſi videlicet Hebræi nomenclatura voluerit ſe agnoſci antiqui illius ordinis Prophetarum, Heberi nimirum diſcipulorum ſectatorem. Hoc enim ſi in animo habuit, debuit ſe diſtinguere à Pſeudapoſtolis adverſariis,

Digitized by Google

ſariis, qui neque Hebræi tales erant, neque fortaſſis videri valebant.

XVI. Heberum orientales vocant הוד *Hudum*. In Alcorano eſt integra Surata, quæ ab Hudo nomen obtinuit. Author quidem Tarich, quem edidit Schickhardus, tertium à Semo, inter Schælachum nimirum et Heberem collocat הוד נבי *Hudum Prophetam*. Sicut igitur apud Lucam inter Arphaxadum & Heberum redundat una perſona Cainanis: ita Turcis juxta Authorem hunc Tarich inter eosdem redundat Hudus. Hinc Schickhardo ſuboluit, Hudum haberi poſſe pro Euangeliſtæ noſtri Cainane: præſertim quia ſequitur eum עאמר, quem ex עאבר depravatum cenſet, quoniam & Pater ſtatuitur Phalegi, & literæ tam parum abludunt. Nihilominus Vir Doctiſſimus Ludovicus de Dieu in Geneſ. xi. 12. Hudum facit eundem cum Hebere: quem etiam ſequitur Cl. Hottingerus noſter Hiſtor. Oriental. p. 26. 27. Nempe cùm Hebræi quoque dicti fuerint Judæi, הוד autem Arabibus ſit *Judæum eſſe*, ab הודה unde יהודה; hinc עבר Heberum acceperunt pro Judæo, quia Judæorum Pater: ideóque vocârunt *Hudum*. Argumento eſt, quòd Auctor Tarich addit, fuiſſe Hudum Prophetam, quod de Hebere tradunt Orientales, uti poſteà viderimus. Quod divinavit hic L. de Dieu, id diſertè tradunt Patricides Alexandrinus, Elmacinus & Beidavi. Illi enim apertè Heberem ab Arabibus vocari Hudum pronuntiant: hic verò Hudum facit filium שאלח *Schælachi*, qui non alius quàm Heber.

XVII. Heberem fuiſſe Prophetam, creditum eſt tum Chriſtianis, tum Rabbinis, tum ipſis etiam Muhammedanis. In Seder Olam pag. 2. אמר ר' יוסיא נביא גדול היה עבר *Dixit R. Joſi: Propheta magnus fuit Heber*. Ita Author Tharich Hudum vocat נבי *Prophetam*. Nempe prævidiſſe, quod Phalegi filii ſui tempore gentium diſperſio & diviſio orbis futura eſſet, atque adeò Filio ſuo nomen *Phaleg*, quod *diviſionem notat*, Prophetico Spiritu indidiſſe putant. Rationem hanc urget Jarchius ad Genes. x. 25. למדנו שהיה עבר נביא שקרא שם בנו ע"ל שם העתיד *Docemur Heberem fuiſſe Prophetam, eò quòd filio ſuo nomen impoſuit de re futura*. Ex eadem ratione Propheticam Heberis Scientiam colligit Hieronymus in Quæſt. Hebr. nec non Chryſoſtomus homilia 30. in Geneſin. Nihilominus argumentum hoc invalidum, ut Prophetam fuiſſe evincatur. Cùm enim diſperſio in nativitate Phalegi jam cæperit, uti probamus alibi, non futura demum fuerit, nomen illud ex futuro eventu indi tum non potuit. Rectè Joſephus: ἐκλήθη Φάλεγος, ἐπειδὴ κατὰ τὸν ἀποδασμὸν τῆς οἰκήσεως τίκτεται. *Dictus fuit Phaleg, qui natus, dum habitationes diſtribuerentur.*

XVIII. Eundem Heberem condidiſſe Hebronem & Tanim aſſerunt

Viri

Digitized by Google

Viri nonnulli docti. Et magna id fiducia facit etiam Boulducus de Eccl. ante Legem 11. 8. Pro Hebrone argumentum illi triplex. Primum affinitas nominum חברון *Hebron* & עבר *Heber*. Secundum Hebronis Epitheton quod eſt כרית ארבע *Ciriath Arbe.* Hoc enim ſi invertas, germana, inquit, erit lectio כרית עברא *Ciriath Ghebera*, molliùs autem *Cariath-Heber*, hoc eſt, Civitas Heberis: vel etiam juxta vim prioris vocis *Ghebera*, cum ſigno generis fæminini א *civitas Hebræa*, quippe quæ præcipua ſedes eſſet Heberis & ejus diſcipulorum. Tertium ortus ſeu conditus ipſius Hebronis, quem incidere in tempora Heberis exiſtimat. Joſephus enim de bello Judaico V. 7. ſcribit, ab Hebron condita ad ſua uſque tempora annos fuiſſe decurſos bis mille & trecentos. Quod ſi verum eſt, non poterit non ortus Hebronis incidere in tempora Heberis. Nam Joſephus libros de belló Judaico non ante confectum bellum Judaicum perficere potuit. Porro finitum eſt bellum illud Olympiade 212. quæ conficiebat annos 848. attingens annum mundi 4059. à qua ſumma ſi demas 2300. annos, retrogradiendo devenies ad annum mundi 1759. diluvii 103. Heberis 36. Sunt hæc argumenta fateor, non planè contemnenda. Nihilominus moveri non poſſum, ut diſceſſionem faciam à ſententia communiter recepta, quæ Cananeæ, adeóque etiam Hebronis in ea ſitæ conditorem & authorem faciunt Canaanem filium Chami, vel ipſum Chamum, quod facit R. Salomon Jarchi in Num. XIII. 23. ubi Chamum ædificâſſe duas urbes ſcribit, Hebronem & Tanin, illam in gratiam Canaanis, hanc in gratiam Mitzraim. Quòd ſi Hebron condita eſſet ab Hebere Semî abnepote, non planè terram Cananeam *ἀλλοτρίαν peregrinam*, deputâſſent: quod eos feciſſe extat Act. VII. 6. Hebr. XI. 9. Poterant enim Hebronem ſibi vindicare pro ſua. Sanè quæ à Patriarchis illis Chaldæis, quos inter fuit hic Heber, incunabula ſua habuerunt, fuerunt pleraque circa Chaldæam & Aſſyriam ſita, Notum autem eſt, quàm vaſto Arabiæ deſerto à Chaldæa diviſa ſit terra Canaan. Neque ut iter emetiretur tam longinquum Heber condendæ ergo civitatis, neceſſum habuit. Rationes allatas quod attinet, eſt quod iis reſponderi poſſit. Nam *prima* ab affinitate nominum עבר *Hebet* & חברון *Hebron* petita parum admodum ſtringit. Eſt enim inter עבר & חברון diſcrimen quoad initialem literam, & quoad etymon utriuſque ſatis notabile. Neque video, cur litera ע mutata in ח æquè gravis aſpirationis, originem urbis obſcurare, & ipſi adeò Heberi facere injuriam voluerint. Quid quòd urbs illa principiò ne quidem Hebron, ſed Ciriath-arbe vocata fuerit. Patet id ex Joſ. XIV. 15. *Nomen Hebron* לפנים *πρότερον prius fuit Ciriath-arba.* Nomen igitur *Hebronis* recen-

tius eſt. Et Hieronymus quidem nomen Hebronis acceptum refert Calebi filio Mareſæ, qui vocatur אבי חברון *Pater Hebron.* Quanquam argumentum illud non ſine cauſa infirmum pronuntiat Maſius, eò quòd in eodem capite v. 21. Machir quoque dictus eſt אבי גלעד *Pater Galaad*, non quia Galaaditidi nomen impoſuerit, ſed quia illic regnaverit. Neque potuit filius ille Chalebi longè recentior Moſe nomen hoc Civitati illi indere, cùm Moſes eam ſæpiuſcule nomine Hebronis indigitaverit. Serarius vocem eam inditam putat civitati ab Abrahamo, & quidem à חבר *ſocietate*, quam iniit Abraham cum ejus loci viris principibus. Sed quicquid de eo fiat, ex loco eo Joſuæ colligitur, Hebronis nomen non fuiſſe civitati illi coævum, ſed ea poſterius, tale non futurum, ſi ab Hebere ejus Authore nomen ſortita eſſet.

XIX. Neque ſolidior eſt ratio ſecunda, petita ab Epitheto Hebronis, quod eſt *Ciriath-arbe.* Fruſtra enim ex ארבע *Arba* nobis facit Heberem. Non tantùm enim inverſio illa inſolens & contorta eſt, verùm etiam litera א redundabit, quæ hoc loco fœminini generis index eſſe nequit. Non eſt quidem expoſitum ſatis, unde Civitas Hebron antiquitus appellata ſit קרית ארבע *Ciriath-arba.* Nota ſunt commenta Rabbinorum in Bereſith rabba, quòd urbs illa dicta ſit ארבע *quatuor, quia à priſcis ſeculis quatuor illic pii viri habitaverunt, Aner, Eſcol, Mambre & Abraham, iidemque illic ſint circumciſi: quatuor item matronæ celeberrimæ famæ ibi ſepultæ, Eva, Sara, Rebecca, Lea, & quatuor Patriarchæ quoque Adam, Abraham, Iſaac & Jacob.* Verùm ſi *Arbe* à quatuór viris aut perſonis ibi ſepultis nomen habuit, ab illorum numero excludendi ſunt Iſaac, Jacob, Rebecca, & Lia, quarum ſepulturæ hoc nomine ſunt poſteriores. Neque probandus Salianus, qui putat dictam hanc urbem ab Abrahamo & tribus illis Principibus Hebronitis, qui cum ipſo erant fœdere copulati, & in ea urbe plurimum pollebant. Hæc enim minimè quadrant cum textu Joſ. xiv. 15. ושם חברון לפנים קרית ארבע האדם הגדול בענקים הוא *Nomen Hebronis olim fuerat Kiriath-arbe. Homo iſte magnus inter Anakim erat.* Ubi demonſtrativum הוא probat, Arba eſſe nomen proprium Viri, uti rectè animadvertit Sixtinus Amama in eum locum. Fuit igitur *Arba* nomen proprium viri, qui condidit gentem Anakeorum. Quod etiam R. D. Kimchi & Salomon Jarchi adnotant ſed unde dictus ille ארבע *Arba?* Jacobus Capellus divinat, Arbam dictum, quia quatuor cubitis procerus eſſet. Hebræis enim ארבע notat quatuor: & אמות *cubitorum* vox non raró ſubauditur. Verùm cùm *Arba* ille legatur fuiſſe *magnus inter Anakim*, hoc eſt, Anakæorum maximus, quatuor cubitorum ſtatura minor fuerit, quàm

Digitized by Google

quam ut famæ interpon[illegible] Ogis Regis Baſan ſponda ferrea fuerit novem cubitos. Igitur Bocharto *de Colon. Phœnic.* lib. [illegible] placet, Arbam per aphæreſin eſſe idem quod אבי ארבע ὁ πατὴρ τῶν τεσσάρων, qua ratione Ihezer Num. XXVI. 30. legitur pro Abihezer Jos. XVII. 2. Dictum autem eſſe Abi-Arba, quia inter poſteros ejus quatuor Scriptura memoret, qui virtute & robore cæteris præcelluerint, nimirum *Anak* filium, & nepotes *Achimon*, *Seſai* & *Thalmai*, quorum mentio eſt Num. XIII. 23. Atqui Arbam Patrem fuiſſe Anaki non conſtat. Tum tempore jam Abrahami urbs hæc dicta eſt *Ciriath-arbe*, quod nomen uti diximus, antiquius eſt ipſo nomine Hebronis. Et tamen ante Abrahamum vel ejus jam ætate extitiſſe tres illos Enoſitas, quos ſe vidiſſe innuunt exploratores, veroſimile non eſt. Neque etiam tres illos Achiman, Seſai, & Thalmai ab Enako immediatè genitos eſſe conſtat: ſed veroſimilius eſt, ejus fuiſſe poſteros. Unde & LXX. hîc γενεὰς Ἐνὰχ dixerunt: & vulgatus *ſtirpem Enac*. Aſſentior igitur Kimchio, cui ארבע שם הענק *Arba nomen eſt Enac*, ut ita Arba fuerit ipſe Enac, Enacitarum Pater. Id quod ſatis innuit ipſe Joſua, cui Arba dicitur גדול בענקים *maximus Enacitarum*, qualis fuit haud dubiè Enac ipſe, Enacitarum Parens. Cur autem ארבע *Arba* dictus ſit, puto non admodum liquere. Niſi fortè ita dictus eſt ob ſtaturam perfectam, quomodo Græci, & Ariſtoteles ſubinde vocat τετράγωνον ἄνδρα, *virum perfectum*, τετράγωνον σῶμα *corpus perfectum*. Unde & Enacitæ vocantur Num: XIII. 33. אנשי מדות *Viri menſurarum*. Ubi ſi ארבע ſubaudire velis, denotabuntur Viri τετράγωνοι, ſtaturæ nimirum perfectiſſimæ. Sed undecunque dictus ſit *Arba*, & quiſcunque demum is fuerit, id certum eſt, non fuiſſe Heberem, adeòque eo argumento non convinci Heberem authorem Hebronis.

XX. Sequitur ratio tertia Boulduci, petita ab authoritate Joſephi, quæ ſpeciem nonnullam habet. Verùm ſi quid probat, hoc ſolùm ex ea colligi poterit, Hebronem conditam fuiſſe tempore Heberi. Id ſanè inficias non ivero, propter authoritatem tum Joſephi, quæ aſpernanda non eſt: tum magis etiam Moſis, qui civitatis illius ultimam antiquitatem non obſcurè inſinuat Num. XIII. 23. ubi eam ſeptem annis ante Tanim Ægypti Regiam ædificatam eſſe teſtatur. Verùm non ſi Heberi tempeſtate ædificata eſt Hebron, ab ipſo Hebero ædificatam eſſe conſequitur, niſi aliæ rationes, ex quibus illud confici poſſit, ſuppetant. Potuit enim ædificari ab aliis Heberi συγχρόνοις, quales Chamus, Chanaan.

XXI. Concidit igitur etiam ejuſdem Boulduci opinio de *Enacim*,

Digitized by Google

ſeu *Torquatorum* inſtitutione, facta ab Hebere [illegible]
[illegible] Heberum circa prima Hebronis conditæ principia, cùm maximam haberet diſcipulorum multitudinem, elegiſſe quoſdam ex nobilioribus, quos aliis præfecerit, & in ſignum alicujus eminentiæ torque, vel etiam annulo ac candida veſte decoraverit. Quo ritu etiam uſum Pharaonem, cùm Joſephum proximè poſt regiam dignitatem inaugurraretur, Geneſ. XLI. 42. æmulum videlicet cerimoniæ primùm ab Hebere uſurpatæ. Porro congregationis hujus *Torquatorum* in urbe Hebrone præcipuos, & velut capita deſignatos fuiſſe ab Hebere tres illos viros Hebronitas, quibus cum Abraham pegigit fœdus, nimirum Mamre, Eſcol & Aner.. Et poſterioribus Moſis & Joſuæ temporibus, tres alios fuiſſe celebres Societatis illius *Torquatorum* Viros, nimirum Achimam, Seſai & Thalmai. Cùm autem Heberem vel authorem eſſe Hebronis, in qua exortam eſſe illam ſocietatem adfirmat; vel in eam urbem pedem unquam intuliſſe, ne uno quidem argumento, quod momenti alicujus ſit, conſtet, quis ſibi perſuaderi patiatur, ejuſmodi inſtitutum ſocietatis religioſæ conglutinandæ unquam ſuſcepiſſe Heberem? Somnia ſunt, quæ de Torquatis his in medium afferuntur, ne quid dicam pejus. Quis unquam credidit *Enacim* fuiſſe Societatem hominum religioſorum & fidelium? Sic agit hic Monachus, quaſi eccleſiam Patriarcharum ejuſmodi Religionibus & ordinibus diſtractam, & veluti diſſipatam fuiſſe, quibus hodie Papatus, non ſine totius Chriſtianiſmi pudore & infamia in partes ſciſſus eſt, credendum nobis ſit. Si Enacitæ fuerunt homines fideles & religioſi, adeóque cum Hebræis, qui verè ab Hebere deſcenderunt, ἰσότιμον πίςιν λαχόντες, quæ cauſa illos adeò formidabiles reddidit Iſraëlitis, ut anxio metu pavidi inclamarent מי יתיצב לפני בני ענק *Quis conſiſtet coram filiis Enak?* Deut. IX. 2. Imò qui furor fuit Iſraëlitarum, ut homines ejuſmodi religioſos, & tam nobili ſocietati innexos, eadem involutos Cananæorum cæde ac ruina trucidarent miſerè, & occidione delerent, quod feciſſe eos diſcimus ex Joſ. XI. 21. 22?

XXII. Accedamus nunc ad *Tanim*, quam poſt Hebronem extruxiſſe Heberem aſſeritur. Tanis ab aliis appellata Taphnis, à Wilhelmo Tyrio *Tapium*, Hebræis paſſim dicta צען *Tzoan*, quæ Ægypti olim Regia fuit, in cujus agro coram Pharaone Moſes miracula patravit, ut colligere eſt ex Pſalm. LXXVIII. 12. Ejus pauci meminerunt profani authores. Meminit tamen Strabo lib. XVII. p. 552. edit. Caſaub. ubi in Tanitica præfectura collocat Tanim πόλιν μεγάλην. Ab eadem *Tani* oſtium *Taniticum* deducit, quod Σαϊτικὸν *Saiticum* vocare nonnullos innuit. Nihilominus

Digitized by Google

minus Herodotus in Euterpe c. 166. inter Tanitanam & Saitanam Ægypti plagam apertè diſtinguit. Quam diſtinctionem etiam in loco Ezech. XXX. 14. 15. ubi diſtinguitur צען & סין conatur oſtendere Bonrerius. Sed malè. Non enim סין eo loco oſtium *Saiticum*, ſed *Peluſium* denotat, uti rectè obſervatum Hieronymo. Ex Arabibus authoribus *Tanim* deſcribit Ath. Kircherius OEdip. Ægypt. tom. 1. p. 31. *Tanis eſt Inſula in medio lacu, qui dicitur vulgò lacus Tanis, neque eſt ſubjecta ventis, & jam deſtructa periit. Dixit in tract. Alla-bab: Nunc autem eſt propè Tanim.* Balmis verò eam Hebraicè ſic deſcribit: טנים היא מדינת מצרים בקראת בנקרא צואן: *Tanis civitas Ægypti eſt, olim dicta Tzoan.* Apud Plinium lib. XXXVII. 9. inducitur, *Pæderas gemina*, quam ille ait laudatiſſimam eſſe in Indis, apud quos *Agenon* vocatur: proximam Ægyptiis, ubi *Senites*: tertiam in Arabia, verùm Scabram. Ubi pro *Senites* Salmaſius Exercit. Plin. p. 567 legendum judicat Tanites, ab urbe Tani, & præfectum Taniticæ, quòd in ea parte Ægypti Pæderas reperiebatur, qui inde Ægyptiis dictus, Τανίτης λίθος *lapis Tanites.* Sed & *accipitris Tanitici* meminit Pauſanias, eò quòd accipitrem incolæ Tanis coluerint. De quo prolixè Kircherius Tom. 2. OEdip. Ægypt. Verùm hæc παρέργȣ ὁδὸν.

XXIII. Videamus nunc, quibus argumentis Heber ſtatuatur author Tanis. Boulducus *de Eccl. ante Legem* lib II. 9. colligit ſequentia: *Primum* ei arceſſitum ex Num. XIII. 23. ubi Hebron ante צען ſeu *Tanin* condita dicitur ſeptem annis. Hic innui putat à Moſe Hebronem & Tanim ab eodem authore conditam. Cùm igitur Hebron ab Hebere extructa ſit, eidem originem ſuam debere etiam Tanim. *Secundum*, quòd Tanis Regia Pharaonis omnium conſenſu à Titanibus ortum & nomen acceperit. Atqui filios Noë dictos eſſe Titanes à nomine Græco Τιτὰν quod eſt *Sol*, quaſi *Solares*, eò quòd Noë, qui Armenios curſum Solis & aſtrorum docuerit, ab eis *Olybama*, id eſt, Cœlum, & *Arga*, id eſt, Sol, & inde à Græcis ȣ̓ρανὸς & Τιτὰν, dictus ſit. Eodem modo etiam Heberem ex numero Titanum fuiſſe, & eum quidem, qui apud Diodorum Siculum corruptè dicitur *Hyperon*, vel *Hyperion*, qui Solis & Lunæ ſtellarumque motus obſervâſſe ac demonſtrâſſe primus fertur, nempe apud Ægyptios, à quibus Phœnices, & ab iſtis Græci hæc acceperunt. Mirum igitur non eſſe, ſi ab hoc *Hyperon* ſeu Hebere urbs in Ægypto condita in honorem Patriarchæ Noë, vel potiùs abavi Semi vocata ſit Hebraicè *Bethſemes*, Græcè *Heliopolis*, æquivalenti, ſed abbreviato vocabulo *Tanis* pro Titanis, id eſt, *civitas Solis.* Tertiò argumen-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

gumentatur ex Jambre, qui teſte Paulo 2. Tim. III. 8. ſimul cum Janne reſtitit Moſi *in campo Taneos.* Jambrem illum putat idem eſſe quod Mambrem, quo nomine inſignitus fuerit etiam præcipuus ex Heberis diſcipulis, qui tam in Tani Ægyptiaca, quàm in Hebron Palæſtinæ poſt magiſtrum, vel cum eo floruerit. Cujus ſucceſſores potiùs nomen honorificum, quàm doctrinæ puritatem ſervaverint. Colligit hinc, Jannem fuiſſe ex poſteritate Mambris diſcipuli Heberis ab eodem in Urbe Tani ab ſe ædificata relicti. Sunt hæc argumenta potiſſima, in quibus, ut ingenuè quod ſentio, profitear, plus ingenii & coloris, quàm veritatis reperire poſſum. Quæ enim quæſo conſecutio, ut ad *primum* reſpondeam, Heberem eſſe Authorem Tanis, quia author Hebronis? Moſes quidem antiquitatem utriuſque Urbis prædicat, ſed neutrius verum authorem pandit. Neque fortaſſis recipi poſſit, eundem utriusque Urbis tam procul ab invicem diſſitæ authorem eſſe. Et cùm Ægyptus à Chami poſteris inſeſſa & exculta ſit, fruſtra eodem transferemus Heberem, qui ex Semi poſteris fuit. Quòd ſi igitur unum eundemque utriusque Civitatis authorem fuiſſe credendum eſt, potiùs adſtipulabimur Jarchio, in eum locum ſic ſcribenti, אפשר שבנה חם את חברון למען בנו הקטן קודם שיבנה צען למצרים: *Fieri poteſt ut ædificaverit Chamus Hebronem pro Canaane filio ſuo minore, priusquam ædificaret Tanim pro Mizraimo.* In *Secundo* argumento multa aſſeruntur, quæ probatione indigent. Tanim conditam eſſe à Titanibus refert Beroſus, ſed non Chaldæus ille, verùm Viterbienſis. Is à ſeptendecim Titanibus filiis Noë poſt diluvium genitis Tanim conditam ſcribit. Verùm quantum fidei mereatur hic author, nôrunt eruditi. Ejusdem authoris fide, & flaccido adeò tibicine nititur, quòd Noë Armenios docuerit curſum Solis, atque inde dictus ſit *Olybama* & *Arga*, filii verò *Titanes* ſeu Solares. Quod adeò futile eſt, ut mirum ſit quenquam aſſentiri potuiſſe. Titanum fabulæ obſcuriſſimæ quid nobis repræſentent, veriſimiliter docet Voſſius de idololat. III. 2. ubi partim mundi conſtitutionem, partim naturam rerum conſtitutam, ventos & cæteras exhalationes ſub illis Poëtarum involucris abſtrudi putat. Quanquam alii aliter. Sed largiamur hæc omnia haud ſecus habere; Filios Noë fuiſſe Titanes; ex numero Titanum fuiſſe Heberem; Heberem eſſe illum *Hyperon* Diodori; Heberem fuiſſe in Ægypto, obſervâſſe ibi ſtellarum motus, condidiſſe aliquam *Bethſemes* vel *Heliopolin*: unde conſtabit etiam Tanin ab eo extructam? An igitur præter Heberem nemo Noachidarum fuit in Ægypto? Annon Mizraimus? An ſolus Heber fuit Titan, ſi omninò Tanis nomen abbreviatum eſt ex Titan?

Ejus-

Digitized by Google

uſdem commatis eſt argumentum *tertium*, in quo tot fallaciæ, quot rba. Unde enim Jambrem fuiſſe Taniticum demonſtrabitur? Nam n agro Tanitico reſtitit Moſi, non perinde Taniticum fuiſſe liquet. d Taniticus omninò fuerit. Cur verò ex Jambre facit nobis Mambrem? ngendi hæc licentia eſt, non ferenda in Viro cœleſtem ſapientiam pro- ſo. Nunc & Mambrem fuiſſe largiamur. Unde Mambrem fuiſſe di- ipulum præcipuum Heberis, & ex eo alios eodem nomine uſque ad mpora Moſis in Tani Ægyptiaca floruiſſe fidem faciet? Sed mitta- us tandem authoris hujus φλυαρίαν, gerris Siculis vaniorem.

XXIV. Poſt Heberem Patriarcham ſequitur פלג *Peleg*, ſeu Phalegus, uem Heberus genuit quarto & trigeſimo ætatis anno, Geneſ. xi. 16. ominis ei ab Hebero inditi ratio affertur Geneſ. x. 25. כי בימיו נפלגה הארץ: *uoniam in diebus ejus diviſa eſt terra.* Nempe diebus Phalegi diviſio terræ œpit, & à notabili illo eventu idem filio nomen indidit. Errat igitur uidas qui vocem Φαλὲκ ſignificare dicit κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν τὸ ἥμισυ χρόνου τῆς Χριστοῦ παρουσίας, *ſecundùm Propheticam vocem dimidium eſſe tempo- s adventus Chriſti.* Putat enim ab Adamo ad Phalegum annos ter mille: otidem ab eo ad Chriſtum effluxiſſe, quod falſum. Quantò rectius Iſi- orus: *Phaleg, diviſio, cui pater propterea tale nomen indidit, quia tunc natus t, quando per linguas terra diviſa eſt.* Porro diſperſionem gentium incidiſ- : in periodum vitæ Phalegi orientis, non continuatæ vel exeuntis, diſ- eptavimus tomi prioris Exercit. XXII. 3.4.5. &c. Proinde operam non udimus. Phalegus hic notus etiam Muhammedanis, quibus venit no- nine צאלח Zelachi, de quo agit Alcorani Surata Septima. Eum miſſum ſſe tradunt ad Temudem quendam Midianitarum Principem, ut ejus mpietatem & Idololatriam perſtringeret. Temudem hunc eſſe Nimro- lum conjectura eſt Cl. Hottingeri Hiſt. Orient. p. 31.

XXV. Ad tempora Heberis & Phalegi referri ab Authoribus nonnul- is Aureum illud Seculum, à Poëtis adeò decantatum narrat Gordonus Chron. lib II. 4. Aureum illud ſeculum deſcripſêre nobis Pherecrates in ctu metalla fodientibus inſcripto: Heſiodus in operibus & diebus, ubi ub Κρόνῳ *Saturno* in cœlo regnante hoc ſeculum reponit. Ovidius primo Metamorph. & Paſtorum: Dicæarchus Peripateticus, cujus teſtimo- nium allegat Porphyrius de Abſtin. lib. 4. ubi is aſſerit τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγ- γὺς θεῶν γεγονότας, βελτίστους τε φύσει ὄντας, καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν χρόνον νομίζεσθαι, παραβαλλομένους πρὸς τοὺς νῦν κιβδήλου καὶ φαυλοτάτης ὑπάρχοντας ὕλης. *Veteres proximè diis genitos, naturâ præſtantiſſimos, & vita optimos, adeò ut ad nos collati, qui è materia adulterina & improba facti ſumus,*

aureum

gumentatur ex Jambre, qui teſte Paulo 2. Tim. III. 8. ſimul cum Janne reſtitit Moſi *in campo Taneos*. Jambrem illum putat idem eſſe quod Mambrem, quo nomine inſignitus fuerit etiam præcipuus ex Heberis diſcipulis, qui tam in Tani Ægyptiaca, quàm in Hebron Palæſtinæ poſt magiſtrum, vel cum eo floruerit. Cujus ſucceſſores potiùs nomen honorificum, quàm doctrinæ puritatem ſervaverint. Colligit hinc, Jannem fuiſſe ex poſteritate Mambris diſcipuli Heberis ab eodem in Urbe Tani ab ſe ædificata relicti. Sunt hæc argumenta potiſſima, in quibus, ut ingenuè quod ſentio, profitear, plus ingenii & coloris, quàm veritatis reperire poſſum. Quæ enim quæſo conſecutio, ut ad *primum* reſpondeam, Heberem eſſe Authorem Tanis, quia author Hebronis? Moſes quidem antiquitatem utriuſque Urbis prædicat, ſed neutrius verum authorem pandit. Neque fortaſſis recipi poſſit, eundem utriusque Urbis tam procul ab invicem diſſitæ authorem eſſe. Et cùm Ægyptus à Chami poſteris inſeſſa & exculta ſit, fruſtra eodem transferemus Heberem, qui ex Semi poſteris fuit. Quòd ſi igitur unum eundemque utriusque Civitatis authorem fuiſſe credendum eſt, potiùs adſtipulabimur Jarchio, in eum locum ſic ſcribenti, אפשר שבנה חם את חברון למנען בנו הקטן קודם שיבנה צען למצרים: *Fieri poteſt ut ædificaverit Chamus Hebronem pro Canaane filio ſuo minore, priusquam ædificaret Tanin pro Mizraimo.* In *Secundo* argumento multa aſſeruntur, quæ probatione indigent. Tanim conditam eſſe à Titanibus refert Beroſus, ſed non Chaldæus ille, verùm Viterbienſis. Is à ſeptendecim Titanibus filiis Noë poſt diluvium genitis Tanim conditam ſcribit. Verùm quantum fidei mereatur hic author, nôrunt eruditi. Ejusdem authoris fide, & flaccido adeò tibicine nititur, quòd Noë Armenios docuerit curſum Solis, atque inde dictus ſit *Olybama* & *Arga*, filii verò *Titanes* ſeu Solares. Quod adeò futile eſt, ut mirum ſit quenquam aſſentiri potuiſſe. Titanum fabulæ obſcuriſſimæ quid nobis repræſentent, veriſimiliter docet Voſſius de idololat. III. 2. ubi partim mundi conſtitutionem, partim naturam rerum conſtitutam, ventos & cæteras exhalationes ſub illis Poëtarum involucris abſtrudi putat. Quanquam alii aliter. Sed largiamur hæc omnia haud ſecus habere; Filios Noë fuiſſe Titanes; ex numero Titanum fuiſſe Heberem; Heberem eſſe illum *Hyperon* Diodori; Heberem fuiſſe in Ægypto, obſervâſſe ibi ſtellarum motus, condidiſſe aliquam *Bethſemes* vel *Heliopolin*: unde conſtabit etiam Tanin ab eo extructam? An igitur præter Heberem nemo Noachidarum fuit in Ægypto? Annon Mizraimus? An ſolus Heber fuit Titan, ſi omninò Tanis nomen abbreviatum eſt ex Titan?

Ejus-

Digitized by Google

Ejuſdem commatis eſt argumentum *tertium*, in quo tot fallaciæ, quot verba. Unde enim Jambrem fuiſſe Taniticum demonſtrabitur? Nam ſi in agro Tanitico reſtitit Moſi, non perinde Taniticum fuiſſe liquet. Sed Taniticus omninò fuerit. Cur verò ex Jambre facit nobis Mambrem? Fingendi hæc licentia eſt, non ferenda in Viro cœleſtem ſapientiam profeſſo. Nunc & Mambrem fuiſſe largiamur. Unde Mambrem fuiſſe diſcipulum præcipuum Heberis, & ex eo alios eodem nomine uſque ad tempora Moſis in Tani Ægyptiaca floruiſſe fidem faciet? Sed mittamus tandem authoris hujus φλυαρίαν, gerris Siculis vaniorem.

XXIV. Poſt Heberem Patriarcham ſequitur פלג *Peleg*, ſeu Phalegus, quem Heberus genuit quarto & trigeſimo ætatis anno, Geneſ. xi. 16. Nominis ei ab Hebero inditi ratio affertur Geneſ. x. 25. :כי בימיו נפלגה הארץ *quoniam in diebus ejus diviſa eſt terra.* Nempe diebus Phalegi diviſio terræ cœpit, & à notabili illo eventu idem filio nomen indidit. Errat igitur Suidas qui vocem φαλὲκ ſignificare dicit κατὰ τὴν προφητικὴν φωνὴν τὸ ἥμισυ τοῦ χρόνου τῆς Χριστοῦ παρουσίας, *ſecundùm Propheticam vocem dimidium eſſe temporis adventus Chriſti.* Putat enim ab Adamo ad Phalegum annos ter mille: totidem ab eo ad Chriſtum effluxiſſe, quod falſum. Quantò rectius Iſidorus: *Phaleg, diviſio, cui pater propterea tale nomen indidit, quia tunc natus eſt, quando per linguas terra diviſa eſt.* Porro diſperſionem gentium incidiſſe in periodum vitæ Phalegi orientis, non continuatæ vel exeuntis, diſceptavimus tomi prioris Exercit. XXII. 3.4.5. &c. Proinde operam non ludimus. Phalegus hic notus etiam Muhammedanis, quibus venit nomine צאלח Zelachi, de quo agit Alcorani Surata Septima. Eum miſſum eſſe tradunt ad Temudem quendam Midianitarum Principem, ut ejus impietatem & Idololatriam perſtringeret. Temudem hunc eſſe Nimrodum conjectura eſt Cl. Hottingeri Hiſt. Orient. p. 31.

XXV. Ad tempora Heberis & Phalegi referri ab Authoribus nonnullis Aureum illud Seculum, à Poëtis adeò decantatum narrat Gordonus Chron. lib II. 4. Aureum illud ſeculum deſcripſêre nobis Pherecrates in actu metalla fodientibus inſcripto: Heſiodus in operibus & diebus, ubi ſub Κρόνῳ *Saturno* in cœlo regnante hoc ſeculum reponit. Ovidius primo Metamorph. & Paſtorum: Dicæarchus Peripateticus, cujus teſtimonium allegat Porphyrius de Abſtin. lib. 4. ubi is aſſerit τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγὺς θεῶν γεγονότας, βελτίστους τε φύσει ὄντας, καὶ τὸν ἄριστον ἐζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζεσθαι, παραβαλλομένους πρὸς τοὺς νῦν κιβδήλου καὶ φαυλοτάτης ὑπάρχοντας ὕλης. *Veteres proximè diis genitos, naturâ præſtantiſſimos, & vita optimos, adeò ut ad nos collati, qui è materia adulterina & improba facti ſumus,*

aureum

Digitized by Google

aureum ſeculum nominarentur. Q. Fabius Pictor, de *aureo ſeculo* agens: *Aurea*, inquit, *ætas vitæ generis humani fuit: ſic dicta, quòd poſterioribus ſeculis comparata, æquè atque aurum inter metalla effluxit.* Et poſtea fusè deſcribit auream illam ætatem. Sed & Plato in Politicis ſummam ſeculi ejus omnibus in rebus felicitatem deſcribit. Heſiodus paucis complexus omnia ait: ἐσθλὰ δὲ πάντα τοῖσιν ἦεν. Anonymus in Mythologiam Natalis Comitis Poëtarum illud aureum ſeculum accommodat Innocentiæ ſtatui. Idem facit Grotius *de veritate Relig. Chriſt. lib.* 1. nec non de jure B. & P. 1 1. 2. 2. quem refellere conatur Cl. Schotanus Heptäemeri p. 375. Bochartus verò Hiſtoriâ Saturni & Aurei adeò ſeculi repræſentari putat Hiſtoriam Noæ, & trium ejus filiorum, Phal. lib. 1. c. 1. Ego ſanè aſſentior Gordono, non uni tempori applicanda eſſe, quæ de Aurea ætate finxêre Gentiles. Quin ſtatus Innocentiæ in eo adumbretur, dubitari non poteſt. Nimis expreſſa ejus veſtigia in eo apparent, quæ collegit Voſſius de Idol. lib. 1. cap. 18. Sed & Noæ, ejuſque filiorum Hiſtoriam in Saturno & aurea ætate delineari manifeſtum. Nempe corrupta apud Gentiles traditio ſueta eſt μιγνύειν ἄμικτα, miſcere ea quæ diverſi generis, & diverſis temporibus geſta ſunt. Interea, quomodo ad Heberis & Phalegi tempora tale quid aptari poſſit, non video.

XXVI. Phalegum excipit רעו *Reu* Geneſ. xi. 18. Hunc LXX vocant Ραγαῦ, *Rhagau* ע mutato in γ ſicut in aliis fieri ſolet nominibus, ut in Gairad, Gothaniel, Gomer, Gomorrha. Notat autem רעו *Paſtorem*, vel *amicum* intimum. Reu hunc ſequitur שרוג *Serugus* ib. v. 20. dictus Serugus quaſi *ramus*, *propago*, non tantùm, quia *homo ab homine propagatur*, ſed etiam *quia homo eſt arbor inverſa*; verba ſunt Jac. Capelli. Poſt Serugum eſt נחור *Nachor* ib. v. 22. Dictus Nachor quaſi aridus, *quòd exareſcentem quotidiè viderit hominis ſuccum, & quaſi defetiſcentem naturam*, uti rurſum loquitur Capellus. De iis præter annos vitæ & παιδογονίας nihil attingunt Scripturæ. De Synchroniſmis verò eorum Patriarcharum ſoliciti non ſumus, quia ſacram, non exoticam vel profanam hiſtoriam concinnamus.

XXVII. Nachori prolem tribuit Moſes תרח *Thærachum* Græcis Θαῤῥὰ Tharam Geneſ. xi. 24. Dictus videtur *à reſpirando*, quia boni filii Parentibus ſint reſpirationis inſtar. Muhammedani ipſum nuncupant אלזרה *Azaram*, fortaſſe à עבודה זרה *idololatria*, à qua eum à Thalmudiſtis vocari עבד עבודה־זרה *Obed Abodazora*, ſervientem Idololatriæ, noverat Muhammed. Porrò Thærachi uxores ex priſcis Orientis monumentis nobis recitat Patricides alteram quidem יונא *Jonam*, matrem Abrahami;

mi; alteram verò תהוית *Thebevitham*, matrem Saræ, quam להציב *Labazib* Elmacinus nuncupat. Quanquam mater Abrahæ, ſeu uxor Tharæ, è qua Abrahamum ſuſcepit, in veteribus Muhammedanorum monumentis, libro nimirum *de generatione Muhammed* & Nutritura ejus, vocatur *Ibicilne*, uti tranſtulit Hermannus Dalmata. Sed & aliud nomen uxori Thærachi matri Abrahami tribuitur in Codice *Batbra*, ex quo citat Schalſchel. Hakab. his verbis: במסכת בתרא אמרים שם אמו דאברהם המתלארת בת כרנבו: *In codice Batbra tradunt nomen matris Abrahami fuiſſe Chamithelaam, filiam Charnebo.* Hæc cùm ambiguæ ſint fidei, ſuis authoribus relinquimus. Quæ præterea de Thæracho in Sacris Scripturis habentur, quia connexa ſunt Abrahami Hiſtoriæ, in eum locum rejicimus.

XXVIII. Cùm Thærachus ſeptuaginta annos vivendo explêſſet, genuiſſe à Moſe ſcribitur: את אברם את נחור ואת הרן *Abramum, Nachorem & Haranem* Geneſ. XI. v. 26. Certum eſt, eodem anno non omnes genitos eſſe. Senſus igitur Moſis eſt, anno ſeptuageſimo ætatis Thærachum generare cœpiſſe. Uter porro ex his primogenitus fuerit, certant eruditi, & adhuc ſub judice lis eſt. Noſtrum de eo judicium aperimus alibi. Haranem quod attinet, maſculam prolem ei tribuit Moſes, nempe לוט *Lothum*, nec non geminas filias, alteram מלכה *Milcam*, quæ nupſit patruo Nachori; alteram יסכה *Iſcam*, quam Syrus אסכא *Eſcam*, Arabs יסכה *Jaſcam* nuncupat, Geneſ. XI. 29. Iſcam hanc ipſam eſſe Saram, Abrahami uxorem, plerique exiſtimant, de quo nos itidem in hiſtoria Abrahami. Mortuum autem eſſe Haranem על פני תרח *coram Thæracho Patre ſuo, in Terra Nativitatis ſuæ*, nempe Ur Chaldæorum, habet Moſes v. 28. Quid ſibi velit, quòd mortuus dicitur Haran על פני תרח *coram Thæracho*, ambigitur. Jarchius allegat Traditionem Hebræorum quæ habet שעל ידי אביו מת *quòd mortuus ſit Haran per manus Patris ſui.* Nempe Thærachum ad ſtuporem Idololatriæ addictum utrumque & Abrahamum & Haranem Idololatriæ repugnantem vivicomburio à Nimrodo exſequendo deſtinâſſe fingunt. Cedrenus verò cap. 23. ſcribit: Abrahamum juſto dolore ob Idololatriam familiæ paternæ, noctu clam omnibus incendiſſe fanum ſimulachrorum. In eo incendio, Haranem, cùm ſimulachra ex medio igne liberaturus accurreret, conflagrâſſe. Verùm commentum illud inferiùs elidemus. Rectiùs igitur ipſe Jarchius verba illa explicat בחיי אביו *vivente patre.* Innuit Moſes, mortuum eſſe Haranem in Ur Chaldæorum, ſuperſtite Patre. Aben Ezra: טעם על פני לפני אביו שמת ואביו רואה וכמוהו על פני אהרן אביהם *Senſus eſt: côram patre ſuo, mortuus eſt enim Patre inſpiciente. Eodem modo: Coram Aharone Patre ipſorum.* Ita Syrus

rus interpres: ומת הרן בחיי תרח אבוהי *Et mortuus eſt Haran vivente Patre ejus Thæracho.* Eodem modo interpretatur P. Fagius, & eum ſecutus Clarius. Et Epiphanius quidem pag. 9. edit. Baſil. putat, ſcripturam hoc dicere mirabundam, eò quòd ſolenne fuerit ei ætati, ut Patres ante filios diem ſupremum obirent. Id unde hauſerit, equidem æquè mirandum. Sed verò, inquias, quid factum Nachori? Nam Thærachus ex Ur Chaldæorum ſimul cum Abrahamo, Lotho & Sara comitatus non legitur. Nihilominùs Joſephus eum comitem ſe reliquis junxiſſe putat, Antiq. 1. 6. Et Chryſoſtomus lapſu niſi fallor memoriæ, Nachorem cum Thæracho exiviſſe, quaſi ab ipſo Moſe ſcriptum recitat in Geneſin Hom. 31. ἔλαβε θάῤῥα τὸ Ἀβραὰμ καὶ Νάχωρ, καὶ ἐξήγαγεν ἐκ γῆς Χαλδαίων. *Accepit Thare Abraham & Nachor, & eduxit ex terra Chaldæorum.* Ego ſequor Auguſtinum, qui de Civit. D. XVI. 13. negat Nachorem exiviſſe cum Patre Chaldæa, eò quòd *à paterna & fraterna pietate deſciverat, & perſecutioni adhæſerat Chaldæorum.* Quia tamen omninò ſedem in Meſopotamia ipſum fixiſſe conſtat ex eo, quòd ſervus Abrahami dicitur miſſus *in Civitatem Nachor*; non dubitat S. Pater, quin ſive pœnitendo, ſive perſecutionem paſſus, & ipſe emigraverit, ac Meſopotamiam ſequutus, ibique fato ſuo defunctus fuerit.

XXIX. Atque hactenus de Patriarchis Chaldæis ſigillatim nobis actum. Unum reſtat, ut de illorum Idololatria, cujus in Chaldæa aliqui ex iis rei ab ipſo Deo apud Joſuam peraguntur, nonnihil diſſeramus. Locus Joſuæ ita habet Cap. XXIV. v. 2. כה אמר יהוה אלהי ישראל בעבר הנהר ישבו אבותיכם מעולם תרח אבי אברהם ואבי נחור ויעבדו אלהים אחרים: *Sic dicit Dominus Deus Iſraëlis: Trans flumen habitârunt Patres veſtri, Thærach Pater Abrahami, & Pater Nachoris, & ſerviverunt Diis alienis.* Verba clara ſunt. Sed quæ fuerit Idololatriæ illius Origo, & progreſſus, qualiſque ipſius Idololatriæ forma ac veluti facies, de eo difficilior omnino eſt inſpectio.

XXX. Ante omnia ad incudem revocanda eſt vulgata opinio, quæ ita diſtinguit hæreſes quatuor, Barbariſmum nimirum, Scythiſmum, Helleniſmum, & Judaiſmum, ut temporibus poſt diluvium uſque ad Abrahamum, veluti proprium deputet Scythiſmum & Helleniſmum. Diſtinctionis illius author eſt, niſi fallor, primus Epiphanius. Is enim libro primo Panarii, ſeu contra hæreſes pag. 4. edit. Baſil. prolixè eam diſtinctionem exequitur. Exſcripſeram locum integrum, niſi prolixitas terreret. Omnium igitur Hæreſium πρωτοτύπυς, ἐξ ὧν μητέρων πέντε οἱ ἄλλοι ἐφύησαν (legendum ἐξ ὧν μητέρων πᾶσαι αἱ ἄλλαι ἐφύησαν, *ex quibus velut matribus reliquæ omnes natæ*) facit quatuor, Barbariſmum, Scythiſmum,

Helle-

Helleniſmum, Judaiſmum. *Barbariſmum* cœptum à tempore Adami, ſe extendiſſe uſque ad Noam: ita dictum, quia homines illorum temporum non ſecuti ſint ἀρχηγὸν, *ducem* aliquem, ἢ μίαν συμφωνίαν., aut *conſenſum aliquem*, ſed ſuæ quiſque voluntatis libidinem. *Scythiſmum* à Noæ diebus porrigit, uſque ad tempora Phalegi vel Rhagau, οἵτινες ἐπὶ τὸ τῆς εὐρώπης κλῖμα νενευκότες τῷ τῆς Σκυθίας μέρει, καὶ τοῖς αὐτῶν ἔτεσι προσεκείθησαν ἀπὸ τῆς τοῦ Θίρας ἡλικίας, καὶ ἐπέκεινα ἐξ οὗπερ οἱ Θρᾷκες γεγόνασι, *qui cùm ad partes Europæ ſeceſſiſſent Scythiæ parti, & eorum annis* (lege ἔθεσι *moribus*) *adjuncti ſunt, ab ætate Thiras & ultra, à quo Thraces orti ſunt.* Helleniſmi ſive Paganiſmi fundamenta jacta putat ſub Serugo in Idololatria ſine ſimulachris, completum autem eſſe ſub Thæracho, quo tempore ſimulachra coli cœpta ſint: Deſitum tandem in Abrahamo, cujus videlicet tempore Helleniſmus ſeu Paganiſmus non ampliùs univerſalis fuerit, ſed particularis tantùm quarundam gentium, eò quòd in Abrahamo Judaiſmus cœperit. *Judaiſmum* tandem in Abrahamo cœptum, & à Moſe data lege dilatatum eſſe. Σαφῶς γὰρ, ita ſubjicit, περὶ τούτων τῶν τεσσάρων αἱρέσεων ὁ Ἀπόστολος ἐπιτεμὼν ἔφη· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὐ Βάρβαρος, οὐ Σκύθης, οὐχ ἕλλην, οὐκ Ἰουδαῖος, ἀλλὰ καινὴ κτίσις. *Perſpicuè enim de quatuor his hæreſibus Apoſtolus compendio dixit: In Chriſto Jeſu non eſt Barbarus, vel Scytha, vel Græcus, vel Judæus, ſed nova Creatura.* Locus eſt Colloſſ. III. 11. coll. cum Gal. VI. 15. Verùm ea diſtributio vereor ut recipi poſſit, vel ex Apoſtolo probari. Etenim *primò* Barbariſmus & Scythiſmus videntur potiùs corruptioni morum, quàm fidei & religionis accommodari poſſe. *Secundò* temporibus antediluvianis neſcio quî conveniat talis Barbariſmus. Nam ἀρχηγέτην aliquem ſecutos eſſe, qui à veritate fidei defecerat, aliâs oſtendimus. Quin & ipſa idololatria, & quidem ἐν συμφωνίᾳ iis temporibus graſſata eſt. *Tertiò* Scythiſmus parùm convenit temporibus Serugum antecedentibus, quibus Scythæ nulli fuerunt. *Quartò* nec Helleniſmus Serugi ætate protruſus eſt, cùm in Chaldæa potiùs, Ægypto, Cananæa tum idololatria initium ſumpſerit, quàm in Hellade. *Quintò* non apparet, cur Judaiſmum, qui in Abrahamo cœptus, & à Moſe diffuſus eſt, inter matres Hæreſium numeret Epiphanius, cùm Judaica Religio uſque ad Chriſtum vera, poſt Chriſtum demum falſa & pernicioſa extiterit.

XXXI. Nec locus Pauli Coloſſ. III. 11. illam diſtributionem Epiphanii ſtabilit. Opponit ibi Paulus Scytham Barbaro, Judæum Græco. Ubi illud non caret dubitatione, quomodo controverſi poſſint ſtatui Βάρβαρος καὶ Σκύθης *Barbarus & Scytha*, cùm utraque vox barbariem Linguæ & morum ἴσως denotare videatur. Exiſtimant nonnulli, utramque

vocem Barbari & Scythæ ſignificatus ejuſdem opponi Græco. Quod frivolum eſt. Barbarus & Scytha, eodem jugo poſito, æquè opponi ſenſu aliquo debent, atque Græcus & Judæus, circumciſio & præputium, ſervus & liber, quos non unius generis oppoſitorum ἀντιμαχίας ibi inſtruit Paulus. Claudius Salmaſius in Oſſilegio Linguæ Helleniſticæ novam conciliationem inivit. Putat enim Scythas opponi Barbaris, tanquam inter Barbaros omnium minimè Barbaros, & qui ſapientia ac prudentia humana cœteris præcellerent. Ita enim Herodotus in Melpomene Scytharum commendat Sapientiam: ὁ δὲ Πόντος ὁ Εὔξεινος ἐπ' ὃν ἐςρατεύετο Δαρεῖος χωρέων πασέων παρέχεται παρὲξ τοῦ σκυθικοῦ, ἔθνεα ἀμαθέστατα. *Pontus Euxinus, in quem expeditionem Darius ſuſcepit, Gentes omnium maximè habet ſtolidas, præter Scythicam.* Et addit, neque gentem ullam earum, quæ circa Pontum ſunt, proferri poſſe ſapientia celebrem, neque ullum virum ſapientem natum παρὲξ τοῦ σκυθικοῦ ἔθνεος, καὶ Ἀναχάρσιος, *præter gentem Scythicam & Anacharſin.* Anacharſis autem ex Scythia fuit oriundus. Et Juſtinus lib. II. admirabile videri ait, Scythis dare naturam, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptíſque Philoſophorum conſequi nequeunt, *cultóſque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari.* Verùm nec ea conciliatio idonea. Neque enim Scytham opponit Paulus Barbaro, ut minùs barbarum, ſed potiùs ut maximè barbarum. Eſto enim, natura aliquid indulſerit Scythis, & plus indulſerit quàm reliquis barbaris. At ferociâ ſummâ miram illam naturæ bonitatem conſpurcârunt miſerè. Unde & incultam & indomitam barbariem Scythis impingunt authores, nominatim etiam Juſtinus. Videantur, quæ de Barbaris Scytharum moribus ex authoribus variis collegit J. Boemus Aubanus Lib. II. 9. *de moribus & ritibus Gentium.* Non dubito igitur, quin barbarus minùs talis opponatur maximè tali, nimirum Scythæ. Atque ita ſenſit etiam Ambroſius. Sed de eo quicquid fiat, nullum in eo textu Epiphanium habere ſententiæ ſuæ præſidium apparet. Non enim Apoſtolus variam de Deo ſententiam ſignat: ſed ſolùm ait, in renovatione Chriſtiana non meliorem aut deteriorem eſſe conditionem Judæi quàm Græci, nec Barbari vulgaris, quàm Scythæ, etſi hic cæteros ſuperare barbarie exiſtimetur. Optimè hæc exponit Theologus graviſſimus Johannes Crocius, meus quondam præceptor & hoſpes venerandus, comment: in h. l. *Senſus eſt, in hominis illius novi inſtauratione non referre, ſíſne ex Gentibus natus, an ex Judæis, ſuſceperísne circumciſionem antehac & religionem Judaicam, aut manſeris in præputio, ſectatus Ethnicam ſuperſtitionem, sítne tibi elegantia Græci ſermonis vernacula, an quæcunque alia lingua: Síſne inter minùs barbaros, an extremè barbaros,*

quales

Digitized by Google

quales Scythæ. Serviáſne an domineris ſecundùm carnem; Nec naturam, nec Ceremoniam veterem, nec linguam, nec conditionem externam impedire vel promovere renovationem & perfectionem Chriſtianam.

XXXII. Nunc igitur de origine & forma idololatriæ Patriarcharum Chaldæorum explicatiùs agendum. Ac plerique quidem non dubitant, quin Idololatriam in Patriarcharum domos invexerit primus Serugus filius Reu ſeu Rhagau. Ita Euſebius Chron. p. 13. ubi Serugum (quem perperam ἐκ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ ortum duxiſſe ſcribit) Helleniſmum & dogma Idololatriæ introduxiſſe habet. Nempe ipſum cum ſuis veteres duces ob virtutem & res præclarè geſtas nobilitatos dignóſque habitos poſterorum memoria, ὡς ὄντας αὐτῶν προπάτορας, *tanquam majores ſuos* ſtatuis honoraviſſe, & ſacrificiis ac divinis honoribus coluiſſe. Et poſteri quidem cùm ignorarent, primum hoc fuiſſe conſilium, ut eorum, qui generis ſui authores, ac bonorum inventores eſſent, memoriam duntaxat colerent: iſtos ὡς θεοὺς ἐπουρανίους, *tanquam Deos cæleſtes* honoribus & ſacris veneratos eſſe. Et ἀποθεώσεως hujus formam fuiſſe talem. In commentariis ſacrorum nomen defuncti inſcriptum, ſtatóque tempore diem ei celebratum feſtum, hâc opinione, quòd anima ejus in beatorum inſulis eſſet, judicio & flammis porro non obnoxia. Et hæc quidem obtinuiſſe uſque ad ætatem Thærachi. Idque confirmat teſtimonio allegato Sophoclis. Euſebii hanc ſententiam allegat & ſequitur etiam Georgius Cedrenus Comp. Hiſt. Cap. 36. Paulò aliter Epiphanius Panar. lib. 1. Originem quidem idololatriæ etiam arceſſit à temporibus Serugi. Et primò quidem idola erecta eſſe, coloribus expreſſis iis, quos olim honorabant, putà τυράννους ἢ γόητας, ἤ τινάς τι δράσαντας ἐν τῷ βίῳ, μνήμης τὸ δοκοῦν ἄξιον, δι' ἀλκῆς τε ἢ σωμάτων εὐρωστίας. *Tyrannos, aut præſtigiatores, quique in vita aliquid dignum feciſſent, robore aut corporis vigore.* Tempore porrò Thærachi etiam ſtatuis cultos eſſe majores, ἐκ κεραμικῆς ἐπιστήμης τὸ πρῶτον ἔπειτα ἑκάστης τέχνης μιμησαμένης, *primò quidem per artem figlinam, deinde qualibet arte induſtriam*; architectis quidem lapidibus politis, ἀργυροκόποις δὲ καὶ χρυσοκόποις διὰ τῆς ἰδίας ὕλης τεκτηνομένοις, *argenti & auri fabris in propria quemque materia fabricantibus.* Et ſeq. cap. pag. 9. idem Thærachum πηλουργὸν καὶ πλάστην primum *figulum* & *fictorem* facit, eò quòd primus arte figulina & plaſtica uſus majores ſuos effigiaverit, atque eo ſtudio ſuperſtitionem aluerit. Addit, ea ætate ſolenne fuiſſe, ut nemo liberorum ante Patrem defungeretur. Proinde mirari Scripturam, quòd Haran ante Patrem mortuus ſit. Eadem ſententia eſt Chronici Alexandrini & Johannis Damaſceni. Patrum communem hanc de Idololatriæ origine opi-

 nionem

nionem complexus eſt Suidas in voce Σερὺχ: Verba ejus non pigebit adſcribere, quæ ita ſonant: Οὗτος (Σερὺχ) ἐκ τῆς τοῦ Ἰάφεθ φυλῆς καταγόμενος δόγμα παρέδωκε τοῦ τιμᾶσθαι τοὺς πάλαι τελευτήσαντας, καὶ ἀριστεύσαντας ἄνδρας ἢ διὰ εἰκόνων, ἢ διὰ ἀνδριάντων, καὶ τούτους προσκυνεῖσθαι κατ' ἔτος ὡς ἔτι ζῶντας; Καὶ μνήμας αὐτῶν ἐκτελεῖν καὶ ἐν τοῖς ἱερατικοῖς ἀναγράφεσθαι βίβλοις· Καὶ θεὺς αὐτοὺς νομίζειν, ὡς εὐεργέτας. Ἐντεῦθεν εἰσήχθη ἡ πολυθεία καὶ ἡ εἰδωλολατρεία. Τοῦτο δὲ διέμενε παρ' αὐτοῖς μέχρι τῶν χρόνων Θάῤῥα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ· οὗτος γὰρ ἀγαλματοποιὸς, ἀπὸ διαφόρων ὕλων εἰκόνας ἐργαζόμενος, καὶ λέγων τούτους εἶναι Θεοὺς, καὶ ὀφείλειν προσκυνεῖσθαι ὡς αἰτίους τῶν ἀγαθῶν. Ἐντεῦθεν διέδραμεν ἡ τοιαύτη δόξα εἰς τὰ πλεῖστα τῶν ἐθνῶν γένη. Μάλιστα δὲ ἐν Ἑλλάδι· ἤδη γὰρ ἦσαν οὗτοι τὴν τοιαύτην πλάνην ἀναδεξάμενοι, καὶ τιμήσαντες Ἕλληνα τὸν Γίγαντα τὸν ἀπὸ τῆς φυλῆς Ἰάφεθ καταγόμενον, καὶ τῆς πυργοποιίας κοινωνὸν γενόμενον, δι' ἣν ἐμερίσθησαν αἱ γλῶσσαι τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐκλήθησαν μέροπες. Hæc ita tranſtulit Æmilius Portus. *Seruch ex Japheti tribu oriundus* (communem cum reliquis errorem hic errat) *decretum tradidit, quo juſſit honorari olim Viros defunctos, & virtute præſtantes, idque vel per imagines, vel per ſtatuas, & hos ut adhuc viventes quotannis adorari voluit, & ipſorum memoriam celebrari, & monumentis ornari, & in ſacros commentarios referri, & eos judicari Deos, ut de hominibus benè meritos & beneficos. Hinc in hominum ſocietatem introducta eſt multitudo Deorum, & idololatria, ſive ſimulachrorum cultus & veneratio. Hoc autem apud ipſos permanet uſque ad tempora Tharæ, Patris Abrahami. Is enim erat ſtatuarius, qui ex varia materia faciebat imagines, & has dicebat eſſe Deos, & adorandos eſſe, ut bonorum Authores. Hinc orta hujusmodi opinio, plerasque nationes, præcipuè verò Græcam pervaſit. Hi enim hunc errorem jam receperant, & Hellenem colebant: Gigantem è tribu Japhet oriundum, & illius turris fabricationis ſocium, propter quam hominum linguæ diviſæ ſunt, & homines ab hac Linguarum vocisque diviſione dicti ſunt Meropes.* Paulò aliter tamen Beda & Iſidorus, qui exiſtimant, tempore Phalegi conſtructa eſſe templa, & quosdam Principes, tanquam Deos Gentium adoratos eſſe. Neque deſunt etiam, qui initia quidem ſtatuarum, mortuorum memoriæ dicatarum Serugi ævo collocent: at easdem adorari cœpiſſe demum à Thæracho exiſtiment. Quorum ex ſententia ad Tharæ quidem ævum idololatria & dæmoniorum cultus: ad Serugi autem idolorum primordia referenda eſſent. Nam

Qui fingit ſacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

uti rectè Martialis. Sententiæ hujus meminit Seldenus de Diis Syris Proleg. cap. 3.

XXXIII. Orien-

Digitized by Google

XXXIII. Orientalium quæ mens fuerit de Chaldæorum Patriarcharum idololatria, diſcimus ex Eutychio Alexandrino, & Elmacino, illo quidem ex editione Pocokii, hoc verò ex allegatione Cl. Hottingeri. Et Eutychius quidem pag. 47. primordia idololatriæ refert ad tempora Kahtanis ſeu Joctanis, qui frater Phalegi fuit. *Ejus*, inquit, *tempore cujusvis vel fortitudine, vel formæ præſtantia inſignis, vel conſilio præſtantis, vel fama illuſtris imaginem depictam colebant homines. Cauſa enim cultûs imaginibus præſtiti hæc fuit, quòd olim, cùm moreretur ex ipſis Vir aliquis prudentiâ inſignis, effigiem ipſius in conceſſibus depingerent; Deinde cùm quid grati eis accideret, de quo captandum eſſet conſilium, apud imaginem iſtam convenientes conſultârunt, quaſi adeſſet ipſis inter conſultandum imago iſta, ne deeſſet ipſis in conſilio alicujus anteceſſorum imago: Quod cùm facere perſeverarent, ad imaginum cultum delapſi ſunt.* Et idololatriæ hujus incrementum refert ad tempora Serugi pag. 56. ubi narrat, temporibus Serugi, alios Cœlum, alios Solem, alios Lunam, alios ſtellas, alios Volucres, alios Terram, alios feras, alios fluvios, alios arbores, alios montes coluiſſe; alios ad ſimilitudinem Patris aut matris aut amici imaginem conflatam coluiſſe ac Dei loco habuiſſe: Alios denique imaginem ex auro, argento, lapide aut ligno confeciſſe. Sed & morem impium *ἀνθρωποθυσίας* brevi exortum eſſe, hac occaſione, quòd filii injuria aliqua vel damno, veluti furto, affecti, ad tumulum Patrum properaverint, atque apud ſtatuam Patrum ibi collocatam, factam injuriam plorantes conqueſti ſint. Atque tum Diabolum è ventre ſtatuæ allocutum eſſe quiritantem hoc modo: *Ne fleas, abi tantùm & allato filio tuo natu minimo ipſum mihi in ſacrificium mactans, ſanguine ejus calenti te abluas; ita fiet, ut ego omnia tibi, quæ perdideras reſtituam.* Cùm ergò ille filium ſuum allatum idolo mactâſſet, ejúsque ſanguine ſe abluiſſet, egreſſum ex idolo Diabolum, hominémque illum ingreſſum ipſum præſtigias & incantamenta docuiſſe. Hactenus Patricides. At Elmacinus originem idololatriæ retuliſſe videtur ad Heberis tempora. Ejus enim ætate ex mente quorundam Hiſtoricorum effigiâſſe tradit homines Majores ſuos fortitudinis aut pulchritudinis nomine claros. Et in arduis negotiis apud illam effigiem captatum conſilium. Procedente verò tempore eam effigiem adoratam eſſe. Progreſſum autem in idololatria rejicit in tempora Reu ſeu Regau; tum enim adorari cæpiſſe Cœlum, Solem, Terram, ſtellas, beſtias, aves, maria, volucres, imagines aureas, argenteas, lapides cæſos, ligna inuncta.

XXXIV. Hæc de idololatria Patriarcharum ſententia eſt tum Patrum Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſticorum, tum Scriptorum Orientalium. Non immeritò autem Magnus Seldenus de Diis Syris Proleg. cap. 3. vereri ſe dicit, ut ſuam ſatis liberent fidem, qui tam conſtanter de rebus tam priſcis ſententiam proferunt. Neque enim de origine, vel modo idololatriæ certi aliquid conſtare puto. Et ſolis hìc conjecturis militari poteſt. Ut ad Serugi ætatem incunabula idololatriæ referrent plerique, videntur moti duabus rationibus; Prior eſt à ſimili. Sicut enim Enoch ab Adamo ſeptimus fuit, quo vivente putant invaluiſſe malitiam ante diluvium: ita tempore Serugi, qui ſeptimus fuit à Noa, idolomaniam incrementum ſumpſiſſe conjiciunt. Quod quàm leve ſit & frivolum, non attinet dicere. Nam & hypotheſis, quâ fingitur malitia incepiſſe tempore Enochi; & comparatio ipſa æquè vanæ ſunt. Poſterior ratio petita eſt ex Geneſ. XXXI. 53. Ex quo loco Nachorem Patrem Labanis coluiſſe inferunt. Unde concludunt tempore Serugi avi Tharæ falſorum Numinum cultùm inventum eſſe. Quæ collectio non minùs ſtraminea eſt. Ita quod plerique parentalia in divinos honores tranſiviſſe, adeóque idololatriam cæpiſſe à cultu imaginum & ſtatuarum iis erectarum exiſtimant, parùm firmitudinis habet. Quamvis enim idolum Græcis εἴδωλον, nonnullis, uti Diophanto in Fulgentii Mythologicis putetur dictum παρὰ τὸ τῆς ὀδύνης εἶδος, quaſi εἰδοδύνη, doloris ſpecies; & ipſa vox Hebr. עצבים quæ idola denotat, *dolores* propriè ſignificet; atque adeò videantur idola originem ex eo ſumpſiſſe, quòd dolores quotannis ſtatuis & monumentis mortuorum, qui poſtea in Diis recenſiti ſunt, conſpiciendis inſtaurentur: tamen Parentalia, ſeu feriarum Penetralium ſacra tam brevi tempore in divinos honores, & idololatriam degeneràſſe non eſt credibile. Et prima Chaldæorum idololatria, quæ haud dubiè eadem fuit cum idololatria Patriarcharum, talis non fuit, qualem in Patriarchis Authores illi notant.

XXXV. Quamvis autem difficile admodum ſit, veram hìc Sententiam depromere, dicam tamen quid veriſimile videatur. Et ut de Origine idololatriæ dicam, id certum eſt ex loco Joſuæ, jam tempore Thærachi, qui diſertè nominatur, falſis Diis litatum & inſervitum eſſe. Nec Thærachum ipſum authorem eſſe dici poteſt, quia falſos Deos dicuntur coluiſſe ii, qui trans flumen habitarunt מעולם *à Seculo*. Quin igitur inter Semum benedictum, & Thærachum idololatria in familias Patriarcharum irrepſerit, ambiguum non eſt. Neque tamen ipſos Patriarchas Superſtitionis authores fuiſſe reor, ſed prava æmulatione Chaldæorum, qui maturè ſatis à vero Deo defecerunt, abreptos in nefarium crimen incidiſſe.

XXXVI. Mo-

Digitized by Google

XXXVI. Modum verò quod attinet & veluti formam Idololatriæ, is conjectari etiam utcunque poterit. Author Sapientiæ Apocryphus ille quidem, ſed antiquus tamen Cap. XIII. duas ediſſerit Species Idololatriæ. Priorem & minori quidem, uti putat, reprehenſioni obnoxiam, v. 2. ubi primò omnium pro Diis habitos narrat ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, ἢ κύκλον ἄστρων, ἢ βίαιον ὕδωρ, ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ πρυτάνεις κόσμου, *aut ignem, aut ventum, aut celerem aëra, aut aſtrorum orbem* (intelligit circulum zodiaci) *aut violentam aquam, aut lumina Coeli rectores mundi.* Poſterioris ſpeciei meminit v. 10. ubi traducit eos, qui in rebus mortuis ſpem habentes ſitam appellaverunt Deos ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, χρυσὸν καὶ ἄργυρον τέχνης ἐμμελέτημα, καὶ ἀπεικάσματα ζώων, ἢ λίθον ἄχρηστον χειρὸς ἔργον ἀρχαίας, *aurum & argentum arte fabrefactum, atque Simulachra animalium, aut lapidem inutile opus, manus antiquæ &c.* Primæ Speciei Dii duobus potiſſimùm modis colebantur: craſſiori altero, altero ſimpliciori. Craſſiùs colebant Deos, iis erigendo altaria, offerendo Sacrificia, cum Oculorum & manuum elevatione, aliiſque Ceremoniis. Simpliciter verò eos colebant, qui ſine Sacrificiis vel altaribus nudi adorârunt. Secundæ autem Speciei Dii erant vel publici, qui à multis publico miniſterio aut religione colebantur: vel arcani & domeſtici, quos poſteriora tempora vocârunt Penates, ἐφεστίους θεούς, *Penetrales Deos*, quòd in domorum Penetralibus inſiderent.

XXXVII. Patriarcharum igitur idololatriam puto fuiſſe primò quidem ſimplicem adorationem creaturarum, cui procedente tempore acceſſerunt adoratio creaturarum in Simulachris, vel ipſorum Simulachrorum. Et idololatriam eorum facio eandem cum prima idololatria Chaldæorum, à quibus illi eam hauſerunt. Porrò Chaldæos adorâſſe aſtra, ac imprimis Solem, vix dubitari poteſt. Ita Philo Judæus de Abrah. p. 361. Χαλδαῖοι πάντα ταῖς κινήσεσι τῶν ἀστέρων ἀναθέντες, αἷς ὑπέλαβον οἰκονομεῖσθαι τὰς ἐν κόσμῳ δυνάμεις, ἃς περιέχουσιν ἀριθμοὶ καὶ ἀριθμῶν ἀναλογίαι, τὴν ὁρατῶν οὐσίαν ἐσέμνυνον, τῆς ἀοράτου καὶ νοητῶν οὐ λαβόντες ἔννοιαν. *Chaldæi omnia tribuunt Stellarum motibus, à quibus credebant diſpenſari mundi potentias, quæ conſtant ex numeris, eorúmque proportionibus: proinde venerabantur iſtas res viſibiles, non percipientes inviſibilia & intelligibilia.* Et de Abrahamo ſubjicit: χαλδαΐσας μακρόν τινα χρόνον: *Per longum tempus Chaldaico imbutus delirio.* Simplex hic ignis cultus brevi degeneravit in Symbolicum, quo ignem tanquam perſpicuam imaginem Solis venerari cœperunt. Hinc & ignis cultu videtur nomen accepiſſe *Ur* vel *Oura* Babyloniæ nota civitas, quæ teſte Eupolemo apud Euſeb. de Præp. Eu. IX. 17. aliter dicta *Urie* & *Camerina*, à

Digitized by Google

na, à כוכרין vel כמרין *Sacerdotibus* videlicet Ignis, ſeu Philoſophis gentis, qui ibi conſederunt, & Græcis dicti χαλδαῖοι, *Chaldæi*, quomodo Abraham dictus reperiſſe τὴν χαλδαικὴν, *Chaldæorum Philoſophiam*. Eadem civitas etiam dicta *Uroe* & tota regio Ptolomæi Ὀρχώη *Orchoe*, à cultu videlicet ignis. Facit huc, quòd Author Chronici Alexandrini de Nimrodo, qui Babyloniam, incoluit ſcribit, p. 64. Αὐτὸν Νίνον τὸν Νεβρὼδ οἱ Ἀσσύριοι προσηγόρευσαν. Οὗτος διδάσκει Ἀσσυρίους σέβειν τὸ πῦρ. *Ipſum Ninum Aſſyrii Nimrodum appellaverunt. Hic pro Deo ignem colere docuit*. Confer Maimonidem More Neb. II. 30. Sed & conflictus ille memorabilis inter Chaldæos, qui τὸ πῦρ πάντων Θεῶν νικητὴν, *Ignem omnium Deorum victorem* circumferebant, & Ægyptios imprimis Canopi Sacerdotes, qui τὸ ὕδωρ πάντων Θεῶν νικήτην, *aquam omnium Deorum* ipſius etiam ignis *Victricem*, cujus meminére Suidas verb. *Canopus*, & Ruffinus, Eccleſ. Hiſt. lib. XI. ſatis probat, Chaldæis olim ignem pro Numine habitum. A Chaldæis ignis cultus tranſiit ad Perſas, uti conjectat etiam Agathias hiſtoriarum libro Secundo. De eo teſtis Strabo lib. XV. ubi in Anaitidos & Omani ſeu Amani Perſicorum Numinum apud Cappadocas cultorum fanis, Magis, qui πύρεθοι *Pyrethi* dicti, perennis illius ignis curam mandatam eſſe oculatus teſtis refert. Sacraria illa, in quibus πῦρ ἄσβεστον ſervatum πυραθεῖα dicta eſſe memorat idem. Suidas vocat πυρεῖα. Sunt autem πυραθεῖα, quæ *Sempiternos foculos* Magorum vocat Ammianus Marcellinus in hiſtoria Juliana. Conſule ſis etiam ea de re Julium Firmicum Maternum de *Errore falſarum Religionum* Capite 5. nec non Barnabam Briſſonium de Regno Perſarum libro Secundo: & Faſtos Siculos pag. 88. & 94. Nec ſine ratione opinantur Viri doctiſſimi, antiquiſſima hæc ignis Sacra Vetuſtis Chaldæorum veniſſe nomine נרגל *Nergal*, quaſi à ניר *Nir*, & גל *vel* גלל *Galal*, factum, quod utrumque ita vel fontem ignis, lucisve, vel ignem aut locum verſatilem, imò πυραθεῖα ſignificare poteſt. Et in ipſo Regno Judaico ante captivitatem Babylonicam cultus ille ignis invaluit. Nam חמנים *Chamonim* quorum paſſim mentio eſt, & quæ adoràſſe feruntur Iſraelitæ, erant, uti interpretantur etiam Hebræi, & nominatim Jarchius ad Levit. XXVI. 30. idola Soli dicata. Imò Joſephus Scaliger ad Catullum conjecturam facit, חמנים ſeu *Chamonim* Hebræorum eſſe idem quod πυραθεῖα Græcorum.

XXXVIII. Præter hæc Solis & ignis ſacra publica videntur etiam coluiſſe Deos Penates ſeu ἐφεςίους. Id colligo ex hiſtoria Labanis, qui nepos Thærachi in majorum ſuorum ſuperſtitione permanſit. Is nempe אלהיו *Deos ſuos* quos abſtulerat Rachel vocat תרפים *Theraphim*, Gen. XXXI. 19.

30.

30. & *v.* 53. eos Deos fuiſſe Deos majorum ſuorum innuit Laban. Fuiſſe autem Theraphim Deos penates, liquet ex hiſtoria Michæ Judic. XVII. 5. nec non Michalis uxoris Davidis 1. Sam. XIX. 13. Porro utrum Theraphim coluerint antiquitus ut Deos, an verò Divinationis tantùm habuerint inſtrumenta: & qua forma Theraphim expreſſæ ſint, non ſatis liquidum eſt, & in eo ipſi etiam Hebræi parùm conveniunt. Conſulendus R. Simeon Ben-Joachi in libro Zohar. fol. 95. In hiſtoria Labanis Theraphim Orientales conſtanter reddunt *imagines*. Græci habent εἴδωλα. Onkeloſus צלמניא. Interpres Syrus צלמא. Arabs אלמתאל. Aquila Ponticus etiam reddidit *μορφώματα figuras* ſeu *figurationes*, de quo videſis Auguſtinum epiſtola 113. ad Marcellum. Id propemodum certum, Theraphim Labanis habitos eſſe pro Diis. Nam Laban increpans Jacobum ait: *Quare furatus es* אלהי *Deos meos?* Unde אלהים *Dii* non ſemel eo in capite vocantur. Et Deorum illorum operâ uſus eſſe ad auguria, videtur innuere locus Geneſ. XXX. 27. נחשתי *Divinavi, quòd benedixerit mihi Jehova propter te.* Quod augurium ad Theraphim non malè refert Aben Ezra. Figuram verò Theraphim quod attinet, eam ſic deſcribit Hieroſolymitanum Targum נכסין גברא בוכרא וחזכין רישיה ומלכין ליה במילחא ובוסמין כתבין כוסמן בציצא דדהבא ויהבין תחות לישניה ומקמין ליה בכותלא וממליל עמהון *Accipiebant hominem primogenitum, & amputatum caput ſale & aromatibus condiebant, & divinantes ſcribebant in lamina ſeu fimbria aurea, & ponebant ſub lingua ejus, & ponebant in lecto vel ſimili aliquo receptaculo, & loquebantur cum eo.* Ab Ægyptiis ad Hebræos & Chaldæos à vernaculis Abrahami cum eo in Ægypto peregrinantibus cultum hunc Theraphim dimanâſſe, & Theraphim eſſe ipſum Serapidem, qua voce Ægyptiaca notatur *Ciſta Apis*, vel *Os bovis*, vel *conſtrictus Apis*, probare conatur Athanaſius Kircherius OEdip. Ægypt. t. 1. p. 258. Argumenta ipſi ſint authoritas Abenephii ſcriptoris Arabici: peregrinitas vocis Theraphim, quam Hebraicam eſſe inficiatur Eliezer: ſimilitudo vocum *Serapis* & *Theraphim*: rituum in utriúsque cultu & ſacrificiis convenientia. *Theraphim*, inquit, *ex varia materia ſub certo aſtrorum poſitu conſtruebantur: Sic & Serapis ex omni lignorum, metallorum & lapidum genere conſtituebantur. Theraphim non fiebant ſine ſanguine humano: nec Serapidis idola in Mithriacis ſacris. Iterum Theraphim Phylacteriorum loco geſtabantur; quod & de Serapidis idolis legimus factum eſſe: Per Theraphim denique divinabant & abſcondita inveſtigabant. Erant itaque Theraphim idola, quæ conſulentibus reſponſa dabant, cujusmodi & Serapis ſeu Iſidis ſtatuas fuiſſe alibi probatur.* Porrò & formis ſimiles fuiſſe, prolixè probat. Hæc argumenta etſi probabilia ſunt, illud tamen non caret dubi-

 tatione,

tatione, quomodo cultus ejuſmodi tam exigui temporis interſtitio ab Ægyptiis ad Chaldæos transferri potuerit. Factum id eſſe per Vernaculos Abrahami, ſine ratione aſſeritur. Unde enim in Chaldæam vel Meſopotamiam eos rediiſſe liquet? Si quid argumentis iis roboris ineſt, potiùs à Chaldæis ad Ægyptios, quàm ab his ad illos cultum Theraphim perveniſſe credendum fuerit. Verùm cùm pleraque, quæ de Theraphim dici poſſunt, exhauſta jam ſint tum à Seldeno de Diis Syris Synt. 1. c. 2. tum Kircherio t. 1. ego, ne noctuas Athenis velle inferre videar, pauca hæc attuliſſe ſatis habeo.

XXXIX. Unum reſtat, de quo dubitari video: *An videlicet Abrahamus etiam idololatriæ hujus reum ſe fecerit?* Non deſunt, qui ab hoc crimine eum ſolicitè admodum purgent. Joſephus Antiq. 1. 9. ſcribit, auſum eſſe eum primum vulgò receptam de Deo perſuaſionem convellere & in melius vertere. Primum enim omnium clara voce prædicâſſe δημιυργὸν τ ὅλων ἕνα, *unum eſſe Deum rerum univerſitatis conditorem*, cujus voluntate omnis nobis felicitas contingat. Idque eum collegiſſe ex terræ ac maris obſervatione, nec non eorum, quæ circa Solem & Lunam, nec non reliqua Sidera videbat accidere. Cùm igitur Chaldæi, cæterique Meſopotamiæ propterea in eum conſurgerent, conſilium migrandi eum cæpiſſe, & voluntate ac favore Dei fretum terram Cananæam petiiſſe. An verò Abrahamus Idololatra fuerit, priuſquàm verum Deum docuerit & prædicârit, non tangit Joſephus. Proinde ejus authoritate fruſtra hic pugnat Salianus. Porrò lepida de Abrahamo ad unum Deum converſo, & Idola impugnante, ac à Nimrodo propterea in caminum Ignis conjecto, & inde liberato, narratio R. Moſis Haddarſchan habetur in Bereſchith Rabba, quam converſam à Raymundo Martino inſerere lubet. *Dixit R. Chya, Tarah Pater Abrahæ artifex & cultor imaginum fuit. Quodam tempore ivit ad locum quendam, & ſtatuit Abrahamum venditorem pro ſe; Tunc venit quidam quaſi volens emere, & dixit ei; Tu quot annorum es filius: Dixit ei, filius quinquaginta annorum ſum ego. Ait ei, Væ tibi filio quinquaginta annorum adoranti, vel flectenti genua filio unius diei; quo audito confuſus abſceſſit. Deinde tempore quodam venit fæmina portans quoddam vas ſimilæ, & ait ad eum; Ecce tibi offer coram iis! Surrexit Abraham, & accepit dolabram, & fregit idola, deinde poſuit dolabram in manu majoris illorum. Cùm autem veniſſet Pater ipſius & quæſiviſſet, quis feciſſet iſtiusmodi rem, dixit ei Abraham, nihil celabo tibi; Venit mulier quædam portans hydriam ſimilaginis, & ait ad me; Ecce tibi offer coram illis; cùm autem obtuliſſem, dixit unus, ego comedam primus; alter ait nequaquam, ſed ego comedam primus. Surrexit itaque*

iſte

Digitized by Google

iſte major, Deus ſcilicet, accepitque dolabram, & confregit omnes alios. Dixit ei Pater, Quare tu illudis mihi? Num habent hi ſcientiam talia faciendi? Ait ei Abraham, Pater mi, Num audiunt aures tuæ quod dicit Lingua tua? Accepit igitur illum, & tradidit illum Nimrodo, qui dicit, adoremus ignem; cui Abraham, Quin potiùs adoremus nubes quæ portant aquam? Dixit ei Nimrod, Et nubes adoremus: Dixit ei Abraham, Magis videtur ventus adorandus qui diſſipat, & dirumpit nubes. Ait ei, Adoremus etiam ventos: Dixit ei, Magis convenit ut adoremus hominem qui portat ventum: Ait ei Nimrod, Verba vadis dicendo, non adorabo niſi ſolum ignem. Ecce ego te projiciam in ignem, & veniat Deus tuus quem adoras, & eruat te inde. Erat ibi Charan frater Abrahæ, qui ſtabat ſeorſim, [& ait in corde ſuo]; ſi vicerit Abraham, dicam, ex parte Abrahæ ego ſum. Si verò Nimrod vicerit; Dicam, ex parte Nimrod ego ſum. Cumque deſcendiſſet Abraham in caminum ignis, & liberatus fuiſſet; Dixit Nimrod, cujus es tu? Ait ei, ex Abraham. Ceperunt eum & projecerunt eum in ignem, & combuſta ſunt viſcera ejus: Egreſſus autem mortuus eſt coram Patre ſuo. Atque hinc interpretantur, quod dicitur Geneſ. XI. 31. exiviſſe מאור כשדים *ex igne*, ita explicant illi, *Chaldæorum*. Verùm hæc genuinam fabellam ſapiunt. Nam אור *Ur* eo loco non appellativè accipi pro igne, ſed nomen proprium eſſe loci, ſatis liquet inde, quòd non ſolus Abrahamus dicatur exiviſſe ex *Ur*, ſed cum eo Tharah, Loth & Sara: quódque hi dicantur exiviſſe ex Ur, *ut pergerent in terram Canaan*. Ubi oppoſitos notari terminos locorum, ſatis manifeſtum eſt. Sed de eo quicquid ſit, agnoſcunt Hebræi plerique, uti ex ipſa illa narratione colligitur, Abrahamum falſos Deos coluiſſe ad annum uſque ætatis quinquageſimum: juxta alios quadrageſimum quintum. Et Philo Judæus diſertè de Abrahamo: Χαλδαΐσας μακρὸν ἵνα χρόνον: *longo tempore Chaldaico imbutus delirio* p. m. 360. Et verè illos judicare indicant verba Dei apud Joſuam XXIV. 2. quibus Patres Iſraëlitarum, qui habitârunt trans flumen, ſerviiſſe dicuntur alienis Diis. Habitavit autem etiam Abrahamus trans flumen. Quo argumento pugnant etiam Genebrardus, Torniellus, Maſius, Magalianus, Serarius, Pontificii omnes, opponendi Saliano, aliiſque ex Pontificiorum ordine, quorum in eo ſtudia eſſe ſolent, ut omnium Sanctorum peccata elevent. Atqui tantò illuſtrior gratia fuit Dei, qui ex hoc gurgite & voragine idololatriæ ipſum liberavit, & ſui veram ac ſalutarem notitiam ei impertivit. Et hoc etiam claro documento apparet, gratiam eſſe ex vocante, non ex operibus vocationem præcedentibus.

Digitized by Google

EXERCITATIO SECUNDA DE MELCHISEDECO.

Breviarium.

Diſquiſitionis de Melchiſedeco neceſſitas. 1. *Summa eorum, quæ Melchiſedeco tribuuntur à Moſe, Davide & Paulo.* 2. *De Melchiſedeco ſententia Melchiſedecianorum, Hieracis Ægyptii, Samaritanorum & Judæorum, Origenis, Irenæi & Hippolyti, Hieronymi, Athanaſii, Chronici Regum inediti.* 3. *nec non Patricidis.* 4. *Anonymi, & Authoris Pontificii.* 5. *Melchiſedecum non fuiſſe virtutem quandam ipſo Dei filio majorem, non Spiritum S. non Angelum, non Phalegi filium, non filium Melchi, non filium Sidi Ægyptii.* 6. *An Melchiſedecus fuerit filius Dei? Argumenta Molinæi & Cunæi novem pro hac ſententia proponuntur.* 7. *Opinio ea refutata ex Moſe, Davide, Paulo.* 8. - 13. *Melchiſedeci nomen commune fuit Regum Salemenſium.* 8. *Melchiſedeci & Regis Salem nomina propria fuerint, an appellativa?* 9. *Locus Pſal.* CX. 4. *explicatus & vindicatus.* 10. *Quomodo Melchiſedecus* ἀφωμοιωμένος *aſſimilatus fuerit filio Dei? Cunæi & Molinæi expoſitiones eliſæ. An Melchiſedecus apparens Abrahamo eum vultum & corporis habitum finxerit, quem Chriſtus habuit in terris?* 11. *An ſimile poſſit eſſe idem?* 12. *Argumenta novem Molinæi & Cunæi retexuntur & reſolvuntur.* 13. 14. 15. *An Melchiſedecus fuerit Semus? Negatur ſeptem argumentis. An ea opinio ſit* καπηλας *, eò quòd pugnet cum Chronologia ſacra?* 16. *Cloppenburgii, pro eadem opinione rationes probabiles.* 17. *An Melchiſedecus fuerit homo immediatè creatus &* ἀνα-

Digitized by Google

ἀναμάρτητος? 18. Acceditur ad aſſertionem θετικὴν *de Melchiſedeco. Monita duo ad faciliorem ejus intelligentiam. Melchiſedecus* ἱστορούμενος *&* ἀλληγορούμενος *diſtinguuntur. 19. Melchiſedeci nomen quale? Salem, cujus Rex ille fuit, fueritne Hieroſolyma? Palatium Melchiſedeci in Salem prope Sichem ſitu quale? Melchiſedecus an Hieroſolymæ conditor? 20. An Melchiſedecus ipſe immediatè ſacrificaverit, an per Semum? Franzius notatus. 21. An Melchiſedecus tantùm obtulerit panem & vinum, & hactenus miſſæ præluſerit? Orientales & Tridentinum Concilium refutantur. 22. Melchiſedeci dignitas Regia. Boulducus Papæ ſimilem poteſtatem Regiam vindicans rejectus. 23. An Melchiſedeci gentilis Cananæi exemplo rectè probetur gentiles extra eccleſiam ſalvari potuiſſe? Quo tempore gentes à fœdere Dei excluſæ? 24. Melchiſedecus* ἱστορούμενος *definitur. Explicatur Melchiſedecus allegoricus ex Pſal.* CX. *Chriſtum eſſe illum* כהן *probatur, non Abrahamum vel Davidem contra Kimchium & Abenezram. An* כהן *notet dignitatem forenſem? Vocis* דברה *&* τάξις *convenientia. 25. Melchiſedecus quo ſenſu Rex juſtitiæ & Pacis, ſine Patre, matre, Genealogia, non habens initium dierum nec finem vitæ; manens Sacerdos in æternum? 26. Quo ſenſu Melchiſedecus dicatur teſtimonium habere quòd vivat? Heinſius refellitur. 27. Melchiſedecus* ἀλληγορούμενος *definitur. Quomodo ſermone ejusmodi allegorico Hebræis perſuaderi potuerit Chriſti Sacerdotium æternum? 28. Analogia inter Melchiſedecum & Chriſtum. 29.*

I. Filiorum Thærachi ordo ad Abrahami nos hiſtoriam perduxit. Verùm intercedit hîc nobis Melchiſedecus, ipſo Abrahamo non tantùm *κρείττων major*, uti docet Apoſtolus Heb. VII. 7. ſed etiam temporis prærogativa, uti quidem exiſtimamus, potior. Quam vel ideo omittere non poſſumus, ne illa Hebræorum, qui debebant *διὰ τὸν χρόνον εἶναι διδάσκαλοι propter tempus eſſe Magiſtri*, quippe tam longi temporis tractum in auditu verbi Divini explentes; accuſatio, quòd propter *νωθρότητα τῆς ἀκοῆς tarditatem auditus* ſermonem Pauli de Melchiſedeco intelligere

gere non poſſint, in nos quadret: Accedit quòd idem Apoſtolus innuit Hebr. v. 11. 12. vi. 1. illam de Melchiſedeco doctrinam pertinere ad τελειότητα *perfectionem* Chriſtianæ fidei. Nobis autem etiam id negotium datum eſt, ut ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον ἐπὶ τελειότητα φερώμεθα *tranſmittentes initii Chriſti ſermonem ad perfectionem feramur.* Hebr. vi. 1. Quamobrem ad argumentum illud arduum & ſublime imprimis nos accincturis, duo potiſſimùm occurrunt accuratioris judicii trutinæ expendenda, & feriò meditanda: Melchiſedeci nimirum perſona & Myſterium, quod conſiſtit in analogia Melchiſedeci typi cum Chriſto, qui Sacerdos fuit ſecundum ordinem Melchiſedeci, ἀντιτύπῳ.

II. Ac Proſopographiam Melchiſedeci quod attinet, ejus quædam lineamenta ſeu characteres ducunt tum Moſes Geneſ. xiv. 18. tum Paulus Hebr. vii. Ac *primò* quidem uterque & Moſes & Paulus faciunt Melchiſedecum מלך שלם Βασιλέα Σαλήμ *Regem Salem* Gen. xiv. 18. Hebr. vii. 2. *Secundò* utramque vocem tum Melchiſedeci tum Regis Salem interpretatur Paulus v. 2. innuens Melchiſedecum deſignare βασιλέα δικαιοσύνης *Regem juſtitiæ*; Regem Salem autem βασιλέα εἰρήνης *Regem pacis*, quorum utrumque obviam Sanctæ Linguæ gnaris. *Tertiò* Moſes juxta & Paulus Melchiſedecum faciunt כהן לאל עליון ἱερέα τοῦ θεοῦ ὑψίστου, *Sacerdotem Dei altiſſimi* Geneſ. xiv. 18. Hebr. vii. 1. Ubi Syrus vocem Sacerdotis convertit כומרא more nimirum ſuo, ſecundum quem ipſum etiam Chriſtum eo nomine alicubi indigitat. Arabs אמאם *Antiſtes*; Onkeloſus משמש *Miniſter*, quæ vox paulò eſt generalior: Et Paulus innuit, eſſe Melchiſedecum non ſimpliciter Sacerdotem, ſed Sacerdotem εἰς τὸ διηνεκές in perpetuum Hebr. vii. 3. *Quartò* Paulus de eo teſtatur v. 3. quòd fuerit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *ſine Patre*, *ſine matre*, *ſine Genealogia*. Sed & *quintò* eidem tribuit Paulus, quòd fuerit μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, *neque initium dierum*, *neque vitæ finem habens* v. 3. Unde deducit, eum Sacerdotem manere in perpetuum. *Sextò* Melchiſedecum docet Paulus fuiſſe ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *aſſimilatum filio Dei*, Jeſu Chriſto noſtro. *Septimò* denique perſonæ Melchiſedeci eminentiam comprobat eo argumento, *quòd major fuerit ipſo Abrahamo* v. 4. 5. &c. Quam eminentiam confirmat rationibus ſeptem. *Primò* quia Abrahamus Patriarcha Melchiſedeco δεκάτην ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων, *decimam dedit de præcipuis* v. 4. *Secundò* quia Pater Levitarum, qui habebat ἐντολὴν ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν *mandatum decimandi populum*, per Melchiſedecum eſt decimatus. v. 5. 6. *Tertiò* quia Abrahamus in filiis ſuis decimatus eſt à Levitis. v. 5. *Quartò* quia decimatus eſt per eum, qui non eſt ex Levitis v. 6. *Quintò* quia Melchiſedecus

Digitized by Google

decus τὸν ἔχοντα τὰς ἐπαγγελίας εὐλόγηκε *benedixit ei, qui benedictiones habebat.* v. 6. *Sextò* quia Abrahamus decimatus eſt per eum, qui μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ *teſtimonium habet quòd vivat.* v. 8. *Septimò* denique quia διὰ Ἀβραὰμ καὶ Λευὶ ὁ δεκάτας λαμβάνων δεδεκάτωται *cum Abrahamo & Levi decimas accipiens ipſe decimatus eſt.* v. 9. 10. Atque hoc eſt illud ἄθροισμα τῶν ἰδιοτήτων, *collectio proprietatum*, quæ hocce Melchiſedeci individuum utcunque ſignare & delineatum dare aptæ natæ ſunt.

III. Poteramus in generali hac complexione acquieſcere, & ulteriori de Perſona Melchiſedeci inquiſitione ſuperſedere. Quia tamen curioſitas quædam viros doctiſſimos eò provexit, ut definire ſuſtinerent, qualis perſona fuerit, quæ proprietatibus hiſce à Moſe & Paulo circumſcripta eſt; non alienum ab inſtituto noſtro viſum eſt, quid de variis circa hoc argumentum opinionibus judicandum videatur, ediſſerere. Jam olim quinque potiſſimùm de Melchiſedeci perſona ſententias receptas eſſe, reperio apud Epiphanium lib. II. contra hæreſes, hæreſi 35. aliàs. 55. contra Melchiſedecianos, nec non Hieronymum Epiſt. ad Evagrium tom. 4. fol. 16. 17. Et prima quidem fuit Melchiſedecianorum, authore Thoma Argentario, qui fuerunt uti loquitur Epiphanius ἀποσπασθέντες τάχα ἀπὸ Θεοδοτιανῶν καλουμένων *avulſi fortaſſis à Theodotianis appellatis.* οὗτοι, inquit idem, τὸν Μελχισεδὲκ τὸν ἐν γραφαῖς λεγόμενον δοξάζουσι μεγάλην τινὰ δύναμιν ἡγούμενοι. εἶναι δὲ αὐτὸν ἄνω ἐν ἀκατονομάστοις τόποις, καὶ ὡς εἶναι τοῦτον οὐ μόνον δύναμίν τινα, ἀλλὰ καὶ μείζονα τοῦ Χριστοῦ φάσκουσι. *Hi Melchiſedec in Scripturis relatum glorificant, magnam quandam virtutem putantes. Eſſe autem ipſum ſupremè in locis innominatis. Et eſſe hunc non ſolùm virtutem quandam, ſed etiam majorem Chriſto aſſerunt.* Eadem Melchiſedecianorum hæreſis propugnatur in libro Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti quæſt. 109. qui Auguſtino vulgò tribuitur. Verùm Alphonſus Caſtrenſis decimo adverſus hæreſes volumine negat librum illum, qui inſcribitur *de quæſtione Veteris & Novi Teſtamenti* eſſe Auguſtini, quamvis ſub ejus nomine circumferatur. Utitur autem eo imprimis argumento, quòd Melchiſedecianorum ſententiam libro *de hæreſibus ad Quod vult Deum refert* inter hæreſes. Non eſt autem veriſimile, Auguſtinum hæreticam & à ſe ipſo damnatam ſententiam docuiſſe, & quam ſententiam ſemel docuit, nunquam retractâſſe. Nam in libris Retractationum nuſpiam recantâſſe alterutrum legitur. Iidem Melchiſedeciani, teſte Epiphanio, ex Apocryphis editionibus Melchiſedeci Patrem fecerunt Heraclam: matrem verò Aſtartham. Ἡρακλῆς autem *Solem*; Ἀστάρτη verò *Lunam* vel *Tellurem* notat. Unde conjicit Voſſius de Idol. p. 410. credidiſſe nos, Melchiſede-

 cum

cum natum eſſe Parentibus Sole, & Luna vel Tellure. Secunda ſententia fuit Hieracis Ægyptii, qui Græcè & Ægyptiacè in Hexaemeron docta, ſed hæretica elaboravit commentaria. Is, teſte eodem Epiphanio, νομίζει, Μελχισεδὲκ εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, διὰ τὸ ἀφομοιούμενον, φησὶ, τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, putat, *Melchiſedecum eſſe Spiritum S. eò quòd aſſimilatus eſt, inquit, filio Dei.* Tertia Samaritarum fuit, qui, teſte eodem authore, νομίζουσιν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Νῶε Σὴμ, *putant eum eſſe filium Noæ, Semum.* Ita enim omnino ſcribendum. Quarta fuit quorundam, qui νομίζουσι αὐτὸν φύσει τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἰδέᾳ ἀνθρώπου πότε τῷ Ἀβραὰμ πεφηνέναι *ipſum putant filium Dei in humana ſpecie tunc Abrahamo apparuiſſe.* Quinta ſententia fuit Origenis, qui teſte Hieronymo, prima in Geneſin Homilia eò devolutus eſt, ut eum Angelum eſſe dixerit. Secutus eſt Magiſtrum ſuum etiam Didymus, perpetuus Origenis Sectator. Cæterùm in prima Origenis in Geneſin Homilia nullam eſſe Melchiſedeci mentionem rectè monet Sixtus Senenſis Annot. 90. Villalpandus verò eam Origenis Homiliam è medio ſublatam eſſe hariolatur, eò quòd hæreſibus referta tota fuerit. Sexta ſententia fuit Irenæi & Hippolyti, quibus Melchiſedecus fuit Rex Jeroſolymæ, quæ primùm Salem, poſteà Jebus, ad extremum Jeruſalem appellata ſit. Septima eſt Hieronymi ad Evagrium, qui Melchiſedecum putat fuiſſe Regem non Salem illius, quæ poſtea Jeruſalem nuncupata eſt, ſed illius potiùs Salem, quæ ſita fuit juxta Scythopolin Regionis Sichem, in tribu Ephraim: ubi palatium Melchiſedeci magnificum ex magnitudine nimirum deprehendatur. Octava adſcripta Athanaſio Melchiſedecum facit filium Melchi nepotem Salaad. Hunc Salaad natum fuiſſe matre Regina urbis Salem, cui ipſa fuerit cognominis. Nona denique eſt *Chronici Regum* inediti quod ex Bibliotheca Geſneri noſtri Polyhiſtoris θαυμασιωτάτου, celeberrimus Hottingerus noſter ὁ μακαρίτης citavit. Authoris illius, qui paulò recentior eſt Johanne Contacyzeno, de Melchiſedeco, verba ſunt: ἐκ γένους Σίδου, υἱοῦ Αἰγύπτου, βασιλέως Αἰγυπτίων κατήχθη Μελχὶ, ὁ πατὴρ Σεδέκ. Ὃς γενόμενος ἱερεὺς τοῦ θεοῦ, καὶ βασιλεὺς τῶν Χαναναίων. ἐπεκλήθη Μελχισεδὲκ πατρωνομικῶς, καὶ κτίσας πόλιν ἐν τῷ ὄρει Σιὼν, ἐπωνόμασεν αὐτὴν Σαλὴμ, ὅ ἐστι εἰρήνης πόλις, ἐν ᾗ καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη ιγ. *Ex familia Sidi, filii Ægypti, Regis Ægyptiorum deductus Pater Zedeki, qui factus Sacerdos Dei & Rex Cananæorum. Melchiſedek autem appellatus fuit patronymicè. Condens verò urbem in monte Sion, Salem eam appellavit, id eſt urbem Pacis, in qua* 13. *annorum ſpatio regno functus obiit.*

IV. Ita veteres. Quibus accedunt ſententiæ tres, ab univerſis his diſtinctæ, ſed recentiores illæ: Prima Patricidis; Anonymi cujuſdam ſecunda;

Digitized by Google

cunda; Tertia Pontificii Scriptoris. Et Patricides quidem Melchiſedecum facit אבן פאלק *Filium Phalegi.* Fingit autem Noa morti vicinum mandâſſe filio Semo, ut corpore Adami è navi, nemine conſcio, ſublato, acceptisque ſecum in viaticum pane & vino, & accito comite Melchiſedeco Phalegi filio, proficiſceretur eum in locum, quem ſepulturæ Adamici corporis deſtinatum Angelus demonſtraturus ſit. Et eo loco Melchiſedecum ſedem ſtabilem fixurum, uxorem non ducturum, ſed pietati per totam vitam ſe addicturum, quia ipſum elegerit Dominus, ut cultui ejus inſerviat. Non ergo domum ſibi extructurum, nec ſanguinem ibi loci fuſurum vel beſtiæ, vel volucris, vel animalis cujuſvis: neque etiam ibi oblaturum oblationem quàm panem & vinum: pellibus leoninis ſe amicturum, crines non tonſurum, nec ungues præciſurum, denique ſolum eo loco tanquam Sacerdotem Dei Altiſſimi manſurum. Et locum iſtum, in quo corpus Adamicum deponendum, & Melchiſedecus Sacerdotio inaugurandus, ac defuncturus ſit, fore וסט אלארץ *medium terræ.* Poſt mortem igitur Noæ Semum juxta & Melchiſedecum imperata promptos & alacres feciſſe. Et Angelum quidem illis viam præiviſſe ad locum ſepulturæ, in medio terræ ſitum, cui ſponte dehiſcenti Adami corpus fuerit demandatum. Melchiſedecum verò eo loco, cui nomen impoſitum ſit *Jaljalah*, manſiſſe perpetuum Sacerdotem. Cùmque jam Regibus vicinis innotuiſſet Melchiſedekus, ad ipſum congregatos eſſe duodecim Reges, *Abimelechum* Regem Gerar, *Markab* Regem Zoar, *Ariuſch* Regem Deſtar, *Jardoamer* Regem Ilan, *Targali* Regem Zaglai, *Boaz* Regem Gailath, *Voez* Regem Sodomi, *Barcha* Regem Gomorrhæ, *Sebath* Regem Edom, *Banbu* Regem Damaſci, *Baktar* Regem Alrabah, *Samaan* Regem Amorrhæorum. Hos Reges viſo ipſo & audito extruxiſſe urbem, & ei extructæ ipſum Dominum & Regem impoſuiſſe: Eam autem urbem ab ipſo Melchiſedeco inſignitam eſſe Hieroſolymam. Quòd verò Paulus docet, Melchiſedecum non habuiſſe initium dierum, vel vitæ terminum, inde accidere ſcribit ille Author, quia ſcriptum à Moſe non ſit, quot annos natus fuerit Melchiſedecus, cum à Semo ex oriente abductus eſt ad eum locum, quo Sacerdotio defungi juſſu Dei debuit: nec quot annos natus diem obierit. Vocari etiam *ἀπάτορα*, & *ἀγενεαλόγητον*, quia quàmvis Patrem habuerit Phalegum, Filium Eberi, &c. tamen nullus horum Patrum ipſius Pater uſpiam nuncupetur. Atque eandem ob rationem vocari *ἀμήτορα*, quia mater ejus non ſcripta. Ita Patricides, ex traditione Orientali haud dubiè vetuſtiſſima.

V. Novæ de Melchiſedeco opinionis authorem, uti puto Anonymum,

 refert

Digitized by Google

refert nobis Doctiſſimus Cloppenburgius Syntag. Exercit. p.457. Author is ſtatuit, Melchiſedecum fuiſſe omninò purum putum hominem, hoc proprio nuncupatum nomine, Regem propriè dictum, in Urbe Hieroſolyma, figuram Chriſti: ſed qui fuerit verè & perfectè juſtus & ſanctus Rex, & ejuſmodi ſummus & unicus Populi ſui Pontifex, qui neceſſe non habuerit, ſicut alii Sacerdotes, offerre pro peccatis ſuis, cùm ipſe juſtus eſſet & ſanctus; ſed tantummodò pro peccatis ſui populi: propriè & ſecundum literam *ſine Patre & ſine Matre*, quia homo factus à Deo non per carnalem generationem, ſed per immediatam ipſius Dei creationem. Unde Geneſ. XIV. introduci eum velut quendam hominem de Cœlo delapſum. *Sine Genealogia* eum dici reſpectum liberorum, quos nullos habuerit, neque proinde ſucceſſores in Sacerdotio. *Sine dierum initio*, quia nullum ei fuerit dierum nativitatis ſeu geniture initium, quale habent omnes alii homines, qui in hunc mundum non ingrediuntur, niſi impletis diebus partus. *Finem* etiam *vitæ non habuiſſe*, quia creatus fuerit per gratiam nunquam moriturus. *Aſſimilatum* denique eum, id eſt, perquam ſimilimum factum *Filio Dei*, non venturo, ſed qui jam ante præceſſerit, primo homini, qui inter homines ſolus per excellentiam dicebatur ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ *ille Filius Dei* Luc. III. v. 38. Hactenus ille, quem Anonymum puto: cui tamen ipſe etiam Camero in Myrathec. ad Hebr. VII. 26. favere videtur. Tertius novæ de Melchiſedeco ſententiæ author Pontificius in ſcripto Gallico pertendit, Melchiſedecum adhuc cum Enocho & Elia exiſtere & vivere in Paradiſo, eò quod à Paulo dicatur teſtimonium habere quòd vivat.

VI. Sententiarum harum ſingularum Examen penitius non inſtituimus. Cui enim bono operam multam conſumeremus in refellenda profligatiſſima hæreſi Melchiſedecianorum, quæ Melchiſedecum facit Potentiam ſeu virtutem quandam ipſo Dei Filio majorem, & in locis ſupernis innominatis inſidentem? Quid enim impium magis & blaſphemum, quàm virtutem aliquam fingere majorem Chriſto, qui eſt Deus benedictus in ſecula, & ἓν *unum* cum Deo Patre? Cumque Melchiſedecus ſit ἀφωμοιωμένος *aſſimilatus* filio Dei, ubique ei non æqualis, nedum ſuperior fuit. Quo argumento etiam utitur Epiphanius. Præterea quâ ratione Melchiſedecus Sacerdos Dei Altiſſimi dici poteſt, ſi cœleſtis ejuſmodi Virtus fuit reſidens ἐν τόποις ἀκατονομάστοις in locis innominatis? Quomodo etiam virtus ejuſmodi defungi potuit Regio munere in Salem, & eo nomine decimas ab Abrahamo accipere? Cæterùm rationes quibus pro hac hæreſi pugnat Auguſtinus hypobolimæus, quem Bellarminus putat fuiſſe Hilarium Diaconum hominem hæreticum, *quæſt.* CIX. *ex utroque Teſtamento mixtim*, diſcutit paulò

fuſiùs

Digitized by Google

fuſiùs Villalpandus Tom. III. pag. 42. Eâdem ratione opinio Hieraclitarum, quæ Melchiſedecum Spiritum S. facit, cùm exoleta ſit & ſua abſurditate concidat, non meretur, quæ à nobis deditâ operâ & prolixè diſceptari debeat. Quomodo enim Sp. S. qui carnem nunquam induit, ſive ut in ea appareret hominibus, ſive ut eam in unitatem perſonæ redactam hypoſtaticè ſibi uniret, dici poteſt Rex Salem, & Regia authoritate decimas ſibi vindicans? Quomodo Sacerdos Dei altiſſimi? Quomodo aſſimilatus Filio Dei, ita ut is ſit Sacerdos ſecundum ejus ordinem? Sic & ii, qui Angelum faciunt Melchiſedecum, ſecuti Magiſtrum Originem, toto Cœlo aberrant, cùm Angelus aliquis appellari vel Rex Salem, vel Sacerdos Dei altiſſimi nullo modo poſſit. Omnis enim Sacerdos, teſte Paulo, *ex hominibus ſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ Deum* concernunt, *ut afferat dona & victimas pro peccatis*, Hebr. v. 1. Neque in numerum pervenit Orientalium de Melchiſedeco, quem Phalegi Filium faciunt, traditio, à Patricide deſcripta. Ea enim, cùm ex documentis ἀξιοπίστοις hauſta non ſit, fidem omninò nullam meretur, adeóque nec aſſenſum impetrat. Sed & quæ de Melchiſedeco adſcribuntur Athanaſio, nec non quæ ex Chronico Regum allegavimus, fabulis & incertis traditionibus videntur annumeranda. Eodem denique cenſu habendum illud Pontificii Authoris commentum, quo Melchiſedecus in Paradiſo collocatur, ſimul cum Enocho & Elia. Quòd enim teſtimonium habere dicitur, quòd vivat, quo ſenſu intelligendum ſit, inferiùs videbimus.

VII. Majori probabilitate ex Veteribus quidam, uti ex Epiphanio indicavimus, Melchiſedecum fecerunt filium Dei, in carne aſſumpta ad tempus, Abrahamo apparentem. Eam ſententiam à Veteribus mutuatus eſt, & novo veluti tectorio incruſtavit illud Theologorum immortale decus Petrus Molinæus, in libro cui *Vates* titulus eſt, nec non peculiari de eo ſcripto Gallico. Et ſecundas ei fecit inſignis Juriſconſultus & elegantioris literaturæ promus Petrus Cunæus de Rep. Hebræorum lib. III. 3. *Ego*, inquit Cunæus, *ſic exiſtimo, Melchiſedecum non hominem utique ex hominibus genitum, ſed divinioris naturæ fuiſſe, majorémque homine ac digniorem certè, qui tanto benedixit Patriarchæ.* Ac Chriſtum fuiſſe qui eum tum vultum habitúmque corporis ſibi finxerit, quem poſtea in terris geſſit, præcedente diſputatione probat. Sic & Cl. Molinæus putat *Filium Dei veri hominis corpus aſſumpſiſſe, phantaſia illius hominis tantiſper obſeſſa, & à conſuetis cogitationibus abductâ.* Argumentis autem ſibi videntur inſtructi tam evidentibus & certis, ut nullum dubitationi locum relinquant. Primò enim Melchiſedecum non fuiſſe Regem & Sacerdotem urbis alicujus terreſtris Cananeæ, inde

 probant,

Digitized by Google

probant, quòd tempore Abrahami fidelium cætus in Cananæa nullus fuerit. Etenim Regem non potuiſſe eſſe abſque ſubditis, neque Sacerdotem abſque populo, qui offerret ſacrificia, & eo præeunte ſacris operaretur. Quòd ſi talis Rex aut populus fuiſſet, Abrahamum illic potiùs quàm inter Ethnicos conſeſſurum, & cùm armaret ſervos ad bellum, ab hoc potiùs Rege, quàm ab Aner, Eſcol & Mamre auxilium petiturum Geneſ. XIV. cùm mutandæ ſedis conſilium iniret, non ad Abimelechum profecturum Geneſ. XX. cùm corpus uxoris defunctæ componere vellet, non à Chittæis agrum mercaturum Geneſ. XXIII. cùm denique quæreret filio uxorem, non ſervum hoc nomine in Meſopotamiam miſſurum fuiſſe, Geneſ. XXIV. Et quî factum, ut Regnum compoſitum ex Rege & populo tam citò evaneſceret? Quomodo nec ante Abrahamum, vel poſt eum unicus homo in iſta gente repertus fuerit, qui veri Dei notitiam haberet? Scripturam de Hieroſolyma conſtanter loqui tanquam de Urbe Ethnica uſque ad tempora Davidis, expugnatam propterea fuiſſe ab Iſraëlitis, Jud. I. deinde adhuc ex parte inhabitatam à Jebuſitis Joſ. XV. univerſam demum ſubjugatam à Davide 2 Sam. V. Atque hinc liquere nomina illa Melchiſedeci & Salem non fuiſſe nomina propria Reguli alicujus, ſed appellativa, Soli Chriſto Regi Juſtitiæ & Pacis aptanda. Unde etiam Paulum Hebr. VII. 2. utriuſque illius nominis ſignificationem appellativam diſertè indicare his verbis: πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλήμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης: *qui primùm quidem ex interpretatione dicitur Rex Juſtitiæ, deinde verò etiam Rex Salem, quod eſt Rex Pacis.* Quòd ſi Melchiſedec putetur nomen proprium Reguli Cananæi, jam illum fuiſſe Regem *Zedek*. Atqui in toto regno Cananæo nullam apparuiſſe urbem, cui *Zedek* nomen. Secundò quid cauſæ eſſe cur hunc Juſtitiæ & Pacis Regem non credamus fuiſſe eundem illum filium Dei, qui poſtea ad quercum Mambre duobus comitatus ſociis Abrahamo apparuit, cibum cum illo ſumpſit, adfuit unâ in unis ædibus, ac denique collocutus cum eo eſt? Sanè majus certiuſque argumentum Divinæ, cœleſtiſque naturæ videri, homini in media via derepente, velut è machina, ſupervenire, eique benedicere & alimentum potumque dare, quàm hominis tectum ſubire, hoſpitio ejus excipi, epulis accumbere, ſermones cum illo ſerere. Unum modò diſcrimen eſſe, quòd Geneſ. cap. XVIII. expreſsè tandem dicitur, Deum fuiſſe, qui Abrahamum adierit: de Melchiſedeco autem illud non dicere quidem Geneſeos Scriptorem, ſed myſterium hoc relinquere explicandum Davidi & Paulo, qui nos de illo ampliùs dubitare non ſinant. Tertiò id ipſum eliciunt ex Davide Pſal. CX. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci.*

Digitized by Google

chiſedeci. Eodem igitur modo Melchiſedecum habuiſſe ἱερωσύνην ἀπαράβατον, *Sacerdotium, quod non tranſit*, adeóque æternum, quo Chriſtus. Atqui Sacerdotium ejuſmodi non competere ulli homini, ſed ſoli Chriſto. Solius Chriſti Sacerdotium eſſe æternum, tum quoad efficaciam meriti, tum quoad perpetuitatem interceſſionis. Neque poſſe omnino duos effici Sacerdotes, quorum functio nullis circumſcripta annorum ſpatiis, in omne ævum duret. Quartò Paulum Melchiſedecum vocare ἀπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, *ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia.* Hoc non alii convenire quàm Chriſto, qui non fuit communi lege ex Patre atque Matre, neque ex libidine aut conjunctione Viri fœminæque ſatus, ſed æternus, de quo ſic Eſaias cap. LIII. 8. את־דורו מי ישוחח *Generationem ejus quis narrabit?* Quintò ab eodem aſſeri v. 3. Melchiſedecum μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος, *neque initium dierum, neque finem vitæ* habuiſſe. Id negant competere cuique ex hominum nedum mortalium numero. Sextò eundem Paulum Sermonem ſuum de Melchiſedeco exordientem, hac uti præfatione: περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν λόγος, καὶ δυσερμήνευτος λέγειν: *De quo nobis multa ſunt dicenda, eaque explicatu difficilia.* Hebr. v. 11. Hîc ſtupere Apoſtolum ad magnitudinem perſonæ, & ineffabilem illam confiteri: idque nunquam ipſum facere, cùm de aliis umbris typiſque loquitur, quibus fuerat olim Regnum Meſſiæ figuratum. Septimò dicere Apoſtolum v. 7. χωρὶς ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται. *Sine omni controverſia non benedicit niſi major minori.* Divinioris igitur cujuſdam naturæ fuiſſe Melchiſedecum, nec in hominibus numerandum: quia qui Abrahamo tanto Patriarchæ benedixit, certè major illo digniórque eſſe debuit. Octavò urgent v. 8. quo Melchiſedecus comparatur cum Levitis in hæc verba, καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσι, ἐκεῖ δὲ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. *Atque hîc quidem homines, qui moriuntur, decimas accipiunt; illic autem is de quo teſtatum eſt, quòd vivat.* Hic de Levitis, quibus decimæ dabantur, duo dici: alterum quòd *homines*; alterum quòd *mortales* fuerint. At hunc Sacerdotem, cui Abrahamus decimas dedit, non hominem non mortalem fuiſſe, ſed eum, de cujus vita & æternitate teſtimonium habeamus omni exceptione majus. Quodnam verò illud? Nempe hoc Davidis, quod citat Apoſtolus v. 17. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci.* Quaſi dicat: *Tu es ille juſtitiæ paciſque Rex, ille Sacerdos, qui vivis æternúſque es; quem vidit Abrahamus, decimiſque & muneribus veneratus eſt, & Melchiſedecum appellavit, cùm appellare eum majore atque ampliore nomine haud poſſet.* Eodem referunt illa v. 15. & 16. verba: Κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδὲκ ἀνίσταται ἱερεὺς ἕτερος, καὶ οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς γέγονεν, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. *Ad inſtar Melchiſedeci*

chiſedeci exoritur Sacerdos alius, qui non ex lege cujus mandatum ſit carnale, Sacerdos eſt, ſed ex vi indiſſolubilis vitæ. Nimirum quod in Levitis fuiſſe negat, id in Melchiſedeco & Meſſia ipſum ponere, *vim indiſſolubilis vitæ.* Nonò Apoſtolum Sacerdotium Melchiſedeci extollere ſupra Sacerdotium Leviticum. Allegant verba: v. 11. *Si conſummatio per Leviticum Sacerdotium erat, quid adhuc opus erat, alium exoriri Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedeci?* Hoc ſignificare Apoſtolum, nullam conſummationem rerum, quæ promiſſæ quondam erant, fieri potuiſſe per Leviticum Sacerdotium, itaque opus fuiſſe Sacerdotio perfectiore, cujuſmodi fuit illud Meſſiæ ſeu Melchiſedeci. At ſi Melchiſedeçus mortalis homo fuit & Salemenſium Regulus, Sacerdóſque uti vulgò fertur, ineptum eſſe, majorem perfectionem hujus Sacerdotio quàm Levitarum adſcribere. Salemenſes enim ſitos fuiſſe in media Cananéa, quæ regio Sacra nondum ſuſceperit rectæ religionis, quoniam recens in eos terræ fines advenerat Abrahamus. Sed eſto, inquiunt, fuerit apud eos ſummi Numinis reverentia; quem tam rerum omnium ignarum eſſe, uti neſciat cultum religionis, etiam in ipſis Patriarcharum familiis rudem duntaxat informémque fuiſſe, donec lege lata ſocietatem atque ordinem Levitarum inſtituit ipſe Deus, præcepitque quibus ceremoniis ſacríſque coli deinceps vellet, cùm id antea haud uſquequoque factum eſſet debitis ritibus? Quomodo ergo in media Cananea inter infideles extiterit Sacerdotium purius illo, quod tam perfectè juxta mentem Dei informavit Moſes? Quomodo ibidem extiterit cultus Dei perfectior, quàm in familia & Eccleſia Patriarcharum? Hæc ſunt argumenta illa, quæ viri Doctiſſimi pro ſententia ſua cumulârunt. Quibus ſubjicit Cunæus: *ſi omnia argumenta convectare velim, juſto volumine opus ſit.*

VIII. Ingenuè fateor, argumenta illa diu me ancipitem tenuiſſe animi & conſilii, annon calculum vi veritatis adactus adjicerem ſententiæ, cui muniendæ illa adducta ſunt. Adeò primo cœtu viſa ſunt gravia & *πιλαντιαῖα.* Nihilominus ſingulis penitiùs inſpectis & expenſis, argumenta validiora viſa ſunt, quibus Melchiſedecum fuiſſe hominem merum non Dei Filium, colligi poteſt. Neque nubes tantum & inania prenſare eos, qui alia omnia ſentiunt, manifeſtum erit ex iis, quæ colligam argumentis. Et ut à Moſe exordiar, non obſcurè is videtur Melchiſedecum facere hominem. Etenim poſt patratam ab Abrahamo victoriam memorat Moſes egreſſum eſſe in ejus occurſum Regem Sodom, & Reges qui cum eo erant, ad vallem Saveh. Sed & Melchiſedecum Regem Salem ei occurrentem protuliſſe ei panem & vinum, & cùm Sacerdos eſſet Dei altiſſimi, ei benedixiſſe,

Digitized by Google

dixiſſe, & ab eodem decimas de omnibus accepiſſe memorat. Omnia, quæ de eo narrantur, non ſapiunt niſi hominem. Eodem modo Melchiſedecus occurrit Abrahamo, quo Rex Sedom & ejus conjurati. Nulla quoad ſolemnitatem differentia tam notoria, ut altioris originis Melchiſedecum quàm Reges reliquos arguere poſſit. Uno filo deducuntur omnia. Nomen ei proprium inditur מלכי־צדק *Melchizedek.* Ipſum illud Jod paragogicum additum מלך indicinam præbet nominis proprii. Sicut igitur אבימלך *Abimelec* nomen fuit proprium Regum Philiſtæorum: ita *Melchiſedek* fuiſſe nomen proprium Regum Salemenſium videtur. Quomodo etiam אדני־צדק *Adoni zedec* quod idem cum nomine *Melchiſedec* nonnulli faciunt, nomen videtur fuiſſe proprium Regum Hieroſolymitanorum, uti colligitur ex Joſ. x. 3. Simili ratione Ægyptii ſuos Reges primò *Pharaones*, poſtcà etiam *Ptolomæos*; Syri *Antiochos*: Perſæ veteres *Choſroës*, recentiores *Zofos*; Arabes Ante-Muhammedani תבעא *Tobbaas*, Poſt-Muhammedani *Chaliſas* & *Amirolmunenin*; & eos qui ex poſteritate ſunt Muhammedis, *Scheriſos* nuncupant. Melchiſedecum hunc inducit Moſes non ut ignotum Cananéis Sacerdotem. Eum facit מלך שלם *Regem Salem*, eo modo, quo prædictum Regem מלך סדם *Regem Sedom.* Salem porro nomen eſt loco Cananéo, ſive ea civitas Hieroſolyma fuit, ſive alia ab Hieroſolyma diſtincta, & juxta Scythopolin ſita, cujus mentio juxta quoſdam eſt Geneſ. XXXIII. v. 18. Joh. III. 27. Uterque locus notus in vulgus fuit tempore Moſis. Meri in oratione Moſis cothurni inerunt, ſi ejuſmodi deſcriptione non hominem aliquem, Regem Salemenſem, ſed Filium Dei inſignierit. Quid quòd ei Regi Abrahamus dedit decimas? Claro argumento, Regem aliquem denotari, cui ſtabilis in terra ſedes, quique manubiis ejuſmodi oblectari & coli potuit. Filium Dei in carne apparentem non decimis, ſed religioſo & divino cultu adorari par erat. Sed & Melchiſedecum facit Moſes כהן לאל עליון *Sacerdotem Dei altiſſimi.* Atqui omnis Sacerdos *eſt* ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος, *ex hominibus aſſumptus*, per carnalem nimirum generationem ex hominibus propagatus, uti innuit Paulus Hebr. v. I. Atqui Filius Dei apparens in V. T. non eſt ſumptus ex hominibus per carnalem generationem. Præterea Filius Dei in V. T.? Sacerdos Dei altiſſimi eſſe actu non potuit. Sacerdos enim actu eſt, juxta ejuſdem Apoſtoli effatum, qui προσφέρει δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, *offert dona & victimas pro peccatis.* Qualia igitur fuerunt dona & victimæ Chriſti in V. T.? Realia an typica? Atqui reale ſacrificium non eſt niſi ipſe Chriſtus, ſemetipſum per ſpiritum æternum offerens, pro peccatis, quod fecit ἅπαξ *ſemel*, non in V. T. ſed ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων *in fine ſeculorum.* Hebr. IX. 26. Sed & typica ſacrificia

 Chriſtum

Chriſtum in V. T. obtuliſſe vix prætenderit quiſquam. Aliâs enim à Sacerdotibus Leviticis quomodo diſtingui potuerit, non video.

IX. Neque nodum, quem ex Moſe nexuimus, ſolvunt Viri docti, contendentes, nomina illa *Melchiſedeci* & *Regis Salem* non propria hominis alicujus, ſed appellativa Filii Dei fuiſſe. Cujus ſententiæ præſidium ſe habere firmiſſimum putant in verbis Apoſtoli Hebr. VII. 2. πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης. ἔπειτα δὲ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης *Qui primùm exponitur Rex Juſtitiæ, deinde Rex Salem, quòd eſt Rex Pacis.* Verùm hoc frivolum eſt. Quid enim impedit, quò minùs nomina, quæ reverà propria ſunt, cùm alteri perſonæ typicè accommodantur, explicentur & exponantur, quò faciliùs typus reſpondeat antitypo? Nihil hoc vulgatius eſt. Ita nomen *Jeſu* quod proprium eſt, explicavit Angelus Matth. I. 21. Vix ullum nomen proprium eſt, quin appellativum fieri poſſit, ſiquidem ita poſtulet ratio παρῳδίας ſeu *alluſionis*, & allegoria: Neque tamen ea, quæ hiſtoricè geſta narrantur, in allegorias ejuſmodi convertenda ſunt: niſi meros gryphos ſacræ orationi affricare lubet. Quid quòd eo ipſo loco, quo Apoſtolus exponit vocem Melchiſedeci & Salem, vocem utrámque Hebræam præmittit? Quinimò cùm retineat vocem Melchiſedec, & per ἑρμηνείαν inſtituto ſuo accommodet, tamen citans verba illa מלך שלם *Rex Pacis*, pro Hebræo מלך ſubſtituit Græcum βασιλεὺς. Cur quæſo Apoſtolus citans primùm verba Moſis, nondum ea exponens, in uno membro retinet vocem Hebræam *Melchiſedech*, in altero non *Melech*, ſed Salem? Nempe quia *Melchiſedec & Salem* erant nomina propria, at vox *Regis*, nempe Salem, appellativa.

X. A Moſe convertimus nos ad Davidem, qui ipſe quoque Melchiſedecum ſupra humanam conditionem non extollit. Is enim vel potiùs ipſe Jehova Pſal. CX. 4. Chriſtum ait Sacerdotem eſſe in æternum על דברתי מלכי־צדק *juxta ordinem Melchiſedeci.* Ita enim convertunt Græci; κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ *juxta ordinem Melchiſedeci.* Sapiens Abenezra illud על דברת interpretatur על מנהג *juxta morem*, ſeu *ritum.* Et Paulus per ὁμοιότητα *ſimilitudinem* exprimere videtur. Retinet nomen Melchiſedeci in ſua flexione, & juxta ejus ordinem vel morem Chriſtum fore Sacerdotem pronuntiat. Qui ſecundum ordinem & morem alterius Sacerdos eſt, is cum altero eo idem non eſt. Author Vatis Doctiſſimus, ut exeat hunc ictum, verba Dei ſic interpretanda docet: *Tu es Sacerdos eo modo, & prout oportet eum eſſe, qui Rex eſt Juſtitiæ.* Quia nimirum Rex Juſtitiæ Sacerdotium habere debet æternum, etiam Chriſto ejuſmodi Sacerdotium competere, innui in Pſalmo putat. Id ſi verum eſt, quid cauſæ eſt, cur David retinuerit nomen proprium

Digitized by Google

prium מלכיצדק *Melchiſedec*, & non potiùs adhibuerit verba appellativa מלך צדק *Rex juſtitiæ?* Neque verò Chriſtus eſt Sacerdos in æternum quia Rex juſtitiæ: ſed quia Sacerdos eſt in æternum, etiam Regem Juſtitiæ eum eſſe conveniebat. Sacerdos enim æternus juſtitiam æternam acquirit ſuo ſacrificio, quam quatenus Rex eſt, applicat. Præterea vis illarum vocum על דברתי non attenditur, quæ non ὑπόστασιν ejuſmodi, ſed ſimilitudinem omninò notant. Quòd ſi hunc ſequamur interpretem, verba Davidis ad hiſtoriam Moſis referri nullo modo poterunt, quod quàm alienum ſit, vident omnes. Sanè ipſe Apoſtolus ea verba citans retinuit vocem propriam Μελχισεδὲκ, manifeſtè ad hiſtoriam Moſis digitum intendens. Id haud dubiè animadvertit Cunæus, qui proinde verba Davidis refert ad hiſtoriam Moſis, & in eum ſenſum torquet, ut Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci, quia nimirum is ipſe ſit ille Juſtitiæ pacíſque Rex, ille Sacerdos, quem videns Abrahamus decimis & muneribus veneratus eſt, & Melchiſedecum appellavit. Verùm à verbis Davidis ſeu potiùs Dei manifeſtè diſcedit. Is enim non dicit: *Tu es Melchiſedec:* ſed: *Tu es Sacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedeci.*

XI. Accedamus ad Apoſtolum, qui & ipſe Melchiſedecum hominem fuiſſe, non filium Dei certis indiciis prodit. Is enim ut reliqua argumenta taceam, dicit v. 3. Melchiſedecum fuiſſe ἀφωμοιωμένον τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ *aſſimilatum filio Dei.* Nemo autem ſibi ipſi aſſimilatus dici poteſt. Quo argumento utitur etiam Epiphanius hæreſi 55. οὐ γάρ τις ἑαυτῷ ὅμοιος γενήσεταί ποτε, ὡς ἔχει ἡ θεία γραφὴ, ὅτι ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. *Non enim quis ſibi ipſi unquam ſimilis eſſe poterit, velut habet Scriptura Divina: Aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.* Viri docti anxiè laborant, huic ut argumento ſatisfacere poſſint. Et Cunæus quidem interpretatur hoc de ſimili imagine. *Etiam nos*, inquit, *exiſtimamus, Filium Dei, cùm in via Abrahamo occurreret, eum vultum, eúmque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem poſtea geſſit in terris, atque hoc illud eſſe, quod Apoſtolus ait* ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *aſſimilatus Filio Dei. Non poterat illud ipſum corpus induere, quod in terris poſtea intuiti ſunt, & contrectavere mortales. Id enim ſerò admodum genitum formatúmque eſt, neque ante extitit, quare imaginem duntaxat illius repræſentavit Abrahamo, ſed planè eandem, quam inter homines habuit. Neque aliò pertinere mihi videtur, quod ſcriptum à Johanne eſt: Abraham geſtivit videre diem meum, & vidit gaviſúſque eſt. Id enim Abrahamo contigit, & ſingulare quiddam fuit: cùm de cæteris illud dicatur: Multi Prophetæ & juſti cupiverunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* Verùm hæc nimis quàm diluta ſunt. Paulus enim, qui plurima narrat, in

quibus Chriſto cum Melchiſedeco convenit, nuſpiam imaginis hujus ſimilis meminit. Alia ſunt, in quibus ſimilitudinis hanc rationem collocat: qualia ſunt, quòd uterque Rex Juſtitiæ & Pacis, ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia major Abrahamo, diverſum ſortitus quàm Levitæ Sacerdotium. Deinde, unde fidem faciet, Melchiſedecum Abrahamo occurrentem eum vultum, eúmque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem Chriſtus poſteà geſſit in terris? Nam quod ex verbis Chriſti apud Johannem colligit, hujus rei argumentum ſolidum non eſt. Abrahamus geſtiverat videre diem Chriſti, non umbratilem aliquam imaginem. Dies Chriſti notat ejus *παρουσίαν*, ſeu apparitionem in carne ad abolendum peccatum: quam Malachias IV. 5. יום יהוה *diem Domini* vocat. Sancti Patres in his terris promiſſiones viderunt *πόῤῥωθεν eminus*, & perſuaſi *καὶ ἀσπασάμενοι ſalutatis iis*. Quod igitur viderunt eminus, & perſuaſi ſalutârunt, id Abrahamus geſtivit videre cominus. Vidit autem cominus tum diem *Chriſti* in Cœlo & gloria ejus, ubi Deus tanta opera ſua ei æquè ac Cœlitibus omnibus notificavit: tum *Chriſtum* partim cùm vidit Jehovam & duos Angelos Geneſ. XVIII. ii. 15. partim in Cœlo, unde Chriſtus venit in terram: partim denique revelatum in terra. Nuſpiam illa viſio reſtringitur ad ſolam imaginis externæ viſionem, nedum ad hiſtoriam illam Melchiſedeci, quem geſtâſſe imaginem Chriſti nullo indicio liquet. Quòd ſi viſio illa de imagine externa Chriſti intelligi debet, communis ea fuerit, ſecus quàm Author hic conatur probare ex Matth. XIII. 17. etiam Moſi, cui Angelus Jehova familiaris fuit, aliíſque; imprimis ſi verum eſt, quod Author ille juxta mentem præſtantiſſimorum Theologorum pronuntiat; quotiescunque in V. T. Deus immortalis hominibus apparuit, apparuiſſe perſonam ſecundam, id eſt, filium.

XII. Author doctiſſimus Vatis aliam inſiſtit viam reſponſionis. Negat Melchiſedecum non fuiſſe filium Dei, quia filio Dei aſſimilatus: eò quòd idem ſibi ipſi aſſimilari poſſit. Ita Phil. II. 7. Chriſtum dici factum *ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων in ſimilitudine hominum*, cùm tamen verus homo omninò fuerit. Ita Dan. III. 25. Nebucadnezarem conſpicatum quartum, inambulantem cum tribus, quos miſerat in fornacem dixiſſe ורוה די רביעיא דמה לבר אלהין *Aſpectus quarti ſimilis eſt filio Dei*, qui tamen ipſemet fuerit Filius Dei. Eadem locutione dici Deum ſemper eundem *ſimilémque* ſibi: & apud Philoſophos unumquodque animal generare ſibi *ſimile*. Verùm exempla hæc minimè arguunt, idem ſibi ipſi aſſimilari poſſe. Chriſtus factus *in ſimilitudine hominum* reverà idem cum hominibus peccatoribus non fuit, ſed eis, excepto peccato ſimilis. Neque quartus ille, quem

vidit

Digitized by Google

vidit in fornace Nebucadnezar, *ſimilis filio Dei*, fuit filius Dei Jeſus Chriſtus, quippe Nebucadnezari ne fando quidem auditus vel cognitus: ſed potiùs Angelus Angelis illis, qui olim apparuerunt ſimilis. Ita Deus dicitur idem ſimilisque ſibi, ſed ἀφωμοιωμένος, *aſſimilatus* ſibi, Græca voce θεοπρεπῶς dici non poteſt. Cùm verò animal dicitur ſimile ſibi generare, eo ipſo ſequitur, id quod generatur, non eſſe ipſum generans. Sunt igitur, quæ hic obducuntur, planè ἀπροσδιόνυσα. Quòd ſi ſimile eſſe idem, & idem ſibi ipſi aſſimilari poteſt: perperam fecit Eccleſia Vetus, quæ filium cum Patre eſſe ὁμοιούσιον negavit.

XIII. Cæterùm nec argumenta illa Virorum doctorum, quæ ſuperiùs Theſi VII. ex ipſorum mente texuimus, ſunt extra aleam omnis exceptionis & controverſiæ poſita. Id ut manifeſtum fiat, conabimur ſingula ordine retexere. *Primum* igitur quod attinet, quo arguitur, Melchiſedecum, ſi in terra Cananéa Regem & Sacerdotem geſſit, & populum adeò fidelem habuit, Abrahamum cum eo familiaritatem contracturum: illud parum ſolidum eſt. Quicquid enim cum aliqua veri ſpecie hic ingeritur, eo ipſo improbandum eſt, quia militat contra apertam rerum geſtarum à Moſe ἀξιοπίστως narratarum veritâtem. Quid verò? Annon Melchiſedecus ſolus vel cum familia ſola, ad veri Numinis cultum converti potuit, populo ipſo vel perſiſtente in ſua infidelitate, vel brevi convertendo. Et ut populum jam converſum fuiſſe demus, annon Abrahamum in terra peregrina hoſpitem latere potuit, talem uſpiam extare populum? Sed innotuerit hoc ei, poſtquam nimirum primum in terram Cananæam adventans, fœdus iniit cum Aner, Eskol & Mamre: quæ neceſſitas ipſum impulit, ut relicta ea ſocietate civili per ſolenne fœdus, jam adoptata aliò migraret, vel ab aliis ſuppetias expeteret; vel agrum ſepeliendæ uxori non ex vicino ſibi vindicaret? In Meſopotamiam etiam potiùs miſit procatum pro filio, quàm ad Salemenſes, quòd patriam cognationem deſpicatui habere, nefas duceret: Præterea unde conſtat Viris Doctis, nec ante Abrahamum, nec poſt eum fideles extitiſſe in terra Cananæa? Neque enim totus mundus jam tum ad infidelitatem ita deflexit, quin hinc inde adhuc exiſterent veri adoratores Dei. Gentiles enim non ante inſtitutam Politiam Judaicam definito & peremptorio Dei judicio à fœdere gratiæ ſunt excluſi. Quæ verò hæc conſecutio: ſi Melchiſedecus fuit nomen proprium Reguli Cananæi, tum extitit urbs aliqua nomine Zedek? Idem enim concludi poterit, ex nomine *Adonizedek*, quod occurrit Joſ. x. 3. An quia *Abimelec* fuit nomen proprium Regum Philiſtæorum, ſequitur, urbem aliquam in Palæſtina, nomine *Melec* demonſtrari oportere? *Secundum* argumentum,

Digitized by Google

tum, inde arceſſitum, quòd Melchiſedecum fuiſſe eum ipſum filium Dei, qui poſtea ad quercum Mambre duobus comitatus ſociis Abrahamo apparuit, omnino ſit probabile, eò quòd æquè multa Divinitatis indicia in Hiſtoria Melchiſedeci, atque in hiſtoria illius apparitionis reperiantur; minus adhuc ſolidum eſt. Quæ enim hæc indicia Divinitatis: in media via derepente alicui ſupervenire, ei benedicere, alimentum & potum dare? In apparitione trium illorum Angelorum ille, qui ſecunda S.S. Trinitatis perſona fuit, *Jehova* necnon *Judex mundi* dicitur. Quo nomine Melchiſedecus nuſpiam inſignitur. Præterea quæ major ſolennitas vel pompa fuerit in occurſu Melchiſedeci, quàm Regis Sodomæi & reliquorum, non video.

XIV. Majus eſt, quod *tertio* loco objicitur, Melchiſedecum à Davide ſtatui Sacerdotem æternem, eo modo quo Chriſtus æternus fuit. Verùm nec id ſatis firmum eſt. David enim non pronuntiat, Melchiſedecum eſſe Sacerdotem in æternum eo modo quo Chriſtus æternus Sacerdos eſt, ſed Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum juxta ordinem Melchiſedeci. Conſtat autem non neceſſum eſſe in typo extet, quicquid antitypo ineſt. Sufficit, quod typo & antitypo certa ratione conveniat. Quod verò *quartò* opponitur, Melchiſedecum fuiſſe *ἀπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia,* idque nulli convenire mero homini: æquè parum habet ſoliditatis & certitudinis. Neque enim ſive Melchiſedecus, ſive ipſe etiam Chriſtus dicitur fuiſſe ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia, quod Patre vel matre vel genealogia caruerint. Nam Chriſtus quà filius Dei habuit Patrem, quà filius hominis matrem ſimul & genealogiam omnium exactiſſimam. Hic igitur ſcopus Apoſtoli eſt, neutrum illum Sacerdotem, neque Melchiſedecum neque Chriſtum fuiſſe ex ordine Levitico, quia in ſucceſſorum Aharonis genealogia neuter cenſeatur, neuter etiam ſive Patre ſive matre Levitica ſatus fuerit. Sanè eo modo Melchiſedecus fuit *ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia*, quo modo etiam Chriſtus. Atqui Chriſtus ex mente Apoſtoli fuit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, quia *φυλῆς ἑτέρας μετέσχηκεν, ad aliam tribum pertinuit*, cujus reſpectu nihil de Sacerdotio locutus eſt Moſes, Hebr. VII. 13. 14. Eodem igitur modo Melchiſedecus fuit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*. Idque apertiùs adhuc colligitur ex v. 6. ubi Melchiſedecus *μὴ γενεαλογούμενος ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ non ducens familiam ex filiis Levi,* dicitur decimâſſe Abrahamum. Hinc conſtat *ἀγενεαλόγητον* fuiſſe non aliam ob rationem, quàm quia familiam ex Levitis non deduxit, atque hactenus Chriſti typus fuit. Et famulatur hoc egregiè ſcopo Apoſtoli, qui hic omnino eſt, ut comprobet,

probet, Chriſti Sacerdotio aboleri Sacerdotium Leviticum. Hoc probat inde, quia Chriſtus non fuit ex tribu Levi, ſed ex alia tribu, adeóque Sacerdotium etiam ejus non fuit ejuſmodi, quale eſt Levitarum: ſed potiùs juxta ordinem Melchiſedeci, qui ex Levitarum familia minimè fuit. Malè etiam applicatur locus Eſai. LIII. 8. ubi negatur generationes Chriſti enumerari poſſe. Aliud eſt enim carere generationibus, aliud eſſe ἀγενεαλόγητον. Poteſt eſſe ἀγενεαλόγητος, qui γενεᾶ ſeu generatione ſua non caret.

XV. *Quintò* urgentur ſpecioſè verba Apoſtoli dicentis, Hebr. VII. 3. Melchiſedecum nec initium dierum, nec finem vitæ habere. Fateor nulli mero homini competere talia. Sed reſpondeat pro nobis Theodoretus in ἀσυγχύτῳ, qui eſt Dialogus ſecundus. Ἡ εἰκὼν, inquit, οὐ πάντα ἔχει, ὅσα τὸ ἀρχέτυπον ἔχει. Τῷ μὲν οὖν σωτῆρι προσήκει ταῦτα φύσει καὶ ἀληθείᾳ. *Typus non omnia habet, quæ Exemplar. Salvatori iſta conveniunt naturâ & veritate.* Atque ita omnino eſt. Quod exemplar habet, illud quandoque ipſi etiam typo figuratè tribuitur; Cùm igitur Chriſtus ἀρχέτυπον non habuerit initium dierum, nec finem vitæ; idem etiam ſub figura tribuitur Melchiſedeco ſimili, ſed non eâdem ratione. Melchiſedeco Scriptura non tribuit ſive *initium dierum*, quia nec nativitatis ejus tempus, nec nativitas ipſa, nec Parentes memorantur à Moſe; ſive *finem vitæ*, quia ejus mors nuſpiam deſcripta reperitur. Simili ſed non eâdem ratione Chriſtus *non habuit initium dierum, vel finem vitæ*, quippe Sacerdos in æternum, cujus Sacerdotium eſt ἀπαράβατον. *Sextò* objicitur Apoſtolum de Melchiſedeco verba facturum, λόγον illum vocare δυσερμήνευτον, adeóque ſtupere ad magnitudinem illius perſonæ, quod nunquam faciat, cùm de aliis umbris typiſque loquitur. Verùm perperam verba Apoſtoli Vir doctus accepit. Non enim δυσερμήνευτον vocat λόγον, qui eſt de perſona Melchiſedeci, ſed eum, qui eſt de analogia Melchiſedecum inter & Chriſtum. Neque ſimpliciter ſermonem illum facit δυσερμήνευτον, ſed quia Hebræi facti νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς, *pigri auditu.* Ei verò qui attentus eſſe nolit, quidvis eſt δυσερμήνευτον.

XVI. Neque quod *Septimò* urgetur, Melchiſedecum Divinioris naturæ fuiſſe, quia Abrahamo tanto Patriarcha fuit major, ſolidum eſt. Nam magis & minùs non mutare ſpeciem notum eſt. Neque enim quia minimus in Regno Cœlorum major eſt Johanne Baptiſta, quo major ἐν γεννητοῖς γυναικῶν non fuit, ſequitur, minimum illum in Regno Cœlorum Divinioris eſſe, quàm Johannem Baptiſtam, naturæ. *Octavò* fruſtra etiam ingeruntur verba Pauli, aſſerentis, Melchiſedecum habere teſtimonium *quòd vivat*, & utrique tum Melchiſedeco tum Chriſto tribuentis δύναμιν

Digitized by Google

ζωῆς ἀκαταλύτȣ potentiam vitæ indiſſolubilis. Utrumque enim in rei veritate eſt eximium Chriſto, in figura Melchiſedeco. Et Melchiſedecus quidem teſtimonium habet, quòd vivat, quia in Pſalmo Davidis & hiſtoria Moſis Sacerdotium ejus allegatur ſine mentione mortis. Chriſtus verò, quia in rei veritate Sacerdotio perpetuo & æterno defungitur, adeoque eſt verè *μαρτυρȣ́μενος ὅτι ἐγένετο νεκρὸς καὶ ζῇ teſtimonium adeptus, quòd fuerit mortuus & vivat*, Apoc. I. 18. II. 8. Sic in figura Melchiſedecus *potentiam* habuit *indiſſolubilis vitæ*, quia nec initium dierum ejus nec finis vitæ uſpiam commemoratus eſt: at in rei veritate Chriſtus, qui Sacerdos eſt æternus & immortalis. Quanquam ne quidem tribuit Apoſtolus Melchiſedeco, potentiam indiſſolubilis vitæ, ſed ſoli Chriſto. Poſtremum denique Virorum Doctorum argumentum, inde petitum quòd Sacerdotium Melchiſedeci, ſiquidem is Regulus Cananæus & merus homo fuiſſet, perfectius eſſe Levitico non potuerit, ſatis etiam dilutum eſt. Nam Sacerdotium Melchiſedeci munitum ejuſdem Regia dignitate præſtantius fuit Levitico, quia expreſſiùs figuravit Chriſtum, & ab altiori adeò perſona adminiſtratum fuit. Utra verò ſacra, Patriarcharum an Iſraëlitarum ſub Oeconomia Legali perfectiora fuerint, non attinet hîc dicere.

XVII. Nunc ad eam ſententiam, quam Samaritis tribuit Epiphanius, quòd nimirum Melchiſedecus fuerit ipſe Sem, ventilandam accedimus. Fuit eadem opinio antiquiſſima Judæorum, quamvis Jac. Capellus ad A.M. 2086. vocet *nuperum Judæorum commentum.* Sanè Thargum Jonathanis de Melchiſedeco ſic habet: בר נח הוא שם *Ipſe fuit Sem filius Noæ.* Et Thargum Hieroſolymitanum, הוא שם רבה *Ipſe fuit Sem ille magnus.* Eſt autem Jonathanis Paraphraſis, ſi credimus Buxtorfio in Bibliotheca Rabbinica, *liber antiquiſſimus Hebræorum omnium*, ipſo Jonathane florente ante Chriſtum. Quod ſi verum eſt, fuerit illa apud Hebræos traditio *πατροπαράδοτος*, qualis fuit etiam illa de nominibus Jannis & Jambris, ab eodem Jonathane expreſſa in Exod. I. 15. & VII. 11. & à Paulo repetita 2. Tim. III. 8. Sic & Midras Agadah citata Jarchio habet: מלכיצדק הוא שם בן נח *Melchiſedek Sem eſt filius Noæ.* Et Cabaliſtæ in Baal Hatturim ex vocibus, מלך שלם *Rex Salem* eliciunt per *Roſche Theboth* nomen שם *Semi.* In eam ſententiam adduxit Judæos, quia hominem gentilem Abrahamo, authori ſuæ gentis anteferri, probro & contumelia non vacare iis viſum eſt. Sed & inter Chriſtianos non pauci opinioni huic ſuffragantur, ut veræ, vel certè ut probabili. Quales ſunt Lyranus, Toſtatus, Eugubinus, Cajetanus, Suarez, Villalpandus, Torniellus, Boulducus. Inter Reformatos Doctiſſimo Cloppenburgio nec non G. H. Vorſtio *Animadv. in*

Pirke

Digitized by Google

Pirke eodem animus inclinare videtur. Sed Epiphanius eam opinionem vocat *καταγέλαστον ridendam*, eò quòd inter victoriam illam ab Abrahamo reportatam & Semum interceſſerint anni mille & triginta. Id quod ex Græcorum Codicum ſupputatione collegit. Verùm ex Chronologia ſacra juxta Hebraicam veritatem concinnata Semus Abrahamo ſupervixit annos circiter 36. vel minimùm 24. Alia verò argumenta ſuppetunt, quibus opinio hæc infringi poſſit. Etenim *primò*, ſi Melchiſedecus fuit ipſe Semus, non conſtabit ratio Apoſtolo, qui Melchiſedecum, eò quòd *ſine Patre*, *ſine Matre*, *ſine Genealogia* fuerit, facit figuram æterni Sacerdotis Chriſti, in Levitico illo immane quantum diverſi. Etenim quis fuerit Pater, quæque Genealogia Semi, utique conſtat. Quomodo igitur figura æterni Sacerdotii eſſe potuit. Tum Semus fuit ex majoribus Aharonis & Levitarum, qui proinde æquè fuerit in lumbis Semi atque Abrahami. Cùm igitur Sacerdotium Chriſti ſit juxta ordinem Melchiſedeci, ſi Melchiſedecus Sem fuit, conſequetur, Sacerdotium Chriſti non fuiſſe diverſum à Levitico, quia Levitæ à Semo ſunt oriundi. *Secundò* non fuiſſe Melchiſedecum ex majoribus Hebræorum, colligi poteſt ex Hebr. VII. 6. *ὁ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, cujus generatio non annumeratur in iis*, decimavit Abrahamum. Quod omnino argumento eſt, fuiſſe Melchiſedecum alienigenam. *Tertiò* cùm Levi fuerit in lumbis tum Abrahami tum Semi, idem Levi dici poſſet tum exegiſſe decimas, tum ſolviſſe. Exegiſſet enim eas in lumbis Semi: ſolviſſet autem in lumbis Abrahami. Atque ſic rueret argumentatio Apoſtoli. *Quartò* nec id probabile, Semum Regem ab Abrahamo, proavum à pronepote decimas vel exacturum, vel ultro ſolvente accepturum, cùm juxta effatum Chriſti Parentes theſaurizent filiis, non filii Parentibus, & Reges terræ tributum vel cenſum accipiant non à filiis, ſed alienis. *Quintò* cùm terra Cananéa obtigerit filiis Chami, probabile non eſt, Semo in terra ea obtigiſſe regnum, vel certè eum alienos in fines irrupiſſe. *Sextò* Abrahamus in terra Cananéa non habitâſſet ut peregrinus, nec planè reliquiſſet cognationem patriam, nec ab aliis in terra Canaan præſidium vitæ, commorationis, ſepulturæ ambiviſſet, ſi Salem habuiſſet gentis ſuæ authorem tam eminente in dignitate conſtitutum. *Septimò* denique cauſa nulla eſt, cur diſſimularet Moſes vel premeret in ea hiſtoria nomen Semi proprium, & aliud ei imponeret.

XVII. Cloppenburgius poſtquam præfatus eſt, ſe nolle à ſententia receptiori hodie recedere, illud tamen non parvi momenti eſſe exiſtimat, quòd per illam de Semo opinionem iſta auferantur valde δυσερμήνευτα: quomodo potuerit ex gente à Noacho maledictioni devota, eique jam

vicina manare Abrahami & ſeminis ejus benedictio: quomodo ex illa Gente aliquis in Cananæa Regulus Abrahamo σύγχρονος potuerit magno Patriarchæ Abrahamo Regalis Sacerdotii eminentia major & dignior cenſeri, ut hic illi deberet decimas omnium? Quia enim Sem tritavus fuit Abrahami, meritò ei aſſurrexiſſe Abrahamum, & ab eo benedictionem expectâſſe, ut nempe Abrahamus hæres fieret iſtius prærogativæ, qua Deus nuncupatus fuit *Deus Semi* Geneſ. IX. 26. 27. ac Deus porro diceretur Deus Abrahami, ac ſeminis ejus Iſaci & Jacobi. Valde etiam conveniens fuiſſe, ut Semus jam expleto quingenteſimo ætatis anno, adeóque ſatur annorum, χρηματισθεὶς ſeu oraculo S. edoctus, geſtierit videre Abrahamum, hæredem genuinum benedictionis illius, quæ per Parentem Noam ei obtigerat, & eidem benedictiones illas Divino conſilio miniſtrare. Præterea cùm Melchiſedecum Regem Hieroſolymæ fecerint antiquiſſimi ex Pſal. LXXVI. 3. ubi *tugurium Dei in Salem*, hoc eſt, Hieroſolymæ & habitatio ejus in Sione eſſe dicitur: poſſe videri reſpexiſſe Pſaltem id, quod de habitatione poſterorum Japheti in tentoriis Semi prophetavit Noë. Quinetiam hac ratione faciliùs ſolvi poſſe, quomodo dicatur Melchiſedecus μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ *teſtimonium habens quòd vivat*. Hoc enim accipi poſſe de ſcripto apud Moſen teſtimonio, quo Noë Θεοπνεύστως Deum vocavit אלהי שם *Deum Semi* Geneſ. IX. 26. Quemadmodum ex teſtimonio apud Moſen ſcripto pronuntiat Chriſtus, teſtimonium habere Abrahamum, Iſacum & Jacobum, quòd Deo vivant cum expectatione beatæ reſurrectionis, quia ſcriptum eſt, Deum eſſe *Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi* Luc XX. 38. Quamvis enim omnes fideles communiter ſic Deo vivant poſt mortem, non tamen pariter eſſe ſcripto perſonali teſtimonio eximios, ut Sem, Abraham, Iſac & Jacob. Conjecturæ hæ & hariolationes Viri Doctiſſimi, ſpeciem haberent, fateor, valituræ etiam, ſiquidem non obſtarent argumenta longè validiora, quibus Melchiſedecum nullo pacto eundem cum Semo ſtatui poſſe, anteà confirmavimus.

XVIII. Sequitur ſententia Anonymi, cui favet aliquatenus doctiſſimus Camero, quòd Melchiſedecus fuerit homo quidem purus putus, ſed perfectè juſtus & ſanctus, homo factus à Deo non per carnalem generationem, ſed per immediatam Dei creationem, at aſſimilatus filio Dei, Adamo nempe, non Chriſto. Mentem ejus explicavimus th. V. Verùm non uno nomine ſententia illa rejicienda eſt. Nam *primò* Melchiſedecum fuiſſe Regem verè & perfectè juſtum & ſanctum, adeóque ejuſmodi ſummum Pontificem, qui neceſſe non habuerit offerre pro ſuis peccatis, neque ex analogia Scripturæ, neque ex nova revelatione Dei didicit hic Author,

Digitized by Google

Author, neque etiam docuit Apoſtolus. Solus Chriſtus eſt Sacerdos ille ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, Hebr. VII. 26. *Secundò* præter Adamum nemo immediatè creatus eſt à Deo, nec ipſe quidem Chriſtus, ſecundum humanam naturam. Eva enim eſt *mater omnium viventium* Geneſ. III. 15. 20. Proinde nullus homo vivens niſi ex ea deſcendit per generationem carnalem. Unde Paulus docet Deum uno ſanguine feciſſe totum genus humanum. Act. XVII. 26. Cúmque Sacerdos fuerit Melchiſedecus, debuit aſſumi ex hominibus, juxta effatum Pauli Hebr. V. I. *Tertiò* perperam dicitur Melchiſedecus aſſimilatus τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ id eſt, Adamo. Nam Adamus nuſpiam dicitur vel ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ *ille filius Dei*, vel ſine articulo υἱὸς τοῦ θεοῦ *filius Dei.* Neque ut intelligatur ibi Adamus, & ei aſſimilatus dicatur Melchiſedecus, patitur analogia totius illius capitis uſque ad finem. Quin potiùs Apoſtolus per nomen *Filii Dei* Chriſto vindicat veræ Deitatis ὑπεροχὴν & excellentiam. Reliqua, quæ in ea ſententia occurrunt, paradoxa, eliſa ſunt à Cloppenburgio *Syntag. Exercit. Sel.* p. 458.

XIX. Erroneis hiſce de Melchiſedeco opinionibus ad calculos revocatis, reſtat ut veram ſententiam θετικῶς exprimamus. Et in anteceſſum quidem duo ſunt ſedulò obſervanda. Primò quidem Melchiſedecum duobus potiſſimùm modis conſiderari poſſe: altero, prout eſt ἱστορούμενος, altero verò, prout eſt ἑρμηνευόμενος καὶ ἀλληγορούμενος, per veram & ſolidam interpretationem aſſimilatus filio Dei. Cùm igitur Apoſtolus Hebr. V. II. ſermonem de Melchiſedeco vocat δυσερμήνευτον, *difficilis interpretationis*, non hoc innuit, quòd talis ſit ſermo de Melchiſedeco ἱστορουμένῳ, quaſi videlicet, quæ de perſona Melchiſedeci narrantur, eſſent mera ænigmata de Phœnice aliquo, de quorum interpretatione nobis divinandum eſſet. Neque enim, quod perſonam attinet Melchiſedeci, interpretatio eſt difficilis. Neque etiam ille ſermo comparatur cum στερεᾷ τροφῇ *ſolido cibo*, quem præ lacte appetere neceſſum habeamus adultiores. Verùm ſermo δυσερμήνευτος & *ſolidus cibus* eſt ſermo ille de Chriſto, ejuſque ſecundum ordinem Melchiſedeci ſacerdotio. Igitur verba illa Hebr. V. II. περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν λόγος, referenda ſunt ad Chriſtum ipſum. Et Hebr. VII. 2. verbis illis, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος, orditur non ſermonem de perſona Melchiſedeci, ſeu Melchiſedeco ἱστορουμένῳ, ſed potiùs ἑρμηνείαν ſeu *interpretationem* de figura, cujus figuratum Chriſtus, ſolidum nimirum corpus, finiens umbram & abſolvens aſimilationem, eſt ſolidus ille cibus & ſermo juſtitiæ, quem Apoſtolus commendat. Alterum, quod in hac de Melchiſedeco doctrina utramque paginam facit, eſt, in interpretatione Melchiſedeci, ſeu Melchiſedeco

Digitized by Google

ἀλληγορουμένῳ, non eſſe nimis laborandum, quomodo τὰ ἀλληγορούμενα verè ſint id, quod eſſe dicuntur. Etenim ſi verè eſſent, quod eſſe dicuntur, adeóque ipſa in ſe haberent αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων *ipſam expreſſam rerum imaginem*, jam allegoriæ locus omninò nullus eſſet. Ita vexanda non eſt interpretatio allegorica Montis Sinai & Sion, Saræ & Hagaræ, Liberæ & Ancillæ: nec laborandum anxiè, quomodo illa verè & propriè ſint quod eſſe dicuntur. Sufficit ad allegoriam, quod hoc quod eſſe dicuntur, ſunt non tam in figura, quàm in figurato, de quo potiſſimùm agitur. Eodem modo non tam attendendum in hac de Melchiſedeco διασκέψει, an Melchiſedecus in ſe ſit, quod eſſe dicitur: ſed potiùs an quod de eo dicitur, ſolidè conveniat Filio Dei, in quo eſt ἀφωμοιωμένος, ſeu expreſſus ſimilitudine longè perfectiori, quàm qua ipſe olim Filium Dei figurabat aut figurare poterat. Et ſanè vox ἀφωμοιωμένος cum Emphaſi præpoſitionis ἀπὸ videtur notare aſſimilationis olim abſolvendæ tempus nunc perfectum, uti eruditè obſervatum à Cloppenburgio.

XX. Hiſce probè animadverſis, bene, uti confidimus, procedet explicatio θετικὴ Melchiſedeci. Nomen ipſum מלכיצדק *Melchiſedeci* videtur commune fuiſſe Regum Salemenſium, uti ante diximus. Vel certè ſi proprium fuit Regis illius Salemenſis, qui Abrahamo occurrit, ei inditum fuerit vel in nativitate boni ominis gratia, vel præcedente tempore ob laudem & famam Juſtitiæ. Melchiſedecus hic fuit מלך שלם *Rex Salem.* Dubitatur, quæ fuerit illa Salem? Irenæus, Hippolytus, Euſebius, Apollinarius, Euſtathius, quos citat Hieronymus epiſt. 126. ad Evagrium; Joſephus quoque de Bello Jud. VII. 18. nec non Egeſippus, Onkelôſus, Jonathanis & Hieroſolymitana Paraphraſis, & paſſim Hebræi ac veteres Patres, recentiores etiam permulti, ut Ribera, Abulenſis, Pererius, Maſius, Rivetus, Cloppenburgius, Hottingerus, alii plurimi, Salem, cujus Rex fuit Melchiſedecus, faciunt Hieroſolymam. Sed Hieronymus non Hieroſolymam fuiſſe hanc Salem ex traditione Hebræorum contendit, ſed oppidum juxta Scythopolin, *quod uſque hodie,* inquit, *appellatur Salem, & oſtenditur ibi palatium Melchiſedeci.* Eandem Arabibus Muhammedanis inſediſſe opinionem oſtendit Cl. Hottingerus ex Keſſæo. Et ſanè fuiſſe Salem quandam ab Hieroſolyma diſtinctam arguere loca Geneſ. XXXIII. 17. Joh. III. 23. quibuſdam videntur. Pro priori tamen ſententia conjecturæ militant plures. Et Hieroſolymam quidem olim etiam nomine Salem veniſſe, argumento ſunt verba Pſaltis, Pſal. LXXVI. 3. *In Salem tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Sion.* Tum Rex Hieroſolymæ apud Joſuam vocatur *Adonizedek*, quæ vox

cùm

Digitized by Google

cùm diverſa non ſit à *Melchiſedeci* voce, proclive etiam divinatu eſt, eandem fuiſſe Salem & Hieroſolymam, in qua Melchiſedecus regnavit. Tum & myſterii ratio poſtulare videtur, ut ejuſdem urbis Rex fuerit Melchiſedecus, in qua etiam, verus Rex Pacis ab illo adumbratus apparuit. Accedit, quòd Abrahamo redeunti ex partibus Damaſci, & Hebronem contendenti, ipſa Hieroſolyma obvia fuerit: altera autem illa Salem juxta Scythopolin ſita, verſus Septentrionem propendens planè devia. Denique & ſtabilis ille veterum conſenſus & traditionis antiquitas, quæ Salem eandem facit cum Hieroſolyma, argumentum ſententiæ huic non omnino contemnendum præbent. Neque obſtat Palatium illud Melchiſedecianum, cujus rudera viſi in Salem altera tradit Hieronymus. Cùm enim urbs illa fuerit æquata ſolo, & teſte ipſo Hieronymo ab Abimelecho ſale ſeminata: probabile non eſt, tam ſerò apparuiſſe rudera ejuſmodi, quæ magnificentiam operis oſtenderent. Neque verò latuiſſent hæ ruinæ diligentiſſimum Antiquitatum Judaicarum ruſpatorem Joſephum. Probabilior igitur eorum eſt ſententia, qui palatium illud à Jeroboamo, urbis illius inſtauratore conſtructum, & errore indigenarum fortaſſis Samaritanorum, qui Hieroſolymæ hac ratione detrahere conati, vel falſa traditione Melchiſedeci palatium creditum fuiſſe arbitrantur. Diſceptatur prætereà, quo nomine Melchiſedecus Rex Salem ſeu Hieroſolymæ nuncupetur? An quia eam imperio gubernaverit: an potiùs, quia ſimul condiderit, & imperio ſuo gubernaverit? Joſephus de Bello Jud. VII. 18. Melchiſedecum vocat Cananæum Dynaſtam, additque ipſum τὸ ἱερὸν δεμόμενον *fano prius ædificato* Hieroſolymam vocâſſe, cùm antea Solyma vocaretur. Ita Suidas: Μελχισεδὲκ κλίσας πόλιν ἐν τῷ ὄρει τῷ λεγομένῳ Σιών, ἐπωνόμασεν αὐτὴν Σαλήμ. ὅ ἐστι εἰρηνόπολις. *Melchiſedec urbem in monte, qui vocatur Sion, condidit, eámque Salem vocavit, quod idem eſt ac urbs Pacifica.* Egeſippus lib. v. 9. Hieroſolymam ait conditam à potente quodam Çananæo, qui Patrio ſermone vocaretur *Rex juſtus*. Horum teſtimoniis fretus Villalpandus non dubitat pronuntiare, Hieroſolymæ fundatorem fuiſſe Melchiſedecum. Verùm id nos utpote incertum, nec ulla veriſimili ratione munitum in medio relinquimus.

XXI. Mechiſedecus hic Rex Hieroſolymitanus ſimul fuit כהן לאל עליון. *Sacerdos Dei altiſſimi* Geneſ. XIV. 18. Duo hic in quæſtionem veniunt, alterum: *An Melchiſedecus ipſemet ſacrificaverit?* alterum: *Quale fuerit ejus ſacrificium?* Prius quod attinet, ipſum Melchiſedecum immediatè ſacrificâſſe, ita ut ipſe pecora ſacrificialia diſcinderet manibus ſuis & offerret, negat Franzius in Schola Sacrificiorum. Ipſum igitur Melchiſedecum

Digitized by Google

contendit adduxiſſe ad alium Sacerdotem, Semum nimirum, pecora mactanda & ſacrificanda. Verùm aniles hæ ſunt nugæ. Si enim donaria & victimas non obtulit ipſe, verus Sacerdos utique non fuit, cùm teſte Apoſtolo, omnis Pontifex ex hominibus aſſumatur & pro hominibus conſtituatur in iis, quæ apud Deum agenda ſunt, ut offerat donaria & victimas pro peccatis, Hebr. v. 1. Quòd ſi maximè integrum fuiſſet Sacerdoti per alios ſacrificare, tamen de Melchiſedeco id dici non poteſt. Cùm enim qui ſacrificavit major fuerit & eminentior illo, qui non ſacrificavit, manifeſtum eſt, hac ratione perimi faſtigium illud honoris, quod Sacerdotio Melchiſedeci aſſerit Apoſtolus.

XXII. Sed majoris momenti illud eſt; quale fuerit genus ſacrificiorum, quæ obtulit Melchiſedecus, & quæ eorum materia? Orientalium traditio fuit, teſte Patricide, Melchiſedecum cruentis ſacrificiis omnino abſtinuiſſe, imò etiam juſſu Dei abſtinere debuiſſe, & panem ac vinum duntaxat Deo obtuliſſe. Eam traditionem fusè allegat etiam Seldenus de Jure Nat. & Gent. Hebr. Lib. III. c. 2. Ita etiam Euſebius Demonſtrat. Evang. v. 3. negat Melchiſedecum οὐδαμοῦ φαίνεσθαι θυσίαις σωματικαῖς κεχρημένον, οἴνῳ δὲ μόνῳ καὶ ἄρτῳ τὸν Ἀβραὰμ εὐλογοῦντα, *nuſpiam apparere uſum corporalibus ſacrificiis, ſolo autem vino & pane Abrahamo benedixiſſe.* Boulducus ſacrificium illud in pane inſtitutum aſſerit ab ipſo Adamo, cui vinum addiderit Noë. Antiquum igitur morem imitatum Melchiſedecum, ſacrificâſſe in pane & vino. Vide peculiarem ejus *de Oggio Chriſtiano* tractatum, ubi ſacrificio tali ex ipſis Gentilium Orgiis, rem Monacho & Miſsâ Pontificiâ digniſſimum! præſidium petit. Triumphant nempe hic mirum quantum Pontificii. Ut enim tueantur aſſertionem Concilii Tridentini Seſſ. XXII. cap. 1. *Chriſtum* videlicet *declarantem ſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedek in æternum conſtitutum, obtuliſſe corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini*: pertendunt Melchiſedecum panem & vinum Deo in ſacrificium obtuliſſe. Arripiunt autem verba Geneſ. XIV. 18. הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון quæ ſic vulgata verſio reddit: *Melchiſedek Rex Salem proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit &c.* Nempe quia Sacerdos Dei altiſſimi fuit, idcirco eum protuliſſe panem & vinum in ſacrificium nimirum, aſſerunt. At Gordonus Huntlæus paulò aliter hæc reddit, inſtituto ſuo nihilominus ſtrenuè famulatus: *Et Melchiſedek Rex Salem eduxit panem & vinum: Et ipſe ſacrificans Deo altiſſimo.* Vel: *Eo ipſo tempore ſacrificabat Deo altiſſimo.* Verùm ad rem tam gravem ficulneis merè foliis nituntur. Etenim *primò* largiamur omninò obtuliſſe Melchiſedecum panem & vinum, nihil cogit fateri,

Digitized by Google

ſateri, magis illam vini & panis oblationem fuiſſe ſacrificium principale; quàm olim fuit panis & vini oblatio Sacerdotibus Leviticis præſcripta. Exod. XXIX. quam Bellarminus fatetur, non fuiſſe illic ſacrificium principale, ſed ſacrificii principalis partem quandam & veluti condimentum. Ex iſta ſanè hypotheſi integrum nobis erit ita ſentire. *Secundò* ſacrificii, quod Melchiſedecus obtulit pro Abrahamo, genus & materiam ſuggerit mentio מעשר מכל *decimarum pro omnibus*, quas Abrahamum pependiſſe Melchiſedeco recitatur Geneſ. XIV. 20. Etenim ſi Abrahamus, & in ipſius lumbis Levitæ Melchiſedeco dederunt decimas ex omnibus, conſequitur ex Lege Levit. XXVIII. 32. Melchiſedecum etiam tanquam Sacerdotem altiſſimi accepiſſe ex manibus Abrahami decimas Boum, ovium & caprarum, adeóque ex iis Deo obtuliſſe ſacrificium Euchariſticum ſimul & propitiatorium, in cujus acceptatione Divina haberet Benedictionis, qua ipſi Melchiſedek Sacerdos altiſſimi benedixit, Sacramentum. *Tertiò* productio illa vel oblatio munerum illorum panis & vini, non fuit ſacrificium oblatum ex pane & vino, ſed honorarium quoddam & veluti Xenia Melchiſedeci, quibus teſtatus eſt lætam congratulationem de victoria ab Abrahamo reportata, ſive illis famem & ſitim exercitus ſui ſedârit Abraham, ſive extra neceſſitatem gratam habuerit donationem congratulatoriam. Ita Hugo Victor ipſe interpretatur Regium hoc factum, ajens: *apud priſcos oblationem panis & vini venientibus ex bello, pacis & benevolentiæ Symbolum fuiſſe.* Secutus in eo etiam Hebræum Doctorem Jarchium, ita commentantem ad ea verba: כך עשים ליגיעי מלחמה *Ita moris eſt facere illis qui ſunt ex bello feſſi.* Morem illum confirmant exempla tum ſacra, tum profana. Sacrorum veſtigia ſunt Deut. XXIII. 3. Jud. VIII. 5. 15. Profanorum paſſim. Ita Romanis in uſu, hoſpites majoris fortunæ excipere, *vino frumentóque honorario.* Ita Iſidorus Etymol. XX. 3. *Honorarium vinum, quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur.* Cato de innocentia ſua: *Cùm eſſem in Provincia legatus, quamplures ad Prætores & Conſules honorarium vinum dabant, nunquam accepi, nec privatus quidem.* Cicero in Piſonem: *Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarii? ſiquidem poteſt vi & metu extortum honorarium nominari.* Ita Annibali ab Alpinorum caſtellorum incolis honoris gratia commeatus in viam deferebatur, uti ejus rei teſtes eſſe poſſunt Polybius lib. 3. Livius lib. 31. Conſule eis in Antiquitatibus verſatiſſimum Stuckium noſtrum Antiq. Convival. I. 27. Addo, quòd ipſe Eupolemus vetuſtiſſimus ſcriptor non de ſacrificio, ſed donis à Melchiſedeco oblatis Abrahamo hoc explicat. Locum vide apud Euſebium de Præpar. Euangel. lib. IX. 17. Neque verò, ut aliter ſentiamus,

Digitized by Google

mus, quidquam obſtat. Nam verbum הוציא eſſe generale, non neceſſariò ad ſacrificialem actum reſtringendum, niſi aliud poſtulet, ipſi Pontificii fatentur. Unde qui per *obtulit* reddat, interpres repertus eſt nemo. LXX. enim reddunt ἐξήνεγκε; Vulg. *Proferens*; Onkeloſus & Syrus אפק, Samaritanus הפק; Arabs אכרג quæ omnia notionem *producendi* habent. Neque verba illa והוא כהן cauſam reddunt illius productionis, ut cenſeatur Melchiſedecus protuliſſe panem & vinum, quia Sacerdos Dei altiſſimi. Ipſe Cajetanus de eo ſic ſcribit: *Quod autem in vulgata editione ſubditur, ut cauſa ſublationis, Erat enim Sacerdos &c. in Hebræo non habetur ut cauſa, ſed ut ſeparata clauſula.* Unde Græci reddunt: ἦν δ' ἱερεὺς. Et Epiphanius: καὶ ἦν ἱερεὺς. Hieronymus epiſt. 126. *Erat autem Sacerdos.* Verùm eſto particula illa Vau cauſalis. Cùm Sacerdotis ſit non tantùm offerre, ſed etiam benedicere, æquè verba illa referri poterunt ad ſequentia, atque ad præcedentia, ut ſenſus ſit: *quia Melchiſedecus Sacerdos fuit Dei altiſſimi, benedixit Abrahamo.* Atque ita Paulus non alium actum Sacerdotis memorat quàm benedictionem, ex qua Melchiſedecum eminentiorem fuiſſe Abrahamo arguit. Denique largiamur omnia ita habere, ſicut contendunt adverſarii: Melchiſedecum ſacrificâſſe panem & vinum, & fuiſſe hoc ejus ſacrificium principale: unde tamen fidem facient, ſacrificio Miſſatico ἀγράφῳ pariter & ἀντιγράφῳ præluſum eſſe? Sanè Apoſtolus qui omnia, in quibus Melchiſedecus cum Chriſto convenit, diligentiſsimè perſecutus eſt, analogiæ hujus nullo apice meminit. Et quæ quæſo ſacrificium Melchiſedecianum inter & Miſſaticum ſimilitudo? An in Melchiſedeci ſacrificio æquè atque in miſſatico facta eſt rei oblatæ mutatio ſubſtantialis? An manſére ſola accidentia panis & vini? An ſubſtantia fuit Chriſti: accidentia verò ſuo idoneo ſubjecto exuta panis & vini? Apageſis impiarum hæc fabularum deliramenta.

XXIII. Quia Melchiſedecum ſimul Regia & Sacerdotali dignitate fulſiſſe commemorat Moſes, pulchra hæc occaſio viſa Boulduco exornandi ſuum Pontificem, & hæreticos exagitandi. *Notent hoc*, ita loquitur de Eccleſia ante Legem, lib. 11. 10. *noſtræ tempeſtatis hæretici: qui in Romanum Antiſtitem ſummum totius Eccleſiæ Dei Pontificem tantopere incandeſcunt, quòd magnam Italiæ partem temporali poſſideat dominio. Nimirum vellent adhuc in Papa tenuem & pauperem Petrum videre piſcatorem, cui nullo negotio navem, piſces & rete furarentur: nullo vellent Dei terribilis ſuper omnes Deos in ſuas vices gerente deterreri fulgore Majeſtatis: nulla in officio contineri ad inſtar Dei exercituum malos coërcentis, vel ſola figura Potentiæ. Imò voluit Deus ut ad hujus Melchiſedeci inſtar ferè apud omnes gentes (utique edoctas ab ejus filiis & nepotibus hinc*

inde

Digitized by Google

inde in multas regiones diſperſis) Sacerdotium eſſet cum Regno conjunctum. Egregiam ſanè & bonam valde notam! Sicut igitur Melchiſedecus Sacrificulis in Sacerdotio, ita Papæ in Regia dignitate, & Hildebrandina illa omnipotentia præluſit. O utilem ſacrificulis & Papæ Melchiſedecum, hæreticis verò terribilem! Non amplius igitur Papa eſt ſucceſſor Petri, ſed Melchiſedeci. Petrus enim fuit *tenuis & pauper piſcator, cui nullo negotio navim, piſces & rete ſurari licuit.* Atqui Papa dives eſt, & regiis gazis abundat, quibus improbè partis non facilè quamvis potentes Reges eum exuent. Petrus nullis aliis præſidiis quàm potentiæ Spiritus S. & cœleſtis ſapientiæ nixus Euangelium prædicavit, & tot mille non hæreticos, ſed infideles convertit. At Papa ad coërcendos & convertendos hæreticos Regia potentia & opibus indiget. Petrus argento & auro non inhiabat. Papa aliena diripere, magnam Italiæ partem improbis machinationibus ſibi vindicare neceſſum habuit, uti ſe adverſus hæreticos defenderet. Cur ergo non magis Petrum imitatur Papa, cujus ſe ſucceſſorem fingit, quàm Melchiſedecum? Non Papæ, ſed Chriſti Regis ſimul & Sacerdotis ſummi typus fuit Melchiſedek. Papa autem, ſi Chriſti audire vocem, & Petrum bona fide imitari geſtit, ſibi dictum meminerit: *Noſtis quòd Principes gentium & Magnates poteſtatem in eas exercent: Non ſic autem erit inter vos: ſed qui inter vos voluerit magnus fieri, veſter eſto ſervus:* Matth. xx. 25. Si igitur Reges Gentium fuerunt ſimul Sacerdotio inſignes: ſi Ægyptio Regi ſine Sacerdotio imperare non licuit: ſi apud Græcos, Athenienſes maximè, ſummi Magiſtratus ſacra ordinârunt: ſi Romani Reges Pontificatum geſſerunt: retrahat prurientes ad ſimilem potentiam vox illa Chriſti, *Vos autem non ſic.*

XXIV. Cæterùm cùm Melchiſedecus fuerit Cananæus adeóque gentilis, ejus exemplum paſſim obtendi videmus eorum ſententiæ, qui gentilibus ante Chriſtum, cognitione veri Dei & Chriſti deſtitutis, & ad ſolam naturæ legem vitam componentibus ſpem ſalutis adfulſiſſe pertendunt. Verùm Melchiſedecum veri Dei & Chriſti adeò in carnem venturi notitiâ imbutum fuiſſe, nulli dubitamus. Neque enim homo infidelis tam illuſtris officii, gerendi nimirum typum Sacerdotii Chriſti, dignationem habuit. Præterea vetus illa traditio promiſſionis Meſſiæ tempore Melchiſedeci etiam extra familiam Abrahami nondum ita in mundo obſolevit, quin hinc inde adhuc extarent cultores & adoratores veri Dei & Chriſti. Neque dubito, quin rectè ſentiant viri docti, qui ante & poſt inſtitutam circumciſionem fuiſſe credunt in aliis populis variis collectam eccleſiam, ac penes eccleſiam relictum jus ſacrificandi, donec poſt qua-

Digitized by Google

tuor illa ſecula, de quibus Deus loquebatur Abrahamo Geneſ. xv. 15. 16. impleta in Gentilibus peccatorum menſura, matura eſſet illarum rejectio, & nominatim poſterorum Chami Cananæorum devotio ad internecionem, per bella quæ duce Joſua cœpta ſunt geri contra illos, tanquam ſemen ſerpentis. Neque enim fuiſſet tantiſper parcitum impiis, niſi inter illos fuiſſent reliquiæ juſtorum ſalvandorum, quorum vitæ terminum expectabat Judiciorum Divinorum executio. Hinc negat Deus Abrahamo locutus; quod uſque ad illud tempus impleta ſit iniquitas Amorrhæorum.

XXV. Hactenus, quis fuerit Melchiſedecus ἱστορούμενος, abundè liquet: nimirum ut paucis eum definiam, *verus & merus homo ex Adamo & Noacho per ejus filium Chamum & nepotem Cananæum ſatus, Hieroſolymæ Rex, veri Dei Sacerdos: gratia communi omnibus fidelibus regeneratus & ſanctificatus, atque ad beatam reſurrectionem & vitam æternam obſignatus.* Reliqua quæ de eo dicuntur tum apud Davidem tum apud Paulum, ad Melchiſedecum pertinent ἀλληγορούμενον. Et συλλήβδην quidem omnia complectuntur verba Dei apud Regium vatem Pſal. cx. 4. *Juravit Jehova & non pænitebit.* אתה כהן לעולם על־דברתי מלכיצדק *Tu es Sacerdos in æternum juxta ordinem Melchiſedeci.* Ille qui Sacerdos conſtituitur juxta ordinem Melchiſedeci, eſt Meſſias. De quo tum adſeveratio Chriſti, tum Pauli authoritas minimè ambigere nos ſinunt. Et fatentur id etiam R. Saadias Hagaom, in Dan. vii. 13. nec non Auctor אבקת רוכל nec non vetuſtiores R. Judah in Jalkut, & ex Jelammedenu. Adeò ut fruſtra ſint Judæi, quorum alii ut Jarchius & Lipmanus Abrahamum: alii ut Ezra & Kimchius Davidem intelligi contendunt. Non ſunt enim ii ad dextram Dei collocati; nec eorum ſceptrum emiſſum ex Sione, nec eorum hoſtes omnes poſiti ſunt ad ſcabellum pedum eorum: nec abſolutè poſſunt vocari אדני: nec David conſtitutus à Deo Sacerdos & quidem cum juramento: nec æterno Sacerdotio ſunt perfuncti. Vana etiam eſt interpretatio vocis כהן de *Principe* ſeu *Duce*, à R. Davide attentata. Quamvis enim non inſolens ſit ille ſignificatus vocis כהן ab hoc tamen loco eſt alieniſſimus, uti alii etiam Rabbini à Kimchio allegati agnoſcunt. Etenim כהן dicitur ſecundum ordinem Melchiſedeci. Atqui Melchiſedecus Geneſ. xiv. 18. vocatur כהן לאל עליון *Sacerdos Dei altiſſimi.* Talis igitur etiam is eſt, qui ſecundùm ejus ordinem eſt כהן adeoque *Sacerdos.* Præterea cùm Davidem hic intelligi Kimchius aſſerat, inepta eſt vox כהן ejus Regno ſignificando, quia in ſenſu politico non notat Regem; ſed Principem ſeu Miniſtrum, qui proximum à Rege authoritatem obtinet. Teneamus igitur, Chriſtum

induci

Digitized by Google

induci eo loco Sacerdotem על דברתי מלכיצדק *juxta τάξιν ordinem Melchiſedeci.* Conveniunt nempe voce דברה & *τάξις*, ita ut altera alteri reſpondeat. דבר & דברה notant ſtatum, conditionem rei alicujus, quam *αἰτίαν* vocat Matthæus cap. XIX. 10. Ea autem conditio, quæ præſcripta eſt, vocatur *τάξις*, *ordo.* Proinde דברה idem propemodum eſt quod *idea*, nempe *ἀφωμοιωμένη* aſſimilata & penitius expreſſa in alia. Conſule ſis doctiſſimum Cameronem Myroth. pag. 424. Innuitur ergo in Pſalmo, Melchiſedecum figuram geſsiſſe æterni illius & *ἀπαραβάτου* Sacerdotii Chriſti, eique mirabili ratione aſsimilatum eſſe.

XXVI. Sed *ἀλληγορούμενα* illa copioſiùs proſequitur Apoſtolus Hebr. cap. VII. Ibi enim Mechiſedecus per *ἑρμηνείαν interpretationem* ſtatuitur primò *Rex Juſtitiæ & Pacis*, v. 2. Nempe quia id ſignificant *Melchiſedec & Rex Salem.* Non laboramus hic, quomodo Rex juſtus & Pacificus fuerit Melchiſedec. Quamvis enim cauſam nullam habeamus dubitandi, quin Juſtitiæ & Pacis fuerit ſtudioſus: id tamen dicere non intendit Apoſtolus, ſed per interpretationem tantùm nominum rem ſignificatam haud obſcurè vindicat Chriſto. Deinde v. 3. vocatur Melchiſedec *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος*, *ſine Patre, ſine Matre, ſine Genealogia.* Convenit hoc Melchiſedeco propter allegoriam. Quin enim habuerit Patrem & Matrem; quin etiam familia ejus tempore Melchiſedeci fuerit cognita, ambiguum non eſt. Cæterùm ut figura eſſe poſſit Chriſti Sacerdotii, longè diverſi ab illo Aharonico, in quo Sacerdos eſſe non potuit, niſi Patre Sacerdote & Matre Sacerdotis conjuge genitus eſſet, & familiam ſuam inde ab Aharone clara & perſpicua omnibus connexione deducere poſſet: dicitur etiam *ſine Patre*, *ſine Matre*, *ſine Genealogia* fuiſſe, quia non patre Sacerdote, non matre Sacerdotis conjuge, non ex Sacerdotum aliquo concatenato ordine, nedum ex illa *τάξει* Aharonicorum Sacerdotum genitus fuit. Hæc igitur ibi Melchiſedeco conveniunt impropriè & allegoricè, ut in proprio & pleno ſenſu tribuenda ſint Chriſto Sacerdotio noſtro. Melchiſedecus aliqua tenuiori ratione eſt umbra: at umbræ illi *ἀφωμοιωμένον* corpus, umbram illam finiens & ſolidè complens eſt Chriſtus, qui quà Sacerdos eſt revera ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia carnali, quali gloriabantur Aharonidæ. Sequitur *μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων*, *neque initium dierum, neque vitæ finem habens.* Habuit ſanè etiam Melchiſedecus initium dierum & finem vitæ, ſi *ἁπλῶς* & propriè loqui velimus. Solus enim Deus eſt ille עתיק יומין *permanens dierum* Dan. VII. 9. *à Seculo & in Seculum Deus potens*, Pſal. XC. 2. ille *αἰώνιος æternus* Rom. XVI. 26. Nihilominus etiam Melchiſedecus in ſenſu improprio,

Digitized by Google

diminuto & allegorico non habuit *initium dierum*, quia ejus nativitas non commemoratur, neque ullus ante eum defunctus eſt Sacerdotio, cui ipſe deinde ſucceſſerit, & à cujus morte Sacerdotium auſpicatus fuerit: *nec finem vitæ*, quia ejus mors nuſpiam tradita, neque quiſquam ei in Sacerdotio ſucceſſiſſe commemoratur. Eandem ob rationem ſtatim dicitur Melchiſedecus *μένειν ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκὲς manere Sacerdos in æternum*. Hoc κατὰ λόγον σύνταχτον, & in typico ac diminuto ſenſu ita Melchiſedeco convenit, quatenus ejus Sacerdotii finis à Moſe diſsimulatus eſt, & ipſe fuit Sacerdos *ἀδιάδοχος*, ſucceſſoris expers: ut tamen *κατὰ λόγον ἀληθείας in rei veritate* adeóque verè & propriè quadret Chriſto Sacerdoti æterno, qui ita ſucceſſorem nullum habet, ut ipſe in æternum Sacerdotio perfungatur.

XXVII. Atque ea quidem, quæ Apoſtolus v. 3. de Melchiſedeco aſſerit, procedunt *ἀπὸ τοῦ μὴ γεγράφθαι*, partim quia non tantùm non ſcriptum eſt Melchiſedecum non habuiſſe Patrem, matrem, genealogiam, verùm etiam non habuit reverà patrem, matrem, genealogiam Sacerdotalem: partim quia ſcriptum non eſt, ipſum habuiſſe initium dierum & finem vitæ, cùm tamen initium dierum & finem vitæ omninò habuerit. Sed quod v. 8. dicitur: *ἐκεῖ δὲ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ ibi* (decimas accepit) *qui teſtimonium habet quòd vivat*, plus difficultatis habet. Argumentum enim petitur non *ἀπὸ τοῦ μὴ γεγράφθαι*, ſed potiùs *ἀπὸ τοῦ ὃ λέγει γεγράφθαι*, ex eo quod extare in Scripturis, adeóque *teſtimonium habere* dicit. Numquid ergo Melchiſedecus teſtimonium habet quòd vivat? Numquid non etiam fuit ex numero *ἀποθνησκόντων mortalium*, quos opponit ei, qui teſtimonium habet, quòd vivat? Argumento hoc motus Heinſius verba illa non de Melchiſedeco ſed de ſolo Chriſto interpretatur. Quamvis autem certum ſit, in emphaſi & rei veritate ſoli Chriſto hoc convenire, arbitror tamen de Melchiſedeco etiam enuntiari ab Apoſtolo. Perſpicuè hoc arguit, quòd opponuntur Levitæ decimas accipientes illi, qui ante Levitas decimas ab Abrahamo accepit. Quod ſi Chriſtum ſolum hoc denotaret, invertenda fuiſſet oratio hoc modo: *ἐκεῖ δεκάτας ἄνθρωποι ἀποθνήσκοντες λαμβάνουσι. ὧδε δὲ μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ.* Nunc contra ſe res habet. Græci Patres cùm omnino de Melchiſedeco hæc interpretanda viderent, ut ſe expedirent, verba illa non tam ad Melchiſedecum Sacerdotem, quàm ad ejus Sacerdotium retulerunt, quod Levitico extincto adhuc ſupereſt & quaſi vivit. Verùm cùm Pſalmo cx. ad cujus teſtimonium digitum intendit Apoſtolus, non tam agatur de Sacerdotio, quàm de ipſo Sacerdote: nihil ſimplicius mihi videtur, quàm ut Melchiſedecus ipſe Sacerdos teſtimonium habere quòd vivat, dicatur.

Eſt

Digitized by Google

Eſt autem perſpicuum, quomodo ſit μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ. Nam Pſal. cx. dicitur Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedeci. Unde colligitur ipſum etiam Melchiſedecum ſtatui Sacerdotem æternum. Atque ſic teſtimonium habet quòd vivat. Qui enim æternus eſt, is vivit. Teſtimonium autem Davidis æquè atque illud Pauli, quo negatur ipſum habere initium dierum & finem vitæ, depromptum eſt ex ſilentio Moſis, qui nec initium Sacerdotii & vitæ Melchiſedeci, nec finem ejus narravit. Non plus eſt igitur difficultatis in verbis illis, quæ controvertit Heinſius, quàm in præcedente verſu tertio.

XXVIII. Habemus igitur hactenus etiam Melchiſedecum ἑρμηνευόμενον καὶ ἀλληγορούμενον, eum nempe, ut brevi definiam, *qui eſt Rex Juſtitiæ, & Pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, Sacerdos in perpetuum, & habens teſtimonium quòd vivat.* Quæ omnia, uti jam innuimus, conveniunt Melchiſedeco in ſenſu minutiore, & allegorico, &, ut Patres amant loqui, *κατ' οἰκονομίαν in œconomia:* Chriſto autem in emphaſi & rei veritate. Cæterùm dubitari poſſit: *Quomodo Hebræis Apoſtolus Sermone ejuſmodi allegorico fidem facere potuerit æterni Sacerdotii, Chriſti cum illo Levitico, quod adamabant Hebræi, planè ἀσυστάτου?* Verùm prompta reſponſio eſt, ſi cogitemus omnia hæc ex ſingulari Spiritus S. conſilio & directione ita contigiſſe. Sicut enim quæ humanitus de Melchiſedeco fuerunt pronuntiata contingenter ſecundum hominem, reſpectu typi à Deo dati neceſſariam efficiunt conſequentiam: ſic etiam quæ deſtinato certóque conſilio à Spiritu Dei in libro & narratione Moſis ſunt diſſimulata, typi cauſa fuiſſe diſſimulata neceſſum fuit. Neque enim niſi gravem ob rationem à Moſe neglecta eſt tanti Sacerdotis Melchiſedeci genealogia, quod ipſi Hebræi facilimè ſibi perſuadere poterant. Neque alia ratio gravior fuit, quàm ut rei tam ſublimis, Sacerdotii nimirum Chriſti typus eſſe poſſet. Unde ejuſdem rei typum jam antea eum fecerat David. Cujus proinde teſtimonio ſubnixus Apoſtolus fortiùs cauſam ſuam egit, & facilius perſuaſit rem adeò ſublimem. Accedit, quòd Hebræi ejuſmodi allegoriis multum tribuere ſemper conſueverint. Proinde Apoſtolus etiam alibi ejuſmodi allegorias ſtudioſè conſectatus eſt.

XXIX. Quia verò quæ de Melchiſedeco Scriptura habet, omnia inſerviunt myſterio, paucis nunc de eo etiam dicendum. Et Apoſtolus quidem ſecutus Davidem, Melchiſedecum comparat cum Chriſto. Comparationis porro illius capita ſunt ſequentia. Melchiſedecus fuit Rex Salem, & ſi nomina interpretemur, Rex Juſtitiæ & Pacis. Verus Rex Salem, Juſtitiæ & Pacis Rex eſt Chriſtus: Rex eſt, *Salem* ſeu Hieroſo-

lymæ, quia unctus ſuper Tsion montem Sanctum Dei Pſal. II. 6. *Rex Juſtitiæ*, quia cauſa illius Juſtitiæ, propter quam credentes juſtificantur. Jehova enim, Chriſtus noſtra juſtitia eſt, Jerem. XXIII. 5. 6. 1. Cor. 1. 30. Unde Regnum ejus regnum eſt Juſtitiæ quippe cujus cives juſti ſunt. *Rex Pacis* eſt ſeu שר שלום *Princeps Pacis* teſte Eſai. IX. 6. Is nempe ſtabilivit pacem tum eam, qua cum Deo Patre reconciliantur fideles omnes: tum ſpecialiter eam, quam fecit in ſanguine ſuo, rupto diſcrimine gentium Epheſ. II. 11. 17. Quia enim Chriſtus hæres eſt & dominus omnium, idcirco non poteſt in ejus regno manere repagulum illud, quo gentes olim à promiſſione, juſtitia & populo Dei excludebantur. Melchiſedecus fuit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *ſine Patre*, *ſine Matre*, *ſine Genealogia*. Sic & Chriſtus eſt *ſine Patre*, quatenus filius hominis: *ſine Matre*, quatenus filius Dei: *ſine Genealogia*, quia in Sacerdotio nullius ſucceſſor fuit, nec ſucceſſorem ipſe habuit. Quæ comparatio fortaſſis etiam rectiùs ita inſtituetur, ut dicatur Chriſtus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, quia non Patre Sacerdote vel Matre Sacerdotis conjuge natus. Melchiſedecus *neque initium dierum neque finem vitæ habuit*, atque ita *manſit Sacerdos in perpetuum*. Id κατὰ λόγον ἀληθείας non convenit niſi filio Dei, qui nec initium dierum nec finem vitæ, utpote Sacerdos, habet, & verè Sacerdos eſt apud Patrem. Melchiſedecus major fuit Abrahamo, quem juxta cum filiis Levi in ejuſdem lumbis decimavit, & benedictione ſua beavit. Sic & Chriſtus Dominus eſt Abrahami, cujus adeò gratia & dignitas Sacerdotii cauſa eſt benedictionis Abrahami. Melchiſedecus Sacerdos non duxit familiam ex majoribus Levi & Aharonis, adeoque Sacerdotium ejus non fuit juxta ordinem Aharonis. Sic nec Chriſtus Sacerdos familiam duxit ex tribu Levi & Aharonis, ſed Judæ, cui nihil de Sacerdotio dictum. Unde ſequitur, Sacerdotio ejus ſecundum ordinem Melchiſedeci inſtituto, perimi illud Leviticum, quod à Deo per miniſterium Moſis inſtitutum fuit μέχρι καιροῦ διορθώσεως *ad tempus uſque correctionis*.

EXER-

EXERCITATIO TERTIA DE ABRAHAMO.

Breviarium.

Tranſitus ad hiſtoriam Abrahami. Cur primò אברם *Abram, poſtea Abraham nuncupatus fuerit? Veterum Hebræorum de eo ſententia & quæſitum myſterium multiplex Cabaliſtarum. Philonis, Chryſoſtomi, Heſychii, Iſidori error notatus.* 1. *Nominis* שרי *Sarai mutatio in* שרה *Sara quam ob cauſam facta? Sententia Hieronymi & Auguſtini de eo examinata?* 2. *Saræ genealogia diſcutitur. An fuerit eadem cum* יסכה *Jiſca, filia Aaronis, adeóque neptis Abrahami?* 3. 4. *Patria Abrahami* אור כשדים *Ur Caſdim, an rectè à LXX. I. reddatur* χώρα χαλδαίων? *Iſacus Voſſius refellitur. Ur Caſdim cur vocetur ab Eupolemo Camarine?* כמרים. *Oſtenditur* כשדים *eſſe nomen appellativum Magorum. Ura gemina Babyloniæ, & Meſopotamiæ diſtinguitur, & hanc, non illam eſſe Patriam Abrahami docetur. Babyloniæ pars magna olim Meſopotamiæ tributa fuit. Uſſerii Armacheni ſententia de Ura improbata.* 5. *Abrahami vocatio ex Ure Chaldæorum. An verba Dei Geneſ.* XII. I. 2. 3. *Abrahamo dicta ſint adhuc exiſtenti in Chaldæa? Geminæ vocationis, commentum eliſum. Boulducus notatus.* 6. *Quam ob cauſam Abrahamus juſſus fuerit ex Chaldæa diſcedere? Boulduci error, quòd propter ſolam converſionem Cananæorum in eam terram miſſus fuerit.* 7. *Promiſſio Dei facta Abrahamo Geneſ.* XII. 1. 2. *explicatur. Juſtificationem gentium per fidem, & promiſſionem Chriſti in ea contineri probatur.* 8. *Abrahami obſequium & fides prædicata. Grotii* παρερμηνεία *loci Hebr.* XI. 8, 9. 10. *detegitur. Patria quam quæſiviſſe dicitur Abra-*

Abraham, Cœlum fuit. 9. *Terra ad quam migrare juſſus Abraham, an ei cognita fuerit? Locus Geneſ.* XI. 31. *cum Geneſ.* XII. 1. *& Hebr.* XI. 8. *conciliatus.* 10. *Adventus Abrahami in Charan. Ejus urbis ſitus. Cur Plinius inter oppida Arabiæ, Lucanus Aſſyriæ numeret?* 11. *Quo ſenſu animas feciſſe Charane dicatur? Hebræorum de factis Charane proſelythis, & Boulduci de quibuſdam ibidem religioſæ ſodalitati initiatis figmentum rejicitur.* 12. *Quamdiu Abraham Charane manſerit? Petavii, Bonfrerii, & Harvillæi argumenta, quòd aliquot annos ibi manſerit, expenduntur.* 13. *An nova vocatione Charane excitus fuerit? Uſſerii & Saliani pro iterata vocatione argumenta examinantur.* 14. *An Charane in Canaan migrans ſubſtiterit Damaſci, & ibidem regnaverit? Joſephus & Bouldulcus id aſſerentes refutati.* 15. *Adventus Abrahami in Canaan. Prima ejus ſtatio circa Sichem & Elon Moreh. Sichem ubi ſita? Quid Elon Moreh? Ejus ſitus. Elon eſt Aulon Hieronymi.* 16. *Apparitio Dei ſecunda facta Abrahamo in Elon Moreh. Quomodo Deum viderit? Ex viſionibus Dei non ſequi, quòd pingi poſſit in ea ſpecie, in qua apparuit oſtenditur contra Bellarminum.* 17. *Fides & gratitudo Abrahami poſt factam ſibi promiſſionem.* 18. *Secunda Abrahami ſtatio in montanis Betheli occidentalibus. Situs urbis Bethel & Hai. Toſtatus & Mercator, qui montana iſta faciunt montem Garizim & Hebal, refutantur.* 19. *Myſterium habitationis Patriarcharum in tabernaculis. An occidentem verſus adoraverit Abraham? Grotius notatus.* 20. *Abrahami profectio in meridiem.* נגב. *Quid* הליך נסוע ? 21. *Profectio ejus in Ægytum ob famem. Joſephi maligna narratio de ejus profectionis fine. An Ægyptios docuerit Aſtrologiam?* 22. *Herodoti, Strabonis, Ephori, Plinii, aliorúmque error, quòd Ægyptus poſt Homeri ætatem fluminis limo invecta ſit; nec non ſententia Arabum, quòd Ægyptus ante diluvium habitata ſit ſub notis Regibus perſtringitur.* 23. *Raptus Saræ in Ægypto. Reditus Abrahami in terram Canaan. Contentio Paſtorum Abrahami & Lothi, ac pacifica utriuſque transactio. Quæ fuerit terra Canaan, contradiſtincta Pentapoli, in* qua

qua poſt diſceſſum Lothi habitavit Abraham? 24. Conſuetudo, ut major dividat, minor eligat, ex hac Abrahamum inter & Lothum transactione ortum duxit. Abrahami æquitas & humilitas, ex Chryſoſtomo & Ambroſio commendata. Lothi inhumanitas & intemperantia. 25. Tertia Dei apparitio facta Abrahamo. Quomodo Deus totam terram Canaan demonſtraverit Abrahamo? Quo ſenſu promittat poſſeſſionem terræ Canaan in ſeculum? 26. Profectio Abrahami in Elone Mamre. Quid ויאהל *Geneſ.* XIII. 18. *Elon Mamre ſitus.* 27. *Abraham in Elon Mamre ædificat altare. Ibidem init fœdus cum tribus Principibus Hebronitis. Fœdus illud fueritne religioſum an civile? Boulducus refellitur. Bellum Abrahami cum exteris Regibus.* 28. *Quarta Dei apparitio facta Abrahamo in Elon Mamre. Oratio Dei, quâ ipſum adverſus metum quemvis confirmat explicatur.* 29. *Abraham promiſſam mercedem detrectat, eò quòd careat hæredibus ſuis. Quid* בן משק ביתי? *Quid* דמשק? *Quis fuerit Dameschek Eliezer? Boulduci & Hebræorum fabulæ.* 30. *An Abraham detrectans mercedem peccaverit diffidentia.* 31. *Promiſſio Dei de ſemine naſcituro Abrahæ ventilatur. Quo ſenſu innumerabiles ſint ſtellæ? Semen promiſſum Abrahæ fueritne carnale tantùm, an etiam ſpirituale?* 32. *Explicantur verba Moſis:* האמין ליהוה ויחשבה לו צדקה *Geneſ.* XV. 6. *Fidem illam Abrahami tetendiſſe in Chriſtum ſemen benedictum, demonſtratur.* 33. *Quo ſenſu fides Abrahamo ſit imputata ad juſtitiam? Interpretis Arabis, Hebræorum, Origenis, Socini, Papiſtarum explicatio perverſa eliditur, & juſtificatio fidei ſine operibus ſtabilitur.* 34. *Argumenta tria orthodoxæ explicationi oppoſita ſolvuntur. Significatus verborum* λογίζεσθαι & חשב. *Similitudo à mercatoribus petita explicatur.* 35. *Signum promiſſioni additum. An peccaverit Abrahamus illud ſolicitando? Jarchii, Ruperti, Cajetani, Chryſoſtomi, Auguſtini ſententia examinatur.* 36. *Materia ſigni illius explicatur. An* משלשת *notet triplicem an trimum? Onkeloſus & Jarchius refelluntur.* עגל *non ſemper notare bovem anniculum. Cur animalia illa trima eſſe Deus voluerit? Vox* גוזל *non columbam, ſed pullum turturis notat.* 37. *Abra-*

hami vigilantia circa cadavera. 38. *Oratio Dei ad Abrahamum de iis, quæ ſemini ejus eventura, explicatur. Quo ſenſu nondum impleta dicatur iniquitas Amorhæorum?* 39. *Tranſitus Dei & populi Iſraëlitici per* διχοτομήματα *animalium. Ritus fœderalis mactandi animalia, & per ſegmenta eorum tranſcundi exponitur.* 40. *Fœdus Dei cum Abrahamo. Flumen Ægypti an denotet Nilum? Nilus à* נחל *derivatur. Nilus,* שיחר, μέλας, *Melo cur nominetur?* 41. *An impleta ſit promiſſio facta Abrahamo de poſſidenda terra à flumine Ægypti uſque ad Euphratem?* 42. *Quomodo decem gentes promittantur Abrahamo, cùm ſeptem tantùm ſubjugatæ ſint? Judæorum & Chriſtianorum de Cinæis, Cenezæis, & Cadmonæis ſententia.* 43. *Signi antea expoſiti cum promiſſione & fœdere hoc analogia.* 44. *Hagaræ & Iſmaëlis exilium.* 45. *Fœdus Abrahamicum, ejusque ſignum circumciſio.* 46. *Excidium Sodomæ Abrahamo denuntiatum.* 47. *Abrahami migratio in Gerar. Raptus Saræ.* 48 *Nativitas Iſaci. Hagaræ & Iſmaëlis exilium.* 49. *Fœdus Abrahami cum Abimelecho. Picol quis fuerit? Beerſcheba cur ſic dicta? Quo ſenſu Geneſ.* XXVI. 33. *Iſacus Beerſchebæ nomen impoſuiſſe dicatur?* 50. *Fœdus Abrahami cum Rege infideli an pium fuerit?* 51. *Plantatio memoris in Beerſcheba. Quid ſit* אשל? 52. *An Abrahamus lucum religionis cauſa plantans peccaverit?* אשרה, Ἄλση, *Lucus unde dictus? Locus Deut.* XVI. 26. *explicatur.* 53. *Tentatio Abrahami.* 54. *Mors Saræ. Quæ cauſa ejus fuerit? Hebræi & Eutychius refelluntur.* 55. *Abraham plangit Saram. Unde venerit ad planctum.* 56. *An in planctu jejunaverit & oraverit pro defuncta? Bellarminus refutatur.* 57. *Abrahami oratio ad Chethæos pro jure ſepulchri. Quo ſenſu is vocetur* נשיא אלהים? *Supplicatio ejuſdem pro ſpelunca Macpela. Quid fuerit ſpelunca* מכפלה? *Hebræorum & Salmaſii conjecturæ examinantur.* 58. *Spelunca Macpela ab Ephrone Abrahamo vendita. An ſepulchrum Abrahamus emere, vel Ephron vendere potuerit citra crimen Simoniæ?* 59. *Ablegatio ſervi in Meſopotamiam ad quærendam Iſaco uxorem. Cur Chananæam uxorem filio deſponderi*

Digitized by Google

deri noluerit Abraham? Ritus jurandi ſuppoſita manu femori explicatus. Sententia de eo Hebræorum & Chriſtianorum Patrum ventilatur. Abenezræ & Grotii de eo conjecturæ. 60. *Matrimonium Abrahami cum Cethura. Fueritne Cethura ipſa Hagar?* 61. *Cur Abrahamus ſenex & capularis ad nova vota tranſierit?* 62. *Cethurà Abrahami* פילגש. *Quæ differentia olim fuerit uxorem inter & concubinam?* 63. *Abrahamus, cujus corpus jam pridem emortuum ab Apoſtolo dicitur, quî liberos ex Cethura generare potuerit?* 64. *Abrahamus morti vicinus Iſacum inſtituit hæredem, reliquis filiis dat munera. Quid per* מתנות *intelligendum? Rabbinorum impia de iis muneribus ſententia. Quid* שם טומה? *Filii Cethuræ quas regiones Orientales petierint? Joſephus & Hieronymus refelluntur. An Homeritæ ſint iidem cum Sabæis ex Abrahamo oriundis?* 65. *Mors Abrahami. Quo ſenſu dicatur* גוע ומת? *Quid* שיבה טובה? 66. *An moribundus benedixerit Iſaco? Boulduci audax aſſertio.* 67. *Sepultura Abrahæ. Quo ſenſu dicatur aggregatus ad populum ſuum? Auguſtinus eum extra limbum collocans in cœlo vindicatur.* 68. *Sinus Abrahæ.* 69. *Hebræorum & Muhammedanorum de Abrahamo traditiones* ἄγραφοι. 70. *Pſeudepigrapha ei tributa, liber Jezira, Apocalypſis Abrahæ, Aſſumptio Abrahæ.* 71. *Vetuſtiſſimorum Scriptorum Gentilium, Beroſi, Hecatæi, Nicolai Damaſceni, Eupolemi, Artapani, Molonis, Orphei, Theodori, Philonis Biblii, de Abrahamo teſtimonia recitantur. Abrahamum cultum eſſe à Gentilibus in Saturno, & Saram in Anobret conjuge Saturni oſtenditur.* 72.

I. E Diverticulo, in quo nos difficilima de Melchiſedeco diſceptatio continuit, redimus in viam. ABRAHAMUS Therachi ſoboles Patriarcharum eminentiſſimus, cujus hiſtoriam cum cura nobis delineavit Moſes, primus occurrit. Primò dictus eſt אברם *Abram.* Cùm verò Jehova nato annos nonaginta novem appareret, & ampliſſimam illam promiſſionem, quòd Pater futurus ſit multarum gentium, ei confirmaret, ſimul nomen ipſius *Abram* mutavit in אברהם *Abraham.* De eo ita habent verba Dei: ולא יקרא עוד את שמך אברם והיה שמך אברהם כי אב המון גוים נתתיך *Neque vocabitur ultra nomen tuum Abram,*

ſed

ſed erit nomen tuum Abraham: quia Patrem multitudinis gentium poſui te. Geneſ. XVII. 5. Prius igitur nomen *Abram* ei inditum à Parente Thæracho: poſterius *Abraham* ab ipſo Deo. Quæ utriuſque hujus nominis ratio fuerit, quæritur. In Maſſeceth Bikurim Hieroſolymitano, cap. Jeſchmebyn veterum Hebræorum de eo ſententia recitatur hiſce verbis: בתחילה היה לארם ושמו אברם ולבסוף אב לכל העולם *In Principio fuit Pater Aram* (Syrorum) *ad extremum verò Pater totius ſeculi.* Sed & Hieronymus in Quæſt. Hebr. animadvertit, notare Hebræos veteres, nomini Abrahæ & Saræ additam literam ה quæ eſt præcipua in nomine Dei tetragrammato, & in eo bis reperitur. Atque hinc varia myſteria arguti homines elicuére, qualia ſunt: quod Abrahamo & Saræ eorumque ſimilibus viris Sanctis Deus non modò bona ſua, ſed etiam ſeipſum ſit communicaturus; quòd ex Abrahamo & Sara naſciturus ſit, qui Deus eſſet, & forte ſub quinti millenarii annorum ab orbe condito initium, eò quod litera ה apud Hebræos quinarium numerum denotet. Sed & myſterium S.S. Trinitatis veterum Hebræorum Cabalam ſeu ſecretiorem diſciplinam in eo nomine venatam eſſe, eruditi, nominatim Capnio, & Faber, aliique notant. Ita enim tres literas אבר initiales eſſe אב *Patris*, בן *Filii*, & רוח *Spiritus S.* Porrò ה literam quartam in Abrahami nomine deſignare poſſe eſſentiam Divinam tribus perſonis communem, eò quòd litera ה ſit prima & ultima in voce היה à qua velut radice nomen Dei tetragrammaton deſcendit. Denique literam finalem ם indigitare משיח *Meſſiam* ſeu Chriſtum, Salvatorem mundi. Nicolaus Abramus Vir cæteroquin non indoctus, in Pharo V. T. lib. 7. plura ejuſmodi myſteria per notas illas Cabalæ Hebraicæ ſpecies, quas Rabbini hac dictiuncula גנת *Ganath*, indicârunt, puta Gematriam, Notaricon & Themuram, extundere conantur. Nos miſſis illis Cabaliſtarum ad calculos omnia revocantium, atque in tenebris, quòd ajunt, micantium argutiis, myſterium non invehendum in textum, ſed potiùs ex eo eruendum putamus. Igitur à Thæracho dictus eſt אברם *Abram*, hoc eſt, vel *Pater Aram* ſeu *Syrorum*, uti veteres Thalmudiſtæ cenſuerunt: vel אב רם *πατὴρ μετέωρος*, *Pater excelſus*, uti Philo de Gig. pag. 292. & Auguſtinus de Civ. D. XVI. 28. ariolantur. Hoc nomen Deus immutavit, addita litera ה non ex tetragrammato, ſed ex voce המון *multitudo*, uti ipſe textus indicat: Proinde אברהם notat אב רב המון *Patrem magnæ multitudinis*, ex voce רב extrita ב & ex voce המון litera finali ן. Quia igitur magnam hominum ex Abrahamo multitudinem generatum iri Deus promiſerat, non *Abram* amplius, ſed *Abraham* eum dici voluit. Philo l. c. prodit linguæ ſanctæ inſcitiam, aſſerens, quòd Abra-

Digitized by Google

Abraham notet *πατέρα ἐκλεκτὸν ἤχους Patrem electum ſoni:* & ineptit Heſychius, vocem אברם interpretatus *περάτην, tranſitorem*, quem errorem etiam Chryſoſtomus erravit. Confuderunt nempe illi אברם cum עברי quod περάτης non ineptè redditur. Neque minùs abludit à vero Iſidorus Orig. VI. 7. ubi *Abram* interpretatur *Patrem videntem populum*, propter Iſraëlitas.

II. Uxori Abrahæ nomen à Parentibus inditum fuit שרי *Sarai*. Cæterum etiam illud Deus mutavit in שרה *Sarah* Geneſ. XVII. 15. שרי אשתך לא תקרא את שמה שרי כי שרה שמה: *Sarai uxoris tuæ nomen non vocabis Sarai, ſed Sarah erit nomen ejus.* Meritò ridet S. Hieronymus in Quæſt. Hebr. eos, qui nomen Sara commutatum putant additione unius literæ r ejuſque in medio geminatione, quaſi ex *Sara* dicta ſit *Sarra*. Qua in re neſcio quod myſterium illi aucupantur. Verùm perſuaſio ea nata eſt ex corruptis LXX. Interpretibus, qui non aliam hujus nominis mutationem præferunt. Ipſe autem Hieronymus, *Sarai*, inquit, *interpretatur Princeps mea: Sara verò Princeps; quòd antea Princeps eſſet ſolius Abrahæ; deinde Princeps gentium.* Unde apparet, non corruptis Græcis, ſed Hebræis codicibus Hieronymum adhæſiſſe. Rectè Sarai dictam eſſe שרה ſeu *Principem* notat S. Pater. Congruit enim cum eo quod ſequitur v. 16. ubi Deus Saræ promittit Filium, ex quo Reges populorum exorituri ſint. Jure *princeps* fœmina nuncupata eſt, ex qua exorituri tot Reges & Populi. Cæterùm quod de nomine *Sarai* Hieronymus ſcribit, non perinde certum eſt. Nam *Princeps mea* Hebraicè diceretur שרתי vel facta ſyncope שָׂרִי non שרי *Sarai*. De nomine igitur *Sarai* vix quidquam certi apparere puto. Non parum verò aberravit S. Auguſtinus de Civ. D. XVI. 28. ita ſcribens: *Sarai interpretatur Princeps mea: Sara autem virtus: unde ſcriptum eſt in Epiſtola ad Hebræos: Fide & ipſa Sara virtutem accepit ad emiſſionem ſeminis.* At δύναμις Hebraicè כוח חיל & איל nunquam שרה dicitur. Mala ergo interpretatio eſt, & pejor accommodatio loci ad Hebræos. Luſus Cabbaliſticos Nicolai Abrami circa nomen Saræ penſi non facimus.

III. Porrò de Sara exploratum non eſt, quâ proſapiâ, quibus parentibus orta ſit. Magno quidem conſenſu docent Hebræi tum veteres, tum recentiores, Saram fuiſſe eam ipſam, quæ Geneſ. XI. 29. vocatur יסכה *Iſcbah*, filia Haranis, Fratris Abrahæ. Ita Aben Ezra: וקדמונינו אמרו שיסכה היא שרה: *Et veteres noſtri dixerunt quòd Sara ſit Isca.* Ita ſanè Joſephus & Paraphraſis Uzielidi tributa. In Baal Hathurim dicunt, שרה per literarum commutationem ſeu אתבש eſſe בגץ Porrò בגץ per Gematriam idem eſſe cum יסכה quia utrumque in numeris efficit 95. De eo vide ſis Druſium Miſcellan. I. 22. nec non Doctiſſimum Glaſſium Philol. S. p. 401. 402.

Digitized by Google

402. alioſque, quos ibidem ille laudat, Reuchlinum, Sixtum Senenſem, Schikhardum. Hinc cùm Geneſ. xx. 12. Abraham uxorem ſuam vocat *ſororem ſuam*, quippe Filiam Patris ſui, non autem filiam matris ſuæ, Hebræi colligunt, Saram eſſe Iſcam. Haranem nempe ex altera matre natum eſſe dicunt ante Abrahamum. Itaque Patris ſui Thærachi ex Harane filiam, hoc eſt, more loquendi apud Hebræos recepto, neptem eſſe Saram, quæ alia eſſe non poſſit quàm Iiſca. Sic Lothum fratrem ſuum appellat Abraham Geneſ. XIII. 8. quem conſtat fratrem non fuiſſe, ſed ex eodem Harane nepotem. Conſentiunt Auguſtinus de Civit. D. XII. 19. Hieronymus contra Helvidium, Chryſoſtomus, Rivetus, Junius, Tarnovius, ex Papiſtis Lyranus, Toſtatus, Pererius, Delrio, à Lapide, Sa, Torniellus, Salianus, Bonfrerius, Genebrardus, alii. Diſſentiunt tamen plures aſſerentes, Saram omninò genuinam fuiſſe ſororem Abrahami, eodem Patre, ſed non eadem matre genitam. Quomodo Geneſ. xx. 12. Abraham ipſe dicit: גם אמנה אחתי בת אבי היא אך לא בת אמי *Verè ſoror mea eſt, filia Patris mei ipſa: veruntamen non eſt filia matris meæ.* Unde Gloſſa Jarchii ad verba illa Abrahæ de ſororis nomine: בת אב מותרת לבן נח שאין אבות לגוי *Filia Patris* (ſoror, non uterina) *jure conjungebatur Noachidi, quoniam inter Gentes ratio conſanguinitatis paternæ non habebatur.* Ita Clemens Alexandrinus Strom. lib. 2. p. m. 421. ubi etiam hinc colligit, τὰς ὁμομητρίας quidem ſeu uterinas ſorores non poſſe uxores duci: at poſſe τὰς ὁμοπατρίας, ſeu ſorores duntaxat, ſeu eodem Patre non matre genitas. Eandem ſententiam tuentur Hieronymus, quaſi corrigens priorem ſententiam, ad Geneſ. xx. 12. Cajetanus, Lipomannus, Hieronymus ab Oleaſtro, Sotus, Codomannus, Muſculus, Piſcator, alii. Quin Tharæ uxoris, quæ Abrahæ mater, & ejus, quæ Saræ mater, nomina habentur apud Patricidem Scriptorem Arabicum antiquum in Annalibus pag. 66. ubi Abrahæ matri, priori Thærachi uxori fuiſſe nomen יונא *Jona*, Saræ verò matri, poſteriori Thærachi uxori תהוית *Tebevitha*. Hermannus Dalmata verò lib. *de Generatione & Nutritura Muhamet*, ex veteribus Muhammedanorum monimentis Abrahami matri nomen fuiſſe *Ibicilne* elicuit.

IV. Utraque ſententia non exiguum habet incommodum. Sive enim Sara fuit ex fratre Harane neptis, ſive ſoror non uterina quidem, ſed ſoror tamen eodem Patre nata, contra legem Divinam inceſti reus fuiſſe videtur. Frivolum enim eſt, quòd Jarchius, & poſt eum Cajetanus aſſerunt, ante Legem ſolo naturali lumine licitas fuiſſe nuptias cum ſorore non uterina. Quippe Lex Divina Levit. XVIII. 9. 11. lata, & cum naturali Lege planè

planè congrua ejuſmodi diſcrimen non innuit. Unde Bellarminus ipſe Cajetanum refellit, de matrim. cap.28. Neque etiam recipiendum, quod Canoniſtæ, aliique Pontificii pertendunt, matrimonium quidem filii fratris cum amita prohiberi Divina Lege Levit. xx. 19. 20. at non prohiberi eadem matrimonium filiæ fratris cum patruo. Eadem enim utrobique eſt ratio proximitatis ſanguinis & honeſtatis. Et prohibitiones Moſaicas non tantùm perſonas expreſsè nominatas, ſed etiam gradus æquè diſtantes complecti, neque in prohibitionibus illis inter ſexum maſculinum & fœmininum differentiam ullam intercedere, notorium eſt. Hæc incommoda ut evitarent nonnulli, verba Abrahami dicentis, *Saram eſſe ſororem ſuam, Patris non matris filiam*, intelligunt de filiatione non ratione generationis, ſed vel adoptionis, vel affinitatis, ut Sara fuerit filia Thærachi, quæ erat privigna Haranis, & à Thæracho adoptata. Ita Lutherus. Sed durum omnino eſt fingere, Saram fuiſſe privignam Haranis, & matrem ejus viduam relictam vixiſſe apud ſocerum, ejúſque filiam à Thæracho adoptatam fuiſſe. Alterutrum igitur dicendum, Saram fuiſſe vel ſororem veram Abrahami, at non uterinam, vel ex fratre Harane neptem, adeóque ipſam Jiſcam. Etſi verò utraque ſententia rationibus probabilibus nitatur, tamen eam veriſimiliorem exiſtimo, quæ Saram facit Abrahami ſororem, ſed non uterinam, adeóque à Jiſca diverſam. Etenim *primò* ratio nulla afferri poteſt, cur eodem loco Geneſ. xi. 29. 30. Jiſca diſtingueretur à Sara, ſine ulla tamen mentione, quòd Sara & Jiſca eadem ſed binominis fuerit. Dilutum eſt, quod excipit Jarchius, inde cognoſci poſſe, quòd eodem loco Jiſca & Sara una eademque fœmina fuerit, quia utrúmque nomen idem ſignificet. Sicut enim שרי *Principatum* notat, ita יסכה ex ſignificatione נסיכות *principatum* notare. Neque enim in nominibus propriis Scriptura hoc modo ludere ſolet. *Secundò* cùm dicit Abraham: *Verè ſoror mea eſt*; *Patris ſed non matris filia*; ſatis indicat, veram & genuinam ſororem fuiſſe. Si ex fratre neptis fuit, quid attinebat adjicere illa, quòd Patris non matris filia ſeu neptis fuerit? Annon potiùs palam ſe explicâſſet, filiam eſſe fratris Haranis, quæ Hebraica dialecto etiam ſoror nuncupetur? Quòd verò Scriptura Saram vocat Geneſ. xi. 31. כלתו *nurum ejus* Thærachi, non *filiam*, cùm filia patri propiùs conjuncta ſit quàm nurus, inde eſt, quia Abrahamo jam nuptum data, à marito potiùs quàm à Patre deſignari debuit. Neque illud obſtat, quòd ſic inceſti reus peragatur Abraham. Nam ex altera ſententia idem conſequitur. Non habuit Abraham legem ſcriptam, & naturalis facilè obſoleſcere potuit, à ſcripta non adjuta. Acceſſit zelus Patriarcharum, qui ut alienigenarum

nuptias

Digitized by Google

nuptias evitarent, maluerunt ex ſua familia etiam propiùs conjunctas ducere.

V. Abrahamo & Saræ prima habitatio fuit באור כשדים *In Ur Caſdim, ſeu Ur* Chaldæorum. Geneſ. xi. 28. L X X. Seniores habent Χώραν Χαλδαίων, *Regionem Chaldæorum*, nomen proprium in ſignificativum transferentes. Quo nomine quia reprehenduntur, acriter eos vindicare conatus eſt Iſacus Voſſius de Translatione L X X. Interpretum p. 36. 37. Nempe Χώραν nomen proprium eſſe, non ſignificativum, idemque quod ὤρ vel ὄυρ pertendit. Quomodo non apud Græcos tantùm, ſed & apud Arabes & Syros τὸ χ in multis vocabulis in initio aut deeſt aut adeſt. Sic Atramitæ Chatramitæ, Aboras Chaboras, Aron Charon &c. Pari ratione olim & אור & חור ſcriptum videri, ſed poſterius lubentiùs amplexos videri Judæos, quòd id favere videbatur fabellæ, quam de Harane & Abrahamo commenti ſunt. Paulò poſt ex Eupolemo, qui oppidum hoc vocet ὀυρίην vel ὀυρὴν, liquere ait, ſic quoque fuiſſe olim in quibuſdam S. Translationis exemplaribus. Quòd ſi igitur in antiquis exemplaribus ſcriptum eſt ὀυρὴ, ſequetur vocem χώραν, quam hodie magno conſenſu habent codices, corruptam eſſe. An enim ſimul ſcripſerunt χώραν & ὀυρὴν? Deinde quis veterum *Uram* vocavit χῶρ, vel ὧρ? ſi τὸ χ. addere placuiſſet Græcis, utique χύραν non χώραν ſcripſiſſent, ut congrueret cum Hebraico. Teneamus igitur, Græcam verſionem hîc omnino erroneam eſſe, & *Ur* eſſe nomen proprium loci. Et Eupolemus quidem apud Euſeb. de Præp. lib. 9. *Uram*, vel *Uriam*, ut appellat, ponit in Babylonia. ἐν πόλει, inquit, τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἥν τινας λέγειν πόλιν ὀυρίην, *in urbe Babyloniæ Camarina, quam quidam Uriam appellant*. Camarinæ nomine cur eadem urbs venerit, docet nos Scaliger Not. in Frag. p. 11. quia nimirum in ea erant כמרין *Sacerdotes*, ſeu *Philoſophi*. Nempe Sacerdotes & Philoſophos Hebræi כמרים Chaldæi כומריא vocabant. *Cemarim* enim vocabulum Atratos ſignificans, idololatricos Sacerdotes pullis veſtibus incedentes denotat. Sacerdotes autem apud Chaldæos, uti etiam apud Ægyptios, aſtrologiæ judiciariæ præcipuè vacabant: quam Chaldaicorum Aſtrologorum nationem in Babylonia ad Meſopotomiam pertinente, collocatam fuiſſe, notat doctiſſimus Camerarius Not. ad Act. VII. Et ſanè tempore Abrahami Chaldæam habitatam fuiſſe negant Hebræi, eò quòd à Ceſed Nachoris filio originem deduxerint, uti liquet ex Geneſ. XXII. 22. Et AbenEzra quidem Ur Chaldæorum per anticipationem dictam putat. Verùm ipſe Deus ad Abrahamum dixiſſe à Moſe refertur: *Ego Dominus, qui te eduxi de Ure Chaldæorum*. Geneſ. xv. 7. Proinde aſſentior doctiſſimo Uſſerio, qui hîc vocabulum

כשדים

Digitized by Google

כשדים non tam eſſe proprium gentis, quàm appellativum, hariolos & Magos denotans, putat. Ita eo nomine in ipſa etiam Chaldæa Genethliaci à reliquis magis diſtincti reperiuntur Daniel.II.2.20.IV.7.& V.II. Et ex eorum conſortio Thærachus & filii ejus idolorum cultum didiciſſe videntur. Eos à שדים denominatos Hebræi putant, quòd opera dæmonum Divinationes ſuas perficiant. Meminit etiam Uræ Plinius lib. v. 24. ubi Euphratem ferri ſcribit uſque Uram, locum, in quo converſus ad Orientem relinquat Syriæ Palmyrenas ſolitudines. Cæterùm alia eſt etiam Ur in Meſopotamia in via è Tigri Niſibin, cujus ſub nomine *Caſtelli Ur* meminit Ammianus Marcellinus lib. xxv. 26. Atque in hac Ur omnino Abrahamus conſediſſe videtur, non in illa, cujus meminere Eupolemus & Plinius. Nam ex ea potiùs Ur, quàm ex illa Babyloniæ in Judæam via recta eſt per Charan. Unde Joſ. XXIV. 2. Abrahæ Pater Thare dicitur habitâſſe trans flumen מעולם *jam olim*, & ibi ſerviiſſe Diis alienis. At Babyloniæ pars, in qua eſt Ura Eupolemi, reſpectu Cananéæ, non trans, ſed citra Euphratem ſita eſt. Frivola ſunt, quæ afferuntur à Gerundenſi, quem & Babye ſequitur, aſſerente Patriam Abrahami fuiſſe Aram, civitatem natalem Haran. Thærachum autem cum Abrahamo ante nativitatem Haranis veniſſe habitatum in terram Chaldæorum, ibique natum Haranem ac mortuum & Abrahamum ex igne liberatum eſſe. Itaque Patriam natalem Abrahami fuiſſe Haran, trans flumen, ubi eos habitâſſe dicat Joſue: at in Ur Caſdim terra Chaldæorum Abrahamum in fornacem conjectum ſubiiſſe diſcrimen vivicomburii. Quomodo igitur Joſue dicit, Patres eos trans flumen habitâſſe מעולם *jam olim*, vel, ut habent LXX. ἀπ᾽ ἀρχῆς, & vulgatus *ab initio*? ut illud taceam, fabuloſum videri, quicquid de periculo vivicomburii Abrahami aſſerunt Hebræi. Neque rectiùs Menaſſe Ben Iſraël hanc conciliationem init, ut trans flumen, hoc eſt in Meſopotamia habitâſſe Patres illi, & idolis ſerviviſſe, at in Ur Caſdim, hoc eſt, Civitate Babyloniæ nati eſſe dicantur, Concil. pag. 56. Neque enim probabile eſt; Patriarchas Divino mandato ex Ur Chaldæorum egreſſos denuo in Haran idolis ſerviviſſe. Accedit, quòd Stephanus Protomartyr Act. VII. 2. 3. 4. Abrahamum, antequam in Haran habitaret, fuiſſe in Meſopotamia, quam v. 4. eandem facit cum terra Chaldæorum, aſſerit, diſertè innuens, *Ur Caſdim* non eſſe illam Babyloniæ, ſed potiùs Meſopotamiæ *Uram*. Cur verò, inquias, vocatur *Ur Caſdim*, Ur Chaldæorum, ſi in Meſopotamia ſita fuit? Nimirum vel quia כשדים eſt nomen non proprium gentis, ſed appellativum ſectæ, uti antea animadvertimus: vel quia in Scriptura Chaldæorum terræ nomine etiam intelligitur Meſopotamiæ pars Aſſyriæ propior, uti vel ex

ſola narratione Stephani colligitur. Et Babyloniæ partem aliquam, imò & Babylonem ipſam intra Meſopotamiæ terminos fuiſſe comprehenſam, docet locus Plinii lib. 6. 26. *Babylon Chaldaicarum gentium caput, diu ſummam claritatem obtinuit, in toto orbe: propter quam reliqua pars Meſopotamiæ Aſſyriæque Babylonia appellata eſt.* Et paulò poſt: *Sunt etiamnum in Meſopotamia oppida, Hipparenum, Chaldæorum & hoc, ſicut Babylon juxta flumen Narragam, qui dedit Civitati nomen, muros Hipparenorum Perſæ diruere. Orcheni quoque tertia Chaldæorum doctrina, in eodem ſitu locantur, ad meridiem verſi.* Porrò Orchoën Tremelius & eandem cum *Ur* eſſe exiſtimat. Ipſam porro Meſopotamiam ab Oriente Tigri, ab occaſu Euphrate, à meridie mari Perſico, à Septentrione Tauro incluſam eſſe refert idem Plinius lib. VI. 27. Adeò ut non tantùm inter duo flumina incluſa, ſed etiam eorum ripis appoſita omnia, Meſopotamiæ deputanda intelligantur. Fortaſſis etiam eodem faciunt verba Joſephi Antiq. I. 8. ubi de Abrahamo: Χαλδαίων γὰρ καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν στασιαζόντων πρὸς αὐτὸν, μετοικεῖν δοκιμάσαν κατὰ βούλησιν, καὶ βοήθειαν τοῦ θεοῦ, τὴν Χαναναίαν ἔσχε γῆν. *Cùm Chaldæi & Meſopotamitæ cæteri contra ipſum inſurgerent, conſilium migrandi cæpit & voluntate ac favore Dei fretus, terram Chananæam tenuit.* Patet igitur *Uram* Abrahami rectè tum Meſopotamiæ, tum Chaldææ deputari poſſe. Neque tamen inde ſequitur*, quod putat doctiſſimus Præſul Armachanus, Abrahami Uram eſſe eam ipſam, cujus meminére Plinius & Eupolemus. Pugnat enim hoc apertè cum verbis Joſuæ, qui Abrahamum trans flumen, non citra habitâſſe innuit. *Ura* autem Eupolemi & Plinii, uti verba eorum expendenti liquet, reſpectu Cananææ, citra Jordanem ſita eſt.

VI. Cùm Ure Chaldæorum verſaretur Abraham, & cum reliquis idolis Gentium ſerviret, uti teſtatur Joſue cap. XXIV. 2. Deus ſingulari eum gratia proſecutus, & quia promiſerat antea, ſe futurum Deum Semi, adeóque etiam poſteritatis ejus, juſſit Thærachum unà cum Abrahamo, Sara & Loth exire ex Ur Chaldæorum. Vocatio ipſa habetur Geneſ. XII. 1. 2. 3. ſequentibus verbis. *Abi è terra tua & è cognatione tua, & è domo Patris tui, ad terram, quam oſtendam tibi. Faciámque te in gentem magnam, & benedicam Tibi ac magnificabo nomen tuum & eris benedictio. Benedicam quoque benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam: & benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Qua in oratione habemus tum juſſum Dei, tum ἐπαγγελίαν *promiſſionem.* Jubet Deus eum exire *è terra ſua, è cognatione ſua, è domo Patris ſui, eam in terram, quam ipſi oſtenſurus erat.* Ambigunt Viri docti, an hæc mandata ad Abrahamum facta ſint in Ur Chaldæorum adhuc commoranti, an in Charan habitanti? Et ambigendi ratio eſt, quia jam ante Geneſ.

XI. 31.

XI. 31. Abraham cum ſuis dicitur exiviſſe Ure Chaldæorum, & Charanem uſque perveniſſe, ibidemque habitâſſe. Ita Auguſtinus de Civ. D. XVI. 15. *Quòd autem jam in Meſopotamia conſtituto, hoc eſt, de terra Chaldæorum egreſſo dixit Deus: Exi de terra tua &c. non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, ſed ut animam evelleret, dicitur.* Verùm per anticipationem ea dicta eſſe, ſatis arguit narratio B.Stephani Act. VII. 2. 3. ubi Deum Abrahamo in Meſopotamia verſanti apparuiſſe, & iis verbis, quæ extant Geneſ. XII. 1. 2. eundem vocâſſe dicitur, πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥὰν, *antea quàm habitaret Charrane.* Neque Boulducus audiendus, qui *de Eccl. ante legem* lib. III. 1. pertendit, in verbis Dei Geneſ. XII. 1. geminam vocationem contineri, ita quidem ut verbis illis; *Abi è terra tua, & è cognatione tua*; ex Ure Chaldæorum: ex verbis autem ſequentibus; *& è domo Patris tui*; ex Charane Divinitus evocatus fuerit. Etenim continuus ille verborum tenor ſatis prodit, de una vocatione ſermonem eſſe. Neque domus Patris Abrahami erat Charane, ſed potiùs in Ur Chaldæorum. Quamvis enim comitem habuerint optimum Patrem, tamen domum Patris omnino deſeruit. Verùm de gemina hac, quam Viri docti ſtatuunt, vocatione paulò inferiùs plura.

VII. Quam verò ob rationem Deus Abrahamum ex terra Chaldæa migrare in Cananæam voluerit, quæritur? Boulducus de Eccl. ante Leg. III. 2. miſſum à Deo in Cananæam Abrahamum pertendit, ut cultum idolorum, à quo Chaldæam jam & Meſopotamiam liberaverit, à terra Cananæa Patria ſua averteret, ſimulque Melchiſedeco ad veræ Religionis conſervationem & propagationem fidus Achates exiſteret. Idque probare conatur tum ex eo, quòd profectus in terram Canaan ſecum duxiſſe dicitur animas quas fecerat in Charan, hoc eſt, quas ipſe & Sara Charane ad verum Dei cultum traduxerint: tum ex teſtimonio Chryſoſtomi, aſſeverantis, diſpenſâſſe Deum, ut Abrahamus non ſolùm Palæſtinam incolentibus eſſet Doctor, ſed & iis qui in Ægypto erant, quò ſic lux virtutis ejus manifeſtaretur omnibus: tum denique ex eo, quòd dicitur Abraham perrexiſſe, & progreſſus eſſe ad meridiem, verſus Ægyptum, ut nimirnm ubique veram Religionem plantaret. Sanè dubitari non poteſt, quin Abrahamus quâquâ iret, præcipuam curam habuerit tum idololatriæ refellendæ, tum veræ Religionis animis hominum inſtillandæ. Fuiſſe tamen vel potiſſimam vel ſolam cauſam Abrahami in Cananæam ablegati, ſine ratione aſſeritur. Eo enim ſolo fine ſi miſſus eſſet Abrahamus in Cananæam, Deus gratia ſua verticordia effeciſſet, ut Cananæi ad verum Deum converterentur: ſicut Apoſtolos ad gentes miſſos eadem

gratia comitatum eſſe legimus. Nunc id factum non eſſe liquet vel inde, quòd Cananæi in priſtina idololatria permanſerint, imò in ea magis magisque creverint. Unde Amorhæi iniquitatem magis magiſque complendam, & ea completa Terram Canaan ab Iſraëlitis poſſidendam eſſe, Deus Abrahamo confirmat. Neque rationes Boulduci caſſa nuce valent. Quo ſenſu Charane Abrahamus fecerit animas, poſtea viderimus. Chryſoſtomus rectè ſcribit, Abrahamum Gentium lucem & Doctorem fuiſſe. Sed hoc vel potiſſimo vel ſolo fine miſſum eſſe in Cananæam non dicit. Abrahamus ſanè perrexit verſus meridiem & in Ægyptum. Sed fecit id tanquam advena, qui ſtabilem locum non haberet: non ut Cœnobia inſtitueret, aliáque ejuſmodi, uti fingit hic Monachus. Vera igitur cauſa Abrahami in Cananæam divinitus ablegati eſt, quia ex fœdere Teſtamenti rationem habente ipſi donavit terram eam, poſt quadringentos annos à ſemine ejus poſſidendam, in qua ipſi in promiſſo ſemine futurus erat *in Deum*, hoc eſt, peccata actu expiaturus per Chriſtum in ea terra apparituram, & morte ſua populum Dei redempturum. Hinc Deus dicit Geneſ. XII. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Et Geneſ. XVII. 8. *Et dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationum tuarum, & fiam ipſis in Deum.*

VIII. Cum mandato exeundi ex Patria Deus conjungit promiſſionem ampliſſimam, quòd ipſi benedicturus ſit, adeò ut in gentem magnam excreſcat, & in ipſo benedicantur omnes familiæ terræ. Quæ promiſſio tum temporalia bona, tum ſpritualia complectitur. Inter temporalia bona ſunt tum poſteritatis ex eo deſcenſuræ amplitudo, tum nominis celebritas. Sed τὸ κύριον ſeu palmarium hujus promiſſionis caput continetur his verbis: ונברכו בך כל משפחות האדמה *Benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Quæ promiſſio ſimilibus verbis repetitur Geneſ. XVIII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. Quæ omnia loca contrahit Paulus Gal. III. 8. *Scriptura prævidens Deum ex fide juſtificare gentes, ante evangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes.* Unde apparet, benedictionem gentium, & earundem ex fide juſtificationem æquipollere. Neque enim ea benedictio Gentium in Abrahamo reſpectum tantùm habet ad multiplicationem ſeminis. Dicitur enim: *Benedicentur in Te*, hoc eſt, hæredes benedictionis tuæ fient. Idque amplius cognoſcitur ex eo, quòd dicit Deus: *Qui benedixerit tibi, benedictus, & qui maledixerit, ei maledicam.* Ubi benedictio omninò eſt aliud quàm multiplicatio ſeminis corporalis, quippe quæ notat addictionem boni, ejúſque ſtabilis & poſſeſſorem ſuum beatum efficientis. Frigida etiam eſt interpretatio Hebræorum, omnes nimirum gentes precantes ſibi vel aliis bona, ita dicturas: *ſic mihi benedicat, vel faciat Deus,* *uti*

Digitized by Google

uti fecit Abrahamo. Non enim Deus intelligit benedictionem *voti* & *deſiderii*, ſed benedictionem *rei* & *effectus*. Senſus igitur promiſſionis optimè à Paulo attingitur, docente, promiſſam eſſe juſtificationem gentium ex fide in Abrahamo, ſive, uti ſtatim interpretatur Paulus, σὺν τῷ πιςῷ Ἀβραὰμ *cum fideli Abrahamo* benedici gentes. Porro *cum* & *in* fideli Abrahamo benedici dicuntur gentes: *Primò*, quia ad benedictionem conſequendam benedicturæ ſint Abrahamo, hoc eſt, crediturae, quòd Abrahamus gratioſè à Deo vocatus & ex fide juſtificatus ſit. *Secundò*, quia gentes vi promiſſionis Abrahamo factæ benedictionis hæredes futuræ ſint. *Tertiò*, quia gentes benedicendæ communionem cum Abrahamo habituræ ſint, ut ſint in ipſo, nempe per communionem cum ſemine ipſius. Igitur particula illa ἐν *in* triplicem in hac promiſſione ſignificatum obtinet: *Benedicentur in te.* 1. ut in exemplari. Abraham, quippe ex fide juſtificatus & benedictus exemplar ac typus fuit benedictionis ac juſtificationis gentium ex fide. Hinc Petrus Act. III. 25. *Vos eſtis filii Prophetarum & fœderis, quod pepigit Deus cum Patribus veſtris, dicendo ad Abrahamum: In ſemine tuo benedicentur familiæ terræ.* 2. ut in Patre. Sic Deus dicit ad Abrahamum: *In Iſaco vocabitur ſemen tuum.* Perinde ac ſi diceret, vocando ſemen & filios Iſaco, ſemen tuum vocabo. 3. ut in cauſa. *Benedicentur in te*, hoc eſt, ſemine tuo, nempe Chriſto, omnis benedictionis fonte. Hunc ſenſum reddit Paulus Gal. III. 16. *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, non dicit: Et ſeminibus, tanquam de multis. Sed tanquam de uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.*

IX. Vocationi Divinæ lubens Abrahamus ſubſcribit & obtemperat. Cauſari ſanè poterat multa, Patriæ dulcedinem & amorem inſitum naturâ omnibus, diſcrimina peregrinantium, incerta viarum, aliáque ejuſmodi. Verùm hæc omnia quò minùs in conſilium adhiberet, effecit potens gratiæ Divinæ tractus, & melioris Patriæ ac civitatis illius, quæ fundamenta habet, & cujus architectus Deus eſt, certa fide ſubnixa expectatio. Hoc nempe ſibi propoſuit, quod Plotinus apud Auguſt. de Civ. D. IX. 16. eleganter dicebat: *Fugiendum eſt ad clariſſimam Patriam, & ibi Pater & ibi omnia.* Obedientiam hanc meritò adſcribit fidei Paulus Hebr. XI. 8.9.10. *Fide vocatus Abraham obedivit exiens in locum, quem accepturus erat in hæreditatem: & exivit non ſciens quò iret. Fide peregrinatum venit Abraham in terram promiſſionis tanquam alienam, in tabernaculis habitans cum Iſac & Jacob cohæredibus promiſſionis ejuſdem. Expectabat enim eam, quæ fundamenta habet civitatem, cujus artifex & conditor eſt Deus.* Patet hinc, obedientiam Abrahami ex fide profectam eſſe: & fidem eam fuiſſe non circa ſpecialia & tem-

 poralia

poralia quædam beneficia, ſed circa ſemen, in quo erat benedictio, circa donum juſtitiæ, & æternam in cœleſti Patria remunerationem. Errat igitur magnopere Grotius, qui urbem illam patriam fundamenta habentem, quam expectâſſe Abrahamus in ſua peregrinatione dicitur, interpretatur Hieroſolymam. Atqui ex Moſe conſtat, Deum dixiſſe Abrahamo: *Ego ero merces tua magna valde.* Geneſ. xv. 1. Quomodo Deus ipſe Abrahamo *merces magna valde* fuit, ſi non potuit niſi terreſtrem Patriam, non ab ſe ſed à ſemine ſuo, diu poſt mortem ipſius poſſidendam expectare? Hinc Patriarchæ etiam in ſenectute faſſi ſunt, ſe peregrinos eſſe & advenas. Quin & Jacobus de paucitate & injucunditate dierum ſuorum queſtus legitur Geneſ. XLVII. 9. Et mortui iidem dicuntur *ſecundum fidem.* Hebr. XI. 13. Proinde crediderunt, ſe demum poſt mortem accepturos promiſſam mercedem, adeóque in cœleſti non terreſtri Patria. Imò Deus etiam poſt mortem voluit *Deus ipſorum* vocari. Unde colligit Chriſtus, eos *Deo vivere*, hoc eſt, Divinâ potentiâ & gratiâ vitæ participes eſſe, Luc. xx. 38. Et Paulus v. 16. ait, non pudere Abrahami & Patriarcharum Deum, quin Deus ipſorum nominetur, quia Civitatem illis paravit. Innuit, Deum non erubeſcere ipſos, quamvis ſepultos, neque putaviſſe ſuæ de bonitate ipſis exhibita gloriationi detrahere, quòd ante mortem ſuam nullam ſtabilem poſſeſſionem obtinuerunt. Aliud enim eſſe longè excelſius, propter quod Deus ipſorum nominari voluerit, nempe *quòd Civitatem ipſis paravit.* Id ſi accipiamus de Patria & Urbe, quam poſt multa ſecula poſſidendam obtinuerunt eorum filii, non apparet ſanè, quomodo à filiis voluerit appellari Deus Abrahami, Iſaci & Jacobi, antequam illi terram aut civitatem terrênam obtinerent. Imò Apoſtolus idem v. 16. diſertè ait, eos ſubiiſſe deſiderium κρείττονος, τουτέστιν ἐπουρανίου, melioris, hoc eſt, *cœleſtis Patriæ.*

X. Poſtquam Abraham tum mandata tum promiſſa Dei percepit; duce migrationis Thæracho, & comitibus Sara ac Lotho, egreſſus eſt de Ur Chaldæorum, ללכת ארצה כנען *ut pergeret in terram Canaan* Geneſ. XI. 31. Colligi hinc poſſe videtur, Abrahamo & comitibus haud incognitam fuiſſe terram, ad quam ipſis migrandum erat. Contra tamen Geneſ. XII. 1. Deus alloquitur Abrahamum: *Exi ad terram quam oſtendam Tibi.* Pollicetur ſe demum oſtenſurum ei terram, quam in vocatione ipſa non expreſſit. Hinc etiam Paulus docet, Abrahamum exiviſſe, μὴ ἐπιστάμενον ποῦ ἔρχεται *ignarum quò veniret* Hebr. XI. 8. Si neſcivit Abrahamus, quò iret, & terra ad quam eundum, demum poſt exitum oſtendi debuit: quomodo igitur exiverunt ex Ur Chaldæorum, ut pergerent in terram Canaan?

Lauren-

Laurentius Codomannus Chronol. lib. I. 3. nec non Nicolaus Abramus in Pharo V. T. lib. VII. 21. in verbis illis, *Tulit Thara filium ſuum &c. ut irent in terram Canaan:* particulam *ut* non cauſam & intentionem, ſed duntaxat eventum rei denotare, perinde ac ſi diceret: *Eduxit eos de Ur Chaldæorum; quo factum eſt, ut venirent in Canaan*, reſpondent. Verùm cum Thærachus in terram Canaan non venerit, ſed Charane potiùs mortuus ſit, non poteſt illa particula eventum deſignare, qui reſpectu Thærachi nullus omnino fuit. Rectiùs igitur reſpondet Torniellus A. M. 2113. Num. 3. *Bene fieri potuiſſe, quòd Abram quando exivit, ſciret Deum velle, ut ipſe iret in terram Canaan; ſed neſciret, num vellet eum ibi requieſcere, an etiam ultra ad remotiorem aliquam regionem progredi; ac propterea eum veniſſe in Charan, non animo ibidem ſiſtendi, ſed tranſeundi verſus terram Canaan, certò credentem, quòd ibi Dominus monſtraturus eſſet terram, ad quam pergere & in qua morari deberet: quemadmodum mox revera factum fuit: Cùm enim Sichemum in terra Cananæa veniſſet, audivit à Domino: ſemini tuo dabo terram hanc*, Geneſ. XII. 7.

XI. Ex Ur Chaldæorum cum paterna familia migrans Abrahamus venit חרן *Charanem*, atque ibidem habitavit, Geneſ. XI. 31. חרן Græci LXX. ſcribunt χαῤῥὰν, Romani Scriptores *Carras*. Arabes hodieque vocant חראן *Charan* vel *Charran*. Eam urbem ſic deſcribit Stephanus: Κάῤῥαν πόλις Μεσοποταμίας, ἀπὸ Καῤῥὰ ποταμοῦ Συρίας. *Carrhæ Urbs Meſopotamiæ à Carrab Syriæ fluvio.* Scriptura nempe eam collocat in *Aram Naharaïm*, id eſt Syria duorum fluviorum, Geneſ. XXIV. 10. nec non in *Padan Aram* Geneſ. XXV. 19. XXVII. 43. quæ in vulgata editione Græca & Latina *Meſopotamia & Meſopotamia Syriæ*, eſt reddita: quámque Tremelius & Junius eam partem Meſopotamiæ fuiſſe exiſtimant, quam Ptolomæus vocat *Ancovaritida*, & Chaborras fluvius in Euphratem labens diſſerat. Tam urbi quàm fluvio huic haud dubiè impoſitum nomen eſt ab Harane fratre Abrahami. Plinius lib. V. 24. Carras numerat inter oppida Arabiæ ad mare rubrum pertinentis. Verba ejus ſunt: *Arabia ſupra dicta habet oppida, Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Calliroën à fonte nominatam, Carras clade Craſſi nobiles.* Lucanus verò eam aſſignat Aſſyriæ his verbis: *Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carras:* Cujus diſcriminis ratio petenda ex latiore notione Meſopotamiæ, quam ex B. Stephano, Plinio & Joſepho antea eruimus. Charanem hanc etiam deſcribit Benjamin Tudelenſis in Itinerario, ubi Charane viſi ædes Abrahami, ad quas Muhammedani religionis ergo confluant, commemorat.

XII. Charane cùm verſaretur Abrahamus, ac Sara, reliquíque, ibi præter

Digitized by Google

præter ſubſtantiam acquiſitam נפש עשו *animas fecerunt* Geneſ. XII.5. Quo ſenſu animas feciſſe dicantur, dubium eſt. Græci reddunt: πᾶσαν ψυχὴν, ἣν ἐκτήσαντο, *omnem animam, quam acquiſiverant.* Syrus נפשתא דעבדו *Animas, quas fecerant.* Neque aliter Samaritanus & Arabs. Inter Hebræos non deſunt, qui id intelligant de religioſa inſtitutione, qua Abraham & Sara proſelythos fecerint. Ita AbenEzra: ויש אומרים הנפשות שהורם האמת לעבוד את השם: *Et ſunt qui dicant, animas intelligi, quas docuerant veritatem ad inſerviendum vero Deo.* Hunc in ſenſum etiam Thargum Onkeloſi παραφράζει. וית נפשתא דשעבידו לאוריתא בחרן *Et animas quas ſubjecerunt legi in Haran.* Sentiunt autem Abrahamum quidem Viros, Saram autem fœminas inſtituiſſe. Subſcribit huic ſententiæ Abulenſis. Non negamus ſanè Abrahamum quocunque ſe conferret, homines ad Dei veri cultum transducere conatum eſſe. Id tamen hoc loco indigitari minimè arbitramur, cùm inſolens ſit in hoc ſignificatu phraſis *facere animas.* Multò minus probari poteſt temeraria ſatis aſſertio Boulduci, qui animas, quas Charane fecit Abraham, interpretatur de quibusdam religioſæ ſodalitati initiatis & conſecratis ab Abrahamo hominibus, quos adhuc in pietate tenellos multis aliis fortioribus ibi pro aliorum ædificatione relictis, ſecum adducere operæ pretium duxerit. Quod quidem Monachi commentum jam ſupra exploſimus. Placet igitur magis eorum interpretatio, qui de acquiſitione ſeu emptione hominum & animalium ad uſum ſervitii Moſen interpretantur. Nempe defuncto Thæracho, Abrahamum cum Lotho & reliqua familia Charranem perrecturum, patrimonium ſibi relictum, & facultates veteres, novorum aliquot mancipiorum & jumentorum, rerúmque aliarum acquiſitione augere eum voluiſſe, eſt probabile. Ita AbenEzra: עשו כמו קנו *Fecerunt, idem quod acquiſiverunt.* Eodem modo LXX. Interpretes, ἐκτήσαντο *acquiſiverunt.* Ita Geneſ. XXXII. I. *Ex iis quæ ſunt Patris noſtri* עשה *fecit ſibi* (hoc eſt comparavit) *omnem gloriam iſtam.* Et Deut. VIII. 17. *Manus mea* עשה *fecit mihi hoc robur:* ubi Thargum habet: ידי כנש *manus mea poſſidere me fecit ſubſtantiam hanc.* Et Arabs אכתשבא לי *acquiſiverunt mihi.*

XIII. De Thæracho, Abrahamo, reliquíſque Charanem profectis dicit Moſes Geneſ. XI. 31. וישבו שם *Et habitaverunt ibi.* Et de Thæracho quidem, eum natum ducentos & quinque annos ibi ſupremum diem clauſiſſe. Quamdiu verò Abrahamus reliquique comites Charane habitaverint, non expreſſit Moſes. Probabile tamen eſt, non diu & vix unum annum ibi eum hæſiſſe, ne Divinæ vocationi non obſequi videretur. Quid enim præter morbum & corporis infirmitatem Thærachum, quem erga Deum

pietas,

Digitized by Google

pietas, patrium ſolum & proprios lares relinquere coëgerat, ab incepto itinere peragendo detinere poterat? Quid etiam præter pietatem erga Patrem moribundum, qui religionis cauſa peregrinationis hujus, & comitem & ducem ſe præbuerat, Abrahamum, cujus tam prompta in Divina vocatione ſequenda tantopere obedientia prædicatur, impedire poterat, quò minùs rectà tenderet in Canaanem? Nam quòd Thærachus vel loci amœnitate captus, uti fingit Abenezra, vel veterem in idololatriam relapſus, uti ſtatuunt alii, Charane manſerit, neque filium ſequi voluerit, figmento ſimilimum eſt. Neque nos movent Petavii, Bonfrerii & Harvillæi argumenta, quibus Abrahamum aliquot annos habitâſſe Charane pertendunt. *Primò* Stephanus, inquiunt, dicit Abrahamum κατοικῆσαι ἐν χαῤῥὰν, *habitâſſe Charane.* Probabile autem eſſe, verbo habitandi plures annos denotari. *Secundò* Abrahamus Geneſ. XII. 5. dicitur Charane animas feciſſe, hoc eſt, mancipia & pecora vel jumenta quibus Charane bona ipſius aucta fuerint, comparaviſſe. In his autem comparandis, & congerendis plures annos conſumi omnino debuiſſe. *Tertiò*. Abraham Charanem vocat *terram ſuam* Geneſ. XXIV. 4. Atqui non vocâſſet *Terram ſuam*, niſi aliquot annis in ea habitâſſet. Quis enim ſuam vocaret terram, per quam ſolummodò tranſivit? Hæc argumenta ſolida non ſunt. Non *primum.* Ponamus enim exeunte vere Thærachum & Abrahamum Ure Chaldæorum deceſſiſſe, & morbo Thærachi interveniente continuam æſtatem & hyemem ibi tranſegiſſe, ac demum novo vere ineunte Abrahamum Charane digreſſum eſſe: annon longum ſatis temporis intervallum eſt, ut in eo Charane *habitâſſe* dici poſſit? Sic qui ad ſex menſes domum conduxit, licet minori tempore, non minùs tamen habitaviſſe dicitur, quàm qui per ſex annos habitationem in ea continuaverit. Et Vox Hebræa ישׁב nec non Chaldæa יתיב non tantùm *habitare*, ſed & *ſedere* ſignificat, ut breviſſimi temporis commoratio ad hoc ſufficere poſſit. Non *ſecundum.* Nihil enim neceſſum, ut de congeſtis opibus & mancipiis ac animalibus domi enatis Moſes intelligatur potiùs, quàm de acquiſitis emptione mancipiis, animalibus, aliiſque rebus, quibus Patrimonium relictum à Patre augeri poſſet. Atqui acquiſitio illa quàm brevi tempore fieri potuit? Non *tertium.* Neque enim Abrahamus Charanem terram ſuam vocat, ſed ארם נהרים ſeu *Meſopotamiam*, uti liquet ex Geneſ. XXIV. 4. collato cum v. 10. In Meſopotamia autem fuit non Charan duntaxat, ſed etiam Ur Chaldæorum, uti ſupra docuimus.

XIV. Cùm aliquandiu Charane moras nexuiſſet Abrahamus, aſcitis comitibus Sara, Lotho, & univerſo illo, quod Charane ſibi comparavit

vit famulitio, iter in Canaan ſuſceptum proſecuturus, Charane egreſſus eſt ללכת ארצה כנען *ut pergeret in Terram Canaan*, Geneſ. XII. 5. Plerique hic altera vocatione excitum Abrahamum ad continuandum iter exiſtimant. Id tamen quî probari poſſit non video. Unica eſt vocatio, deſcripta Geneſ. XII. 1. 2. 3. nec non Act. VII. 2. 3. Ea contigit, Abrahamo adhuc dum in Patria, Ure nimirum Chaldæorum habitante. Ita enim Stephanus: *Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abraham, cùm adhuc eſſet in Meſopotamia* πρὶν ἢ κατοικῆσαι αὐτὸν ἐν Χαῤῥὰν, *antequam habitaret in Charan, & dixit ei: Exi ex terra tua* &c. Act. VII. 2. 3. Unde apparet, vocationem illam Geneſ. XII. 1. 2. 3. deſcriptam factam eſſe, anteaquàm Abrahamus Charanem proficiſceretur. Atqui ab ea ſi diſceſſerimus, vocatio alia apparet nulla. Neque etiam neceſſum fuit, vigente adhuc dum prima vocatione, alteram accedere. Non ſatis ſe extricat doctiſſimus Uſſerius Armachanus, aſſerens Stephanum, qui Abrahamum ex Ure Chaldæorum evocatum ex obſcuriore inſinuatione Geneſ. XI. 31. & clarioribus Scripturæ teſtimoniis, Geneſ. XV. 7. Joſ. XXIV. 2. 3. & Nehem. IX. 7. intellexerit, & verbis aliquibus ſignificatam fuiſſe illam vocationem non dubitaverit, verba & ipſum ex ipſo argumento deducta Deo attribuiſſe, adeóque ea ad Moſaica illa Geneſ. XII. 1. 2. quibus eandem vocationem iteratam exprimi viderat, conformanda cenſuiſſe. Nam conjectura hæc eſt, non res. Et conjecturæ illi repugnat, quòd verba illa, quibus primò vocatus Abraham ne quidem quadrare poſſunt ei tempori, quo Abrahamus Charane diſceſſit. Tum enim Patre mortuo mandari Abrahamo non potuit, ut ex terra ſua & cognatione ſua, quam nullam ſibi reliquam habuit, diſcederet. Nec firma etiam eſt ratio Saliani, petita ex verbis Moſis Geneſ. XII. 3. *Abiit itaque ſicut dixerat ei Jehova, & perrexit cum eo Loth. Et 70. annorum erat Abraham, cùm egrederetur de Charan.* Non præceperat autem, inquit Salianus, illi in Chaldæa, ut exiret de Haran, in quam nondum ingreſſus fuerat. Quo argumento pugnat etiam Uſſerius. Non dicam cum Conrado Paovello, duo hujus verſiculi membra ita ab ſe invicem divelli poſſe, ut prius ad primam Abrahami ex Ure Chaldæorum, poſterius ad ſecundam ejuſdem ex Charane profectionem referatur. In prima quippe profectione quod merito urget Uſſerius, non *egreſſus eſt* tantùm *Abraham & cum* eo Loth, ſed Pater Thærachus, qui Geneſ. XI. 31. illius profectionis ſtatuitur author. Quamvis enim vocatio directa ſit ad Abrahamum, tamen, *quia ipſe erat Paterfamiliâs, ideò migrationis negotium illi adſcribitur, non filio familiâs*, uti rectè adnotavit in Elencho Pareano Scaliger. Dici igitur poteſt, v. 4. deſcribi profectionem Abrahami è Charane in Canaan, omiſſa priori profectione ex Ur Chaldæorum

Digitized by Google

rum in Charan, quippe quæ jam ſuperiori capite in illa anticipatione Moſis ſatis deſcripta eſt. Vel certè divelli ita poſſunt verſus illius membra, ut verba illa: *Egreſſus eſt Abraham, ſicut præceperat illi Dominus*, ad priorem ex Ure Chaldæorum profectionem; ſequentia autem verba, וילך אתו לוט *& ambulavit cum eo Loth*, ad poſteriorem illam ex Charane, quæ prioris continuatio tantùm erat, referantur. Neque enim id abſurdè ſtatui puto, quia non tam duæ profectiones fuerunt, quàm una, eáque quàmvis ad breve tempus interrupta, continuata tamen. Non obſtat etiam, quòd Stephanus vocationis duntaxat, non etiam promiſſionis adjunctæ apud Moſen, mentionem facit. Unde confici poſſe Salianus putat, duas vocationes fuiſſe, quarum prior à Stephano deſcripta additam promiſſionem non habuerit: poſterior à Moſe delineata promiſſionem conjunctam habuerit. Stephanus ſanè promiſſionem omiſit, quia nihil attinebat ſingula perſequi. Cui verò dubium, quin primæ vocationi Deus promiſſionem addiderit?

XV. Abrahamum Charane migraturum in terram Canaan, ſubſtitiſſe Damaſci, & ibidem regnâſſe tradit Joſephus, ex Nicolao Damaſceno Antiq. I. 8. Verba ejus ſunt: Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν ἱστοριῶν λέγει οὕτως. Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμασκοῦ ἔπηλυς, σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίαν λεγομένης. *Nicolaus Damaſcenus in quarto hiſtoriarum ſic ſcribit: Abrahamus regnavit apud Damaſcenum advena, ut qui cum exercitu venerat è regione ſupra Babylonem ſita, quæ Chaldæorum dicitur.* Neque aliter Juſtinus Trogi Pompeji epitomator Hiſtor. XXXVI. 2. 3. *Nomen urbi à Damaſco Rege inditum. Poſt Damaſcum, Azelus, mox Adores & Abraham & Iſraël Reges fuerunt.* Favet utrique Boulducus, uti eſt in aſſertionibus audax. Nam Regis ſacrorum ibi defunctum munere ſcribit, quod etiam aliis in locis exerciturus erat per ſacrificiorum oblationes, publicas orationes &c. Et ſubjungit, Damaſcum illum, quem Damaſci regnâſſe ait Juſtinus, eſſe ipſum Eliezerem ſervum Abrahami, qui ipſum Damaſco comitatus fuerit. Unde etiam Damaſcum vocari Geneſ. XV. 2. *de Eccleſia ante legem lib.* III. 2. Verùm Boulduco opponam Pererium, non malè ita ratiocinantem, in cap. XII. II. *Neque verò non graviter peccâſſet Abraham, neque Dei mandatum quo jubebatur ex Meſopotamia ire in terram Canaan, ut par erat, executus fuiſſet, ſi Damaſci non ſolùm commorari, verùm etiam poſthabitis Dei promiſſis regnum ſibi comparare ſtuduiſſet. Adde quòd Abraham ubique ſe peregrinum & advenam eſſe dixit; idémque de ſe ſuiſque majoribus profeſſus eſt Jacob. Nuſquam igitur ille propriam ſedem aut domicilium, nedum Regnum obtinuit.* Neque etiam ratio temporis permittit, ut regnandi causâ

diu commoratus Damaſci Abrahamus dicatur. Cùm enim hic annus ſit ſeptuageſimus ſextus Abrahæ, & idem poſt annos decem commorationis in Canaan, acceperit Hagar uxorem, ex qua anno octogeſimo ſexto ſuſcepit filium Iſmaëlem, apparet eum rectâ ex Meſopotamia in Canaanem perrexiſſe, neque uſpiam ſtabilem ſedem fixiſſe, anteaquàm in Canaan veniret. Deinde ſive vi, ſive precariò regnum illud obtinuit, quomodo tam citò deſereret, præſertim fame ad Ægyptiacam peregrinationem compellente? Quomodo rem tam illuſtrem, & futuram Judæis glorioſam nuſpiam Scriptores Sacri attigerunt?

XVI. Ingreſſus Abraham terram Canaan non ſtatim quieſcit, aut de figendo ſtabili domicilio ſolicitus eſt. Tranſivit enim per terram illam עד מקום שכם עד אלון מורה *uſque ad locum Sichem*, nempe *uſque ad quercum Moreh* Geneſ. XII. 6. Igitur prima illius ſtatio fuit in eo loco, ubi procedente tempore condita eſt Urbs Sichem, quæ aliter etiam dicta Sichima & Sichimi & Sichar, & ut quibuſdam placet, olim etiam Ephron. Probabile eſt dictam eſſe Sichem à filio Hemor Sichemo Geneſ. XXXIV. De ea urbe ita Hieronymus de locis Hebraicis: *Sichem & Salem, quæ Latinè & Græcè Sicima vocata eſt, civitas Jacob nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem locus in Suburbanis Neapoleos juxta ſepulchrum Joſeph, quam ſubvertit Abimelech, & ſeminavit in ea ſalem, ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt. Poſtea verò inſtaurata eſt à Hieroboam, ut Regnorum narrat hiſtoria: & ſita eſt in finibus terræ Ephraim. Sed & filius Emor appellatur Sichem, à quo & locus nomen acceperat.* Videſis etiam de ea Adrichomium & Brochardum, nec non Benjaminem Tudolenſem in Itinerario, ubi Neapolin olim dictam *Sichem* duabus ab urbe Samariæ paraſangis diſtare ſcribit. De eadem agit Geographus Nubienſis Clim. 3. parte 5. Cæterùm difficilior eſt quæſtio de אלון מורה *Elon Moreh*, uti vel ex ſolo Interpretum diſſenſu liquet. Et Vulgatus quidem transfert *convallem illuſtrem*. Græci *δρῦν ὑψηλὴν quercum altam*. Syrus בלוטא דממרא *quercum Mamre*. Chaldæus מישר מורה *quercum Moreh*. Arabs בליט ממרי *quercum Mamre*. Quod vocem אלון attinet, Abenezra deduci eam poſſe ait ab אלה quæ *arborem* notet. Sed quænam ſpecies ſit arboris, magna eſt diſſenſio inter ipſos etiam Hebræos. Sunt qui quercum volunt, ilium alii, alii pinum, alii abietem, alii caſtaneam, alii terebinthum, ulmam etiam aliqui aut tiliam. In Daniele Vulgatus & LXX. vertunt *arborem*. Ezech. XXVII. 6. Græci *abietem*, Vulgatus *quercum* vertit. Fortaſſis non tam certam arborum ſpeciem, quàm arboretam, ſeu locum arboribus glandiferis, quales ſunt quercus, conſitum ſignificat. Quòd verò vocem מורה *Moreh* attinet, errant haud dubiè, qui eam confundunt cum *Mamre*, uti faciunt quidam teſte

teſte Aben Ezra, qui *Moreh* hunc exiſtimat fuiſſe illum Mamre בעל הברית אברהם *fœderatum Abrahami.* Eundem errorem errârunt Syrus & Arabs. Loca ſanè diverſiſſima ſunt *Elon More* & *Elon Mamre.* Sitne tamen vox illa appellativa an propria, mihi incertum eſt. Fieri poteſt ut fuerit Vir quidam nomine *Moreh*, qui arboreto vel querceto illi nomen dederit. Quomodo alteri arboreto Mamre nomen dedit. Fieri & poteſt, ut ab ipſo Abrahamo tentoria ſua eo loco figente, nomen inditum ſit *arboretum Moreh*, ſeu *viſionis*, quia ibi Deus ipſi apparuit, uti non malè conjicit Bonfrerius: vel *monſtratoris*, uti Andreas Maſius, & ex eo Boulducus ariolantur, nempe Dei, qui juxta promiſſionem Geneſ. XII. 1. ex eo loco Abrahamo terram Cananæam demonſtravit. Sed de ſitu hujus loci non minor difficultas. Plerique collocant eo loco, ubi olim erat Pentapolis, nunc Mare mortuum. Sed præterquam quòd is locus à Sichem remotior eſt, cui tamen Elon Moreh Moſes videtur vicinam conſtituere; quorſum ex Sichem iviſſet Abrahamus in Pentapolin, & inde egreſſus fuiſſet juxta Bethel, quæ proxima eſt urbi Sichem? Malè etiam Abulenſis eodem loco ponit, ubi eſt arboretum Mamre, quod non eſt aliud quàm Hebron. Maſius in cap. 8. Joſue Elon Moreh putat eſſe vel ipſam Sichem, vel locum urbi Sichem vicinum. Adrichomius cenſet eſſe ingentem illam & formoſam vallem, quæ dicta ſit *Aulon*, de qua ita Hieronymus in locis Hebraicis: *Aulon non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum. Appellatur autem vallis grandis, atque campeſtris in immenſam longitudinem ſe extendens, quæ circumdatur ex utraque parte montibus ſibi invicem ſuccedentibus & cohærentibus, qui incipientes à Libano & ultra uſque ad deſertum Pharan perveniunt. Suntque in ipſo Aulone, id eſt, valle campeſtri, urbes nobiles. Scythopolis, Tiberias, Stagnumque propter eam, ſed & Jericho, mare mortuum, & regiones in circuitu, per quas medius Jordanes fluit.* Veroſimilimum omnino eſt, *Aulon*, quam Hebraicam vocem eſſe Hieronymus monet, eſſe ipſam אלן vel אילן Jod quieſcente mutato in Vau mobile. Senſus igitur eſt, veniſſe Abrahamum uſque ad confinia Sichem, hoc eſt, uſque ad Elon Moreh, quæ non procul aberat ab eo loco, in quo vel jam ſtetit, vel condenda demùm fuit Sichem. Non ſunt igitur diverſæ ſtationes Abrahami, Sichem & Elon Moreh, ſed una eademque.

XVII. In prima hac ſtatione Abrahami Deus ipſi apparuit, & hæc ad ipſum verba fecit: לזרעך אתן את הארץ הזאת *Semini tuo dabo terram iſtam.* Geneſ. XII. 7. Hæc ſecunda Dei fuit apparitio, in externa puta ſpecie aliqua abjecta vigilanti. Non eſſe enim hanc primam, ſed ſecundam potiùs viſionem, qua Abrahamus vidit Deum, liquet ex eo, quòd Stephanus

 dicit

Digitized by Google

dicit Act. VII. 2. Deum gloriæ ei apparuiſſe jam tum, cùm eſſet in Meſopotamia. Non eſſe viſum Deum in propria forma, certum eſt, quia nullam habet. Viſus ergo eſt in aliquo præſentiæ ſigno. Quale autem fuerit hoc ſignum, quo Abrahamo Deus præſentiam ſuam manifeſtavit, dici non poteſt. Viſibile tamen fuiſſe liquet inde, quia ירא יהוה אברם *viſus eſt Jehova Abrahamo.* Qua ratione velut familiari colloquio voluit cum ſervo ſuo conferre, cúmque in vocatione ſua confirmare. In ſomno hanc viſionem ei contigiſſe putat Maimonides. Extra ſomnum, citra tamen ullam corporis vocem cum eo locutum eſſe Deum, opinatur Baſilius. Alii aliter. Ego Deum cum Abrahamo locutum eſſe στόμα πρὸς στόμα, probabile puto. Neque tamen ſcitè vel verè hoc argumento probare nititur Bellarminus, *Deum ergo pingi poſſe in ea forma, in qua apparuit.* Etenim talia ſigna, qualia Deus exhibuit, quis repræſentare poteſt? Quin & ſigna illa fuerunt evanida, propoſita ad uſum duntaxat illius, cui exhibita ſunt. Proinde non fuerunt imagines Dei, nec eum in finem à Deo paratæ, ut in aliorum uſum depingerentur. Neque ſub V. T. repertus quiſquam eſt, qui ſub tali prætextu imitari vellet, quod Deus non mandaverat, ſed prohibuerat. Præterea Deus talia ſigna nunquam fecit communia omnibus, ſed nonnullis ea exhibuit cum neceſſario antidoto. Qui autem eadem depingunt, eáque nomine Dei inſigniunt, ea faciunt communia quantum poſſunt, & mentes hominum quibus objiciuntur, non poſſunt movere pro lubitu, uti Deus potuit, ne objectis figuris abutantur. Porro ſigna hæc, quibus Deus præſentiam ſuam manifeſtavit, non eſſe communia, evidenter patet ex Deut. IV. 15. ubi Deus negat, populum Iſraëliticum ullam ſui, cùm ex monte Horeb loqueretur, imaginem vel ſimilitudinem vidiſſe, quo argumento interdicit illi, ne ſculptile vel imaginem aliquam faciat. Denique qualiſcunque Deorum imago nec Deo ſimilis eſſe, nec illi organo, in quo Deus ſe manifeſtavit, poteſt. Quippe ſpecies quæcunque aſſumpti corporis non oſtendit Deum loquentem vel agentem, ſed ipſa Divina verba & verborum efficacia, operationes, & alia Divinæ gloriæ ſigna. Neque enim Abrahamus vultu cognovit Deum ſibi loquentem, ſed ſermone aut Spiritus S. intra animum indicio. Atqui ſermo, ejúſque efficacia, operationes, aliáque Divinæ gloriæ ſigna nulla ſimili imagine depingi poſſunt. Non abſque cauſa Scriptura traducens idola ait, imagines habere membra ſine uſu, Spiritum non emittere, nec reſpirare. Quo argumento manifeſtè à cultu rejicit ea, quæ vitam non habent, adeóque vivifica non ſunt. Deus enim verus, vivus eſt & vivificat. Quis igitur ei aſſimilabit rem vita & ſpiritu carentem,

Digitized by Google

tem, vel dabit organon tale, in quo nec vita nec vivificatio appareat?

XVIII. Promiſſio Divina, ſecunda hac in apparitione Dei Abrahamo facta eò ſpectat, quòd ſemini ejus daturus ſit hanc terram. In prima apparitione Deus juſſit Abrahamum exire ad terram, quam ipſi oſtenſurus ſit. Terram autem hanc ipſi oſtendit & digito veluti cominus demonſtravit in prima hac apud Elon Moreh ſtatione, addita pollicitatione, quòd eam ſemini ejus daturus ſit. Hæc promiſſio quia à nulla conditione ſuſpenditur, & abſolutè addictionem boni includit, à Paulo vocatur *διαθήκη Teſtamentum* Gal. III. 15. 16. De qua re uberiùs ſequenti de fœdere Abrahamico Exercitatione. Patet interim, Deum in hac promiſſione iterum fidem Abrahami exercere voluiſſe, quippe qui ei oſtendit quidem bonum, ſed adhuc remotum, in quo poſſidendo & vindicando ſibi, non levis difficultas objiciebatur, non aliter quàm per fidem ſuperanda. Quæ ipſius fides, & τὸ φιλόθεον, uti non ſemel appellat Chryſoſtomus, clarè colligitur ex eo, quòd poſt auditam promiſſionem Dei haud ſecus quàm ſi in poſſeſſionem jam terræ mitteretur, teſtificaturus gratitudinem ſuam ויבן שם מזבח ליהוה הנראה אליו *ibi* (nempe in Elon Moreh) *ædificavit altare Domino, qui ei apparuerat.* Quam fidem & gratitudinem Abrahami hiſce verbis deprædicat S. Chryſoſtomus in Geneſin homil. 32. ὅρα φιλοθέου γνώμης τεκμήριον. καὶ αὐτὸν τὸν τόπον, ἔνθα τῆς ὁμιλίας ἠξιώθη τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ, ἀφιέρωσε, καὶ τὴν εὐχαριστίαν τὴν κατὰ δύναμιν ἐπεδείξατο. τοῦτο γάρ ἐστιν, οἰκοδόμησε θυσιαστήριον, ἀντὶ τοῦ εὐχαρίστησεν ὑπὲρ τῶν ἐπαγγελθέντων. *Vide piæ mentis ſpecimen, & locum ipſum ob ſuam cum Deo conſuetudinem ibi habitam conſecravit, & gratiarum actionem pro viribus declaravit. Hoc enim eſt quod dixit, Altare ædificavit Domino: idem eſt quod, gratias pro promiſſis egit.*

XIX. Ex Elon Moreh digreſſus eſt Abrahamus ההרה מקדם לבית־אל *ad montem ab Oriente ipſi Bethel* Geneſ. XII. 8. Nam ביתאל מים והעי מקדם *Bethel ei erat ab Occidente, Hai verò ab Oriente*, uti ſtatim ſequitur. Ubi tum Bethel, ſiquidem eadem eſt cum ea, quæ priùs *Luza* appellabatur, tum *Hai* ita nuncupantur per πρόληψιν, qualis frequens admodum Moſi. De ſitu Urbis Hai agit Maſius in Joſuæ cap. VII. ubi ex vetuſtis commentariis Hebræorum narrat, inter Hai & Jericho tria intercedere milliaria, & amplius docet, ab Hai ad Bethel non longius ferè intervallum quàm leucæ unius fuiſſe. Non deſunt Viri docti, qui montem illum inter Bethel & Hai interjectum fuiſſe montem Garizim & Hebal exiſtiment. Ita Toſtatus & Gerhardus Mercator, qui ſententiæ hujus ſuffragatorem laudat Hieronymum. Is enim libro de locis Hebraicis contendit, montes iſtos non procul ab Jericho & Galgalis diſtare, ac Samaritanos magni & mani-

Digitized by Google

manifeſti erroris damnat, qui eos montes apud Neapolin, hoc eſt, Sichem oſtendunt. Nihilominus montes illos Garizim & Hebal non interjectos Bethel inter & Hai, ſed Neapoli ſeu Urbi Sichem vicinos fuiſſe certum eſt. Etenim Jud. IX. 7. Jotham ſtans in vertice montis Garizim ſublata voce clamâſſe dicitur ad Viros Sichem. Proinde Garizim & Sichem non longa intercapedine fuere diſſiti, quippe monte Garizim urbi Sichem ita imminente, ut ex eo ſublatus clamor in hac exaudiri poſſet. Atqui Bethel & Hai, inter quos mons ille Abrahami interceſsit, à Sichem non parùm diſtabat, uti fatentur omnes. Quid verò Hieronymum vel potiùs Euſebium, qui genuinus author eſt illius libri, in errorem hunc induxerit, ut montem Garizim non procul à Galgalis & Jerichunte diſtare exiſtimaverit, oſtendit Pererius in Geneſ. XII. 8. 9. Diſputat. 3.

XX. In montanis iſtis Betheli occidentalibus in quibus ſecunda ei ſtatio obtigit, ים אהלה *tetendit tabernaculum ſuum*, Geneſ. XII. 8. Ita Paulus de Abrahamo: *ἐν σκηναῖς κατοικήσας in tentoriis habitans*, Hebr. XI. 9. Ex quo colligit, Abrahamum unà cum conſortibus promiſsionis in terra peregrina, in qua ne veſtigium quidem pedis poſſederunt, fide peregrinantes, expectâſſe aliam civitatem, quæ non haberet domus, muros, hortos, vineas, aliáque commoda manu hominum parata, quæ tamen intercidere & vaſtari poſſunt, ſed *civitatem* ædificatam *in fundamentis*, quæ cadere non poteſt, cujus artifex & ſtructor DEUS eſt. Ibidem Abrahamus: יבן מזבח ליהוה ויקרא בשם יהוה *ædificavit Altare Jehovæ, & invocavit nomen Jehovæ.* Notat Grotius, Abrahamum verſus Bethel, adeóque Occidentem orâſſe, ut quàm longiſsimè diſcederet à more Chaldæorum, qui Solem orientem ſuperſtitioſè venerabantur. Contra Chriſtianos ad orientem verſos orâſſe ad exprimenda quædam loca Scripturæ de Chriſto agentia, tum & ut à Judæis ſeſe diſcernerent. Verùm veſtigium ejus ritus precandi nimirum verſus occidentem, ab Abrahamo uſurpati nullum omnino hic apparet. De more veterum orantium verſus Orientem vide ſis Auguſtinum lib. 2. de ſermone Domini in monte: Baſilium de Spiritu S. cap. 27. Damaſcenum orthod. Fid. lib. III. 13.

XXI. Ex montanis illis Abrahamus ויסע הלוך ונסוע הנגבה *profectus eſt eundo ac proficiſcendo ad meridiem* Genes XII. 9. Græci *πορευθεὶς ἐστρατοπέδευσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ profectus caſtrametatus eſt in deſerto.* Ubi vocem Hebræam נגב convertunt non tam Meridiem quàm deſertum, eodem tamen manente ſenſu. Nam deſertum Arabiæ Petreæ reſpectu Cananeæ erat ad Meridiem ſitum. Proinde deflectendo verſus Meridiem non aliò proficiſci potuit quam in deſertum. Cæterùm quòd pro הלוך נסוע habent LXX. *ἐστρατοπέδευσεν*,

ἐστρατοπέδευσε, *caſtrametatus eſt*, non admodum placet. Quamvis enim dubitari non poſſit, quin in deſerto alicubi etiam tentorium fixerit, tamen Moſes id apertè non dicit, ſed hoc tantùm, eum verſus meridiem profectum eſſe, eundo ac proficiſcendo, hoc eſt, diu progrediendo, anteaquam in regione illa meridionali pedem figeret.

XXII. Quo tempore in meridionali plaga oberravit Abrahamus, fames prægravis & ſæva terram Canaan inceſſit. Ea igitur impellente ex meridionalibus illis locis ירד מצרימה לגור שם *deſcendit in Ægyptum, ut ibi peregrinaretur* Geneſ. XII. 10. De eo Abrahami in Ægyptum migrantis inſtituto ſatis malignè diſſerit Joſephus Antiq. lib. 1. 9. Λιμοῦ δὲ ὕστερον τὴν Χαναναίαν καταλαβόντος, Ἄβραμος Αἰγυπτίους εὐδαιμονεῖν πυθόμενος, διαίρειν πρὸς αὐτοὺς ἦν πρόθυμος, τῶν δὲ ἀφθονίας τῶν ἐκείνων μεθέξεων, καὶ τῶν ἱερέων ἀκροατὴς ἐσόμενος, ὧν λέγοιέν τε περὶ θεῶν. ἢ γὰρ κρείσσοσιν εὑρεθεῖσι κατακολουθήσειν, ἢ μετακοσμήσειν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ βέλτιον αὐτὸς ἄμεινον φρονῶν. *Fame deinde Chananæam terram invadente, Abrahamus audita Ægypti ubertate, proficiſci illuc decrevit, tum ut copiis eorum frueretur, tum ut ſententiam Sacerdotum de Divinitate cognoſceret: aut ſecuturus illorum opinionem, ſi modò recta fuiſſet, aut ipſe rectiora eis commonſtraturus.* Quaſi verò vel cupiditas inceſſiſſet Abrahamum cognoſcendæ idololatriæ Ægyptiorum, vel dubius animi pendensque fuiſſet, an vera eſſet fides, quam hactenus de Deo fovebat, ex ipſiusmet revelatione hauſta. Quantò rectius B. Chryſoſtomus in Geneſ. Homil. 32. ᾠκονόμει ὁ δεσπότης μὴ μόνον τοῖς τὴν Παλαιστίνην οἰκοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς κατὰ τὴν Αἴγυπτον διδάσκαλον αὐτὸν γενέσθαι, καὶ τὸ φῶς τῆς οἰκείας ἀρετῆς πᾶσι κατάδηλον ποιῆσαι. *Diſpenſabat Dominus, ut non ſolùm Palæſtinam incolentibus eſſet doctor, ſed & iis qui in Ægypto erant, & lux virtutis ejus manifeſtaretur omnibus.* Quòd verò tum Joſephus, tum Eupolemus & Artapanus apud Euſebium affirmant, Abrahamum Ægyptios Sacerdotes in Heliopoli, nec non Regem eorum Pharetatem docuiſſe Arithmeticam & Aſtronomiam, nullo fundamento nititur. Imò falſus planè eſt Artapanus, aſſerens Abrahamum viginti annos in Ægypto commoratum eſſe, ac poſtea demum in Syriam rediiſſe. *Sic enim*, uti rectè animadvertit Salianus ad A. M. 2115. n. 9. *Iſmaëlem genuerit in Ægypto, & ibidem contra Reges Sodomorum populatores pugnaverit, eodem & Melchiſedecum transferre oportebit, & alia pleraque contra Scripturam fateri.* Talia nempe excogitârunt poſteriores Judæi, ut majoribus ſuis vindicarent Sapientiam illam, qua apud reliquas nationes Ægyptii inclaruerunt, & de qua loquitur Stephanus Act. VII. 22. aſſerens, *Moſen eruditum fuiſſe omni Sapientia Ægyptiorum.* Ea autem ſapientia cùm in plerisque vana fuerit, non ſalutaris, quippe quam aliunde hauſit Moſes, labo-

Digitized by Google

randum non eſt, ut ejus Abrahamus vel quiſque alius ex Sanctis Dei Viris author & propagator habeatur. Et ſanè ſi in Ægypto magna in veneratione habitus eſt, & eoſdem ſapientiam illam docuit Abrahamus, mirum eſt tam citò nomen ejus in Ægypto excidiſſe. Nullum quippe veſtigium eſt nominis, Abrahami eo tempore, quo Joſephus ejus pronepos ad ſummam in Ægypto dignitatem provectus fuit, aut Jacob ejus nepos cum univerſa familia ſua eò migravit. Neque enim Joſephus celâſſet genus ſuum, vel interrogatus à Pharaone de Patre & fratribus ſuis, prætериiſſet mentionem abavi, ſiquidem is primus Ægyptios ſapientiam docuiſſet.

XXIII. Facile hinc eſt refellere falſam exotericorum Scriptorum de Ægypti ortu opinionem. Et Herodotus quidem, qui in Ægypto Memphi cum Vulcani Sacerdotibus primò, ac poſtea cum Heliopolitanis in colloquium venit, narrat lib. II. ab illis ſe accepiſſe inter alia, primum Mortalium regnâſſe Manem, ac ſub eo omnem Ægyptum præter Thebaicam plagam paluſtrem fuiſſe: ex eáque nihil eorum quæ ſupra ſtagnum Myrios extant, extitiſſe: in quod ſtagnum à mari per flumen ſeptem diebus navigatur. Eam ſententiam probat Herodotus, aſſerens, omninò Ægyptum in quam navigant Græci, ἐπίκλητον γῆν καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ, *acceſſionem terræ ac donum fluminis eſſe.* Argumentum ipſi tale: *Ægyptiacæ Regionis hujuſmodi natura eſt: jam primum cùm Ægyptum verſus in alto currum tenes, procul ab ea adhuc diurnæ navigationis ſpatio, patieris ſenſum cœni, etiam in aqua undecim alta paſſus: quæ res declarat, eatenus eſſe humi aggeſtum.* Plura argumenta affert ibidem, qualia ſunt, quòd Ægyptus exporrecta ſit à terra contigua; quòd conchylia exiſtant in montibus, ac ſalſugo exundet, quæ etiam pyramides corrumpant; quòd mons qui in Ægypto imminet Memphi, ſolas arenas habeat; quòd Ægyptus nulli alteri regioni conterminæ aſſimilis ſit; aliáque ejuſmodi quæ collegit Goropius Becanus in Niloſcopio. Idem probare conatur Strabo lib. I. p. 34. edit. Caſaub. Inde Ariſtoteles Meteor. I. 14. vocat ποταμοῦ ἔργον *Fluminis opus*; & Ephorus apud Diodorum lib. I. ποταμόχωστον Plinius lib. XXV. 2. *Homerus*, inquit, *primus doctrinarum & antiquitatum parens, multas alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Ægypto tribuit, cùm etiam Ægyptus illa quæ rigatur, tunc non eſſet, poſtea fluminis limo invecta.* Quo tempore floruerit Homerus, æquè incertum eſt, atque illud, qua Patria oriundus fuerit. Illud tamen minimè dubium, poſt bellum Trojanum illum vixiſſe. Bellum autem Trojanum circa tempora Heli Pontificis ſimul ac judicis Hebræorum geſtum eſſe, plerique conſentiunt. Falſi igitur authores, qui Ægyptum poſt Homeri ætatem fluminis limo invectam ſcribunt. Nam Abrahamus longè

antiquior

Digitized by Google

antiquior Homero jam in Ægyptum migraverat, quo tempore Pharao quidem ibidem regnavit. Nec aliam fuiſſe Ægyptum, in quam profectus eſt Abrahamus, liquet, quòd reliquis terris frumenti inopia laborantibus, ſola ea terra frumenti feraciſſima fuerit, quippe quæ anniverſaria Nili exundantis irrigatione atque oblimatione mirum in modum ſemper fœcundari conſuevit. Quid quòd Tanis Ægypti olim Regia non procul à Tanitico Nili oſtio, non tantùm Moſis tempore extitit, qui in terra Ægypti in campo Taneos mirabilia feciſſe dicitur Pſal. LXXVIII. 12. verùm etiam ipſa Hebrone, in qua Abrahamus diu vixiſſe dicitur Geneſ. XIII. 18. & XXIII. 2. ſeptem duntaxat annis recentior eſſe diſertè aſſeritur Num. XIII. 23? Sed & fabularis illa Hiſtoria Iſidis, Ori & Oſiridis, quâ nihil antiquius habent Ægyptii, multorum locorum in infima Ægypto meminit, veluti Tanitici oſtii, Taphoſiviclis, Buti, Peluſii, teſte Plutarcho in Iſide. Sed & Trojanis temporibus creditur Menelaus Canobum appuliſſe. Nec Ægypto quicquam ex Nili alluvionibus accedere vel inde conſtat, quòd cùm Alexandria ſtet ab annis ferè bis mille, tamen ſemper eſt littorea, & quantum à Pharo diſtabat olim, tantum hodieque diſtat, nempe ſtadia ſeptem. Argumenta Herodoti diſſoluta vide apud Brodæum Miſcell. lib. III. 5. Bochartum in Phaleg. lib. IV. 24. Neque tamen ſententiæ Arabum, nominatim Ahmed ben Joſeph Elthiphaſi, Abenephi, Kaab Elachabar, aliorúmque, quorum teſtimonia allegat doctiſſimus Kircherius Oedip. Ægypt. t. I. cap. 9. accedimus, quòd Ægyptus ante diluvium habitata, & à Regibus, nominatim Nacrao, Nathra, Meſram, Henoch, Ariak, Haſilim aliisque numero quindecim in ea regnantibus inſeſſa ſit. Quamvis enim habitari Ægyptus omnino potuerit, tamen habitatam & ab iis, quos narrant, Regibus in ea regnatum eſſe, idoneis teſtimoniis probari non poteſt.

XXIV. In Ægypto cùm oberraret Abrahamus, contigit raptus uxoris ipſius Saræ. De eo ſeorſim poſtea agemus. Ex Ægypto rediit una cum uxore, & Lotho auctior familia, divitiisque locupletior in terram Canaan. Et primò quidem הנגבה *verſus meridiem*; non quod Canaan Ægypto ſit meridionalis, cùm Ægyptus potiùs reſpectu terræ Canaan ad meridiem vergat. Sed reſumenda eſt collatio ad terram Chaldæorum & Meſopotamiæ, quomodo omnino dici poteſt perrexiſſe ad meridiem. Vel certè נגב non tam meridiem quàm ἔρημον ſeu *deſertum* notat, uti etiam LXX. tranſtulerunt. Inde perrexit למסעיו *per profectiones ſuas*, eaſdem nempe, quas antehac tenuerat, ſed ordine nunc retrogredo, à deſerto nempe Bethelem, *uſque ad locum, ubi fuerat tabernaculum ejus in principio,*

nempe inter Bethel & Hai Geneſ. XIII. 3. Ibi apud altare, quod antea ſtruxerat, rem ſacram fecit. Eo loco contentio orta eſt inter paſtores Abrahami & Lothi. Cùm enim uterque auctis in immenſum per gratiam Dei opibus, pecuarias haberet grandes, cùm oviarias tum armentarias, quarum paſtioni non jam amplius terra eadem ſufficiebat, facilè evenit, ut crebræ contentiones & jurgia utriuſque Paſtores exèrcerent. Rectè Chryſoſtomus in Geneſ. Homil. 33. ὅπου τὸ σὸν, καὶ ἐμὸν, ἐκεῖ πᾶσα μάχης ἰδέα καὶ φιλονεικίας ὑπόθεσις. Ne tamen inter ipſos Dominos contentio gliſceret, convenit inter utrumque de diſceſſione ac diremptione facienda. *Ne ſit*, inquit ad Lothum Abrahamus, *contentio inter me & te, inter paſtores meos & tuos, quia viri fratres ſumus. Annon univerſa terra coram te eſt? Separa te quæſo à me. Si ieris ad ſiniſtram, dexteram ego tenebo: ſin ad dextram ieris, ſiniſtram ego tenebo:* Geneſ. XIII. 8. 9. Non poterat quidem Abrahamus Lotho facere optionem eligendi abſolutè alterutram partem, quia terra Canaan ſuos habebat dominos, Cananæos & Phereſæos, qui ibidem habitabant. Igitur ſubaudienda conditio, ſeu lex talis, ut uterque ſeorſim uteretur conductis ædibus & paſcuis ab illis, qui locorum domini erant. Facta ab Abrahamo poteſtate optionis, elegit Lothus planitiem Jordanis, ſupra modum quidem fertilem, quippe quæ tum temporis erat כגן יהוה כארץ מצרים באכה צער *inſtar horti Jehovæ*, ſeu Paradiſi, *& inſtar terræ Ægypti venientibus in Tzoar*; ſed incolarum profligata impietate, qua tandem *ignium*, ut Tertullianus loquitur, *meruit imbres*, infamem. At Abrahamus poſt ſeparationem Lothi habitavit in campeſtribus Cananæorum. Ubi per Cananæos intelligitur peculiaris terræ promiſſionis pars, tum juxta mare mediterraneum, tum circa fluenta Jordanis poſita, in qua gens Cananæorum habitabat, una de ſeptem gentibus, à quibus univerſa illa regio tenebatur. Nam quòd Cajetanus planitiem Jordanis, quam delegit Lothus, adeóque Pentapolim, ponit extra ambitum terræ Canaan, fallitur magnopere. Clariſſimum eſt enim in ſacris Literis, terram Pentapolitanam fuiſſe partem Orientalem terræ Canaan, prout ea comprehendit totam terram promiſſionis. Quod porro Lothus v. 11. eligens planitiem Jordanis, dicitur deflexiſſe מקדם *ab oriente*, non ſatis planum eſt. Nam Bethele ſecedens Sodomam, verſus orientem profectus eſt, non ab oriente, cùm Pentapolis Betheli ſit orientalis. Varii variè reſpondent. Onkeloſus illud מקדם tranſtulit בקדמתא *prius*, quaſi ſenſus eſſet, Lothum primum deflexiſſe ab Abrahamo. Quem ſenſum etiam tuetur Fagius. Alii, quaſi re deſperata ad allegorias confugiunt. Arabs interpres pro מקדם habet אלי אלמורח *Orientem verſus*, contrario planè ſenſu. Nos putamus, Lothum

thum ſeceſſiſſe dici מקדם hoc eſt, in regionem *ab oriente* ſitam. Is enim erat Jordanis, & Sodomæ ſitus reſpectu Bethelis. Sic 1 Sam. XIV. 5. מצפון vertit *ad Aquilonem*, & מנגב *ad meridiem.* Vel certè dici poteſt, diſceſſiſſe Lothum *ab Oriente*, reſpectu habito non ad occidentem, ſed meridiem. Erat quippe Pentapolis etſi abſolutè Betheli *orientalis*, reſpectu tamen Palæſtinæ *meridionalis.*

XXV. Ex hac Abrahamum inter & Lothum diviſione pacifica profectam eſſe inter homines pacificam conſuetudinem, ut quando terrenorum aliquid dividendum eſt, major dividat, minor eligat, arbitratur S. Auguſtinus de Civ. D. lib. XVI. 20. Fuiſſe enim uſitatum hunc partiendi morem, ſignificant leges declamatorum, quarum una eſt: *Major frater dividat, minor eligat*, teſte Seneca Declamat. libro ſexto. Meritò B. Chryſoſtomus hanc Abrahami, in inſtituta diviſione & propoſita minori optione, divitiis concordiam & minorem ſibi prudentiori ac ſeniori anteponentis, æquitatem & humilitatem prædicat, & imitandam proponit. Εἶδες, ita inter alia ille, τῆς ἀρετῆς τοῦ δικαίου τὴν ὑπερβολὴν, ὅπως οὐ συνεχώρησεν οὐδὲ βλαστῆσαι τὴν ῥίζαν τῆς κακίας, ἀλλ᾽ εὐθέως καὶ τὰ μέλλοντα φύεσθαι κάτωθεν ἐξέτεμε καὶ ἠφάνισε, πολλῇ τε καὶ ἐπιεικείᾳ χρησάμενος, καὶ δι᾽ ἀρετὴν τῶν ἄλλων ὑπεροψίαν ἄφατον ἐπιδειξάμενος, καὶ δεικνὺς ἅπασιν ὅπως πάσης αὐτῷ περιουσίας προτιμοτέρα τυγχάνει καὶ εἰρήνη, καὶ τὸ φιλονεικίας ἀπηλλάχθαι. *Vidiſti juſti illius Virtutis excellentiam, qui ne permiſit quidem germinare radicem malitiæ, ſed ſtatim atque ſubnaſcitura erat, penitus excidit & evulſit, uſus æquitate maxima, & propter virtutem reliqua omnia incredibiliter ab ſe deſpici demonſtrans, ac oſtendens denique omnibus, quàm multis modis præſtet temporalibus facultatibus pax, & ut omnis contentio tollatur.* Et paulò poſt: ἐννόησον, ὅτι ὁ πρεσβύτης τῷ νέῳ παρεχώρησε καὶ ὁ θεῖος τῷ ἀδελφιδῷ, καὶ ὁ τοσαύτης ἀπολαύων παρὰ τοῦ θεοῦ εὐνοίας τῷ μηδὲν μηδέπω μέγα τι ἐπιδειξαμένῳ. Καὶ ἅπερ ἐχρῆν ἐκεῖνον εἰπεῖν, ὡς νέον πρὸς πρεσβύτην, καὶ θεῖον ἑαυτοῦ, ταῦτα ὁ πατριάρχης πρὸς τὸν νέον ἔλεγε. Καὶ ἡμεῖς τοίνυν μὴ περὶ τοὺς ὑπερβεβηκότας ἡμᾶς, ἢ τοὺς ἐξ ἴσης ἡμῖν τυγχάνοντας μόνον διὰ τῆς τιμῆς ἐπιδειξώμεθα. Τοῦτο γὰρ οὐκ ἂν εἴη ταπεινοφροσύνη. Ἡ δὲ ἀληθὴς ταπεινοφροσύνη, ὅταν τοῖς ἐλάττοσιν εἶναι δοκοῦσιν παραχωρῶμεν, καὶ ἐκείνους προτιμῶμεν τοὺς πολὺ καταδεεστέρους εἶναι νομιζομένους. *Cogita quemadmodum ſenior juveni ceſſerit, & Patruus nepoti, & qui tantam à Deo ſortitus fuerat Gratiam ei, qui nondum in ulla re magnum admodum virtutis ſpecimen præbuerat. Quæ ille tanquam juvenis erga ſenem & Patruum dicere debuerat, hæc Patriarcha ille juveni loquitur. Nos igitur non tantùm ſuperiores & æquales honorare diſcamus. Hæc quippe vera humilitas non eſt. Vera autem humilitas in eo enitet, ſi erga eos, qui multum nobis inferiores ſunt, humiles ſumus, & illos honoramus, qui longè nobis inferiores videntur.* Eandem

Digitized by Google

Abrahami virtutem ſic depingit Ambroſius de Abrahamo cap. 3. *Mulcebatur Sanctus Abram Nepotis præſentiâ, cui patrium affectum exhibebat. Incidit rixa inter ſervulos nepotis & Patrui. Advertit prudentia ſervulorum diſſenſionibus concordiam Dominorum ſolvi ſolere. Amputavit fibram diſcordiæ, ne contagium ſerperet; Tolerabilius enim putavit, ut copula ſequeſtraretur, quàm gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, ſi forte in hujuſmodi aliquid incideris, ut ſeminarium diſſenſionis auferas. Neque enim tu fortior quàm Abram. Ille declinanda cenſuit, non deſpicienda ſervulorum jurgia. Quòd ſi tu fortior, cave ne alter qui infirmior eſt, aurem præbeat famulorum ſuſurris. Frequenter indiviſa ſervitia apud Dominos ipſos diſcordiam ſerunt: divide potiùs ut maneat amicitia. Indiviſa domus duos non ſuſtinet. Nonne melius eſt migrare cum gratia, quàm cohabitare cum diſcordia?* Sicut verò laudem maximam meretur ea tum æquitas tum humilitas Abrahami: ita Lothi in eligendo tum αὐθάδεια tum imprudentia apparet. Siniſtrè planè eligit terram natura quidem feliciſſimam, ſed infeliciſſimam moribus incolarum. Neque tamen probandi ſunt Hebræi ſatis iniqui in Lothum, fingentes ipſum ideo deflexiſſe ad Sodomitas, quòd ſimile ſimili gauderet. Interim Dei ſingulari providentiâ hæc ſeparatio contigit, tum ut juſtus Lothus injuſtis concionaretur Sodomitis: tum ut Abrahamo facultas daretur virtutem ſuam probandi inimicis in liberando & vindicando Lotho: tum denique ut ſignificaretur diviſio poſteritatis Abrahami in Iſraëlitis, & Lothi in Moabitis ac Ammonitis.

XXVI. Abrahamo poſt ſeparationem in locis campeſtribus Cananæorum commoranti denuo, adeóque nunc tertia vice apparet Deus, atque ei tum innumeram poſterorum multitudinem, tum dominium & poſſeſſionem illius regionis quaquâverſum obtinendæ promiſit. Verba Dei ad Abrahamum ita ſonant: *Attolle nunc oculos tuos & vide à loco in quo es ad Aquilonem & meridiem & orientem & occidentem. Nam omnem terram quam tu vides, tibi dabo & ſemini tuo uſque in ſeculum. Ponam quoque ſemen tuum ſicut pulverem terræ: quia ſi poterit quiſquam numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabitur. Surge, ambula per terram, per longitudinem ejus & per latitudinem ejus: nam tibi daturus ſum eam*, Geneſ. XIII. 14.---18. Auguſtinus q. 28. ſuper Geneſin non immeritò quærit, quomodo Deus volens deſignare totam terram Canaan, dicat: *omnem terram, quam vides, tibi dabo.* Reſpondet autem hunc in modum: *ſed nulla eſt quæſtio, ſi advertamus non hoc ſolum eſſe promiſſum. Non enim dictum eſt, tantum terræ tibi dabo quantum vides: ſed tibi dabo terram, quam vides. Deinde attendendum eſt, quod ſequitur. Nam ne putaret etiam Abram, hoc tantum terrarum ſibi promitti, quod ipſe oculis aſpicere vel circumſpicere poteſt, dixit ei Deus: Surge & perambula terram in longitudine*

ejus

Digitized by Google

ejus & latitudine, quia tibi dabo eam: ut perambulando perveniret ad eam, quam uno loco ſtans oculis ſuis videre non poterat. Significatur autem ea terra, quam populus accepit Iſraël. Fieri tamen poteſt, ut Abrahamo Deus è monte aliquo excelſo oſtenderet totam terram promiſſionis, ſicut è monte Phaſga eam oſtendit Moſi Deuteronom. cap. ultimo; & hac ratione vel conſpiceret ille terram illam ab omni parte, quantum viſus ferre poterat, eíque diceretur, totam hanc terram & ultra quam viſus ejus pertingeret, ei donandum eſſe; vel acies viſus ejus intenderetur, ut totam terram promiſſionis diſtinctè conſpiceret, quod & in Moſe factum videtur: vel certè imagine aliqua ipſi tota illa terra repræſentata fuit; quomodo & Diabolus Chriſto oſtendit omnia regna mundi. Quod verò promittit Deus poſſeſſionem terræ Canaan עד עולם notum eſt ea voce non æternitatem ſemper, ſed longam aliquando durationem denotari. Nam quòd Pererius & Toſtatus inter alia etiam aſſerunt, promiſſionem Abrahæ factam eſſe de terra Canaan in æternum poſſidenda, ſub conditione tacita obedientiæ, recipi non poteſt. Promiſſio enim, qua Deus Abrahæ ſemini poſſeſſionem terræ Canaan pollicitus eſt, cùm habuerit rationem διαθήκης ſeu *teſtamenti*, uti S. Scriptura declarat, abſoluta omnino fuiſſet, non à conditione mutabili ſuſpenſa.

XXVII. Poſt promiſſionem Divinam denuo confirmatam, Abrahamus יאהל ויבא וישב באלוני ממרי אשר בחברן; ויבן שם מזבח ליהוה *movit tabernaculum ſuum* (ita vulgatus) *venit & habitavit juxta convallem Mamre, quæ eſt in Hebron, ædificavítque ibi altare Domino*, Geneſ. XIII. 18. Vocem igitur יאהל vulgatus convertit, *movens tabernaculum.* Ita Græci, ἀποσκηνώσας *movens tabernaculum.* Contra Chaldæus פרס *tetendit tabernaculum.* Vulgato igitur & Græcis ſi credimus, Abrahamus poſt auditam promiſſionem ſtatim ex loco in quo eam audivit, tentorium ſuum movit. Sin Chaldæo, eo loco, quo promiſſionem excepit, tentorium tetendit. Et prius quidem veriſimilius eſt. Neque enim videtur Abrahamus accepto mandato ſurgendi & perambulandi terram, expandiſſe demùm eo loco tabernaculum, ſed potiùs promiſsionem mandatúmque fide amplexus ſtatim ſe ad perambulandam terram accinxiſſe. Aſſentior tamen magis Arabi ita interpretanti: פכים אבראם מרחלה מרחלה אלי אן גא *Fixit Abraham tentoria diverſis in diverſoriis, donec veniſſet & habitaſſet in terra Mamre.* Sed quis locus אלני ממרא *Elone Mamre*, in quo Altare Abraham ædificâſſe Domino dicitur? vulgatus reddit *Convallem Mambre.* Septuaginta rectiùs δρῦν *quercum.* Eodem modo Syrus. Mamre autem Geneſ. XIV. 13. ſtatuitur Amorhæus frater Eſcol & Aner, quibuſcum fœdus Abrahamus percuſsit. Videtur autem is Mamre

querceti

Digitized by Google

querceti illius, in quo habitavit Abrahamus, fuiſſe ſator vel dominus. Dicitur autem *Elone Mamre* ſita בחברון; non tam *in Hebron*, uti vulgatus & LXX. Interpretes, aliique habent, quàm *juxta Hebron*.

XXVIII. In Elone Mamre moram tracturus Abrahamus, ante omnia altare ibidem ſtruxit Domino. Quam ejus perpetuam conſuetudinem fuiſſe, notat Chryſoſtomus in Geneſin homil. 34. hiſce verbis: Καθ' ἕκαστον τόπον, ἔνθα κατεσκήνου, εὑρήσεις αὐτὸν τοῦτο πρὸ πάντων ἐπιμελούμενον, καὶ θυσιαστήριον οἰκοδομοῦντα, καὶ τὰς εὐχὰς ἀναφέροντα, καὶ Ἀποστολικὸν νόμον πληροῦντα τὸν κελεύοντα, ἐν παντὶ τόπῳ εὔχεσθαι ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας. *Omni in loco, in quo habitavit, invenies ipſum hoc ante omnia operam dediſſe, ut altare ædificaret & preces funderet, memor legis Apoſtolicæ, quæ jubet omni in loco precari & puras manus extendere.* Eodem loco videtur fœdus iniviſſe cum tribus Viris Mamre, Eſcol & Aner, qui vocantur ejus בעלי ברית συνωμόται *fœderati* Geneſ. XIV. 13. Quale fuerit fœdus illud, quæritur. Et Boulducus quidem non veretur aſſerere, fuiſſe religioſum, *de Eccl. ante Legem* lib. III. 3. Nempe tres hos Viros fuiſſe ex filiis Heber, adeóque ſectam Hebræorum, inſtituta ſodalitatis religioſæ Hebræorum quorum Pater & archimandrita fuerit Heber, qui tum juxta Jeruſalem habitaverit in *valle Save*, id eſt, in valle collegii, puta religioſi profectos. Atque ex hoc fœdere religioſo nomen העברי *Hebræi* Abrahamum ſibi primùm ſumpſiſſe. Inde etiam eoſdem fœderatos Geneſ. XIV. 24. vocari אנשים *Enochæos*, quorum ſecta eadem fuerit cum ſecta Hebræorum. Verùm hanc de ordine ſeu ſecta religioſa Hebræorum fabulam confutavimus Exercit. I. 15. Abrahamus tres hos fœderatos, Mamre, Eſcol & Aner perrexiſſe ſecum ad bellum profitetur Geneſ. XIV. 24. At religioſæ ſocietatis actum ne unum quidem Moſes memorat. Ex quo abundè liquet, fœdus iſthoc merè civile, & auxiliare, quod συμμαχίαν vocant Græci, non religioſum fuiſſe. Ex eodem loco, *Elon Mamre* nimirum, Abrahamus profectus pulchram & ſpectabilem victoriam in Pentapolitanis patravit. Nam cùm paucis armatis ſervis ac vernulis, & quibuſdam auxiliatoribus, quorum duces erant Aner, Eſcol & Mamre, magnis confectis itineribus circa Danem noctu cæcidit exercitum quatuor Regum, qui ſpoliatis Sodomis & prædis ingentibus actis, Lothum quoque, qui ibidem ſedem fixerat, captivum cum facultatibus ejus abduxerunt. Cujus belli hiſtoriam peculiari exercitatione diſſerere conſtituimus.

XXIX. Poſt bellum cum exteris Regibus, geſtum Abrahamo in Elon Mamre denuo, adeóque quarta nunc vice apparet Dominus, & tum eum in terra aliena peregrinum adverſus metum injuriarum confirmat, tum partem promiſſionis ipſi antehac factæ de ſemine ipſius multiplicando inſtaurat,

Digitized by Google

ſtaurat, uti ex Geneſeos cap. xv. apparet. Ea nempe exterorum apud indigenas conditio eſt, ut de malis ipſorum percipiatur lætitia, de lætis doleatur invideaturque, denique omni tempore multi dent operam, ut ſtantes dejiciantur, labentes propellantur, labentibus inſultetur, & fabula ac ludi ſint omnium, ubi corruerint. Cùm igitur Abrahamo extero metus impendere videretur minimè vanus tum ab exteris, tum à Regibus potentiſsimis, quos bello adortus cæciderat, tum ab odio incolarum inimicitias erga ipſum exercentium, tum denique ab invidentia eorum, qui ſe amicos ipſi profeſsi fuerant: propterea commodiſsimo tempore, ſtatim nimirum poſt patratum prælium, ipſum Dominus in viſione confirmatum ivit adverſus quemcunque, qui animum ipſius coxerat, metum. Verba Dei ſunt: אל תירא אברם אנכי מגן לך שכרך הרבה מאד *Ne timeas Abram, ego ſcutum tibi, merces tua multa valde*, Geneſ. xv. 1. Ubi partim adhortatur Deus Abrahamum, partim ipſi cavet. Adhortatur verbis: *Ne timeas.* Etſi enim in ſpeciem videtur à metu duntaxat dehortari, certum eſt tamen, contrariam his verbis ineſſe hortationem, ut abjecto omni metu bono animo ſit, fiduciámque ſibi ſumat, quamvis multis gravibúſque malis ipſum circumquaque circumſidentibus. Cavet autem ipſi tum ab omni malo, ſic promittens: *Ego ſcutum tibi ero*, tum de omni bono, nequicquam intervertentibus & impedientibus pro virili omnibus tum indigenis, tum exteris, dicens: *Merces tua magna valde eſt.* Et prior quidem cautio exprimitur ſimilitudine rei militaris, nimirum clypei, paſsim uſitata in Scripturis. In Græco eſt, ἐγὼ ὑπερασπίζω σου, *ego protego te.* Eodem modo Syrus. Sed Chaldæus [illegible]: ממרי תקוף לך *Sermo meus erit fortitudo tua.* B. Chryſoſtomus homil. 35. in Geneſim, vocis emphaſin ſic illuſtrat: Εἶτά φησιν, ἐγὼ ὑπερασπιῶ σου. πολλὴν ἔχει καὶ αὕτη ἡ λέξις τὴν ἔμφασιν. Ἐγὼ ὁ ἀπὸ τῶν Χαλδαίων σε ἀναστήσας, ἐγὼ ὁ ἐνταῦθα σε ἀγαγὼν, ἐγὼ ὁ τῶν κινδύνων τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἐλευθερώσας, ἐγὼ ὁ καὶ ἅπαξ καὶ δεύτερον ὑποσχόμενός σοι καὶ τῷ σπέρματί σου δώσειν τὴν γῆν ταύτην, ἐγώ σου ὑπερασπίζω, τουτέστιν, ἐγὼ ὑπεραγωνίζομαι, ἐγὼ ὑπέρμαχος γίνομαι, ἐγὼ φροντίζω, ἐγὼ πάντα δυσχερῆ, εὔκολά σοι καθίστημι. *Poſtea dicit: ego protegam te. Magnam & hæc dictio emphaſin habet. Ego qui te ex Chaldæa excitavi, ego qui te huc deduxi, ego qui te ex periculis in Ægypto eripui, ego qui ſemel atque iterum promiſi, daturum me ſemini tuo terram hanc, ego ille te protego, hoc eſt, ego pro te pugnam omnem ſuſcipio, ego tui curam gero, ego difficillima quæque tibi facillima reddo.* Altera verò cautio de bonorum amplitudine ad Abrahamum perventura, ſimile habet à re ſive forenſi ſive communi omnium, qua Deus Abrahamo ſpondet, quamvis neque de

Digitized by Google

inimicis victis commoda ulla perceperit, neque ab amicis oblata, neque ab indigenis debita, ſed in his rebus omnibus ſeſe quàm liberaliſſimè geſſerit, atque regio animo mercedem omnem contempſerit; Deum tamen minimè paſſurum, ut ſine mercede tantum beneficium in cognationem ſuam & gentem exteram contulerit. Hunc ſenſum etiam aſſecutus eſt B. Chryſoſtomus l. c. Ὁ μισθός σου πολὺς ἔσαι σφόδρα. οὐκ ἠϐουλήθης μισθὸν λαϐεῖν ὑπὲρ τῶν καμάντων, ὧν ὑπέμεινας τούτοις κινδύνοις ἑαυτὸν παραβαλών, ἀλλ' ὑπερεῖδες καὶ τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ δεδομένων. Ἐγώ σοι παρέξω τὸν μισθὸν, οὐ τοσοῦτον, ὅσον λαμϐάνειν ἔμελλες, ἀλλὰ πολὺν, καὶ σφόδρα πολύν. *Merces tua magna valde erit. q. d. Noluiſti accipere mercedem laborum tuorum, quos ſuſtinuiſti periculis hiſce te ipſum objiciens, ſed deſpexiſti & Regem, & ea quæ oblaturus ipſe erat. Ego tibi mercedem refundam non ejuſmodi, quam ibi accepturus eras, ſed magnam, & magnam valde.* Atque hæc interpretatio pluris eſſe nobis debet, quàm illa vulgata: *Ego ſum merces tua magna valde.* Nam ſi Deus, uti rectè arguit doctiſſimus Junius, ita dixiſſet, & Abraham Dei ſermonem accepiſſet, nunquam fuiſſet dicturus illico Abraham: *Domine Jehova quid daturus es mihi?* Sed pro pietate ſapientiáque ſua acquieviſſet ampliſſimæ illi promiſſioni Dei, neque ſupra Creatorem ſe ipſum dantem pro mercede ipſi fuiſſet deſideraturus quicquam. Proinde ſic etiam interpretantur reliqui Orientales ad unum omnes.

XXX. Mercedem ampliſſimam, quam promittebat Deus, tantùm non detrectabat Abraham, eò quòd careat juſtis hæredibus, ad quos merces illa tranſportari queat, uti queritur v. 2. & 3. Recuſat mercedem his verbis: *Domine Jehova quid daturus es mihi?* q. d. Planè non poſco, ſed præſentibus rebus facilè acquieſco, pietatem cum αὐταρκείᾳ magnum ſatis lucrum reputans. Rationem addit: *cùm tamen ego* הולך ערירי *abeam improles.* ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר *& filius procuratoris domus meæ eſt Damaſcenus ille Eliezer. En mihi non dediſti ſemen, & ecce filius domus meæ hæres meus eſt*, Geneſ. xv. 2. 3. Mens ejus eſt. Promiſſionibus tuis & hæredem & hæredis commoda mihi pronuntiaveras. Nunc verò quid opus eſt amplioribus commodis, cùm illa promiſſio de hærede meo peccato quaſi extincta ſit, & alium jam hæredem adoptaverim, de genuino deſpondens animum, filium nimirum procuratoris domus meæ, Damaſcenum Eliezerem. Cæterùm quid ſibi velit illa vox בן משך & quis fuerit ille Eliezer, quæri poſſit. Et vocem quidem משך, quod attinet, vulgatus reddit, *filius procuratoris* domus Abrahamicæ; Aquila, teſte Hieronymo in Quæſt. Hebr. ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος *filius potum dantis*, ſeu *procillatoris*, ſeu *pincernæ.* Theodotio ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου. *filius ejus qui ſuper domum meam eſt.* LXX. Seniores

res ὑὸς Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου *filius Maſec vernaculæ meæ.* Quaſi videlicet משק non ſignificativa ſed propria vox eſſet, filii à matre vernacula Abrahami progeniti. Syrus videtur omiſiſſe, vel eandem vocem feciſſe cum דמשק. Ita enim convertit: ואליעזר דרמוסקיא בר ביתי *Et Eliezer Damaſcenus domeſticus meus.* Chaldæus בר פרנסא הדן די בביתי הוא דמשק אליעזר *Filius gubernator ille qui in domo mea eſt, ipſe eſt Damaſcenus Eliezer.* Arabs *Gubernator domus meæ.* Non dubito, quin vox ſit appellativa potiùs quàm propria, cujus ſignificatus nobis ex Arabia arceſſendus. Apud Arabes enim משקה ſignificat *curam.* Proinde משק ביה notat *curatorem, procuratorem domus.* Ludit Boulducus, qui בן משק בית vertit *filium urticæ domus* Abrahæ, hoc eſt filium urticeæ domus. Quâ quidem periphraſi breviter & eleganter deſcribi ait *domus & habitacula Hebræorum & Filiorum Dei, quæ in tabernaculis translatitiis erant, & plerunque in locis deſertis inter vepres, ſpinas & urticas figebantur, ſuper quas vel juxta quas Prophetæ dormientes Divinas ſæpe in ſomnis viſiones & revelationes accipiebant.* Proinde filium *urticeæ domus* dici Eliezerem, *vel quia in tali loco ab Abram in Deo genitus eſt, vel quia de ſocietate & familia eorum eſt, qui habitant & pſallunt inter urticas & vepres,* de Eccl. ante legem Lib. III. 4. Ita impudenter ſomnia ſua venditare nobis audet Monachus. Semel quidem ממשק notat vepretum, nimirum Tzeph. II. 9. At משק *urticam* nuſpiam ſignificat. Sicut Hebræorum peculiaris ſecta, quam nobis obtrudere conatur, ita domus & habitacula Hebræorum in locis deſertis inter vepres & urticas defixa, fabuloſa planè & commentitia cenſeri debent. Quòd verò Eliezer ille filius curatoris Abrahamicæ domus vocatur דמשק æquè minùs planum & expoſitum eſt. Bonfrerius voce דמשק negat aliud ſignificari, quàm quòd præcedentibus illis verbis ſignificatur, *filius procuratoris.* Nam דמשק idem eſſe quod *ſanguis Meshek* ſeu *procuratoris.* Nimis autem notum eſſe illud, filium dici ſanguinem Patris, ut in illo Virgilii Æneid. 6. *Projice tela manu ſanguis meus.* Verùm utut apud Latinos inſolens non ſit *ſanguinem* dici pro *liberis:* apud Hebræos tamen ſignificatus hic non obtinet, ne in ſimplici quidem voce דם nedum in ejuſmodi compoſitione. Præterea דמשק ubique *Damaſcum* vel *Damaſcenum* notat. Non dubito igitur, quin אליעזר *Eliezer* ſit nomen proprium illius filii procuratoris domus Abrahamicæ; דמשק *Dammeſchek* autem gentile vel patrium, ſive quòd natus eſſet in agno Damaſceno, ſive quòd Pater ejus Damaſcenus fuiſſet, quod veriſimilius. Videtur enim Eliezer ille fuiſſe verna Abrahami. Idcirco conditionem ſuam deplorat, quòd vili mancipio omnia relicturus eſſet, ſi orbus maneret. R. Solomon Jarchi לפי התרגום מדמשק היה ולפי מדרש אגדה שרדף המלכים עד דמשק *Juxta Thargum Dammeſchek*

ſchek dicitur, quia ex Damaſco oriundus, & juxta Midraſch Agada, quia perſecutus eſt Reges Damaſcum uſque. Boulducum, qui hîc ſolemnia inſanit, & Eliezerem hunc Regem Damaſci facit, Abrahami ex Damaſco in Canaanæam ob ὁμόλιμον πίστιν comitem, ſuprà exploſimus. Tam ille audiendus, quàm ληρώδεις Hebræi, fingentes, quòd Eliezer hic antea fuerit ſervus Nimrodi, & poſtmodum factus Rex Baſan, Og, cujus mentio fit Num. XXI. 33. De quo ſtolidas proferunt fabulas, quomodo in caſtra Iſraëlitarum voluerit projicere montem trium miliarium; cùmque eum excutere vellet, illi fuiſſe dentes ejus impactos, poſtmodum Moſen ſecuri decem cubitorum amputâſſe ejus talos. Vide in Berachot cap. 9. fol. 54. nec non Schalſchel. Hakab. p. 7. ubi allegatur ſententia eorum in Midras, qui Eliezerem hunc ipſum Canaanem filium Chami faciunt. Quæ quidem omnia fabularum officinam olent.

XXXI. Cæterùm in hac reſponſione Abrahami, qua mercedem promiſſam detrectat, eo argumento, quòd prole careat, & alienum jam hæredem inſtituerit; videtur nonnihil periclitari ejus fides. Nam jam antea Deus promiſerat ei non tantùm terram, verùm etiam ſemen, adeóque propriam prolem. Annon igitur diffidentiæ ſpeciem habet, quòd alienum hæredem inſtituit, & de proprio ſere animum deſpondit? Reſpondent veteres quidam, Deum quidem antehac promiſiſſe Abrahamo ſemen, verùm quale ſemen ipſi daturus eſſet, proprium an adoptivum, corporale an ſpirituale, non expoſuiſſe. Verùm non ſatisfacit illa reſponſio. Neque enim credibile erat, Deum promiſiſſe Abrahamo poſteritatem legalem & adoptivam, cùm diſertè ei dixerit. Geneſ. XIII. 15. *Omnem terram quam tu vides, tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſeculum*. Magis aſſentior B. Chryſoſtomo, qui homil. 35. eâ de re ſic diſſerit. Τοὺς λογισμοὺς τούτους στρέφων ἐν τῇ διανοίᾳ, οὐδέποτε ἐδυσχέρανεν, οὐδέποτε βαρύ τι ἐφθέγξατο. Ἀλλὰ καὶ νῦν προτραπεὶς ἐκ τῶν πρὸς αὐτὸν ῥημάτων, παῤῥησιάζεται πρὸς τὸν δεσπότην, καὶ τῶν ἔνδοθεν λογισμῶν τὴν ταραχὴν κατάδηλον ποιεῖ, καὶ δείκνυσι τῆς ψυχῆς αὐτοῦ τὸ ἕλκος. δι' ὃ καὶ ταχεῖαν τὴν ἰατρείαν ἐδέξατο. *Cogitationes haſce volvens animo ſuo, nequaquam addubitavit, nec grave quid elocutus eſt. Verùm etiamnum provocatus ſermonibus ad ipſum factis libertate loquendi uſus ergo dominum, cogitationum ſuarum perturbationem manifeſtam fecit, & animæ ſuæ vulnus demonſtravit, propter quod etiam expeditam medicinam recepit.* Sunt igitur verba hæc Abrahami ad Deum facta potiùs obliquæ preces, quas fudit ad Deum de ſemine promiſſo ſibi repræſentando, quàm immodicæ expoſtulationis vel diffidentiæ argumentum. Quaſi diceret; Quorſum verò mihi tot bona, quæ liberaliter promittis, ſi prole perpetuò deſtituar? An ut ea relinquam vernæ meo?

meo? Atqui tu benedictionem promiſiſti in ſemine meo omnibus terræ familiis: Tempus eſt, ut non differas diutius id, ſine quo reliquæ benedictiones irritæ ſunt. Neque tamen hanc querelam ab omni infirmitate & tentatione diffidentiæ excuſari poſſe arbitramur. Omnia tamen Deus benigniorem in partem accepit, qui ſervi ſui animum probè inſpexerat, noverátque non tam plena diffidentiæ, quàm affectus hæc eſſe verba.

XXXII. Huic orationi Abrahami tribus modis reſpondet Deus, promiſſione, ſigno, & fœdere. Promiſſio ita habet: *Hic non erit hæres tuus, ſed qui egredietur de viſceribus tuis, ipſe hæres tuus erit. Suſpice nunc Cælum & numera ſtellas, ſi poteris numerare eas. Sic erit ſemen tuum*, Geneſ. xv. 4. 5. Promittit hæredem *ſuum*, uti vocant J. C. qui ex ipſomet quàmvis effœto naſciturus; nec non ingentem poſteritatem ex eo ſemine, æquè innumerabilem, atque ſunt ſtellæ Cœli. Similitudo illa à ſtellis cœleſtibus petita non flagellanda nimis eſt, uti faciunt, qui ſtellas ab Aſtrologis ſubduci poſſe putant, & numero earum inito repertas eſſe in univerſum mille & viginti duas. Eſt enim hæc proverbialis locutio, quâ utuntur etiam Scriptores exotici. Ita Catullus: *Aut quàm ſidera multa cùm tacet nox*. Et alibi: *Ille pulveris Erithrai ſiderúmque micantium ſubducat numerum*. Ovidius: *Quot Cælum ſtellas*. Si tamen ἀκριβολογεῖν lubet, reverâ etiam innumerabiles ſunt ſtellæ. Ita enim David facultatem numerandi ſtellas Cœli Deo facit eximiam Pſal. CXLVII. 5. מונה מספר לכוכבים *Qui numerat numerum ſtellarum*. Neque neceſſum eſt dicere cum Hebræis, poſt tempora demum Abrahami numeratas eſſe ſtellas ab Aſtrologis, quarum numerus tempore Abrahami ſubductus nondum fuerit. Revera enim, uti David profitetur, ſolius Dei eſt numerare ſtellas. Quamvis enim ſubduxerint Aſtrologi, Ptolomæus, Hipparchus, alii, numerum ſyderum ex pluribus ſtellis conflatorum, ſtellas tamen ipſas nec potuerunt numerare, nec omnes etiam videre, ne in ſuo horizonte quidem. Fatentur id ipſum quoque Philoſophi, Plato in Timæo, Ariſtoteles lib. I. de Mundo, Seneca Natural. quæſt. VI. 16. quos Pererius citat in Geneſin lib. II. q. 8. ubi Scripturas cum Aſtrologorum ſententia conciliare nititur. Porro quòd innumerabile ſemen Deus promittit Abrahamo, pertinet non ad carnale tantùm ſemen Abrahami, quod ex lumbis ejus fuit, imprimis illud quod poſtea legi ſubjectum fuit, verùm ad ſpirituale, puta, ad στοιχοῦντας τοῖς ἴχνεσι τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ πίστεως τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, *incedentes in veſtigiis fidei Abrahami Patris noſtri adhucdum in præputio exiſtentis*, uti explicat Paulus Rom. IV. 12. Et v. 16. aſſerit, confirmari promiſſionem hancce Dei in omni ſemine Abrahami, οὐ τῷ ἐκ τοῦ νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ πίστεως

 Ἀβραάμ,

Ἀβραὰμ, ὅς ἐστι πατὴρ πάντων ἡμῶν, non eo tantùm quod ex lege eſt, ſed & in eo quod ex fide Abrahami eſt, qui Pater eſt omnium noſtrum. Neque ſpirituale ſemen hîc intelligi juxta allegoricum duntaxat ſenſum, uti interpretantur Pererius, Bonfrerius, aliique commentatores Papiſtæ, inde apparet, quòd Paulus negat ſtabiliri poſſe illam promiſſionem in ſemine ſolo carnali, quod legi poſtea ſubjectum eſt. *Si enim*, ita argumentatur diſertè, v. 14. *qui ex lege hæredes ſunt, κεκένωται ἡ πίστις, καὶ κατήργηται ἡ ἐπαγγελία, exinanita eſt fides & abolita promiſſio.* Et tum fidem, qua Abrahamus, uti ſtatim videbimus, promiſſionem acceptavit, tum promiſſionem non tam *βεβαιοῦσθαι ſtabiliri*, quàm exinaniri & evacuari, ſi qui ex lege, hoc eſt, ſemen carnale legi ſubjectum, duntaxat hæredes ſint, probat fortiſſimè Apoſtolus. Etenim fidem evacuari hac ratione, demonſtrat, *quia lex operatur iram*; adeóque *evacuat fidem*, v. 15. Sanè ira incumbens peccatori propter tranſgreſſionem, & fides remiſſionis peccatorum, imputata ad juſtitiam, ſunt planè *ἀσύστατα*. Legem porro operari iram, demonſtrat eo argumento, quòd ubi Lex non eſt, ibi nec transgreſſio, quæ videlicet imputatur ad damnationem. Proinde lex operans transgreſſionem, ſeu ejus imputationem, eadem operatur iram. Jam & promiſſionem reddi irritam, ſi qui ex lege ſunt, reputentur hæredes, probat, quia ex quo non datur hæreditas omni ſemini, ex eo dari hæreditatem pugnat cum promiſſione. Atqui non ex lege, ſed ex fide dari hæreditatem omni ſemini, oſtendit, quia aliâs non *κατὰ χάριν, ſecundum gratiam* daretur hæreditas. Patet igitur, Deum promiſiſſe Abrahamo ſemen duplex. Unum ex lumbis ipſius, cujus parti ceſsit hæreditas terræ Canaan, quæ pars ſemini ipſius circumciſionem & legem accepit, & in qua etiam fuerunt hæredes juſtitiæ & mundi. Alterum fideles omnium familiarum terræ, inſiſtentes veſtigiis fidei Abrahamicæ.

XXXIII. Promiſsioni huic Abrahamus fide ſimpliciſsima acquievit. De quo ita Moſes: והאמין ביהוה ויחשבה לו צדקה *Credidítque Jehovæ, & imputatum eſt ei ad Juſtitiam.* Duo hîc quæri poſſunt: *qualis hæc fides Abrahami fuerit*: &, *quo ſenſu ei ad Juſtitiam imputata fuerit?* Prius quod attinet, dicitur Abrahamus credidiſſe ליהוה *Domino*, nempe promittenti ſemen, &, interprete Paulo Rom. IV. 5. *δικαιοῦντι τὸν ἀσεβῆ, juſtificanti impium.* Quæ fides non poterat non ferri in Chriſtum, benedictum ſemen Abrahami, & benedictionis omnis cauſam, unicum hujus promiſsionis nucleum. Idque probari poteſt certis rationibus. Etenim *primò* ſemen promiſſum interpretatur de ipſo Chriſto Paulus Gal. III. 16. Credidit igitur Abrahamus, in ſemine promiſſo contineri Chriſtum cauſam omnis benedictionis. *Secundò*

Abraha-

Abrahamus credidit ei qui juſtificat impium. Atqui Deus non juſtificat impium, niſi in Chriſto, & propter donationem juſtitiæ ipſius. *Tertiò* idem Paulus docet, promiſsionem obtigiſſe Abrahamo διὰ δικαιοσύνης πίστεως. *per juſtitiam fidei* Rom. IV. 13. Porrò Juſtitia fidei non fertur niſi in Chriſtum Rom. x. 6. 7. 8. *Quartò* ea fides imputata eſt Abrahamo ad juſtitiam. Atqui nemini fides imputari poteſt ad juſtitiam niſi credenti in Chriſtum, & δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης, *donum juſtitiæ* ejus per fidem apprehendenti. *Quintò* fidem Abrahami proponit Apoſtolus tanquam exemplar fidei, qua omnes credentes benedicuntur & juſtificantur. Atqui fides reliquorum ſalvandorum κυρίως fertur in Chriſtum. Quòd ſi igitur Abrahæ fides Chriſtum non reſpexit, regula & exempla inter ſe non conſentient.

XXXIV. Quo verò ſenſu Abrahamo fides imputata fuerit ad juſtitiam, ulterius inquirendum. Verba Moſis ſunt, יחשבה לו צדקה *imputavit eam ipſi ad juſtitiam.* Ita enim verbotenus verti poſſunt. Jam primum extra controverſiam ponimus, Deum imputâſſe fidem Abrahamo ad Juſtitiam, non Abrahamum Deo imputâſſe ad juſtitiam eam mercedem, quam ipſi promiſit, uti fabulantur inter Hebræos nonnulli. Quam tamen corruptelam non deſunt inter ipſos Hebræos qui confutent, eò quod יחשבה non poſsit niſi ad Dominum referri, cum relativum neceſſariò ſit referendum ad vocem אמונה *fidem*, quæ in verbo האמין includebatur. Sic enim paſsim in verbis includuntur nomina fœminea ab illis deducta, ut affixum fœmineum ſequens eò ſit referendum. Deinde nec hic ſenſus eſt Moſis, fidem Abrahamo reputatam eſſe pro egregio facinore. Quem ſenſum videtur tenuiſſe interpres Arabs, qui ſic convertit. פאמן באללה וכתבא לה חשבה *Et credidit Domino, & ſcripſit id illi in opus bonum.* Eodem tendit illa expoſitio Jarchii, הק״בה חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על האמנה שהאמין בו *Sanctus benedictus ille imputavit eam Abrahamo ad juſtitiam, & meritum, fidem nempe, quia credidit ei.* Sed & Origenes perfectam fidem fuiſſe in Abrahamo ſomniavit, quæ mereretur ad juſtitiam reputari, *quoniam*, inquit, *non ei, qui ex parte, ſed ei qui perfectè credit, fides ad juſtitiam reputatur.* Colludunt cum veteribus Juſtitiariis Hebræis tum Sociniani tum Papiſtæ; quorum illi fidem habitam promiſsioni de vocatione gentium & multiplicatione generis, Abrahamo imputatam eſſe ad juſtitiam, hoc eſt, fidem tanquam initium obedientiæ ei reputatam eſſe, per acceptilationem, uti nuncupant J.C. pro plena juſtitia juſtificante, contendunt. Hi verò, uti Saliani verba recenſeam, *hoc tam inſigni actu fidei promeritum eſſe Abrahamum Juſtitiam & ſanctitatem ampliorem* (ſeu ut alii loquuntur, Juſtificationem ſecundam, in juſtitiæ incremento conſiſtentem) *adeòque acceſſiſſe hunc virtutis fidei*

Digitized by Google

tis fidei actum ad cæteros multarum virtutum actus, quos jam plurimos exercuerit, & eum illis computatum & connumeratum eſſe ad coronam, aſſerunt. Quibus omnibus ſi credimus, fides tanquam inſigne aliquod opus Abrahamo ex quodam merito computata & connumerata fuerit ad cumulum reliquarum virtutum, ſeu juſtitiæ propriæ & inhærentis. Nos autem nulli dubitamus, quin fides illa Abrahami, quæ pro objecto habuit Chriſtum Salvatorem, uti jam probavimus, ei imputata fuerit ad juſtitiam, hoc eſt per μετάληψιν, Chriſtus ipſe, fidei illius objectum, & ejus meritum ipſi ad juſtitiam qua coram Deo juſtificatus eſt, imputatum fuerit. Neque enim fides Abrahami imputata ipſi ad juſtitiam opus fuit, cùm operanti merces imputetur, ὐ κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα, *non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, credenti verò ſecundum gratiam*, uti arguit Apoſtolus Rom. IV. 4. Cui ſua fides imputatur Juſtitia, ſive cujus fides judicatur eſſe id, cum quo jus petendi mercedem connexum eſt, ei manifeſtum eſt fidem imputari juſtitiam non operanti. Si enim operanti demum imputatur juſtitia, atque ita opus reputatur juſtitia, utique fides non imputatur juſtitia. Sic v. g. Saulus edixerat, qui Goliathum occideret, eum generum ſuum fore. Credebant id Iſraëlitæ omnes. Neque tamen ulli Iſraëlitarum jus erat petendi filiam Regis, niſi qui monomachum Goliathum occidiſſet. Nempe operanti non credenti hoc jus Rex addixerat. At ſecus planè habuiſſet, ſi credenti hoc jus addictum fuiſſet. Sic igitur cui credenti imputatur Juſtitia, ei non operanti imputatur, & vice verſa. Cùm ergo Abrahamo credenti imputata ſit juſtitia, utique non operanti imputata eſt, adeóq; fides ipſius non fuit opus, quod reputari poſſet pro parte juſtitiæ. Accedit deinde aſſertio Pauli v. 5. *Ei qui non operatur, ſed credit in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ſua ad juſtitiam.* Unde patet, eum, cui fides imputatur ad juſtitiam, credere in Deum, *qui juſtificat impium*, ſive reum & damnatum. Id ſi verum eſt, quomodo fides ut opus computatur pro parte vel incremento juſtitiæ propriæ, & non potiùs credenti in Chriſtum imputatur juſtitia Dei, hoc eſt, peccatori juſtitia aliena donatur? Idque porro ex ipſa hiſtoria Abrahami luculentiſsimè colligi poteſt, ne Judæi Apoſtolum ita interpretantem accuſare poſsint. Dixerat Deus ad Abrahamum. *Noli metuere: Ego clypeus tuus, & merces tua magna valde.* Nihil aliud credere poterat Abrahamus, quàm Deum ſibi clypeum eſſe, & mercedem magnam præparâſſe. Id credendo juſtus fuit. Jus enim habuit petendi à Deo defenſionem adverſus omnem accuſationem & vim, & maximam adeò hæreditatem, fidei ſuæ fructum. Atqui ea fides nec opus fuit, quod quiſquam promereri poſſet, nec computari potuit pro juſtitiæ propriæ parte, vel juſtitia univerſali propria. Sic enim

judicium

Digitized by Google

judicium Dei non fuiſſet ſecundum veritatem. Reſtat igitur, ut fides illa, ſive id quod credidit, Chriſtus nempe, ſemen ipſi promiſſum, ejúſque meritum & obedientia, ipſi imputata fuerit ad juſtitiam. Præterea, ſi obtineret interpretatio illorum, juſtificatus fuiſſet Abrahamus ex operibus, & habuiſſet *καύχημα gloriationem coram Deo*, quod utrumque diſertè negat Apoſtolus. Denique ſi fides Abrahamo eſt imputata ad juſtitiam, ſeu ut præclarum opus reputata pro juſtitiæ parte vel juſtitia univerſali propria, quidni alia etiam opera, & virtutes Abrahæ venirent in cenſum juſtificationis, quales ſunt deſertio Patriæ, liberatio Lothi captivi, immolatio filii. Atqui Apoſtolus juſtificationem Abrahami ſoli fidei adſcribit. Atque ex his rationibus colligimus, Abrahamum juſtificatum eſſe per ſolam fidem, hoc eſt propter juſtitiam Chriſti ipſi imputatam & fide certa apprehenſam.

XXXV. Neque contra nos proficiunt argumenta, quæ huic S. Literis analogæ explicationi objiciunt οἱ ἐξ ἐναντίας. *Primò* tricantur in voce *imputandi*. Negant eam vocem vel Moſi vel Paulo adhibitam eſſe. Nam Moſen quidem vocem חשב *putare, cogitare*; Paulum verò λογίζεσθαι, *putare, æſtimare*, non ἐλλογεῖν *imputare*, uſurpâſſe. Ita Sanderus aliique Sophiſtæ clamant. *Secundò* negant nunc demum Abrahamum juſtificatum eſſe, poſt liberatum Lothum, & promiſsionem Divinam fide receptam, cùm jam antea & fidelis & obediens fuerit. *Tertiò* de opere Pinehaſi eodem modo dicere Davidem: ותחשב לו לצדקה καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. Neque tamen inde ſequi, quòd eo opere & ſolo quidem juſtificatus fuerit. Verùm ea argumenta nihil omnino ſoliditatis habent. Non *primum*, quod in vocabulis hæret ſine fructu. Neque nos illi voci *imputandi* mordicus inhæremus, ſed rem potiùs ſignificatam ſpectamus. Igitur τὸ λογίζεσθαι & חשב ſive *putare* dicas, ſive *imputare*, ſive *deputare*, ſive *æſtimare*, perinde nobis eſt, qui exiſtimamus, tam conſideratè locutum eſſe Apoſtolum, ut niſi nobis ipſis imponere velimus, non poſsimus ex ejus verbis aliud elicere, quàm id ipſum, quod ſignificamus, cùm hac voce imputandi utimur. Sanè etiam Jeſuita Salmero tract. 30. in Epiſt. ad Romanos, obſervat, voces Latinas *reputare*, *imputare*, *accepto ferre*, *deputare*, uni ſoli Græcæ voci λογίζεσθαι reſpondere. Et Gabriël Voſquez in primam ſecundæ tomo 2. diſp. 132. num. 4. diſertè λογίζεσθαι ſignificare Latinè *imputare* adſeverat. Neque vetus interpres vocem λογίζεσθαι dubitavit convertere per *imputare*. Nempe λογίζεσθαι utut ſimplex, tamen cum dandi caſu conſtructum vim habet compoſiti ἐλλογεῖν. Adeóque λογίζεσθαί τινί idem eſt quod ἐλλογεῖν. Unde apud Varinum in λογίζομαι legere eſt: τὰ τῶν παιδῶν ἁμαρτή-

Digitized by Google

μαζῶ ὁ Θεὸς τοῖς πατράσι λογίζεται, ἀντὶ τοῦ προσλογίζεται καὶ ἀναλίσκει. Ubi *λογίζεσθαι τινί* pro *προσλογίζεσθαι* uſurpari manifeſtè docet. Ita etiam vox חשב etſi primò ſignificet *putare, cogitare*; tamen certum eſt, ſumi etiam pro *λογίζεσθαι*, & *ἐλλογεῖν*. Ita 2.Sam. XIX. 20. אל יחשב לי ארני עון *ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem*. Sed quicquid fiat de voce *imputandi*, ipſa res verbo חשב & *λογίζεσθαι* ſignificata plana eſt. Eſt nempe phraſis illa *λογίζεσθαι* ſumpta à mercatoribus, qui ſolent tabulas accepti & expenſi conficere. DEUS nempe non eſt incurioſus & negligens ſui honoris. In libro ejus ſcriptæ ſunt rationes tum expenſi tum debiti, quid dederit ipſe nobis, quidque ei debeamus nos. Cúmque in altera pagina ſcribi non potuerit obedientia noſtra, & debiti noſtri ſolutio, nihil aliud ibi, ut juſtificemur, & juſtitiæ Dei ſatisfiat, ſcribi potuit, quàm *δικαίωμα* ſive meritum, quod valet ad multorum juſtificationem, adeoque juſtitia & obedientia Chriſti, nec non fides, per quam ejus participes ſimus. Neque ſolidius eſt argumentum *ſecundum*, quod objicitur. Quamvis enim Abrahamus jam ante per fidem juſtus fuerit, nihil tamen impedit, quò minùs repetitæ huic promiſſioni credens, per fidem juſtificatus dicatur. Nempe quòd Abrahamo dicitur fides ſua imputata ad juſtitiam, intelligendum id non tam de imputationis fidei *inchoatione* quàm *continuatione* & *progreſſu*: ſicut quotidie petimus nobis remitti peccata. Nempe ſinguli actus fidei ſecum ferunt renovationem hujus beneficii juſtificationis, quoad ejus in nobis ſenſum. Etſi enim juſtificatio ſit actus momentaneus; ſenſus tamen ejus, qui etiam fit per fidem, quotidie renovatione indiget. Denique nec *tertium* argumentum momenti quidquam habet. Non diffitemur enim, quin ei, cui fides imputata fuerit ad juſtitiam, etiam opus cui fides cooperatur, alio ſenſu dici poſſit *imputari ad juſtitiam*, hoc eſt, declarari à Deo argumentum Juſtitiæ & benedictionis paratæ. Atque ita Pinehaſo Deus factum ſuum reputavit juſtitiam, quia declaravit eum ex zelo pro ſe id feciſſe, & ei fœdus ſuum addixit. Ita enim juſtificatio ex fide in ſe plena & perfecta, per opus magis magisque confirmatur & certa fit ad conſcientiam. Et hoc eodem ſenſu etiam Abrahamus ex operibus juſtificatus dicitur à Jacobo, quia nimirum opera ejus declararunt præcedentem juſtificationem ex fide.

XXXVI. Hactenus explicavimus *promiſſionem* Dei Abrahamo in Elon Mamre factam. Sequitur *ſignum*. Poſtquam enim Deus *μεσιτεύων ὅρκῳ*, *intercedente juramento* per ſe ipſum, promiſſionem antea promulgatam repetiit, Abrahamus ſignum petiit his verbis: ארני יהוה במה ארע כי אירשנה *Domine Jehova, in quo cognoſcam quòd poſſidebo eam.* Geneſ. xv. 8. An peccati reum

reum ſe fecerit Patriarcha, poſtulans poſt auditam tam claram & certam promiſſionem ſignum, quæri poteſt. Videtur enim ſignum expetens dubitâſſe de Divina promiſſione. Hîc Jarchius reſpondet, non tam inquiſiviſſe Abrahamum expetito ſigno, an ei terram Deus daturus eſſet, ſed quo pacto, quibusve adeò artibus & vitæ inſtitutis poſteri illam retinere poſsint. Ac reſpondiſſe Dominum, ſacrificiis fieri poſſe ut eam retineant poſteri. Verba ejus ſunt: לא שאל לו אות אלא אמר לבניו הודיעני באי זה זכות יתקיימו בה ואמר לו הקב״ה בזכות הקרבנות: *Non petiit pro ſe ſignum, ſed dixit propter filios ſuos: Demonſtra mihi, quæ ſit illa juſtitia, qua freti illi etiam in terra hac conſiſtent? Et dixit Sanctus benedictus; in juſtitia ſacrificiorum.* Non longè abeunt ab hac ſententia Rupertus & Cajetanus, qui Abrahamum quidem ſignum petiiſſe à Deo fatentur, non ſua tamen cauſa, utpote qui iſtiuſmodi adminiculis haud indigeret, ſed propter poſteros, qui tum ob adipiſcendæ rei difficultatem, tum ob multiplices calamitates eis obventuras dubitare potuiſſent de hac promiſsione, niſi fides ejus manifeſto aliquo pacto, & ingenti portento præmunita foret. Verùm neutra ſententia amplectenda eſt. Neque enim vel propter poſteros tantùm, ſed propter ſe imprimis interrogavit Patriarcha, dicens: במה ארע *In quo cognoſcam ego?* Neque ſacrificiis typicis & externis retineri poſſe hæreditatem à poſteris Deus profiteri voluit, cùm tempus venturum eſſet, quo cultum illum ſacrificiorum Deus abominaturum ſe prædixit. Reſpondent igitur alii, non tam dubitâſſe Abrahamum de promiſsione ſibi facta, quàm de ejus implendæ modo, ordine & tempore. Ita Chryſoſtomus homil. 35. in Geneſin, Abrahamo dicenti; *In quo cognoſcam*, tribuit hæc verba: Ουχ ὅιόν τι με διαπιστῆσαι, ἀλλ᾽ ὅμως ἐβουλόμην καὶ τὸν τρόπον μαθεῖν, πῶς αὐτὴν μέλλω κληρονομεῖν. ὁρῶ γὰρ καὶ ἐμαυτὸν λοιπὸν πρὸς γῆρας ἐληλακότα, καὶ μέχρι τοῦ παρόντος ὡς ἀλήτην ἐνταῦθα περιϊόντα. καὶ οὐ δύναμαι ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ καταλαβεῖν τὸ ἐσόμενον. Ἐι καὶ, ὅτι περιλαβὼν φησιν, ἐπίστευσα τοῖς εἰρημένοις, ὅτι δὴ ὡς παρὰ σοῦ λεχθεῖσι, τοῦ δυναμένου καὶ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν, καὶ πάντα ποιοῦντος καὶ μετασκευάζοντος οὐ νῦν ἀπιστῶν τοῦτο ἐρωτῶ, ἀλλ᾽ ἐπεὶ πάλιν τῆς κληρονομίας ὑπέμνησας, ἤθελον καὶ παχύτερόν τι σημεῖον καὶ ἐναργὲς δέξασθαι τὸ δυνάμενόν μου τῶν λογισμῶν τὴν ἀσθένειαν ἐπιῤῥῶσαι. *Haud equidem quòd non habeam tibi fidem, hoc quæro: ſed ſimul etiam volebam perdiſcere modum, quo terram illam hæreditaturus ſim. Video enim me ab extrema ſenectute non procul abeſſe, & huc uſque in terra illa tanquam peregrinum ſeu erronem vagari. Neque humana ratiocinatione aſſequi poſſum id, quod futurum eſt. Haud equidem dubitare poſſum de iis, quæ abs te dicta ſunt, cùm ſciam te ex nihilo produxiſſe omnia & poſſe quicquid velis, neque quicquam voluntati tuæ obſiſtere. Interrogo*

 igitur

Digitized by Google

igitur non ut incredulus, ſed quia iterum hæreditatis hujus meminiſti vellem equidem craſſius aliquod & certius ſignum accipere, quod infirmas cogitationes meas corroborare poſſit. Eandem explicationem habet tum Auguſtinus de Civ. Dei lib. XVI. 24. tum Theodoretus in Geneſin q. 64. qui poſterior etiam eam demonſtrare conatur ex proximè adjuncto ſacrificio Abrahæ & ſermone, quem cum eo Deus habuit, quo modum ordinem & tempus complendæ illius promiſsionis diſtinctè ac dilucidè oſtendit. Cæterùm, cùm Abrahamus dixerit: *Domine* במה אדע *in quo cognoſcam*; adeóque non tam petierit modum implendæ promiſsionis ſibi revelari, quàm argumentum, quo inductus certò ſtatuere poſsit, ſe terram illam hæreditatis jure poſſeſſurum; planum eſt, nec hanc S. Patrum explicationem textui ſacere ſatis. Puto igitur, non equidem dubitâſſe Abrahamum de Veritate Divinæ promiſsionis, ſed expectâſſe tamen à Deo pleniorem factæ jam promiſſionis confirmationem, idque propter agnitionem propriæ infirmitatis, quæ media legitima quæ ad rem ipſam penitiùs cognoſcendam pertinebant, nec abjiceret nec negligeret. Sic enim fideles, Dei familiaritate allecti, auſi ſunt à Deo petere poſt fidem promiſsis adhibitam, circumſtantiarum pleniorem notitiam. Exemplo ſunt Gedeon Judic. VI. 15. B. Virgo Maria. Luc. I. 34.

XXXVII. Materia ſigni Divinitus exhibiti Abrahamo deſcribitur Geneſ. XV. 9. קחה לי עגלה משלשת ועז משלשת ואיל משלש ותור וגוזל: *Sume mihi* (ita vulgatus habet) *vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.* עגלה משלשת LXX. Interpretes transferunt *δάμαλιν τριετίζουσαν, Juvencam triennem.* At Onkeloſus paulò aliter accepit textum, quem ita reddit: קריב קדמי עגלין תלתא ועזין הלרה ודכרין תלתא ושפנינא ובר יונה *Offer coram me vitulos tres & capras tres, & arietes tres: & turturem & filiam columbæ.* Vocem igitur משלשת Interpres hic reddit *tres*, non *trimam.* Eodem modo etiam R. Solomon Jarchi: עגלה משלשת שלשה עגלים רמז שלשה פרים פר יום הכפורים ופר העלם דבר של צבור ועגלה ערופה *Tres vituli deſignant tres juvencos; juvencum qui offerebatur die propitiationum; & juvencum qui offerebatur pro re quæ latebat eccleſiam: & vitulam, quæ decollabatur.* Neque aliter Kimchius in Lexico, uti verba ejus ſunt: פרוש שלש עגלות ואין לומר בת שלש שנים כי בת שלש שנים יקרא פרה: *Significantur tres vitulæ. Neque dicendum, vitulam triennem intelligi quia cùm triennis eſt, vocatur* פרה. Alii tria ſacrificiorum genera, holocauſtum, ſacrificium pro peccato & pacifica intelligunt. *In Bereſchit Rabba* cap. 42. tres Babylonis Reges Nebucadnezarem, Evilmerodachum & Belſatzarem, de quibus Propheta Daniel agit, indigitari ajunt. Verùm aſſentior omnino Inter-

Digitized by Google

Interpretibus Græcis, Samaritano, Syro, Arabi, qui reddunt *triennem* ſeu *trimam* non triplicem. Ita etiam Joſephus Antiq. lib. l. 11. vocat δάμαλιν τριετίζουσαν *juvencam trimam*. Et Jonathan עגלא ברת תלת שנין *vitulam filiam trium annorum*. Sed & Abenezra diſertè vocat בת שלש שנים *filiam trium annorum*. Nam quod Maimonides tract. de Sacrif. cap. 1. 14. & Kimchius l. c. pertendunt, ubi dicitur עגל intelligi bovem anniculum ſemper, & biennem vel triennem vocari פר non eſt perpetuum. Nam Hoſ. x. 11. עגלה dicitur vacca jam מלמדה *inſtituta* אהבת לדוש *amans triturare*. Et Eſai. VII. 21. 22. עגלת בקר *vitula bovis*, quæ jam eſt diſtenta lacte, ex quo fiat butyrum. Imò Eſai. XV. 5. עגלת שלישיה aliter explicari non poteſt, quàm vitulus trium annorum, uti facit ibi etiam Kimchius ſui oblitus. Neque mirum, cum etiam Virgilius Ecloga tertiâ vitulam vocet, quæ *bis venit ad mulctram, binos alit ubere fructus*. Cur porro animalia terreſtria trima eſſe voluerit Deus, ratio fortaſsis inde reddi poteſt, quia tali ætate denotatur perfecta magnitudo & robur iſtorum animalium. Ita enim trimus aries eſt, qui in pleno robore & vigore ætatis eſt. Unde apud Lucianum in Deorum Dialogis Ganymedes à Jove raptus, & dimitti petens, pro λύτρῳ ſuo promittit ſe arietem Jovi immolaturum τὸν τριετῆ, τὸν μέγαν, ὃς ἡγεῖται πρὸς τὴν νομήν, *triennem, magnum, qui gregi in paſcua preit*. Qualis aries ἀρνειὸς & μοσχίας Græcè dicitur. Ita Heſychius ἀρνειὸς, ὁ τριετὴς κριός. Eadem mens eſt Chryſoſtomi homil. 26. in Geneſin: τριετίζοντα λαβεῖν προσέταξε, τοῦτ᾽ ἔστι τέλεια ἀπηρτισμένα; *Mandavit accipi triennia, hoc eſt perfecta & completa*. Quod תר וגוזל quas accipere juſſus Abraham, certum quidem eſt, תר notare τρυγόνα *turturem*. Sed de ſignificatu vocis גוזל non æquè certi ſumus. Græci ſanè vertunt περιστερὰν *columbam*. Syrus בר יונה *pullum columbæ*. Arabs eodem modo פרך חמאם *pullum columbarum*. Neque aliter vulgò. Sed doctiſsimo Bocharto Hieroz. p. II. cap. 2. non ſine ratione placet, גוזל non tam *columbam* hîc ſignificare, cùm Abrahami ætate columbæ incognitæ fuerint, quippe à Græcis primùm in Aſiam invectæ, uti vel ſola vox יונה à יונים Græcis ita dicta arguit, probare videtur; quàm pullum turturis. Nam apud Arabes teſte Damire אלגואזל notat pullos columbarum & avium homogenearum, quales ſunt turtur, palumbus, livia, vinago, aliæque ejuſmodi aves, quæ ad columbinum genus referuntur. Porrò גוזל Arabibus id ipſum eſt quod Hebræorum גוזל. Deſcendit autem ab Arabico גזל *pipire*, non Hebræo גזל quod eſt *rapere*. Cur verò hæc potiſſimùm animalia & non alia Deus juſſerit Abrahamum deligere, ratio in promptu eſt. Nempe ea ipſa animalia ſub Lege munda erant, adeóque adhiberi ad ſacrificium poterant, quibus ſub Lege acceſſit

unus paſſer, qui in Sacrificio pro emundatione lepræ adhiberi poterat. Videatur ea de re Philo Judæus de victimis. Analogiam porrò hujus ſigni cum re ſignificata poſtmodum attingemus.

XXXVIII. Animalia hæc Abrahamus obſecuturus mandato Dei, accepit, ויבתר אותם בתוך ויתן איש בתרו לקראת רעהו ואת הצפר לא בתר *diviſit ea per medium, & poſuit unamquamque partem è regione partis correſpondentis. Sed aves non diviſit.* Geneſ. xv. 10. Cur diſſecuerit animalia terreſtria non volatilia, cauſa eſt myſterium, de quo poſtea. Sed & ſolicitudo & conſtantia Abrahami in eo maximè conſpicua eſt, quòd inde uſque ad tempus noctis, exſpectans quid ſibi Deus vellet, in loco conſtitit, & עיט *aves rapaces*, quæ cadaveribus inhiabant, diligenter religioſéque arcuit; uſque dum ei ex indeſinente illa obſervatione fatigato ſubrepſit ſopor, quo Deus metum graviſſimum incuſſit Abrahamo, eóque religioſo metu eum comparavit ad ſanctam perceptionem rerum ſequentium, quâ Dei ſermones & ſigna commodiùs perciperet, uti v. 11. & 12. narratur.

XXXIX. Jacentibus adhuc animalium ſegmentis, & Abrahamo alto ſopore ac metu oppreſſo, Deus ad eum ſermones varios facit, & rerum futurarum fata ei prædicit Geneſ. xv. 13.---17. Sermonum illorum ſumma eſt, hiſtoria de Abrahamo & ſemine ipſius. Et *primò* quidem ſignificat Deus, peregrinum futurum ejus ſemen בארץ לא להם *in terra non ſua*, & ſerviturum illis, affligendúmque ארבע מאות שנה *quadringentos annos* v. 13. Unde incipiendi ſint illi anni quadringenti, quibus peregrinum & afflictum fore ſemen ejus in terra peregrina dicitur, diſceptatur maximis contendentium ſtudiis. Nos ea, quæ rationem temporum concernunt, peculiarem in locum rejicienda putavimus. Peculiari nempe Exercitatione de Annis Patriarcharum poſt diluvium, Deo faciente, acturi ſumus. Atque ibi quæſtionem hanc intricatiſſimam cæteroquin expedire animus eſt. *Secundò* prædicit Deus gentem illam, cui ſervient poſteri, ſuo tempore etiam judicandam: atque tum ſemen Abrahami egreſſurum cum magna ſubſtantia, v. 14. Cujus quidem prædictionis eventus in libro Exodi prolixè recenſetur. *Tertiò* Deus ipſum Abrahamum monet de propriis ipſius fatis, puta tranquilla ipſius vita & vitæ exitu, his verbis: *Tu verò ingredieris ad Patres tuos in pace, ſepelieriſque in ſenectute bona.* Cujus denuntiationis eventum in hac ipſa hiſtoria videbimus. Denique Deus Abrahamo deſignat tempus illud, quo ſemen ipſius mittendum in poſſeſſionem terræ Canaan. Verba Dei ſunt: *Et generatione quarta revertentur huc*, כי לא שלם עון האמרי עד הנה *quia nondum impleta eſt iniquitas Emoræi uſque adhuc* v. 16. Unde generationes illæ quatuor incipiendæ ſint diſquirendum fuerit, ubi

Digitized by Google

ubi de annis Patriarcharum diſputationem ſuſcipiemus. Quo verò ſenſu nondum fuerit impleta, עון *iniquitas* Amorrhæorum eo tempore, quo hæc verba ad Abrahamum Deus fecit, dubitari poteſt. Cùm enim עון duplicem in Scripturis habeat notionem, puta tum *peccati*, ſeu *iniquitatis*, tum *pœnæ*, ſeu *vindictæ* ob peccatum & iniquitatem. Qui priori ſenſu accipiunt, exiſtimant, nondum impleviſſe tum temporis Amorrhæos menſuram peccatorum ſuorum, ob quæ peremptorium judicium ipſis decretum fuerat. Rationem reddit Jarchius his verbis: שאין הק״בה נפרע מאומה עד שתתמלא סאסה שנ׳ בסאסאה בשלחה תריבנה *quia Sanctus Benedictus non punit quemquam donec impleta fuerit menſura, ſicut dictum eſt.* Eſ. XXVII. 8. *In menſura, in plantatione ejus judicabis eum.* Sic etiam S. Chryſoſtomus homil. 36. in Geneſin: ὡς ἂν εἴποι τις, οὐδέπω τοσοῦτον εἰργάσαντο πλῆθος πλημμελημάτων, ὡς τοιαύτην ὑποσχεῖν δίκην. Φιλάνθρωπος γὰρ ὢν οὐ μόνον τῶν ἐπταισμένων μείζους οὐκ ἐπάγει τὰς τιμωρίας, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἐλάττους. *Perinde ac ſi quis diceret: Nondum tum multa peccata perpetrârunt, ut eam promeruerint vindictam. Quippe Deus adeò humanus cùm ſit, adeò graviores meritò peccatorum pœnas non imponit, ut potiùs multò imponat minores.* Verùm dubitari non poteſt, quin Deus jam tum Amorrhæos exterminare potuerit, ſi peccatorum ipſorum merita expendiſſet, & jure ſuo uti voluiſſet. Potius eſt igitur, ut *iniquitatis* nomen ſumatur pro ipſa *vindicta* ob iniquitatem decreta, atque ſenſus ſit, nondum veniſſe tempus à Deo definitum, quo pœnâ illâ in eorum ſcelera vellet animadvertere. Atque ita tota mora illa ad ſapientiæ divinæ decretum referri debet, qui ita vult exercere juſtitiam, ut etiam oſtendat ſuam in tolerandis & exſpectandis ſceleribus patientiam.

XL. Ad ſignum Abrahamo oblatum pertinet, quòd Sole ad occaſum vergente, & caligine oborta, apparuit תנור עשן ולפיד אש.אשר עבר בין הגזרים האלה *fumus fumans & lampas ignea quæ tranſibat inter ſegmenta, ſeu diviſiones ipſas.* Geneſ. XV. 17. Notari per lampadem igneam τὴν τοῦ θεοῦ ἐνεργείας παρουσίαν *Divinæ operationis præſentiam*, rectè obſervat Chryſoſtomus. Furnus autem fumans deſignat Abrahamum & in ejus lumbis Iſraëliticum populum. Uterque igitur & Deus & populus Iſraëliticus tranſibat per ſegmenta illa ſeu διχοτομήματα animalium diſſectorum, ad ineundum nimirum fœdus, uti ſtatim ſequitur. Qua in re conſpicuus eſt ritus antiquiſſimus in pangendis fœderibus, quo partes contrahentes inter diſſecta animalia tranſire ſoliti ſunt. Unde gravis illa incuſatio Iſraëlitarum Jerem. XXXIV. 18. *Tradam homines iſtos, qui transgreſſi ſunt fœdus meum, qui non præſtiterunt verba fœderis, quod coram me pepigerunt* העגל אשר כרתו לשנים ויעברו בין בתריו *cùm tranſierunt inter dimidias partes ejus vituli, quem in duo diſſecuerant.*

Digitized by Google

ſecuerant. Nempe Principes Judæ & Principes Jeruſalem, eunuchos & Sacerdotes, totumque populum hujus terræ, qui inter dimidias vituli partes tranſiverunt. Hinc Judæi in precibus ſuis ita precari ſolent: אנא מלך רחום וחנון זכר ובט לברית בין הבתרים *Obſecro Rex miſericors, & gratioſe, recordare & reſpice fœdus inter ſegmenta initum.* In libro precum Judaicarum. Et ex eodem ritu eſt, quòd apud Arabes verbum קסם ſignificat *partiri*, & *jurare*, quia partitis diſſectiſque animalibus juramenta fœderum adhibebantur. Et ab hoc ritu uſitato in fœderibus ipſum fœdus ineundi actionem deſcriptam eſſe Hebraica phraſi כרת ברית nec non Chaldaica גזר קים *ferire, icere, percutere fœdus*, annotavimus tom. I. Exercit. II. 19. Ubi etiam Chaldæorum, Bœotorum, Molottorum, Romanorum ſimilem conſuetudinem recenſuimus. Unum nunc addam, ſi Dictys Cretenſis ὁ ψευδώνυμος fidem aliquam mereatur, ritum illum inde ab heroum ætate tam apud Græcos quàm Trojanos, uſu receptum fuiſſe. Nam lib. 5. Diomedes atque Ulyſſes jurare incipiunt, permanſuros ſe in eo, quod ſibi cum Antenore conveniſſet, teſtéſque eam in rem Jovem ſummum, Terrámque matrem, ſolem atque oceanum fore. Dein exciſis in duas partes hoſtiis, quæ ad eam rem admotæ erant, ita ut pars ad ſolem, reſiduum ad naves ſpectaret, per medium tranſeunt. Dein Antenor in eadem verba placitum confirmat. Et libro ſecundo Agamemnon, Sacramento confirmaturus quicquid Achilli promiſerat, afferre hoſtiam lictores jubet, ac mox ſublatam ſupra terram, cùm eam duo, quibus imperatum erat, ſuſpenſam tenerent, gladium vagina educit, eoque bifariam exciſam hoſtiam in conſpectu, uti diviſerat, collocare. Dein ferrum ſanguine oblitum manu retinens, inter utrámque ſacri partem medius vadit. Huc etiam referri poteſt, quod in Toxari meminit Lucianus, apud Scythas, ſi quis ab alio potentiore læſus eſt, eum bovis immolati tergori inſidentem, carnes fruſtulatim conciſas, & igne toſtas pretereuntibus offerre. E quibus quotquot comedunt, & bovis tergus dextro pede calcant, ſe illi pro viribus adfuturos pollicentur. Unde apud eos *tergus calcâſſe* erat idem quod *jurâſſe*. Nec admodum diſſimile eſt quod de Tongis Indiæ populis legimus apud Nicolaum Godiginum in vita Gonzali Silveriæ. *Quando*, inquit, *aliquid ſtabilire juramento voluit, terræ pugillum, vel incenſam favillam manu ſumunt, & in ſufflantes demittunt in terram, tum jurejurando rem affirmant vel negant, adduntque velle ſe ita flammis in pulverem reduci, ſi pejerarent.*

XLI. Signo huic ſuccedit ipſum *fœdus*, quod Deus inivit cum Abrahamo de hæreditate integra poſteris ejus tradenda beneficio ipſius. *Die ipſo*, inquit Moſes, *pepigit Jehova fœdus cum Abram dicendo: ſemini tuo dabo terram*

Digitized by Google

ram hanc à flumine Mizraim uſque ad flumen illud magnum, flumen Perath, Cenæum & Cenizæum & Cadmonæum, & Hittæum & Perizæum, & Raphaim, Emorrhæum quoque & Cananæum, & Girgaſæum & Jebuſæum, Geneſ. xv. 18. 19. 20. 21. Promittitur ſemini Abrahæ hæreditas terræ Canaan inde à flumine Mizraim uſque ad flumen magnum, flumen Perath. Per נחל מצרים *flumen Ægypti* intelligi Nilum contendunt Hebræi, inprimis R. Solomon Jarchi & Kimchi, quamvis refragantibus paucis, inter quos Abenezra non אור *Nilum*, ſed שיחור *Sichorem* intelligi vult. Per *Sichorem* autem, cujus mentio eſt Joſ. xiii. 2. 3. Jerem. ii. 18. intelligit haud dubiè fluvium Rhinocoruræ propinquum. Et ſanè cùm Judæam inter & Ægyptum, adeóque etiam Nilum interceſſerit Arabia, adeóque Judæa ad Nilum uſque ſe nunquam extenderit, fluvius Ægypti alia omnia quàm Nilum ſignificare videtur. Verùm facilis conciliatio eſt, ſi dicamus, hìc per *fluvium Ægypti* Nilum quidem intelligi, ſed non tam integrum Nili alveum, quàm initium Nili, hoc eſt, fluvium Rhinocoruræ propinquum, qui eſt brachiolum Nili, qui ex oſtio Peluſiaco verſus Judæam procurrit. Cujus rei argumenta ſequentia ſunt. Primò enim Nilus ſuam originem habet à נחל *fluvius*. Pro *Nabal* enim ſive *Naal* Syri & Ægyptii dixére *Neel*: ut Phœnices aliique pro *Bahal* ſeu *Baal*, *Beel*. Sicut igitur ex *Beel*, *Bel*, inde Βῆλος: ſic ex *Neel*, *Nel*, vel *Neil*, unde Νεῖλος. Sed & Mela lib. iii. cap. 10. tradit, Nili fontem in Æthiopia, ab incolis nuncupari *Nuchul* haud dubiè à נחל unde Νεῖλον deducimus. Secundò Deus apud Joſuam cap. xiii. 3. terram Canaan extendit מן השיחור à *Sichor* uſque ad גבול עקרן *terminum Ecron*. Ubi שיחור *Nilum* notare evidenter arguit, tum nomen ipſum (notat enim nigricantem, qualis Nilus eſt, qui eandem ob cauſam à Græcis μέλας, Plutarcho & Euſtathio teſtibus, à Latinis *Melo*, uti Feſtus & Servius tradunt, nuncupatur) tum loca Jeſ. xxiii. 3. & Jerem. ii. 18. tum denique quòd Nilum Æthiopes *Sirin*, teſte Dionyſio Afro, nuncupârunt. Sirin autem à שיחור derivat meritò Scaliger. De quo videſis doctiſſimum Seldenum de Diis Syrorum Synt. 1. cap. 4. Sicut autem hoc loco נחל ita etiam שיחור deſignat non tam integrum Nili fluvium, quàm ejus brachiolum Rhinocoruræ vicinum. Tertiò etiam probati Coſmographi hocce Nili brachiolum terminum Judeæ faciunt. Strabo lib. 16. ſupra magnum Peluſiacum Nili oſtium, aliud parvum facit apud montem Caſium, in quo ad magnum uſque ſtadiorum ter centum ſit intervallum. Et Judæam ad Caſium huncce montem profert, à quo monte prope abſit urbs *Rhinocolura*, à præciſis civium naribus ſic dicta. Plinius etiam Rhinocoluram Judeæ extimam urbem facit. Meminerunt ejus etiam Guilielmus

Digitized by Google

Tyrius lib. xx. 15. Brocardus Monachus, Leo Afer, aliique. Neque verò mirum quod Scriptura *fluvium Ægypti* & *Sichor* non ſolùm pro Nilo ipſo, ſed etiam pro rivo etſi exiguo, & eapropter ne navigabili quidem, uſurpet. Nam in homogeneis, qualis eſt aqua, idem eſſe ſolet nomen totius & partis.

XLII. Cæterùm difficultas eſt non exigua de promiſſionis hujus implemento. Neque enim Judæi unquam hæreditariò poſſederunt omnes terras inde à flumine illo Ægypti uſque ad fluvium magnum, hoc eſt Euphratem. Et Num. xxxiv. terra ab Iſraëlitis poſſidenda non extenditur ultra *Emath*, adeoque longiſſimè citra Euphratem. Hieronymus, epiſt. 129. ad Dardanem, & cum eo Andreas Maſius, aliique plurimi exiſtimant, promiſſionem hanc Dei conditionatam fuiſſe, quippe quæ implicitam conditionem habuerit obedientiæ: quâ non præſtita Deum obligatum non fuiſſe ad præſtandam promiſſionis fidem. Verùm ſi ea promiſſio conditionata fuit, conditio tacita referenda fuit ad promiſſionem totam, non ad partes ejus duntaxat. Neque etiam fides Abrahami ſolido argumento ſubnixa fuiſſet, cùm Deus eum de obedientia poſterorum certiorem non reddiderit. Rectiùs igitur Auguſtinus quæſt. 21. in Joſuam, abſolutam fuiſſe promiſſionem agnoſcit, & impletam etiam ſuo tempore, ſed non omnem uno & eodem tempore, neque etiam planè eodem modo. Quamvis enim nunquam totam eam terram hæreditariò poſſederint (id quod etiam hoc loco non promittit Deus) tamen altera illa pars à Berſeba uſque ad Euphratem Iſraëlitis vectigalis facta eſt, tempore Davidis & Solomonis, uti colligi poteſt ex 2.Sam. VIII. 3. 5. 6. & 1.Reg. IV. 20. Vide ſis etiam Joſephum Antiq. VI. 2.

XLIII. Quòd verò Deus Abrahamo promittit decem gentes, *Cenæum, Cenizæum, Cadmonæum, Hitthæum, Perizæum, Rephizæum, Amoræum, Cananæum Girgaſæum, & Jebuſæum*, dubitationem nonnullam etiam habet. Etenim Paulus Act. XIII. 19. ſeptem duntaxat numerat gentes, ope Divina ab Iſraëlitis deletas. Neque etiam in diſtributione terræ, & bello eam præcedente, ulla *Cenæorum, Cenizæorum & Cadmonæorum* mentio reperitur. Conſule Deut. VII. 1. Joſ. III. 10. XXIV. 12. Et Judæi unanimi conſenſu tres iſtos populos â Meſſia ſubjugandos adhuc pertendunt: cúmque ſubjugati hactenus non ſint, Meſſiam nondum veniſſe inde arguunt. Jarchius quidem aſſerit indigitari *Edomitas, Moabitas, & Ammonitas*. Verba ejus ſunt: עשר אומות יש כאן ולא נתן להם אלא שבעה גוים והשלשה אדום ומואב ועמון והם קיני קנזי קדמוני ועתידים להיות ירושה לעתיד: *Decem gentes memorantur hic: Neque dedit iis niſi ſeptem. Et tres ſunt Edomitæ, Moabitæ*

Moabitæ & Ammonitæ. Suntque hi Cinæi, Cenizæi & Cadmonæi. In futurum autem demum hi accedent hæreditati populi, quia dictum eſt Eſai. XI. 14. *Edom & Moab miſſis manus eorum, & filii Ammon obedientia illorum.* Et clarius teſtimonium R. Joſue Aben Suab affert doctiſſimus Hakſpanius ad Lipmanni librum Nizachan pag. m. 503. Hæc ſententia communior eſt Judæorum, aliis Arabes, Salmæos & Nuthæos, aliis Damaſcum, Aſiam & Hiſpaniam; quibusdam etiam Aſiam, Turciam & Carthaginem intelligentibus. Chriſtianorum varias expoſitiones ediſſerere nihil attinet. Recenſuit eas prolixè idem Hakſpanius Not. Philol. ad Geneſ. XV. 18. 19. Probabile mihi admodum eſt, Cinæos quidem & Cenizæos tempore Joſuæ vel deletos omnino fuiſſe, vel certè nomen ſuum aut amiſiſſe, aut parum celebre habuiſſe, adeóque aliis gentibus contributos eſſe. Nam Joſue eorum nec in diviſione terræ, nec in cenſu gentium à ſe devictarum uſpiam meminit. Cinæos quidem habitâſſe περὶ Λίβανον καὶ Ἄμανον *circa Libanum & Amanum*, ſcribit Euſtathius Antiochenus Epiſcopus in Hexaemero. Unde verò id hauſerit, non liquet. Poſt Joſue tempora Cinæorum mentio eſt 1. Sam. XXVIII. 10. & XXX. 29. At eoſdem fuiſſe cum illis, quorum Deus hoc loco meminit, non conſtat. Cadmonæos quod attinet, iidem fuerunt cum Hevæis, uti alibi etiam monuimus. Dicti ſunt קדמנים ſeu *Orientales*, quia habitârunt in monte Hermon, ad Orientem terræ Canaan vergente. Poſt tempora Abrahami attributi videntur iis, quos Deus inſignit hoc loco nomine רפאים *Raphaim.* Boulduci nugas nomina populorum horum in religioſorum ordinum cognomenta commutantis dignas non cenſemus, quæ ad examen revocentur.

XLIV. Nunc ſigni Divini antea expoſiti cum Divina promiſſione & fœdere analogiam paucis contemplabimur. Quippe dubitari non poteſt, quin externis illis ſignis Deus Abrahamo rerum prædictarum myſterium inſinuare voluerit. Omnes fere Hebræi aſſerunt, Deum ſegmentis animalium Abrahamo præfigurâſſe ortum & occaſum quatuor Monarchiarum: quamquam in Symbolica expoſitione cujuslibet animalis non conſentiant. R. Eliezer & Jarchius contendunt, per arietem triennem deſignari Regnum Perſiæ, per pullum columbæ populum Iſraëliticum: verum ſi pro numero animalium multiplicandæ ſunt Monarchiæ, non quatuor ſed quinque ſtatui debent. Cumque hic agatur de ſervitute Æpyptiaca, quid attinet id omne extendere ad ſervitutem quatuor Monarchiarum? Mihi optimè myſterium illud explanare videtur S. Theodoretus q. 65. in Geneſin. Quatuor genera animalium, quatuor haud dubiè notant generationes, quibus ſemen Abrahami in Ægypto peregrinum futurum erat.

Digitized by Google

Et ternarius quidem numerus animalium terreſtrium tres generationes Caath, Amram & Moſis, quibus in peregrinatione eſſent manſuri, denotat. Turtur autem & pullus turturis Symbolum eſt quartæ generationis, quæ ex Ægypto, ut gemebundi turtures per deſertum evolârunt. Diſſectio animalium ad ritum fœderalem ſuperiùs expoſitum pertinet. Vel certè diſſecta animalia varias afflictiones: aves verò integræ afflictionum finem notant. Quòd volucres cadavera jacentia appetierunt, ſignum eſt hoſtium diverſorum in Iſraëlitas incurſantium. Abraham verò eos abigens Divinæ providentiæ & vigilantiæ Symbolum fuit. Sopor Abrahami, & qui in eo ſupervenit, horror anguſtias poſteritatis ejus in Ægypto portenderat. Sed & clibanus fumans Ægyptiacæ ſervitutis, quæ per fornacem ferream alibi exprimitur, indicium præbuit. Denique lampas ignea, tranſiens inter ſegmenta partium jacentium, Divinam notat præſentiam, qua fœdus illud ita ſancitum fuit, ut tranſgreſſoris ſimul pœna inſinuaretur. Nempe Deus futurum hac ratione prædicit, ut qui prior à fœdere illo defecerit, in partes ita diſſecetur, ut inter eos tranſitus facilis pateat. Quæ pœna fuit fœdifragi Iſraëlis, Chriſtum in eo fœdere adumbrantis, rejicientis & damnantis, expreſſa etiam à Chriſto Matth. XXIV. 51.

XLV. Poſt apparitionem hanc Divinam myſterii pleniſſimam, Sara conjux Abrahami, cùm ſterilis eſſet, miróque prolis teneretur deſiderio, Abrahamo annum octogeſimum quintum ætatis agenti, ſubdidit Hagarem ancillam, procreandorum ſuſcipiendorumque liberorum gratiâ. Hiſtoriam hanc Hagaræ tum inſoleſcentis, tum gemina exulatione damnatæ, peculiari diſſertatione reddimus.

XLVI. Anno ætatis Abrahami nonageſimo nono, quinta vice ei adhuc in Elon Mamre ſubſiſtenti Deus apparuit, inſtaurata in ſolenni fœdere promiſſione, & inſtituto perpetuo fœderis ἐπικυρώματι, ſeu ſtabilimento; circumciſionis nimirum ſigno. De quo quidem fœdere Abrahamico & Circumciſionis Sacramento ſingulari etiam in diſſertatione agimus.

XLVII. Secutum deinde eſt excidium Sodomorum, quod Deus Abrahamo in Elon Mamre habitanti prædixit. Cùm enim imprimis hoſpitalis eſſet, Angelos tres humana ſpecie iter facientes hoſpitio invitat, excipit, in convivio lautè ſtructo adhibet. Inter epulandum dum ſermones conferuntur, audita promiſſione filii ex Sara procreandi firmatus fuit Abraham, quanquam uxor idipſum rem ridiculam putans, fidem promiſſioni non adhibuit. Cumque internecinum exitium urbium ex Angelis intelligeret Abrahamus, pro iis apud Deum ſeriò interceſſit, ſed ob profligatam & paſſivam hominum illorum nequitiam nihil impetravit.

Incen-

Digitized by Google

Incendium igitur horribile eorum poſtridie ſpectavit, cujus fumus aſcenderat tanquam fornacis calcariæ. De hoc Sodomæ funeſtiſſimo excidio, & denuntiatione ejus per Angelos facta Abrahamo ſeorſim etiam diſſerimus.

XLVIII. Relicta tandem Elon Mamre ſive ob horrorem juſtiſſimum præſentium Dei judiciorum in Sodomitas, nec non maleficiorum quæ Lothus perpetraverat, ſive, quod magis probabile, ob incolarum iniquitatem in Abrahamum magis magíſque exardeſcentium, migravit ארצה הנגב *ad terram meridianam*, advena Geraris, quæ urbs & regio erat Palæſtinæ, habitavitque inter Cades & Sur, Geneſ. xx. 1. Sunt hæc nomina duarum ſolitudinum, quarum una jungitur Ægypto: altera uſque ad Saracenorum eremum extenditur, uti Hieronymus docet *de locis Hebraicis*. Ibi rurſus periculum ſubiit Abrahamus adulterandæ uxoris Saræ. Cùm enim formæ pulchritudine emineret, atq; pudicitiæ ejus rectiùs conſuleretur, ſororem eam finxit eſſe Abraham. Rex Abimelechus rem ita habere perſuaſus, eam ad ſe abduxit. Verùm monitus per ſomnium, ne facinus patraret, quod repentinam mortem ipſi cunctisque domeſticis accerſeret, intactam marito reſtituit, eique ampliſſimis muneribus affecto poteſtatem fecit regionem illam, quocunque loco viſum eſſet, incolendi. De quo quidem raptu Saræ alibi etiam fuſiùs agimus.

XLIX. Anno ætatis Abrahami centeſimo maſculam ei prolem, ante promiſſam enixa eſt Sara. Circumciſo ex edicto *Iſaco* nomen ipſi indiderat. Quo tempore cum ablactavit mater, convivium lautum & opiparum inſtructum eſt. At Iſmaël Iſacum acerbis facetiis ejus odio irridere ſolitus, adeò Saram offendit, ut exitium illius & matris Hagaris pro ſecuritate Iſaci continuis precibus ab Abrahamo flagitaret. Qui cùm cunctaretur, à Deo monitus tandem conſilium uxoris approbavit, juſſáque perfecit. Id quo myſterio factum ſit, alibi ex Apoſtolo oſtendimus.

L. Circa ea tempora, cùm Geraris adhuc Abrahamus commoraretur, fœdus inter ſe fecerunt Abraham & Abimelech, cui feriendo quoque interfuit פיכל שר צבאו *Pichol Princeps Exercitus* Abimelechi, Geneſ. xxi. 22. Addunt LXX. Seniores, ὀχοζὰθ νυμφαγωγὸν αὐτοῦ, *Ochozad pronubum ejus*, quem Hebræus textus, reliquique antiquiſſimi Interpretes ignorant omnes. Nempe ex cap. xxvi. 26. ubi ſimilis confœderationis mentio eſt inter Iſacum & Abimelechum cum Achyzath amico, & Picol exercitus ejus duce, eum huc aſciverunt & tranſtulerunt. Picol autem ita dictus videtur quaſi פי כל *os omnium*, quòd omnium poſtulata & querelæ ipſius nomine ad Regem deferrentur. Occaſio fœderis fuit, quòd obſervârint Philiſtæi, variiſque ex documentis diſcerent, Deum Abrahamo mirificè

 favere,

Digitized by Google

ſavere, adeò ut ejus opes & potentia in peregrino etiam ſolo quotidie increſcerent. Ne igitur potentiam ejus tandem reformidare haberent neceſſum, Abimelechus cum ſuo comitatu non dubitat ſe eò demittere, ut ad inquilinum & advenam veniret ipſe, eumque de fœdere pacis ineundæ appellaret. Tum ſuo igitur tum filii & nepotis nomine ab Abrahamo juramentum ſecuritatis poſtulat hiſce verbis: *Jura mihi per Deum, ſi mentieris mihi & filio & nepoti meo: Juxta miſericordiam quam feci tecum, facies mecum & cum terra, in qua peregrinatus es.* Ubi *mentiri* in eodem ſumitur ſenſu, quo Habac. III. 17. dicitur כחש מעשה זית *mentiri opus olivæ*, & ſeges quæ non reſpondet ſpei agricolæ, dicitur Ovidio *ſpem mentita ſeges.* Cùm igitur pacis inter homines ineundæ adeoque fœderis duo ſint genera, alterum, ne inter ſe offendant, alterum ut etiam defenſione inter ſe communicent, quò pertinet tum συμμαχία tum ἐπιμαχία Græcorum: ſatis apparet, de prioris generis fœdere hîc ſermonem eſſe, ne qua invicem naſcatur offenſio ſive inter principes, ſive inter populares, qui Principum juriſdictioni parent. Abrahamus igitur Abimelechi haud iniquæ voluntati parens, ei juravit in ea ipſa haud dubiè verba quæ ipſe Abimelechus præiverat. Utque pax illa ſtabilis eſſet, tum impedimenta ejus ut tollerentur providet, tum & bona ipſius ut ſtabilirentur. Impedimentum erat injuria facta ipſi à ſervis Abimelechi, qui puteum à ſuis foſſum vi eripuerant. Abimelechus porro ſe defendit exceptione duplici, tum quòd id omne ſe inſcio factum eſſet, tum quòd nullum ad ſe poſtulatum ea de re ſive per Abrahamum ſive per alium quenquam pervenerit. Qua ratione evidenter probatum dedit, neque contra præſens inſtitutum pacis, neque contra ſpem illius quidquam procuratum eſſe. Stabilimentum porro bonorum pacis tum in eo conſiſtit, quòd communi Symbolo, datis nempe Abimelecho ovibus & bobus, fœdus percuſſum eſt: tum in eo quod ſingulari Symbolo, ſeptem nimirum agnabus Abimelecho tributis teſtatum facere voluit, quòd ipſe puteum iſtum foderit. Unde loco illi, in quo fœdus utrinque initum eſt, inditum nomen באר־שבע *Beer-ſcheba*, quod, uti etiam Hieronymus monet, duo ſignificare poteſt, vel *puteum juramenti*, propter juramentum adhibitum; vel *puteum ſeptem*, propter ſeptem agnas in fœderis hujus Symbolum, & putei circumjacentisque agri pretium datas. Neque cum eo quòd Abraham loco huic nomen Beer-ſeba indidiſſe hîc dicitur, pugnat, quòd Geneſ. XXVI. 33. Iſacus nomenclaturæ illius auctor perhiberi videtur. Varias conciliandi rationes affert Menaſſe Ben Iſraël q. 45. in Geneſin. Non malè doctiſſimus Abravanel putat ſenſum eſſe loci Geneſ. XXVI. 33. propter juramentum ab Iſaco locum hunc שבעה nuncupatum

cupatum eſſe: qui עַל כֵּן *ob ſimilem cauſam* videlicet juramentum Abrahami, jam olim cognominatus ſit, & adhucdum cognominetur *Beer-ſcheba*. Adeoque שִׁבְעָה & בְּאֵר שֶׁבַע diverſa nomina, idem tamen ſignificare videntur. Id ſi minùs placet, dicamus, nomen ab Abrahamo loco illi inditum, paulatim obſolevitſſe, & ab Iſaco denuo inſtauratum eſſe.

LI. Fœdus Abrahami cum Abimelecho quamvis Philiſtæo & veri Dei ignaro, pium juſtumque fuit. Quid enim æquitati magis conſentaneum eſt, quàm ut hoſpes & advena Regi, cujus indultu eam terram incoluit, promitteret ſecuritatem, & quòd cum miſericordia ac benevolentia Regis erga ipſum, paria facere velit. Quòd ſi benedicendum eſt perſecutoribus, & inimici ipſi diligendi, quidnî Regi amico & beneficiis certanti mutuam benevolentiam Abrahamus obſtringere potuerit? Conceſſerat ei Rex, ut ſecurè in terra ſua habitaret. Debuit ergò ei etiam præſtare fidelitatis juramentum in iis, quæ religionem ac pietatem non lædebant. Neque etiam obſtat, quòd Abrahamus ſcivit, à poſteris ſuis tandem Geraritas ex ea ditione expellendos & deturbandos eſſe, & terræ ejus dominium divinitus ſemini ſuo promiſſum eſſe. Noverat quippe Abrahamus poſſeſſionis terræ illius adeundæ tempus nondum advenitſſe, ſéque quamvis ſpe Dominum ejus, reapſe tamen peregrinum adhuc eſſe. Igitur non cavebat Abimelecho in omnes generationes, ſed ipſi, filio ac nepoti ſe, quamdiu ſuperſtes foret, nihil omnino nociturum ſpondet.

LII. Poſt fœdus cum Abimelecho percuſſum, Abrahamus יִטַּע אֶשֶׁל בִּבְאֵר שָׁבַע וַיִּקְרָא שָׁם בְּשֵׁם יְהוָה אֵל עוֹלָם *plantavit nemus in Beerſeba, & invocavit ibi nomen Jehovæ Dei æterni*. Geneſ. XXI. 33. Id quod argumento eſt, ipſum poſthac aliquamdiu quiete & tranquillitate fuiſſe potitum, & ſedem ſibi fixam delegiſſe. Unde ſtatim v. 34. ſequitur, ipſum in terra Philiſtæorum habitâſſe יָמִים רַבִּים *dies multos*, hoc eſt ſtylo Scripturæ plures annos. Quid porro אֶשֶׁל quam plantâſſe dicitur Abraham, denotet, non conſentiunt omnes. LXX. Interpretes vertunt ἄρουραν *agrum*. Syrus נִצְבְּתָא *plantam*. Quomodo etiam Arabs habet: נצב נצבא *plantavit plantam*. Chaldæus ſimpliciter reddit אִילָנָא *arborem*. Inter Hebræos alii lucum aut nemus, alii etiam Paradiſum interpretantur. Jarchius de tabernaculo explicat. Arboris & quidem opacæ genus fuiſſe meritò arbitratur doctiſſimus Mercerus. Sanè oſſa Saulis & filiorum ejus, quæ ſepulta ſunt in Jabes תַּחַת הָאֶשֶׁל *ſub Eſchol* 1. Sam. XXXI. 13. eadem 1. Paralip. X. 12. ſepulta dicuntur תַּחַת הָאֵלָה ὑπὸ τὴν δρῦν *ſub quercu*. Unde non malè אֶשֶׁל *quercetum*, ſeu lucum quercubus conſitum reddi putamus. Ut ſic idem ſit quod אֵלוֹן de quo ſupra. Igitur Abrahamus lucum plantavit hoc potiſſimùm

Digitized by Google

mùm fine, ut ſub eo invocaret nomen Domini. Hoc enim eſt, quod dicitur Abrahamus שם *ibi*, non tam in communi loco nempe Beerſeba, quàm in ſingulari, nemore nimirum, ſeu luco quercubus conſito, nomen Dei invocâſſe. Quòd verò adjicit paraphraſis Hieroſolymitana, convivium ibi loci Abrahamum celebrâſſe, neque hoſpites ſuos reliquiſſe, עד זבן דהיה מגייר יתהון וכליף יתהון אורחא דעלמא *donec eos proſelythos feciſſet, & via ſeculi illos docuiſſet*, ficto quàm vero ſimilius eſt.

LIII. Annon verò Abrahamus lucum ejuſmodi inſtruens, ut in eo cultui Divino vacaret, reum ſe fecit illius peccati, quod toties traducitur in ſacris? Minimè verò. Nullus enim tum temporis locus cultui divino deſtinatus fuit. Licuit igitur ubique locorum puras manus ad Deum levare. Neque etiam ea opinione lucum cultui Divino ſacravit Abrahamus, quaſi loco huic peculiaris ſanctitas vel religio ineſſet. Procul abfuit ab hac ſuperſtitione, quæ poſtea dementavit Gentiles, apud quos ſumma religio fuit, arbores quaſdam veluti reliquis ſanctiores Diis ſuis conſecrare, nemora & lucos eorum cultui dedicare, in iis aſyla conſtituere, & ad ea peregrinationes religioſas inſtituere. Imò ipſis arboribus divinitatem quandam tribuerunt, & ex iis oracula atque reſponſa expectârunt: loca item ampliſſima arboribus conſita, & integras ſylvas iis conſecrârunt, quæ Hebræis אשרות tanquam ſilvas vel nemora ſancta aut beata dicas, Græcè ἄλση hoc eſt, Euſtathio interprete χωρία ἱερὰ σύνδενδρα; Latinè *nemora & luci* Scaligero lib. 3. Poët. cap. 90. ſic dicti, quòd *ſacrificiorum frequentia luceant:* Iſidoro verò, quòd *ſoli lucem detrahant:* appellata ſunt. In iis Deorum ſimulacra poſita, in iis ſacrificatum & aſyla conſtituta ſunt. Atque hanc profanam ſuperſtitionem quia imitati ſunt haud rarò Iſraëlitæ ad gentilium ſacra deflectentes, perſtringuntur hinc inde graviſſimè. Et Deus quidem diſertè prohibet Deut. XVI. 26. ne cultus Divini cauſa, *conſerant ſibi lucum ullis arboribus, ſecundum altare Dei faciendum.* Duæ autem cauſæ fuerunt, cur luci & arborum umbræ, necnon excelſa in ſacris tantâ infamiâ laborarent. Prior, quia falſa plerunque in iis Numina colebantur, & ipſi loco ſanctitas quædam ab idololatris affingebatur. Poſterior, quia, ſi quando nemora ejuſmodi & excelſa veri Numinis cultui conſecrata ſunt, id factum fuit eo tempore, quo non licebat alibi ſacra facere, quàm in loco divinitus deſignato, nempe in domo permanente, quam elegit Deus, ut in ea quieſceret arca fœderis: quæ quidem domus nulla fuit præterquam in Silo & Templo Hieroſolymitano. Hanc enim fuiſſe Legis Divinæ, cultum ſacrum uni loco adſtringentis, adeóque tum lucos tum excelſa prohibentis, *Διχόνοιαν*, eruditè oſtendit Cl. Cloppenbur-

penburgius *Scholæ Sacrificiorum* p. 28. 29. &c. Neutra verò ratio in Abrahamo Deum ſub opacis arboribus colente obtinuit. Nam & Deum verum, אל עולם *Deum ſeculi* coluit, & eo tempore, quo Deus domum permanentem cultui Divino ſacram nullam adhucdum elegit.

LIV. His peractis Deus Abrahamo apud Geraritas habitanti, ſexta vice apparet, & promiſſionem toties ipſi factam denuò, interpoſito per ſe ipſum jurejurando, inſtaurat. Sed explorata fuit prius & fides & obedientia ejus, quarum virtutum illuſtre edidit ſpecimen, cùm filium unicum Iſacum juſſus à Deo in holocauſtum offerre in regione Moriæ, eouſque paret, ut ſacrificium perpetraret, niſi ab Angelo Domini inhibitus fuiſſet. De qua Abrahami δοκιμασίᾳ non omittemus peculiari in diſſertatione agere.

LV. Aliquantò poſt Sara, nata centum & viginti ſeptem annos, ſupremum diem clauſit in Ciriath Arbe, Geneſ. XXIII. 1. 2. Hebræi plerique autumant, eam audito de filio Iſaco immolando nuntio adeò perculſam fuiſſe, ut præ ægritudine animi mortem oppetierit. Ita R. Solomon Jarchi eo argumento quod נסמכה מיתת שרה לעקדת יצחק *ſubjuncta legitur mors Saræ ligationi Iſaci*, concludit, nimia conſternatione ex triſti nuntio de filii mactatione obortâ illam expirâſſe. Idem innuit Midras in Schalſchel. Hakab. p. 7. ubi Sara dicitur mortua בחדש מרחשון אחר העקידה *menſe Merchesſuan poſt ligationem* Iſaci ad ſacrificium. In Pirke Eliezer cap. 32. additur feſtiva fabula, Sammaëlem ſeu Diabolum indignatum, quòd non ſucceſſerit machinatio ipſius de Iſaco occidendo, ante reditum Abrahami adiviſſe Saram, eique perſuaſiſſe, quòd filius Iſacus plorabundus ab Abrahamo mactatus ſit. Saram igitur fleviſſe tres ploratus juxta tres clangores buccinæ feſti, & confeſtim aufugiſſe animam ejus atque abiiſſe. Eandem mortis Saræ cauſam affert etiam Eutychius Patriarcha Alexandrinus Annal. p. 66. סמעת סרה אן אבראהים אכד אסחק ומצ׳רה אלי אלגבל לידבחר פצאחת ורלולך פמן שרה מאנאלהא כן אלגם ואלחגן מרצת ומאתת פי תלך אלסנה: *Sara audito Abrahamum, Iſacum aſſumptum in montem mactandum abduxiſſe, exclamans atque ejulans, præ ſumma qua affecta eſt triſtitia, morbo correpta eodem anno mortua eſt.* Cæterùm cauſam hanc mortis Saræ fictitiam eſſe arguit non tantùm Scripturæ ſilentium, verùm etiam quòd Abrahamus poſt tentationem dicitur rediiſſe in Beerſebam, ibique habitâſſe, Geneſ. XXII. 19. Ubi vox ישב moram haud dubiè ſtabilem unius minimè anni deſignat. At Sara mortua eſt non in Beerſeba, ſed poſtquam Abrahamus migravit ex Beerſeba in Hebronem. Mortua eſt enim in Hebrone Geneſ. XXIII. 2.

L VI. Sara uxore fato defuncta ויבא אברהם לספד ולבכתה *venit Abraham ut plangeret & fleret eam*, Geneſ. XXIII. 2. Unde venerit Abraham, quæri hîc ſolet, & annon fuerit cum Sara, quando illa obiit? R. Abenezra exiſtimat, alibi fuiſſe Abrahamum, cum moreretur Sara. Verba ejus ſunt: כאשר מתה שרה היה אברהם במקום אחר על כן אמר ויבא אברהם *Cùm moreretur Sara, Abrahamus alibi locorum erat. Propterea dicitur: Et venit Abraham.* Ex monte Moriah eum veniſſe fingunt Hebræi plerique. Abulenſis aliique exiſtimant, veniſſe Abrahamum ex urbe in agrum, ubi cadaver depoſitum fuerit. Simplex eſt eorum ſententia, qui Abrahamum poſt mortem Saræ dicunt veniſſe, hoc eſt, ingreſſum eſſe tabernaculum Saræ, quod à ſuo ſejunctum erat, eámque planxiſſe. Vel certè, quod Doctiſſimo Mercero placet, *venire* hoc loco idem eſt, quod *aggredi, ſuſcipere*, aut *ſe ad aliquid faciendum accingere*. Quæ explicatio ſi obtineat, otioſæ ſunt diſquiſitiones de loco, unde venit Abrahamus. De duratione & ritu hujus planctus nihil Scriptura habet. Auſus tamen eſt R. Joſe in Pirke Eliezer cap. 32. tempus, quo matrem ſuam planxit Iſacus, definire triennio. Porro planctus hujus moderationem meritò & prolixè commendat Philo Judæus de Abrahamo p. m. 385. quem ibi vide.

L VII. Finito planctu Abrahamus ויקם מעל פני מתו *ſurrexit ab officio funeris* uti vulgatus habet Geneſ. XXIII. 3. Verba hæc vulgatæ verſionis arripit Bellarminus de Purgat. lib. I. 15. ut purgatorio ſuo patrocinari demonſtret. *Quid prohibet*, inquit, *per illud officium intelligere non ſolùm lachrymas, ſed etiam orationem & jejunia?* Facilis reſponſio. Eadem Scriptura, quæ Abrahamum pro defuncta orâſſe & jejunâſſe ſilet, id credere prohibet. Taceo, quòd *officium funeris* non habeatur in textu Hebræo. Tantùm Abrahamus dicitur ſurrexiſſe מעל פני מתו ἀπὸ τοῦ νεκροῦ αὐτοῦ, *à mortuo ſuo* ut habent Græci. Notum enim eſt, uſitato Hebraiſmo מעל פני מתו *à faciebus mortui*, idem eſſe, atque *à mortuo*. Chaldæus habet: *Surrexit Abraham* מעל אפי מיתיה *à conſpectu mortui ſui*. Eodem modo Syrus & Samaritanus. Abrabs: תם קאם מן חצרת מיתה *Tunc ſurrexit à præſentia mortui ſui*. Uſus porrò eſt Moſes voce Maſculina מת reſpiciens ad corpus, quod Hebraicè גוף dicitur maſculino genere. Unde Abenezra: רמז גוף *innuit corpus*. Sed eſto, dixerit Moſes, *Abrahamum ſurrexiſſe ab officio funeris*, quanquam funus nondum inceptum, nedum peractum fuit. An igitur, quia inde à paucis ſeculis orationes & Jejunia ſuperſtitioſa pro mortuis *officii* nomine venerunt, etiam Moſes, vel potiùs vulgatus Interpres per *officium funeris* ſignificare idem voluit? Quid hoc eſt aliud, quàm latere ſub plicis impliciti ſermonis?

L VIII. Sur-

LVIII. Surrexit igitur Abrahamus à planctu Saræ uxoris, ut ejus honeſtè ſepeliendæ rationem iniret. Cúmque ipſe in ea in qua tum habitabat, terra nec volam nec veſtigium pro ſuo poſſideret, adiit בני חת *filios Cheth*, eóſque, ut ſibi concederent in terra ſua אחזת קבר *hæreditatem, jus, dominium ſepulchri*, quò in eo mortuum ſuum ſepelire poſſet. Chethæi ſumma humanitate ita reſpondent: שמענו אדני נשיא אלהים אתה בתוכנו במבחר קברינו קבר את מתך: *Audi nos, Domine mi, Princeps Dei es in medio noſtri, in electiſſimis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum*, Geneſ. XXIII. 6. Quo ſenſu Chetthæi Abrahamum vocent נשיא אלהים *Principem Dei*, diximus tomo priori Exercit. 11. 3. Hoc unum nunc addimus, compellationem illam fuiſſe etiam boni ominis in futurum tempus, quo poſteritas Abrahami ſumma in terra Canaan poteſtate potitura erat. Abrahamus audito humaniſſimo reſponſo reverenter flexo nimirum corpore, qui honor nec familiaris nimiùm nec planè ſubmiſſus cenſebatur, illos coluit, & ulteriùs obnixè rogavit, uti dignarentur pro ſe intercedere apud Ephronem filium Sohar, uti pro בכסף מלא *argento pleno*, hoc eſt, integro pretio & juſto, ſibi vendant את מערת המכפלה אשר לו אשר בקצה שדהו *ſpeluncam Macpelah, quæ eſt ei in extremo agri ſui*, idque לאחזת קבר *in hæreditatem* ſeu poſſeſſionem *ſepulchri*, Geneſ. XXIII. 9. Qualis porrò fuerit illa מערת מכפלה *ſpelunca Macpelah*, non admodum conſtat. Speluncam *duplicem* convertunt magno conſenſu Vulgatus, Græci, Samaritanus, Onkeloſus, Syrus, Arabs. In Bereſith Rabbah Sect. 6-2. vocatur דיטרון *Ditaran*, quaſi *duplex antrum*. Quomodo autem duplex fuerit, mirè æſtuant eruditi. Hebræi plerique exiſtimant duplicem dici, eò quòd duplex fuerit, una ſuperior pro marito, inferior altera pro conjuge. Jarchius, שכפולה בזוגות *quòd fuerit duplex conjugibus*, puta Adamo & Eva, Abrahamo & Sara, Iſaco & Rebecca, &c. Abenezra putat fuiſſe מערה בתוך מערה *ſpeluncam in medio ſpeluncæ*. Alii ariolantur fuiſſe foſſam, quæ ad ſpeluncam duceret, ita ut per foſſam aditus patuerit ad ſpeluncam, in qua jacebat mortuus. Cl. Salmaſius Exercit. Plin. pag. 1208. exiſtimat, ſimpliciſſimum eſſe ſpeluncam duplicem accipere, ut Græci appellant ἀμφίδυμα σπήλαια, τὰ διπλᾶ, quæ duplicem habent aperturam, ut ex duabus partibus ingreſſum, duplicémque adeò hiatum. Quomodo portus ἀμφίδυμοι dicuntur, διπλοῖ ἐξ ἑκατέρου μέρους εἴσπλουν ἔχοντες, ad quos aditus duabus ex partibus patet. Cæterùm nulli harum interpretationum facilè aſſentior, quòd מכפלה non tam appellativum, uti omnes hi faciunt, quàm proprium nomen agri fuiſſe potiùs videatur. Etenim uti ſpelunca, ita quoque ager nuncupatur שדה המכפלה *ager Macpelah* v. 19. Quòd ſi igitur ob quam-

 cunque

Digitized by Google

cunque harum cauſarum ſpelunca dicitur מכפלה quo quæſo ſenſu ipſum agrum dicemus מכפלה *Macpela?* Tum & v. 17. ſpelunca fuiſſe dicitur בככפלה לפני ממרא *in Macpela coram Mamre*, hoc eſt, in tali loco, qui erat è regione Mamre. Unde apparet מכפלה nomen loci fuiſſe. Igitur tum ager, tum ſpelunca *Macpela* dicitur, quia utraque in eo tractu fuit, qui Macpela dicebatur. Neque inſolens eſſe, nomina propria, ſive perſonarum ſive locorum ab interpretibus appellativè accipi, & contra, oſtendi exemplis poſſet. Neque etiam obſtat, quod ה dictioni מכפלה præfixum eſt, quod aliâs à nominibus propriis alienum eſſe videtur. Alia enim ratio eſt nominum propriorum *perſonæ*, alia propriorum *loci*. Poſteriora admittunt ſæpius. Quin & nomina propria *perſonæ* ה præfixum habent ſi ſimul ſint aut eſſe poſſint appellativa. Confer Num. III. 21. 1.Sam.XXIII. 19. XXVI. 1. 3. Porro R. Benjamin Tudelenſis Itiner. p. 48. 49. de ea ſpelunca Macpela narrat, ſibi ad eam venienti apertam eſſe januam ferream, quæ jam inde à beatorum Patriarcharum temporibus confecta fuerit. Huc qui deſcendit, facem ardentem manu tenens, nihil deprehendere nec in prima nec in ſecunda ſpelunca, donec in tertiam deveniat, ubi ſex ſint ſepulchra, Abrahami, Iſaci, Jacobi, Saræ, Rebeccæ & Leæ, quæ ſibi invicem oppoſita, ſingula literis inciſis obſignata ſint, ut ſepulchro Abrahami hæc inciſa leguntur: זה קבר אברהם אבינו ע״ה *Hoc eſt ſepulchrum beati Patris noſtri Abrahami.* Similia ſuper Iſaci ſepulchro, imò ſingulis ſepulchris hujuſmodi inſcripta eſſe. Plura de eo narrat oculatus teſtis, penes quem fides eſto. Qua verò occaſione Abrahamus ſpeluncam hanc invenerit, & quam ob cauſam eam potiſſimùm ſibi vendi petierit, prodigioſam de eo fabulam habent Hebræi in Pirke Eliezer cap. 36. quam adſcribere piget.

LIX. Ephron porro Abrahamo tum agrum tum ſpeluncam in eo æquiſſimo animo & nulla conditione addicit. Abrahamo verò, qui juſto pretio eam licitari alienóque prædio nonniſi perſoluto pretio propoſuerat, inſtante, Ephron petiit ſibi dari ארבע מאות שקל כסף *quadringentos ſiclos argenteos.* Quos ille promptè Ephroni numerat Geneſ. XVII. 15. 16. De ſiclorum illorum valore fusè à nobis actum tom. 1. Exercit. 1. 34. Potueritne vel Abrahamus emere, vel Ephron vendere ſepulchrum, ſolicitè hîc inquirunt Commentatores Papiſtæ, quibus jus ſepulchri utpote ſacrum & ſpirituale quidpiam, nec emi potuiſſe nec vendi citra Simoniæ crimen videtur. Ante illos Gregorius ad Januarium Sardiniæ Epiſcopum, Ephronis exemplo, qui primò pecuniam pro ſepulchro nullam petiit, utitur ad perſtringendum Januarium, qui à Nereide clariſſima fœmina centum ſolidos

Digitized by Google

lidos pro filiæ ſuæ ſepultura exigere non erubuerit. Sed & Hieronymus venditionem illam ſepulchri non caruiſſe vitio decernit. Atque hinc factum putat, ut Ephroni, poſtquam pecuniam pro ſepulchro accepit, immutatum ſit nomen. Primò enim nomen ejus ſcriptum eſſe עפרון *Ephron.* At poſtquam ei appendit ſiclos Abrahamus, ſcriptum eſſe nomen ejus עפרן *Ephron.* Quo ipſo ſignificâſſe Scripturam, *non eum fuiſſe perfectæ virtutis, qui memorias vendere potuerit mortuorum.* Verùm præterquam quod alia ratio ſit ſacrorum & ſpiritualium, quæ citra Simoniæ crimen nec emi nec vendi poſſunt; alia eorum, quæ non ipſa ſacra & ſpiritualia ſunt, ſed ſacris & ſpiritualibus inſerviunt, quale quid eſt etiam ſepultura: multa eſſe, quæ tum Abrahamum tum Ephronem ab hoc crimine Simoniæ liberent, agnoſcit Doctiſsimus Bonfrerius ad h. l. cujus verba adſcribere minimè piget. *Fruſtra, inquit, hîc non pauci ſe torquent, quomodo Abraham petierit ſibi vendi jus ſepulchri, cùm jus ſepulchri ſit quid ſacrum & ſpirituale. Primò enim, non nudum jus ſepulchri petit Abraham, ſed locum; nec conſtat, an locus quem petebat Abraham ad uſum ſepeliendi deſtinatus eſſet, & in eo ſepulchra excitata eſſent. Secundò etſi ita eſſet, non conſtat, an in illis quiſpiam aliquando ſepultus eſſet, & potiùs contrarium veriſimile. Tertiò incertum, an jus ſepulchri apud illas gentes ſacrum eſſet. Quartò incertum, an illi Hetthæi veri Dei eſſent cultores: ſi autem apud eos non erat veri Dei cultus, nec ulla ſepulchrorum erat ſanctitas, ſicut nec Templorum. Quintò etſi ob ſanctitatem & conſecrationem non liceat rem aliquam pluris æſtimare, ipſa tamen res, quæ adjunctam habet ſanctitatem, ſecluſo præcepto poſitivo vendi poteſt, & tantidem æſtimari, quanti æſtimaretur, ſi nihil haberet ſanctitatis, uti patet in calicibus conſecratis, & Roſariis benedictis.*

LX. Poſt obitum & ſepulturam Saræ, cùm ætas Abrahami ad ſenectutem vergeret, cogitatio ſubiit de matrimonio Iſaco conciliando. Cúmque nec Cananæam aliquam ipſum ducere fas eſſe judicaret, nec filium in regionem Patriam Chaldæorum ullo modo reduci vellet, fidei & probitatis ſpectatæ ſervum ſuum Eliezerem haud dubiè ſupra memoratum, qui præerat univerſæ familiæ Abrahami, jurejurando in verba ſua adegit, mandans, ne aliter quàm Deo Duce & monitore, neque aliam quàm ex cognatione ipſius uxorem filio quæreret. Adjuravit igitur eum ביהוה אלהי השמים ואלהי הארץ *per Jehovam Deum Cæli & Deum terræ*, Geneſ. XXIV. 3. Docens ſuo exemplo, per ſolum Jehovam Deum cœli & terræ juramenta concipienda eſſe. Materia juramenti eſt in his verbis: אשר לא תקח אשה לבני מבנות הכנעני אשר אנכי יושב בקרבו: *ut non capias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum in quorum medio ego ſum: ſed ad terram meam & cognationem meam perges, & capies uxorem filio meo Iſac*, v. 3. 4. Averſatus eſt Abraham conjugia

gia filiarum Cananæarum, non tam eam ob rationem, quòd Cananæorum genus vile eſſet, & ignobile propter maledictionem Chami factam à Noë: quàm eam, quòd pietatem ac fidem ab ipſis exulare jam diu deprehenderet. Quam cauſam paucis attingit S. Chryſoſtomus in Geneſ. homil. 47. ὁ πατριάρχης ἐπιμελόμενος τῆς κατὰ ψυχὴν ἀρετῆς τοῦ Ἰσαὰκ, καὶ φεύγων τῶν ἐγχωρίων τὴν πονηρίαν, τοῦτο ποιεῖ. *Patriarcha curam gerens virtutum animæ & indigenarum nequitiam averſatus hoc facit.* Verùm de cauſis, ob quas conjugia ejuſmodi evitârunt Patriarchæ, prolixiùs à nobis actum tom. 1. Exercit. XI. 15. Unum hìc addam, cùm Iſacus fuerit filius promiſsionis, ex quo naſci debuit Meſſias, non potuiſſe ei deſponſari uxorem Cananæam, adeóque ex Chamo oriundam. Nam Semi hæc prærogativa fuit, ut ex ipſius ſanguine naſceretur Salvator mundi, uti aliâs demonſtravimus. Ritus porro jurandi ejusmodi fuit, ut ſervus Abrahæ juſſus ab hero poſuerit manum ſuam תחת ירך *ſub femur* Domini ſui, atque ita juraverit, v. 2. & 9. Qui quidem ritus à Jacobo etiam imperatus fuit Joſepho ipſi juraturo, Geneſ. XLVII. 29. Et Joſephus quidem Antiq. l. 16. ait, Abrahamum miſiſſe ſervum illum, ἐγκυσάμενον μεγάλαις πίστεσι. Γίνονται δὲ αὗται τοῦτον τὸν τρόπον ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες, ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων. *magnis fidei ſacramentis eum obſtringentem, quæ hoc modo fiebant. Utrique invicem manum ſub femora mittebant, & invocabant Deum teſtem eorum, quæ futura eſſent.* Varias cæterùm varii ritus ejus rationes perhibent, quarum pleræque ejusmodi ſunt, ut ingenium magis fingentium, quàm rei veritatem arguant. Et Hebræis quidem plerisque antiquioribus maximè placet, ceremoniam illam manum ſupponendi femori adhiberi ſolitam eſſe in jurando vel adjurando, ob ſignificationem & reverentiam ſacramenti circumciſionis, quod erat ſigillum fœderis cum Abrahamo initi. Ita R. Eliezer in Pirke cap. 39. *Ab initio priſci illi jurabant in fœdus circumciſionis ante dationem legis.* Abenezra יש אכרים רמז המילה *ſunt qui dicant, ſignificari circumciſionem.* Et Hieronymus *tradit. in Geneſin*, hanc ſententiam tanquam communem tribuit Hebræis. Sed & in Baal Hathurim id probant eo argumento, quod per Gematriam נא ירך idem valeat atque מילה *circumciſio.* Verba ſunt: נא ירך בגימטריא מילה שהשביע במילה hoc eſt: נא ירך: *per Gematriam eſt circumciſio, quia jurârunt per circumciſionem.* Neſcio an non eodem aurigetur Interpres Arabs, qui ita convertit: אומי פרך אלי עהדי *Annue manum tuam ad pactum meum.* Ubi per עהד *pactum* videtur intelligere circumciſionem. Verùm cùm omnium Judæorum communis olim fuerit circumciſio, & ab iis religioſiſsimè ea obſervata fuerit, probabile eſt retenturos eos fuiſſe hunc ritum, ſi tale quod ex inſtituto S. Patriarchæ ſignificâſſet.

Digitized by Google

ficâſſet. Patres plerique in ea fuerunt ſententia, in illo ritu *fuiſſe magnam prophetiam, quòd ſcilicet* Chriſtus *Dominus cœli & terræ in ea carne venturus eſſet, quæ de illo ſemore propagata eſt*, uti loquitur S. Auguſtinus de Civ. D. lib. XVI. 33. Notum nempe eſt, Hebræos ſicut per uterum & lumbos, ita etiam per femur ſignificare generationem. Itaque *apponere manum ad femur* idem eſſe putant, ac jurare per Meſſiam, qui ex illo femore naſciturus erat. Ita Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Proſper, Theodoretus, alii. Pia ſanè ſententia. Genuina tamen an ſit, dubito. Alias opiniones, quas fusè proſequitur Pererius Diſp. 1. in Geneſ. XXIV. ultro prætereo. Nec certi quid dicere habeo, niſi fortè, quod ritus ille tum temporis receptus fuerit ad teſtandum obſequium & devotionem jurantium inferiorum erga ſuperiores. Poſtulabat enim hoc Abrahamus à ſervo tanquam inferiore, & quidem ut uſitatum quiddam & more receptum, quod explicatione nulla indigeret. Et conſuetudinem receptam fuiſſe agnoſcit etiam S. Chryſoſtomus hom. 47. in Geneſin, ſequenti argumento. Καὶ ἵνα μάθῃς ὅτι συνηθείας τινὸς ἦν τὸ γινόμενον, ὅρα αὐτὸν ἐπιτάττοντα τὴν μὲν χεῖρα αὐτόθι ἐπιθεῖναι, εὐθέως δὲ ἐπάγοντα, ἐξορκιῶ σε. &c. *Ut diſcas, fuiſſe uſu receptum, quod factum eſt, vide ipſum imperantem quidem ut manum illic ſupponeret, ſed ſtatim pergentem. Adjuro te* &c. Sed & Joſephus loco antea allegato innuere videtur, fuiſſe eam hoc ritu jurandi conſuetudinem tum temporis paſſim uſitatam. Eodem inclinat Abenezra, cujus verba ſunt: והקרוב אלי שהיה משפט בימים ההם לשום אדם ידו תחת ירך כי שהוא ברשותו והטעם אם אתה ברשותי שים נא ידך תחת ירכי והאדון ישב והירך על היד כטעם הנה ידי תחת רשותך לעשות רצנך וזה המשפט עדיין הוא בארץ הודו: *Probabile mihi eſt, morem fuiße temporis ejus, ut jurarent poſita manu ſub femore ejus, qui dominus ac ſuperior eſſet: perinde ac ſi ita diceret Dominus: ſi tu ſub poteſtate mea es, adeòque paratus ad juſſa mea capeßenda, pone manum tuam ſub femore meo, quo dicto Dominus ipſe ſedere ſolebat, poſito femore ſub jurantis manu. Qui autem jurabat, ſic dicebat, Ecce manus mea ſub femore tuo. Fateor me tibi obſtrictum ad faciendum voluntatem tuam. Et hæc conſuetudo hodièque eſt regionum quarundam, nominatim in India.* Putat igitur homagii ſignum fuiſſe, ſedenti ſupponere dexteram. Hugo Grotius fatetur etiam, morem hunc jurandi manu ſuppoſita femori tempore Abrahami receptum fuiſſe, quaſi dicerent: *ſi fallam, enſe tuo peream.* Nam ad femur locus enſis, Jud. III. 16. 21. Pſal. XLV. 4. Quidquid verò fiat de ſignificatione ritus, id arbitror veriſimile, fuiſſe hunc morem receptum tum temporis inferiorum jurantium erga ſuperiores. Proinde ſervus Abrahami hoc modo adjuratus iter in Meſopotamiam auſpicatò ingreditur. Quid porrò ibi effecerit, in hiſtoria Iſaci explanabitur.

LXI. Poſt

Digitized by Google

LXI. Poſt mortem Saræ & conciliatum Iſaco matrimonium novas nuptias confecit Abrahamus cum קתורה *Cethura*, Geneſ. xxv. 1. Fuiſſe Cethuram hanc ipſam Hagarem, hactenus à domo Abrahami exulantem, & poſt mortem Saræ ab eodem revocatam, plerique orientales ſentiunt. Ita Targum Jonathanis Ben Uziel ad h. l. ואוסיף אברהם ונסיב אתתא ושמה קטורה היא הגר דקטירא ליה מן שירויא *Et addidit Abraham, & accepit mulierem, & nomen ejus Cethura. Hæc Hagar eſt, quam antehac ſibi ligaverat.* Eodem ferè modo Paraphraſis Hieroſolymitana: והיא הוה הגר והות אסירא ליה מן שירויה *Ea fuit Hagar quæ antea ipſi ligata fuerat.* Neque aliter Jarchius, cujus eam in rem verba adducemus: זו הגר ונקראת קטורה על שם שנאים מעשיה כקטורת ושקשרה פתחה שלא נזדוגה לאדם מיום שפרשה מאברהם: *Ipſa Hagar erat, quæ dicta Kethura, quoniam opera ejus pulchra, ut τῆς Kethoreh ſeu ſuffitus, & quia occluſit oſtium ita, ut viro nulli conſociaretur, poſtquam ab Abrahamo ſeparata erat.* Sed & R. Eliezer cap. 30. *Poſt mortem Saræ*, inquit, *reverſus eſt Abraham, atque aſſumpſit repudiatam ſuam.* Hinc dicitur. *Et perrexit Abraham & accepit uxorem nomine Kethuram: Cur autem dicitur:* Et perrexit Abraham? *quia priùs fuit uxor ejus.* Egregia ſcilicet ratio. Potiùs contrarium colligitur, novum hoc fuiſſe conjugium, quia hac phraſi reſpicitur ad prius matrimonium cum Sara initum. Sed & verſus 6. in quo Abraham dicitur munera dediſſe לבני הפילגשים *filiis concubinarum*, arguit, non ſolam Hagarem, ſed plures omnino concubinas duxiſſe. Quam rationem meritò urget doctus Abenezra. Accedit quòd 1. Chron. 1. 28. 32. non inter filios Cethuræ, ſed ſeorſim numeratur Iſmaël, manifeſto indicio, Cethuram matrem non fuiſſe Iſmaëlis, adeóque non Hagarem. Denique hoc ipſo capite v. 12. ubi mentio eſt Hagaræ, ea non nomine *Cethuræ* quod neceſſum fuerat immutato nomine, ſed *Hagaris ancillæ Ægyptiæ*, venit. Ex qua verò gente oriunda fuerit Cethura, nihil ſcire attinet, cùm Scriptura de eo ſileat. Nam quòd Elmacinus eam facit אבנה מלך אלראמה *filiam Regis Rama*, Patricides אבנה בקטר מלך אלרבה *Filiam Pactar Regis Rabbæ*; alii *Cananæam*, parum moramur, cùm nihil horum compertum ſit. Si tamen Cananæa fuiſſet, credibile foret, educatam fuiſſe in familia Abrahami & Gynecéo Saræ, proinde non infidelem.

LXII. Quòd verò Abrahamus jam decrepitus & capularis ſenex, ad nova Cethuræ haud dubiè juvenculæ vota tranſiit, id ad myſterium pertinere putat S. Auguſtinus quæſt. 70. in Geneſin, nec non de Civ. D. lib. xvi. 34. Sicut enim per Hagarem & Iſmaëlis poſteros ſignificata fuerit Synagoga & carnales Iſraëlitæ V. T. ita per Cethuram & liberos adumbratos eſſe homines carnales N. T. non tam re quàm profeſſione Chriſtianos. Quippe ambas

Digitized by Google

ambas appellatas eſſe concubinas: at Saram nunquam. Habere ergo munera filios concubinarum, ſed non venire ad regnum promiſſum, nec hæreticos, nec carnales, quia præter Iſacum hæres nullus eſt. Myſterium etiam in eo agnoſcit Origenes homil. 45. in Geneſin, ubi cenſet, tali conjugio præfiguratum eſſe ſpirituale conjugium mentis humanæ cum ſapientia, quod non fiat niſi inveterata jam ætate. Quomodo etiam Philoſophus in 30. Sect. Problematum, probl. 5. *πρεσβυτέρους μᾶλλον νοῦν ἔχειν, in ſenioribus abundare mentem* ſeu ſapientiam ait. Hæc quamvis ingenioſè excogitata ſint, & ſuum in applicatione uſum habeant: tamen certiores illius rei cauſas eſſe puto, tum ut cumulatiùs impleretur magnifica promiſſio de multiplicando ſemine Abrahami, quæ ſemen non tantùm promiſſionis, ſed etiam carnis concernebat: tum ut haberet Abrahamus ſenex, à quo jam Iſacus matrimonio Rebeccæ innexus diſceſſerat, ſociam, quæ præcipuam gereret rationem ſenectutis ejus, & reliquæ familiæ curam ſuſciperet.

LXIII. Cæterùm Cethura apud Moſen venit nomine tum אשה *uxoris*, tum פילגש *concubinæ* Geneſ. xxv. 1. 6. & 1. Paralip. 1. 32. Contra Sara quidem venit nomine אשה *uxoris*, at פילגש *concubinæ* nunquam. Id quod etiam obſervatum S. Auguſtino de Civ. D. xvi. 34. Quæ ſit ratio diſcriminis, quæritur. Elias Levita in Notis ad Davidis Kimchii Radices, radice פילגש fingit, פילגש eſſe uxorem dimidiatam, vocabulo compoſito ex פלג & אשה hoc eſt, *uxore dimidiata*. Atque inde etiam derivat vocem Latinam *Pellex*, à qua eſt Græca *παλλακή*. Verùm id dilutum eſt. Plerique Hebræi uxores à concubinis diſtinguunt pactis dotalibus & ſponſaliorum ſolennibus. In Gemara Hieroſolymit. ad tit. Cetuboth cap. 5. ita habetur: נשים בכתובה ובקדושין פלגשים בלא כתובה ובלא קידושין *Uxores ſiunt cum pactis dotalibus & ſponſaliorum ſolennibus: concubinæ neque his, neque illis*. Id verò ut obtinuerit poſt Legem: at ante Legem eam differentiam obſervatam eſſe minimè liquet. Quin potiùs hoc interceſſiſſe diſcrimen ſolum videtur, quòd concubina quidem eſſet vera uxor, mutuo conſenſu delecta perpetua vitæ ac thori ſocia, ſed quæ dignitatis longè minoris & obſcurioris generis eſſet, quàm maritus. Unde nec liberi ex ea ſublati hæreditatem adire poterant eandem, quàm uxor non concubina: Atque talis erat ancilla, cui nupſerat herus. Non diſſimile apud Germanos erat matrimonium impar ad Morgengabicam, de quo agit Hugo Grotius de Jure B. & P. lib. II. 5: 15.

LXIV. Ex Cethura Abrahamus quamvis ſenex ſuſtulit liberos, nimirum: את זמרן ואת יקשן ואת מדן ואת מדין ואת ישבק ואת שוח: *Zimran, &*

S *Jakſchan,*

Jakſchan,& Medan & Midian,Iſbak & Suah Geneſ.xxv.2.Cùm verò Abrahamus centeſimo & quadrageſimo præter propter anno duxerit Cethuram, adeóque extrema & feſſa ac decrepita ſenectute, mirum videri queat, ipſum adhuc liberos ex Cethura progenuiſſe. Imprimis cùm Apoſtolus Rom. IV. 19. ingentis miraculi loco prædicet, quòd Abraham centenarius demum, cujus corpus jam tum vocat *νενεκρωμένον emortuum*, Iſacum filium promiſſionis genuerit. Pererius hæc ita conciliat, ut corpus Abrahami dicatur emortuum non abſolutè reſpectu Saræ jam vetulæ, nempe nonagenariæ, & inſuper hucuſque ſterilis & effœtæ, ex qua proinde liberos generare non potuerit. At tale non fuiſſe reſpectu Cethuræ juvenculæ, in quo viror ætatis vigórque integer ſupererat. Ante ipſum S. Auguſtinus de Civ. D. XVI. 28. id ita extulit: *Hoc ergo eſt, quod mirum commendat Apoſtolus, & ad hoc dicit Abrahæ corpus jam fuiſſe emortuum, quoniam non ex omni fœmina, cui eſſet adhuc aliquid pariendi tempus extremum, generare ipſe in illa ætate adhuc poſſet. Ad aliquid enim emortuum corpus intelligere debemus, non ad omnia. Nam ſi ad omnia, non jam ſenectus vivi, ſed cadaver eſt mortui.* Nos diſtinguimus inter id quod fuit *naturæ* & quod *gratiæ*. Naturæ reſpectu ejus corpus fuit effœtum & mortuum, ſi conſiderentur non ſolùm ætas grandæva, ſed & innumeri labores, moleſtiæ, peregrinationes, pericula, quibus Vir ſanctus exhauſtus, & attritus fuerat. At per *gratiam* & virtutem divinam in extrema ſenecta vires ei aquilæ inſtar fuerunt reſtauratæ, juxta promiſſionem Jeſ. XL. 29. 30. 31.

LXV. Abrahamus porrò, cùm diverſi generis liberos haberet, hoc diſcrimine iis bona diſtribuit, ut ſolus Iſacus ex Sara natus, tanquam hæres Divina voluntate deſignatus, adiret hæreditatem את כל אשר לו *omnium quæ habebat ipſe*, adeóque tum juris hæreditandi terram promiſſam, quod præcipuum erat, tum bonorum quâ immobilium, quæ exigua erant, quâ mobilium, quæ erant minimè ſanè contemnenda: reliqui autem ex concubinis nati acciperent מתנות *munera*, talia nimirum, quæ cum hæreditate Iſaci collata vix umbra eſſent, Geneſ. xxv. 5. 6. Neque in eo peccavit Patriarcha, cùm id omne fecerit inductus prævia voluntate Dei, & exempla non deſint etiam legibus humanis confirmata, quibus non ſolùm in liberis ex diverſis uxoribus ſuſceptis maxima in partitione bonorum inæqualitas ſervatur: ſed etiam in iis, qui germani ſunt fratres & ex uxore eadem ſublati. Pertinet huc etiam, quòd liberos concubinarum ישלח מעל יצחק בעודנו חי קדמה אל ארץ קדם *miſit ab Iſaco, ipſo adhuc vivente, ad Orientem, ad terram Orientis*, Geneſ. xxv. 6. Impii ſunt in Abrahamum Hebræi, & inter eos Eliezer cap. 30. ubi Abrahamum filios hos ab Iſaco in hoc

& fu-

Digitized by Google

& futuro ſeculo repudiâſſe, veluti libello repudii iis exhibito ſcribit. Et majori etiam impietate Jarchius ex Magiſtrorum ſuorum mente docet, Abrahamum filiis his inter מתנות ſeu *munera* illa tradidiſſe שם טומאה *nomen immunditiei*, hoc eſt, uti explicat in Sanhedrim, *impuri ſpiritus*, cujus ope Magiam exerceret. Quid fœdius ſanctiſſimo Patriarchæ tribuere poſſent degeneres hi filii, parentum ſuorum maculæ. Quin ipſum Abrahamum magum fuiſſe, quamvis artem nunquam exercuerit, docent. Sed mittamus impuros. Joſephus Antiq. l. 15. & ex eo Hieronymus in Quæſt. Hebr. dicunt, filios hos concubinarum, authore Abrahamo, in varias regiones deduxiſſe colonias, eoſque occupâſſe Troglodyticam regionem, magnam partem Arabiæ felicis, quæ ad mare Rubrum pertinet, imo eum qui *Opher* v. 4. nominatur, ab aliis *Apher*, profectum eſſe cum exercitu in Lybiam, eámque occupâſſe, ac à ſe Africam denominâſſe. Quam in rem Alexandrum polyhiſtorem & Cleodenum Prophetam, qui & Malchus dictus, auctores citat. Multa alia ibi narrantur, quæ pleraque probabilitatem omnino nullam habent. Tale eſt, quòd Herculem expeditionis illius ſocium facit, cùm is non Abrahamo duntaxat, ſed ipſo etiam Moſe recentior fuerit, teſte Euſebio in præfatione Chronicorum: quòd Troglodytica regio ab iis ſit occupata, cùm Troglodytæ in Africa ad meridiem potiùs & occidentem, quàm orientem vergant: quòd Opher Africorum primus occupaverit & denominaverit, cùm Madian unâ cum liberis ſuis non Africam, ſed potiùs Arabiam tenuerit; denique quòd quidam Cethuræ filii penetrârint in ipſam Indiam, quod ipſum quoque veriſimile non eſt. Meritò igitur etiam Joſephum hîc pulſat Beroaldus Chron. lib. IV. p. 317. Cæterùm in Scripturis quatuor potiſſimùm Abrahæ & Cethuræ liberorum & nepotum mentio frequentior eſt, nempe *Midian* & ejus filii *Epha*, nec non duorum filiorum *Joſchan*, nempe *Seba* & *Dedan*. A Midian rectè derivat Hieronymus urbem Midian, ſitam trans Arabiam ad Meridiem, in deſerto Saracenorum contra orientem maris Rubri. Unde etiam vocatur Midianæa regio. Sed perperam eam regionem Midian, ex qua Moſes uxorem duxit, ab hoc Midiane propagatam idem negat. Quamvis enim duplex fuerit Midian, quia tamen utraque in Arabia ſita fuit, nihil obſtat, quò minùs utramque ab eodem authore derivemus. Quod etiam fecit Origenes homil. 2. in Geneſin. *Ephæ* poſteros inter hos ipſos Midianitas habitâſſe, & tempore adhuc Eſaiæ id nominis obtinuiſſe, argumento eſſe poteſt locus Eſai. XXX. 6. *Seba* habitavit in ipſo aditu Arabiæ Felicis prope Nebatæos, uti ex Strabone docet Magnus Bochartus Phal. lib. IV. 9. Homeritas cum Sabæis his

eoſdem faciunt Philoſtorgius Cappadox lib. III. 4. Procopius Gazenſis & vetus author apud Surium, quem citat Baronius ad annum 522. Unde eos octavo die circumcidi quamvis aliàs Soli, Lunæ & indigenis dæmonibus ſacrificent, narrat idem Philoſtorgius. Etiam Uranius primo Arabicorum eoſdem facit Homeritas cum Sabæis. Vide Notas doctiſſimi Gothofredi ad Philoſtorgii lib. III. 4. Sed confundunt illi Sabæos ex Joctane & Abrahamo oriundos. Denique *Dedan* origenem dediſſe videtur *Dedan* urbi Idumeæ mediterraneæ, de qua agitur Jerem. xxv. 23. & XLIX. 7. cujúſque incolæ vocantur דדנים *Dedanim* Eſai. XXI. 13.

LXVI. Mors Abrahami, ut ad eam tandem veniamus, deſcribitur his verbis apud Moſen: ויגוע וימת אברהם בשיבה טובה זקן ושבע *Et defecit ac mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, ſenex & ſatur.* Geneſ. xxv. 8. Quòd non ſimpliciter mortuus dicitur, ſed גוע ומת *deficiens* ſeu expirans *& mortuus*, id R. Solomon Jarchi ideò factum putat, quia Moſes innuere voluerit, mortem ejus fuiſſe mortem juſti, cùm vox illa גוע non niſi de morte juſtorum accipiatur. Verùm refellit eum, quòd de iis, qui in diluvio perierunt, eadem vox uſurpetur Geneſ. VII. 21. Neque ſcio, an rectiùs Abenezra, cúmque ſecutus Kimchius hoc explicet de morte ſubitanea. Verba Abenezræ ſunt: מלת ויגוע צאת׳ הרוח מהגוף רגע אחד בלי ענוי ועכוב והנה כל גויעה מיתה ואין כל מיתה גויעה על כן כתוב במבול ויגוע: Vox ויגוע *notat exitum ſpiritus è corpore factum uno momento ſine dolore & afflictione. Et ecce omnis* גויעה *eſt* מיתה *ſed non viciſſim. Propterea ſcriptum eſt in diluvio,* ויגוע *& expiravit.* Probabilius mihi, ſignificari piam placidámque mortem, dulci ſomno non abſimilem: Qualem mortem ſibi ſuiſque precatus eſt, & εὐθανασίας nomine inſignivit Auguſtus, teſte Suetonio in vita ejus cap. 99. Egregiè Cicero de Senectute: *Quid eſt tam ſecundum naturam quàm Senibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante & repugnante natura. Itaque adoleſcentes ſic mihi mori videntur, ut cùm aquæ multitudine flammæ vis opprimitur: Senes autem, cùm ſua ſponte nulla adhibita vi conſumptus ignis extinguitur. Et quaſi poma ex arboribus ſi cruda ſunt, vi avelluntur, ſi matura & cocta decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: quæ mihi tam jucunda eſt, ut quò propiùs ad mortem accedam, quaſi terram videre videar, aliquandóque in portum ex longa navigatione eſſe venturus.* Quod mortuus dicitur בשיבה טובה *in ſenectute bona* id Druſius interpretatur de ſenectute, quæ illis incommodis minimè obnoxia, quæ ætati ei communiter adjuncta ſunt. Sic Vatablus: *Bona, id eſt, quæ aliena erat à malis, & incommodis ſenectutis.* Malim cum doctiſſimo Lud. de Dieu intelligere ſimpliciter maturam, plenam, magnam ſenectutem. Unde ſtatim ſequitur, velut explicationis vice, quòd

Digitized by Google

quòd fuerit זקן ושבע *ſenex & ſatur*. Et apud Syros טב cùm adverbiaſcit, intenſionem ſignificat, ac vertitur *magnopere, valde, vehementer*. Quamvis igitur ſenectus per ſe morbus ſit, bona tamen dici potuit, quia perfecta. Meritò enim bonum dicitur, quod rei continet perfectionem, etſi alia ex accidenti admixta mala habeat.

LXVII. Cur Abrahamus moribundus non benedixerit Iſaco, ſicut Iſacus Jacobo, & Jacobus filiis, quærit Boulducus *de Eccl. ante legem.* lib. III. 7. Rationem ejus rei reddit, quòd cùm Iſac filius benedictionis eſſet, in quo omnes gentes benedictionem accipere debebant, quique tot modis ac privilegiis illuſtris apud Deum, multifariam Chriſtum filium Dei naturalem repræſentaturus erat, at in hoc maximè, quòd eſſet ſummus Pontifex & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci: non potuerit proinde Abraham Iſacum, ſicut Iſac Jacobum frumento & vino ſtabilire, eò quòd non eſſet Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedeci, ſicut erat Iſac, qui hoc Sacerdotium acceperit ante mortem Abrahami. Hanc ſuam opinionem Monachus vocat *ſimplicem*: ego *compoſitam* & conſutam ex meris figmentis. Unde enim conſtat, Iſacum Sacerdotem fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedeci, cui Scriptura non alium ſucceſſorem dat quàm Chriſtum? unde conſtat, Melchiſedeci ſacrificium in pane & vino adminiſtratum eſſe? unde conſtat, ejuſmodi Sacerdotium Abrahamum vel Melchiſedecum ante mortem tranſtuliſſe in Iſacum? unde denique conſtat, Abrahamum Iſaco non benedixiſſe? Quin potiùs benedixiſſe ei innuit Moſes, cùm ait, dediſſe Abrahamum Iſaco, nempe paulò ante mortem, omnia quæcunque habebat, hoc eſt, hæredem eum inſtituiſſe tum eorum, quæ Abrahamo divinitus promiſſa erant, tum quæ jam poſſidebat, Geneſ. xxv. 5. Quis dubitet, eum adjunxiſſe benedictionem tum, cùm benedictionis Divinæ hæredem declaravit?

LXVIII. Defuncti Patriarchæ corpus ſepultum eſt ab Iſaco & Iſmaële in ſpelunca Macpelah, in qua antea uxorem Saram ipſe Abrahamus condiderat. De quo ita Moſes: ויאסף אל־ עמיו ויקברו אותו *Et aggregatus eſt ad populum ſuum: Et ſepelierunt eum Iſac & Iſmaël filii ejus in ſpelunca Macpelah, in agro Ephron &c.* Geneſ. xxv. 9. De populo illo, ad quem aggregatus dicitur Abrahamus, Philo Judæus in libro, *Quis rerum Divinarum hæres ſit*, multa diſſerit, Stoica potiùs & Platonica, quàm doctrinæ cœleſti conſona, quæ proinde digna conſideratione non judicamus. Auguſtinus quæſt. 268. in Geneſin populum interpretatur *populum illius Civitatis, quæ de Cœlo eſt Hieruſalem*, de quo Paulus Hebr. XII. 22. 23. adeoque ſanctos Cœlites tum homines tum Angelos. Eandem ſententiam tuentur

Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ cap. 114. ſuper Geneſin, Gloſſa Interlinearis & Toſtatus. Lyranus eam interpretationem refutat hoc argumento, quòd ante Chriſti adventum nullus juſtorum poſt hanc vitam aſcenderit in Cœlum, nec in Cœleſtem Patriam & Societatem Angelorum receptus ſit: ſed potiùs in Limbum. Sic igitur tacitè agnoſcit, Auguſtino limbum Patrum incognitum fuiſſe. Paulus Burgenſis Epiſcopus, ut Auguſtinum Pontificio limbo conciliet, pertendit, Patres poſſe dici congregatos ad Societatem Angelorum, quòd licet illi non eſſent in Cœlis, unà cum Angelis, tamen in ipſo Limbo, ubi erant, frequentiſſimè viſitarentur ab Angelis. Quam Auguſtinianæ ſententiæ explicationem agnoſcit *perinfirmam & levem admodum*, cùm ſocietas Angelorum non ſit niſi ea, quæ in Cœlis eſt. *Aliâs*, inquit, *etiam Viri Sanctiſſimi, qui dum in terris verſabantur, frequentiſſimas habuére viſitàtiones Angelorum, etiam tunc poſſent dici aggregati ad ſocietatem Angelorum.* Manet igitur, Auguſtino viſum non eſſe, quod Abrahamus deſcenderit in Limbum. Lyranus, eúmque ſequuti Rupertus, aliique exponunt *populum* iſtum de juſtis omnibus, quicunque inde ab exordio mundi fuerunt in limbum recepti. Nos alibi demonſtramus, Abrahamum poſt mortem non in limbum, ſed in Cœlum receptum eſſe. Quòd igitur Abrahamus dicitur ad populum ſuum congregatus, uſitato Hebraiſmo ſignificat, eum in hac terra vivere deſiiſſe, & ad plures abiviſſe, quod Scriptura aliâs etiam vocat *ad Patres ſuos abire.* Cæterùm ea phraſis emphaſi & myſterio non caret, quippe quâ immortalitas animæ, obſervantibus etiam Hebræis quibusdam & Cajetano, inſinuatur. De beſtiis nunquam dicitur, quòd congregentur ad populum ſuum, ſed de ſolis hominibus tum piis, tum impiis. Notatur igitur hac locutione, per mortem non redigi homines in nihilum, nec totum hominem mori, ſed animam recipi ad populum ſuum, vel in Cœlo vel in inferno exiſtentem.

LXIX. Chriſtus Luc. XVI. 23. mentionem facit τῶν *κόλπων ſinuum*, ſeu *ſinus* Abrahæ, in quo Lazarus poſt mortem ſuam quievit. De eo, quia paulò prolixior requiritur explicatio, ſeorſim Σ. Θ. agemus.

LXX. Sic Abrahami tum viventis tum morientis hiſtoriam reddidimus. Quæ de eo nugantur paſſim Hebræi, cùm Scriptura non nitantur, ultro transmittimus. Sed & Muhammedani temerè multa de eo fingunt. Talia ſunt, quòd nativitas ejus fuerit miraculoſa, teſte Keſſæo; quomodo etiam miracula multa Abrahamo infanti contigiſſe narrant Hebræi apud doctiſſimum Vorſtium in Notis ad Pirke Eliezer, pag. 190. 191. quòd לא יהודיא ולא נצראניא ולכן כאן כניפא מסלמא *neque Judæus, neque Chriſtianus,*

ſtianus, *ſed Chaniſæus*, (hoc eſt voce Syriaca hypocrita, vel idololatra juxta Iſa Bar Ali) *Muſelmannus fuerit*, uti aſſerit Surata de Abrahamo: quòd cum Nimrodo diſputaverit de unitate Dei & mortuorum reſurrectione teſte Surata. 2. & Keſſæo: quòd relicta Patria Meccam conceſſerit, ibique Meccani templi priora fundamenta poſuerit, teſte eadem Surata & Keſſæo: aliáque ejuſmodi plurima, quibus Alcoranus refertus eſt.

LXXI. Sed & ſcripta ac libros integros Abrahamo affingunt tum Hebræi tum Chriſtiani quidam. Et Hebræi quidem ei adſcribunt librum יצירה *Creationis*. De quo ita Author Coſri p. m. 301. 302. ספר יצירה והוא לאברהם אבינו והוא עמוק ופירושו ארוך הודה על אלוה ואחדותו בדברים מתחלפים מתרבים מצד אבל הם מתאחדים נסכמים מצד אחד: *Liber Jezira Abrahami Patris noſtri, qui eſt profundus & requirit longam explicationem, docens de Deo & unitate ejus, verbis reſpectu uno variis, & multiplicibus, reſpectu verò altero unitis & eódem tendentibus*. Antiquum eſſe librum vel inde conſtat, quòd ejus Thalmudici meminerint. Allegatur in Gemara Codicis Sanhedrin. cap. VII. 9. ubi dicuntur R. Chanina & R. Hoſchaja pridie Sabbathi ſoliti legere בספר יצירה *in libro Jezira*. Cæterùm Abrahamo authore editum eſſe, non deſunt inter ipſos Judæos qui inficientur. Ita Abraham Zachut in libro Juchaſin pag. 52. apertè νοθείας eum poſtulat. Et Præfat. 11. Zohar Mantuani hæc verba habentur: מי התיר לרבי עקיבא לכתוב ספר יצירה מאברהם אבינו *Quis dedit poteſtatem R. Aquibæ ſcribendi librum Jezira nomine Abrahami Patris noſtri?* Sed & inter Chriſtianos veteres profeſſos hæretici Sethiani venditârunt Apocalypſin Abrahami, teſte Epiphanio in primo Panarii. Quin & Origenes homil. 35. in Lucam allegat teſtimonium ex Scriptura Abrahami Apocrypha, in qua inducuntur Angeli iniquitatis & juſtitiæ, de ſalute & interitu Abrahami diſceptantes. Denique in Synopſi Athanaſii, liber, qui *Aſſumptio Abrahami* dicitur, inter rejectos numeratur. Nos ſpurios ejuſmodi fœtus relinquimus illis, qui amant prenſare, quod ajunt nubem pro Junone, ſtatuam pro Davide, umbras montium pro militibus.

LXXII. Abrahami meminerunt antiquiſſimi poſt Moſen ſcriptores exotici, ampliſſimis elogiis eum exornantes. Beroſus eum ita circumſcribit apud Joſephum & Euſebium de præparat. Evangel. lib. IX. 16. Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ καὶ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Circa decimam poſt diluvium ætatem Vir quidam apud Chaldæos vixit ſumma cum integritate morum, tum etiam dignitate, rerúmque Cæleſtium cognitione præditus.* Hecatæus non ejus duntaxat meminit, ſed integrum etiam de eo volumen, ſi credimus Joſepho, ſcripſit. Nicolaus Damaſcenus libro quarto hiſtoriarum ſcribit, eum ex Chaldæa profectum

regnâſſe

Digitized by Google

regnâſſe Damaſci, inde mutatis ſedibus in Cananæam cum ſuis conceſſiſſe. Quin & in Damaſcena regione vicum eſſe Ἀβραάμου οἴκησιν λεγομένην, *Abrahami domicilium nuncupatum*, recenſet. Memorat etiam ejus profectionem in Ægyptum, ubi Sacerdotum Ægyptiorum errores valde refutaverit, adeò ut in quotidianis mutuiſque congreſſibus tanquam ſapientiſſimum, & ad perſuadendam Veritatem potentiſſimum ſuſpicerent. Quin & Arithmeticam & Geometriam eum Ægyptios liberaliter docuiſſe. Sed & Alexander Polyhiſtor in hiſtoria Judæorum allegat, teſtimonium Eupolemi de Abrahamo referentis, quòd Camarine Babyloniæ Civitate natus, paulatim nobilitate ac ſapientia omnibus anteiverit, inde in Phœnicia fixo domicilio, Phœnices Solis Lunæque converſiones, ac reliqua id genus omnia docuerit: Phœniciæ Regem bello adjuverit, & in eo nepotem ſuum liberaverit, indeque à Melchiſedeco Dei Sacerdote dona acceperit. Recitat idem Abrahami profectionem in Ægyptum, raptum Saræ, aliáque ejuſmodi, quæ allegata tum apud Joſephum, tum apud Euſebium reperias. Præterea Artapanus in rerum Judaicarum hiſtoria Abrahami meminit, eúmque in Ægyptum cum univerſa familia ad Pharethonem ſe contuliſſe, ac ibi viginti integros annos manſiſſe. Melo etiam qui adverſus Judæos ſcripſit, non diſſimulat Abrahamum ſapientiæ laude inclytum fuiſſe. Narrat etiam ipſius conjugia, & natùm ex legitima uxore unicum filium, ὃν ἑλληνιστὶ γέλωτα ὀνομασθῆναι, *cujus nomen apud Græcos riſum ſonet.* Meminit idem immolationis Iſaci. Hæc ex Alexandro Polyhiſtore excerpſit Euſebius loco citato. Videtur etiam Orpheus indigitâſſe Abrahamum hiſce verſibus:

> Ἐι μὴ μονογενής τις ἀποῤῥὼξ φύλου ἄνωθεν
> Χαλδαίων. ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης &c.
> *Unus eum imperio mortalia fata regentem*
> *Nôſſe aliquis potuit Chaldæo à ſanguine cretus.* &c.

Ubi Abrahamus μονογενὴς ſic dicitur, ut apud Eſai. LI. 2. אחד ſi credimus Hug. Grotio de Ver. Relig. Chriſt. in Notis p. 114. Veriſimilius tamen mihi, quod cenſet Scaliger, μονογενῆ dictum eſſe καταχρηστικῶς, cùm ejus filius, non ipſe fuerit יחיד *unigenitus.* Ex Philone Biblio, Sanchorriathonis interprete quædam nobis de Abrahamo ſervavit idem Euſebius de Præp. Evang. lib. IX. 20. Circumciſionis mandatum Abrahamo Divinitus datum etiam Thedorus docuit in carmine de Judæis. Denique Porphyrius in Libro περὶ Ἰουδαίων: Saturnus narratur ex nympha indigena Ἀνωβρὲλ, *Anobrel*, filium habuiſſe unigenitum, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, *quem propterea Jeud vocabant,*

cùm

cùm hodieque unigenitus à Phœnicibus ita appelletur. Ubi Ἀνωβρὲτ *Anobreth*, ſeu חן־עוברת *ex gratia concipiens*, eſt Sara, & *Jeud* eſt יחיד Iſaci Epitheton Geneſ. xxii. 2. Proinde Saturnus ille idem qui Abrahamus, quem ex נשיא אלהים *Principem Dei* Geneſ. xxiii. 6. fecerunt Chananæi *Principem Deum*. Unde Saturnum hunc referunt Sonchoniathon & Porphyrius filium ſuum mactâſſe. Atque ſic aliquatenus impleta eſt Dei promiſſio Abrahamo facta Geneſ. xii. 2. אגדלה שמך *magnificabo nomen tuum*.

EXERCITATIO QUARTA
DE
RAPTU SARÆ GEMINO.

Breviarium.

Raptus Saræ geminus diſtinguitur: 1. Conſilium Abrahami ſuppeditatum Saræ ſub initium introitus in Ægyptum. 2. Quî Sara jam vetula à pulchritudine commendari potuerit? Abenezræ aliorúmque conjecturæ. 3. An Abrahamus Saram inducens, ut pro ſorore ejus ſe venditet, impoſturæ argui poſſit? 4. An conſilium illud ſuppeditatum Saræ vacaverit omni culpa, diſceptatur. Rejectæ ſententiæ tum eorum, qui Abrahamo tanquam lenoni inſultant, tum eorum, qui factum ejus excuſant planè, vel laudant. Oſtenditur, eum nec proſtituiſſe uxorem, nec mala fide egiſſe, ſed ex infirmitate fidei carnali prudentia uſum ad vitæ ſuæ ac pudicitiæ Saræ cautionem. Calvinus à Jeſuita Abramo defenſus. 5. Raptus Saræ in Ægypto. Joſephi, Euſebii, Hieronymi narrationes de nomine Pharaonis examinantur. Pharaonem Ægyptiaca & Arabica voce denotare Regem. Pharus Inſula unde ſic dicta? 6. Mos antiquus rapiendi fœminas apud Ægyptios & Græcos exemplis illuſtratur. 7. Benevolentia Pharaonis erga Abrahamum. Plaga Pharaoni immiſſa. Qualis pœna fuerit inflicta Pharaoni & domui

ejus? Sententia Joſephi, Philonis, Rabbinorum. Quid ראתן*? An juſtè Deus Pharaonem, domúmque ejus percuſſerit? 8. Unde cognoverit Pharao ſe percuſsum eſſe ob Saram, & Saram uxorem eſſe Abrahami? Expoſtulatio Regis cum Abrahamo. An Rex Saram reſtituerit illæſam & intactam? Cur tam citò dimiſerit Rex Abrahamum? Honorificam dimiſſionem voce* שלח *innui demonſtratur. 9: Raptum Saræ & vexationem Abrahami in Ægypto præluſiſſe captivitati Ægyptiacæ Iſraëlitarum, oſtenditur. 10. Progreſſus ad poſteriorem raptum Saræ in Palæſtina ab Abimelecho attentatam. Occaſio ejus, & conſilium Abrahami in diſſimulatione poſitum. Diſſimulationem eam vitioſam fuiſse oſtenditur. 11. Sara rapitur ab Abimelecho. Fuiſſe nomen Abimelechi commune Regum Philiſtinorum. Fueritne Abimelechus fidelis, & quo conſilio rapuerit Saram? Boulducus notatur. 12. Abimelechus à Deo ſeriò increpatur. An ſimplici increpatione Deus Regem abſterruerit, an jam tum pœnâ ipſum afflixerit? Abimelechi apologia. Cur punitus à Deo, cùm in perfectione cordis, & munditie manuum eum id feciſse teſtatus fuerit ipſe Deus? Haud planè inſontem fuiſſe probatur. An peccaturus fuiſset Rex, ſi rem cum Sara habuiſſet? 13. Præceptum Dei de reſtituenda Abrahamo uxore. Verba Dei* כי נביא הוא *quò referenda? Quo ſenſu Abrahamus Propheta dicatur? 14. Abimelechi obſequium in reſtituenda Sara, & Regia erga Abrahamum munificentia. 15. Rex Saram dimiſſam admonet officii. Quis ſenſus verborum* הוא כסות עינים *velamen erit oculorum? Interpretum Orientalium & doctorum variæ de eo ſententiæ. 16. Vera ſententia, ut vel ſiclis Abrahamo donatis Sara ſibi comparet velamen & flammeum, quò conjugem eſſe appareat: vel Abrahamus ipſe ei ſit loco velaminis, atque adeò ipſe profiteatur, quòd conjux ſit, ſubjecta poteſtati mariti. Vetus fœminarum in Arabia, Græcia &c. mos ſe obnubendi exponitur. 17. Quid ſibi velit vox ambigua* ונכחת*? An conſtruenda cum* ואת כל*? Quem ſignificatum habeat?* תוכחות *notant argumenta ſeu* ἐλέγχους*. 18. Interceſſio Abrahami pro Abimelecho ejuſque domo, & ſanatio ejusdem. Quomodo tam brevi tempore,*

Digitized by Google

tempore; quo Sara manſit cum Rege, ſterilitas uxorum potuerit innoteſcere? Examinatur ſententia LXX Interpretum, Chaldæi, Arabis. Pœnam Abimelechi & uxorum fuiſſe videri ligamen, concubitum impediens. 19. Quo conſilio Deus raptum hunc permittere, & Moſes tam ſolicitè deſcribere voluerit? &c.

I. IN hiſtoria Saræ ſingulare quiddam eſt, quòd bis appetita, bis rapta fuit à Regibus, ſemel à Pharaone in Ægypto, altera verò vice ab Abimelecho in Palæſtina. Et prior quidem raptus deſcribitur à Moſe Geneſ. XII. 11--20. Poſterior Geneſ. XX. 2--18. De utroque illo raptu, cùm hiſtoriæ ejus quædam inſint obſervatu haud indigna, inpræſentiarum agimus. Extabit autem in utroque tum veritatis promiſſionum divinarum, nequicquam peccatis fidelium labefactatæ, tum fidei & patientiæ Abrahamicæ documentum. Ac priorem raptum quod attinet, ante omnia ſatis conſtat, fame diriſſima, quæ terram Cananæam infeſtavit, urgente Abrahamum in Ægyptum conceſſiſſe, ut vitæ ſubſidia quæreret. Hæc occaſio fuit raptus. Et Moſes quidem diſtinctè recenſet tum prævium *conſilium* Abrahami Saræ ſuppeditatum, tum *factum*, tum denique *eventum.*

II. Cùm igitur Abrahamus in procinctu eſſet, ut intraret Ægyptum, & vitæ ſuæ ob comitis Saræ pulchritudinem, mirum in modum metueret, conſilium ſuggerit Saræ, quod hiſce verbis complectitur Moſes: *Et fuit cùm appropinquaret ut ingrederetur Mizraim, dixit ad Sarai uxorem ſuam:* Ecce novi, quòd mulier pulchra ſis aſpectu. Unde accidet, cùm contemplati te fuerint Ægyptii, *ut dicant: uxor ejus eſt, & occident me, te verò ſervabunt incolumem. Dic quaſo quòd Soror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, vivatque anima mea propter te. Geneſ.* XII. 11. 12. 13. In hoc Abrahami conſilio duo in controverſiam veniunt: Prius, quâ fide Abrahamus uxori Saræ tribuat eam pulchritudinem, quæ ad ſui amorem viros traheret atque pelliceret. Poſterius, quid de conſilio ipſo Abrahami judicari debeat.

III. Ac prius quod attinet, dubitationis cauſa hæc eſt, quòd jam major ſexagenariâ eſſet, adeóque mulier vetula. Cùm enim Abrahamus ex Charan egreſſus fuerit annos agens ſeptuaginta quinque, Sara quæ nonagenaria fuit, cùm Abrahamus eſſet centenarius, adeóque decem annos minor Abrahamo, jam tum nata fuerit oportet annos ſexaginta quinque. Et tamen Saram in ea adhuc ætate non tantùm Abrahamus prædicat tanquam אשה יפת מראה *mulierem pulchram aſpectu*, v. 11. ſed ipſi etiam

Digitized by Google

Ægyptii talem agnoſcunt, v. 14. R. Solomonis Jarchii commentum hîc non memorabimus. Neque etiam Abenezra rem tetigit acu. Putat is, formoſam fuiſſe Saram: רק במצרים וארץ הנגב לא היה כמוה כי הצורות משתנות בעבור האויר *tantùm reſpectu Ægyptiorum; reſpectu terræ autem meridionalis talem non fuiſſe, quia formæ diverſæ ſunt propter aërem.* Etenim, non tantùm formoſa viſa eſt tum Ægyptiis: verùm etiam poſtea, cùm nonagenaria jam eſſet, Geraritis, qui eam Abimelecho propterea haud dubiè commendaverunt. Alii cauſas alias afferunt, quales ſunt: quòd illo tempore major fuerit vivacitas, & corporis vigor, quàm ſit hodiéque, virésque minus fractæ & debilitatæ: quódque Sara cùm fuerit ſterilis, potuerit formæ ſuæ elegantiam ſervare diutius, quàm ea quæ jamjam plurium liberorum mater fuit. Cœterùm neque eæ ſufficiunt, cùm Saræ formam ſuprà communem multarum aliarum fœminarum formam non extollant. Puto igitur εὐμορφίας illius, quâ, uti Chryſoſtomus loquitur, erat ἁμιλλωμένη τῇ τοῦ δικαίου ἀρεταῖς, *certabat cum virtutibus juſti illius mariti*, cauſam non fuiſſe aliam, quàm ſupernaturale Dei donum, & ſpecialem ejuſdem providentiam, qui eam in extrema ſenectute voluit fieri matrem Iſaci, atque ſimul cotem fidei & patientiæ Abrahami, quæ in hac ob formam uxoris immiſſa tentatione non parum explorata fuit.

IV. Conſilium ipſum Abrahami quod attinet, videntur duo potiſſimùm in eo reprehenſione digna: alterum quòd ſimulaverit ſororem eſſe, quæ conjux fuerat; alterum quòd optimam conjugem adulterii periculo expoſuerit. Ac prius quod attinet, in eo quod Sororem dixit Abraham, reprehendi non poteſt, ſiquidem verè Soror ejus fuit. Ita enim Abrahamus, qui quod res erat, optimè nôrat, & depulſo jam periculo cauſam veritatis diſſimulandæ non habebat, loquitur Geneſ. xx. 12. וגם אמנה אחתי בת אבי הוא אך לא בת אמי ותהי לי לאשה *Et etiam verè ſoror mea eſt, filia Patris mei ipſa, veruntamen non filia matris meæ, & fuit mihi in uxorem.* Ubi Sororem intelligi, quæ eodem patre nata ſit, non neptem ex fratre, receptior eſt ſententia Hebræorum. Nam Saram non fuiſſe Jiſcam, neptem Abrahami ex fratre, ſuperiùs oſtendimus. Sive autem fuerit ejuſdem patris filia, ſive ejuſdem avi ex fratre neptis, verè אחות *Soror* Abrahami dici potuit, uſitata tum temporis Hebræorum Dialecto, ſecundum quam *Soror* dici poteſt non tantùm ejuſdem patris filia, ſed etiam ejuſdem avi neptis, quomodo etiam Lothus, ejuſdem avi ex fratre nepos Abrahami אח *frater* dictus eſt. Hactenus igitur non putamus Abrahamum *mentitum eſſe germanitatem*, uti innuere videtur Ambroſius lib. 1. de Abrah. cap. 2.

V. Quamvis verò Soror fuerit Abrahami Sara, tamen eam conjugem eſſe

Digitized by Google

eſſe diſſimulavit, atque hac diſſimulatione eam & raptus & adulterii periculo expoſuiſſe videtur. An verò ne hac quidem ratione peccaverit Sanctus cæteroquin Patriarcha, diſſentiunt authores, & quadam ἀμετρείᾳ τῆς ἀνθολκῆς, alii quidem Abrahamo inſultant, alii diſſimulationem ab omni labe purgant & laudant. Inſultant ei Fauſtus Manichæus, Origenes & Hieronymus. Et Fauſtus Manichæus ſanctum Patriarcham accuſat, *quòd matrimonii ſui infamiſſimus nundinator avaritiæ ac ventris causâ, duobus Regibus Abimelech & Pharaoni diverſis temporibus Saram conjugem Sororem mentitus, quòd erat pulcherrima, in concubitum venditârit.* De quo protervi canis in ſanctum virum latratu vide Auguſtinum contra Fauſtum lib. XXII. c. Origenes homil. in Geneſin Abrahamum etiam increpat, quòd *per conniventiam maritalem* Saram *contaminationibus expoſuerit.* Sed & Hieronymus *tradit. in Geneſin*, vocat *fœdam neceſſitatem.* Excuſant porro & laudibus extollunt Pontificii plerique. Et Nicolaus Abramus *de mendacio ac veritate* lib. III. 15. Exemplo hoc Abrahami abutitur ad probandum, quòd licitus ſit quandoque mendaciorum uſus. Lyranus ut excuſet Abrahamum, contendit, eum ad liberandam vitam aliter agere non potuiſſe, niſi Deum ipſum tentare induceret animum. Paulus Burgenſis Epiſcopus tam abeſt, ut peccâſſe Abrahamum largiatur, ut aſſerat, eum quicquid hîc fecit, ſpiritu feciſſe Prophetico. Cùm enim Propheta eſſet, cognoviſſe eum, quòd ex raptu uxoris nullum pudicitiæ ejus periculum immineat, ſed potiùs inde mirum in modum gloria Dei illuſtranda veniat. Alii denique urgent promiſſionem Seminis factam Abrahamo, quam tanti facere debuerit, ut omnia potiùs, ipſam adeò pudicitiam uxoris adducere in periculum fas fuerit, quàm vitam, quâ amiſsâ ipſa promiſſionis fides impleri non potuerit. Sed & inter vetuſtos Patres non defuerunt, qui factum excuſare & emollire ſatagerent. Et Chryſoſtomus quidem, qui Sanctorum nævos ubique extenuat, etiam hîc ſuatim facit. Pertendit nempe, totam hanc Abrahami & Saræ conſultationem fictitiam eſſe & dramaticam, & laude digniſſimam eſſe Saram, quæ in mariti gratiam barbarorum ſe expoſuerit adulterio. Verba ejus ſunt homil. 32. in Geneſin. Διὰ τοῦτο καὶ τῇ μοιχείᾳ τῆς γυναικὸς αἱρεῖται κοινωνῆσαι ὁ δίκαιος, καὶ μονονουχὶ ὑπηρετήσασθαι τῷ μοιχῷ εἰς τὴν τῆς γυναικὸς ὕβριν, ἵνα τὸν θάνατον διαφύγῃ. εἶδες σύνδεσμον ἀγάπης ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, εἶδες καὶ ἄνδρα οἷον ἐθάῤῥησεν ὑποθέσθαι τῇ γυναικὶ, καὶ γυναῖκα οἵαν δέχεται τὴν συμβουλὴν, καὶ οὐκ ἀνανεύει, οὐδὲ δυσχεραίνει, ἀλλὰ πάντα ποιεῖ, ὥστε τὸ δρᾶμα λαθεῖν. *Propterea in adulterium uxoris conſentit juſtus, & quaſi ſervit adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat. Vidiſti vinculum charitatis viri & mulieris? & quale conſilium accepit*

mulier, ac non renuit, neque gravatim fert, ita ut fabula & fictio illa lateat. Et in eadem homilia effuſis laudibus tum ἀνδρείαν & σύνεσιν Abrahami in hoc negotio, tum Saræ τῆς ὑπομονῆς ἀξίαν effert. Quinimò non temperat ſibi, quin palam dicat, Abrahamum juſtum illum contendiſſe & omnem lapidem moviſſe, ὥστε εἰς ἔργον τῆς μοιχείας ἐκβῆναι, *ut adulterium opere compleretur.* Auguſtinus adverſus Fauſtum lib. XXII. 33. de hoc facto ita judicat: *porro indicando ſororem non negavit uxorem. Tacuit enim aliquid veri, non dixit aliquid falſi, ne ſe exciſo ab impiis captiva poſſideretur, certus de Deo ſuo, quòd nihil turpe ac flagitioſum eam perpeti ſineret.* Et cap. 26. ſcribit: *Si Abram indicâſſet Saram eſſe uxorem ſuam, duas res tuendas commiſiſſet Deo, & ſuam vitam & conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad ſanam doctrinam, quando habet, quid faciat homo, non tentare Deum ſuum. Cùm ergo vitam tueri poſſet, ſimul verò caſtitatem non poſſet, conjugis pudicitiam commiſit Deo, & humanas inſidias cavit ut homo, quoniam ſi periculum quantum caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quàm ſperaret in Deo.* Nos ſanè & temerarios judices eſſe putamus, qui nimis inclementer inſultant Patriarchæ, & molles nimis ac lenes, qui eum à culpa penitus abſolvunt. Nam quod priores illos attinet, non perpendunt illi quod Abrahamus non proſtituerit uxorem, vel mala fide egerit. Non proſtituiſſe eum uxorem conſtat inde, quòd Sororem ſuam eam prædicaret, ac proinde illam ſuæ curæ commiſſam, quamvis diſſimulato conjugali jure, oſtenderet. Ex quo conſequebatur, ſi quiſpiam in Ægypto Saram ambiturus eſſet, eum ordine legitimo fratrem ipſum aditurum, & apud eum procaturum eſſe. Sic autem ſecum ſtatuit Abrahamus, fore effervescentibus procantium animis, ſi tanquam cum fratre acturi circumducerentur, ut interea animi eorum magis deferverent, quàm ſi uno impetu abrepti pulchritudine Saræ, ſibi rem cum viro illius fore crediddiſſent. Conſtat enim primos ejusmodi motus vehementiſſimos eſſe, neque ſitos in poteſtate hominis cujuslibet. Quòdſi, uti probabile eſt, ita cogitavit Abrahamus, certè uxorem ſuam nec proſtituit, nec mala fide cum illa egit. Proinde cauſa non eſt, cur traducatur ſanctus vir tanquam pudicitiæ conjugalis leno. Poſteriores verò quod attinet, qui in eo ſudant, ut ab omni culpa Abrahamum liberent, neque illis calculum noſtrum addimus. Quamvis enim neque proſtituerit uxorem, neque mala fide egerit, negari tamen non poteſt, egiſſe ipſum fide infirma, qui carnali prudentia uſus fuerit ad cautionem tum vitæ ſuæ, tum pudicitiæ Saræ. Neque enim ex fide firma proceſſit, quòd Saræ diſſimulationem illam & æquivocationem ſuaſerit. Rectiùs fecerat, ſi poſthabita illa cautione totum negotium Deo ſeriis precibus commendâſſet & reſignâſſet, certus, promiſſionem

miſsionem ſibi factam de naſcituro ſemine, ratam eſſe, neque ullis Ægyptiorum moliminibus effectum iri, ut ante eam impletam, ipſe neci daretur. Neque ſolida eſt ratio Auguſtini, minùs Abrahamum tentâſſe Deum, quòd vitæ ſuæ caverit, & pudicitiam uxoris tuendam Deo commiſerit: quàm ſi & vitam ſuam & pudicitiam uxoris Deo defendendam commiſiſſet. Nam etiam qui minùs tentat Deum, tentare dicitur. Neque ſanctus vir vel vitam ſuam, vel uxoris pudicitiam tueri debuit peccato, quale fuit compoſita & artificioſa illa diſsimulatio, cùm facienda mala non ſint, ut eveniant bona. Neque propterea iniqui ſumus in manes Sanctorum Virorum, quòd nævos eorum non probamus vel diſſimulamus. Illi potiùs injurii ſunt tum erga Deum, tum erga proximum, qui & Dei legem juſtiſsimam vel tollunt, vel detorquent, ut nævis Sanctorum Virorum lenocinentur: & peccata vera, quale eſt ars illa æquivocandi, probantes, incautis hominibus authores fiunt peccandi, veterúmque adeò Helkeſitarum, Arianorum, Pelagianorum, Eutychiſtarum, & Priſcillianiſtarum illam στρεψοδικοπανουργίαν, ſeu in cauſis pervertendis verſutiam, novo veluti tectorio incruſtant. Calvinus graviſsimus Theologus, & ſuetus ubique ſcapham ſcapham appellare, hanc quæſtionem ventilans ita concludit: *Ergo ſi probè omnia expendimus, infidelitate peccavit, minùs Dei providentiæ quàm debebat, tribuens.* Unde ita ſubſumit Jeſuita Nicolaus Abramus, de mendacio ac veritate lib. III. 15. *Atqui, ut Calvinus ipſe defendit, vera fides amitti non poteſt, & ſi amittitur, vera non fuit. Ac proinde Abraham, qui etiam poſt circumciſionem infidelitate peccavit, ille pater fidei noſtræ Abraham, ille pater credentium omnium, Calvino judice, nunquam veram fidem habuit. Apageſis nominis Chriſtiani peſtes.* Imò apageſis Jeſuiticum criminandi cacoëthes. Quamvis veram fidem finaliter amitti non poſſe conſtanter ex verbo Dei doceamus, tamen cum eadem conſiſtere poſſe dubitationem, diffidentiam, multiplicémque tentationem, immota tandem fidei glorioſæ victricis radice, nulli inficias imus. Potuit igitur idem Abrahamus ad tempus ἀσθενεῖν τῇ πίστει, imò etiam pati triſtem ejuſdem eclipſin, & tamen fidei ipſius donum non excutere.

VI. Ex antecedenti conſilio ſequitur narratio ipſius facti, adeóque raptus Saræ, v. 15. *Et contemplati ſunt eam Principes Pharao, laudaveruntque eam Pharaoni*, ותקח האשה בית פרעה, *& abducta, ſeu rapta eſt in domum Pharaonis.* Fuiſſe Pharaonis nomen non proprium & peculiare unius Regis, ſed commune & appellativum omnium tum temporis Regum Ægypti, prodidit Joſephus Antiq. Jud. VIII. 2. ubi malè ſcribit, tanquam ex commentariis ſuæ gentis depromptum, ita vocatos eſſe uſque ad tempora Solomonis.

Conſtat

Conſtat enim uſque ad captivitatem Babylonicam fieri mentionem Pharaonum Regum Ægypti. Unde 2. Reg. xxv. aliquoties ſub antepenultimo Rege Judæ Pharao Rex Ægypti nominatur. Et apud Jeremiam cap. XLIV. & XLVI. mentio eſt *Pharaonis Necho* & *Pharaonis Cophra*. Unde liquet Pharaonis nomen dignitatis fuiſſe, ut proprio nomine opus eſſet diſtingui. Idem in Chronici Euſebiani editione Latina habetur, ubi adduntur hæc verba: *Hoc nos ex libris Manethonis Sacerdotis Ægyptiorum Lectum ponimus.* Hanc verò pericopen non eſſe Euſebii, ſed à plano aliquo inſarctam exiſtimat illuſtris Scaliger Author *Schalſcheleth* Hakab. בימיו התחילו מלכי מצרים לקרא שמותם פרעה וכן נמשכו כל המלכים בזה היום עד ביאת פונפיאו קיסר רומה *Diebus ejus* (Abrahami) *cœperunt Reges appellari nominibus Pharaonis. Atque ſic deinceps hæc conſuetudo obtinuit uſque ad tempora Pompeji Imperatoris Romani.* Verùm à quo tempore & ob quam cauſam ita dicti ſint Ægypti Reges, in incerto eſt. Euſebius in Chronico & Hieronymus in Eſai. 30. de Pharaonis nomine ita ſentiunt, eodem modo apud Ægyptios Pharaones dictos eſſe, quo apud Romanos Cæſares & Auguſtos: apud Syros Antiochos; apud Parthos Arſacidas; apud Philiſtæos Abimelech; apud Ægyptios poſt Alexandri tempora Ptolomæos, & Reginas Cleopatras; apud Æthiopes Reginas Candaces. Caſaubonus in lib. XII. Strabonis alia affert exempla. Ita enim Paphlagonum Reges *Pylemenes*; Cappadociæ *Arincathes*; Thraciæ *Cotys*, Parthorum *Arſacæ*, Perſarum *Artaxerxes*, Indorum *Patimbothei* dicti ſunt. Exempla multa addi poſſent. Joſephus verò exiſtimat, inde à Minæo illo, qui Memphim condidit, & multis annis Abrahamum anteceſsit, omnes Ægyptiorum Reges Pharaones dictos eſſe, à quodam Rege eo nomine deſumpto. Pharaonem autem Ægyptiis Regem ſonare. Proinde ipſos inde à pueritia nominibus aliis diſcretos, cùm primùm Reges creati fuerant, poteſtatis ejus nomen Patriæ linguæ vernaculum aſſumentes, Pharaones eſſe appellatos. Atque hinc eſſe quòd Herodotus, cùm trecentos triginta Reges poſt Minæum Memphis conditorem deinceps ſucceſsiſſe dixiſſet, nomina eorum non recenſuerit, quia videlicet Pharaones dicti omnes eſſent. Quæ de Minæo primo nomine Pharaonis appellato habet, incerta ſunt. Sed & quæ de Herodoti teſtimonio narrat, ſolidè refellit Pererius in cap. XII. Geneſ. diſput. 7. Quòd verò *Pharaonem* Ægyptiis Regem ſonare aſſerit, veriſimile videtur Viro Cl. & Doctiſsimo D. Johanni Huldrico, Amico ſingulari, quem honoris causâ nomino, in Onomatologia Sacra V. T. *ἀνεκδότῳ*. Nempe Arabibus פרע *Pharon*, vel *Pharaon*, notat tum ſummam rei, ſeu verticem rei, tum caput ac principem familiæ vel populi, à פרע *in*

ſummo

ſummo eſſe, ſummumque capere, ſuperare alios virtute vel nobilitate. Hinc etiam nomen inſulæ φάρος & turris ſpeculatoriæ cognominis à Soſtrato Cnidio architecto, juſſu Ptolomæorum, Lagidæ & Philadelphi in eadem extructæ. Inſulæ illius Promontorium, cui turris illa ſuperſtructa fuit, eſt πέτρα πολυκλύστος, *rupes quædam, quam mare circumluit*, teſte Strabone, lib. 17. & propter hujus promontorii eminentiam inſula *Pharos* appellatur, quaſi *excelſam* & *ſublimem* dicas. Hoc ſanè longè probabilius eo, quod aſſerit Ludovicus Vives in caput ultimum lib. 16. de Civit. Dei, ubi vult *Pharaones* dictos quaſi *Pharones* à *Pharo* inſula. Longiùs abludunt, qui à פרע *nudare* derivant, eò quòd auxilio divino Pharao nudatus & diſſipatus fuerit, reſpicientes ad פרעה quod eſt Exod. XXXII. 25. Eò animus etiam inclinare videtur Iſidoro Orig. lib. 7. ubi Pharaonem ſonare ait *denegantem* vel *diſſipatorem Dei*. Et hoc fortaſſe ſenſu Philoni etiam Pharao, audit ἀνασκιδνῶν καὶ ἀπορρίπτων τὰς περὶ τῶν καλῶν δόξας, *diſſipator honeſtarum opinionum*, lib. *quod deterior* &c. Sed quicquid tandem fiat de Pharaonis perſona ac nomine, id conſtat ex Moſe, ejus *Principes* aſſentatores aulicos ſuis lenociniis ei Saram commendâſſe, ac effeciſſe denique, ut raperetur, quò impia & inhumana officia injuſtum adulterium ſequeretur. Quo autem animo eam rapuerit, ex ſequentibus apparebit.

VII. Mos rapiendi fœminas apud Ægyptios fuit antiquiſſimus, & ab iis ad Græcos manavit. Ita enim Ægyptum quondam Iſidem filiam Inachi Regis Argivorum è Græcia rapuerunt, & navigio in Ægyptum deduxerunt. Græci Europam Agenoris Regis filiam à Phœnice raptam, navi cui Bovis inſigne fuit, in Cretam detulerunt. Sed & Jaſon Theſſalus Colchos navigans, Medeam regio ſanguine ortam inde in Græciam avexit. Ita Helena Menelai Regis Conjux à Paride Priami Trojanorum Regis filio, è Spartha rapta, atque inde Ilium abducta eſt. Raptus Benjaminitarum & Romanorum alterius generis ſunt, quippe ex neceſſitate & indigentia profecti.

VIII. Raptum hunc conſecuta ſunt tum benevolentia Regis erga Abrahamum, tum plaga θεήλατος Regi ob raptum immiſſa, tum emendatio ac reſipiſcentia Regis, nec non expoſtulatio cum Abrahamo: tum denique dimiſſio Saræ ac Abrahami. Benevolentia Regis erga Abrahamum in eo conſpicua fuit, quòd munera ei propenſiſſima donavit propter Saram Sororem. *Et ipſi Abram*, inquit Moſes, *benefecit propter eam, & fuerunt ei oves & boves, & aſini & ſervi & ancillæ, & aſinæ & cameli*, v. 16. Verùm cùm Pharao adulterium moliretur, & domus ejus ipſi in eo miniſtraret, Deus tutelam ſuſcipiens omni humano auxilio deſtitutæ

Digitized by Google

fœminæ, וינגע את פרעה נגעים גדלים ואת ביתו על דבר שרי אשת אברם *Percuſſit Pharaonem percuſſionibus magnis, & domum ejus cauſâ Sarai uxoris Abram,* v. 17. ubi videndum tum qualis pœna fuerit Pharaoni & domui ejus inflicta, tum an juſta fuerit? Pœnæ genus facit Moſes *plagam* נגע & quidem נגעים גדלים *plagas maximas.* Cujusmodi verò plagæ fuerint incertum eſt. Joſephus Antiquit. l. 8. nominat *peſtilentiam* & *ſeditionem.* Philo de Abrahamo ſic circumſcribit: Ἀλγηδόνας δυσκαρτερήτους καὶ χαλεπὰς τιμωρίας ἐπάγει τῷ βασιλεῖ, παντοίων κακῶν ἀναπλήσας αὐτοῦ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν δυσιάτων ὥστε τὰς μὲν ἐφ' ἡδονὰς ἀγούσας ὀρέξεις ἁπάσας ἐκκεκόφθαι περὶ ἀπαλλαγῆς ἀνιάτων βασάνων, ὑφ' ὧν γυμναζόμενος μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ ἐξετραχηλίζετο. *Graves pœnas & cruciatus magnos inflixit Regi, ita ut animo corporéque laboraret morbo non ſimplici, & amorum, voluptatúmque oblitus, longè diverſas curas agitaret, quonam modo evadere poſſet è tormentis præſentibus, quibus continuis interdiu nocluque moleſtabatur.* In *Jelammedenu* fol. 8. c. 2. habetur narratiuncula de Angelo, qui cœlitus cum baculo vel ſcutica deſcendens Pharaoni plagas inflixerit. Judæis pleriſque placet, moleſtiſſimum fuiſſe ulceris genus, quo impeditus Rex fuerit, ne violaret Saram. Jarchius ex Bereſith Rabba ita deſcribit במכת ראתן לקה שהתשמיש קשה לו *Percuſſus eſt plaga* ראתן *ulceris, quò concubitus ipſi redderetur difficilior.* Idem habetur in *Vajikra rabba.* ראתן autem deſcribit idem Jarchius, quòd ſit morbus perturbati cerebri ob innatum ipſi vermiculum, quo qui laborant, iis concubitus gravis ſit, & liberi gignantur ulceroſi. Vide Buxtorf. in lex. Thalmud. Rad. ראת Alii ſterilitatem fuiſſe putant. Verùm id non ſatis convenit, cùm Pharao ipſe & ſervi ejus percuſſi dicantur. Alii alia conjectant. Nobis ſufficit, quòd Scriptura dicat, plagas Pharaoni à Deo inflictas eſſe maximas, & eo quidem haud dubiè fine, ut infamiam Saræ præverteret, cujus in ſummum jam periculum adductæ curam benigniſſimè Deus hac ratione ſuſcipere voluit. Cœterùm quo jure Deus tum Pharaonem tum domum ejus tam graviter puniverit, ambigunt nonnulli. Si enim Pharao adulterium Saræ nec appetiit, nec perfecit, ſed potiùs eam ſibi legitimè copulari matrimonio voluit, tam gravem pœnam meritus non videtur. Verùm quamvis liquidò conſtaret, inſontem planè fuiſſe Pharaonem, tamen hanc cautelam & νουθεσίαν juſtè perpeſſus eſſet ad peccati futuri cautionem. Unde Regius vates Pſal. cv. 14. ait, non permiſiſſe Deum, ut homo injuria afficeret eos, & propter ipſos corripuiſſe Reges. Quibus in verbis, præcipuus plagarum divinarum finis exprimitur. Sed nec Pharao & domus ejus omni penitus culpâ vacârunt. Nam Pharao quidem in re tanta præcipitavit, non diligenter

Digitized by Google

genter inquiſivit in conditionem Saræ: & ſolius formæ illecebra ineſcatus nuptias ejus appetiit. Probabile etiam eſt, admodum fuiſſe ad libidines proclivem Regem, qui adeò promptus fuit poſt ſuorum relationem ad incognitam mulierem ſibi conjungendam. Eadem ratio eſt domûs Pharaonis, nequaquam à labe peccati immunis, cùm manifeſto lenocinio peregrinam uxorem nuptiis Regiis implicare ſtuduerit. Rectè Chryſoſtomus: Εἰκὸς ἦν καὶ αὐτοὺς συμπρᾶξαι καὶ συνεργῆσαι τῇ μελλούσῃ γίνεσθαι παρανομίᾳ. *Neceſſum erat eos cooperari futuro peccato.*

IX. Plagis divinis affectus Pharao, intellexit, non aliam ob cauſam hoc malo ſe affici, quàm quia rapuiſſet Saram, quæ uxor eſſet Abrahami. Unde verò cognoverit, tum hancce cauſam eſſe plagarum, tum Saram Abrahami uxorem eſſe, quæritur. Joſephus Antiq. Jud. l. 3. putat id innotuiſſe Pharaoni per Sacerdotes Ægyptiacos, ea de re in conſilium miſſos. Alii, inter quos Oecolampadius, ex Sara ipſa id cognoviſſe Regem autumant. Putem ego ex conſcientia facti & divina revelatione id innotuiſſe Regi, tum cauſam plagarum, tum quòd Sara uxor eſſet Abrahami. Sic ſentit etiam S. Chryſoſtomus homil. 32. in Geneſin: καὶ πόθεν ἔμαθες, ὅτι γυνή ἐστι τοῦ δικαίου; καί φησι, καὶ σαφῶς ἔμαθον. ὁ γὰρ τῆς παρανομίας ταύτης ἔκδικος ἐκεῖνός μοι τοῦτο γνώριμον ἐποίησε: *Et unde didiciſti, quòd mulier ſit juſti? Imo, inquit, etiam clarè didici. Deus nempe juſtus hujus peccati vindex illud mihi notum fecit.* Expoſtulatio Regis cum Abrahamo ſevocato ita habet: *Cur hoc feciſti mihi? Ut quid non indicâſti mihi, quòd uxor tua eſſet? Cur dixiſti, Soror mea eſt? & accepi eam mihi in uxorem? Cape & abi.* Apparet ex hac expoſtulatione, Regem cogitâſſe legitimo matrimonio ſibi Saram copulare, & ejus conſuetudine uti. Nam quòd dicit Rex ואקח אותה לי לאשה *Et accepi eam mihi in uxorem*, non tam de facto, quàm de conatu & propoſito ejus intelligi debet. Verùm Divinis plagis admonitus eam Abrahamo reſtituit. Ubi etiam ſi Scriptura apertè non dicat, reſtitutam fuiſſe Saram à Rege intactam, tamen circumſtantiæ omnes id innuunt. Propterea enim Deus Regem affecit plagis, ne injuriam Saræ faceret. Nec malè obſervat Cl. Rivetus, eò reſpicere, quòd dicitur Deus percuſſiſſe Regem Pharaonem על דבר שרי *propter rem* ſeu *negotium Saræ.* Quo ſenſu דבר accipitur nonnunquam apud Hebræos. Non quòd rem cum Sara Rex habuerit, ſed quòd id meditatus fuerit, perfecturus etiam ſcelus, niſi ſtatim pœnâ Divinitus immiſsâ impeditus fuiſſet. Hieronymus etiam aliam conjecturam illæſæ pudicitiæ Saræ habet. Sicut enim Eſther & quælibet uxor apud Perſas, priusquam ad Regem ingrederetur, ſex menſibus ungi debuit oleo myrtino, & ſex menſibus eſſe in pigmentis variis & curationibus

tionibus fœminarum, ita ſimile quid fieri potuiſſe circa Saram, Divinis plagis interea ſupervenientibus. Verùm apud Ægyptios ſimilem morem obtinuiſſe non conſtat. Quæ porro cauſa fuerit, quòd Pharao ſtatim Saram & Abrahamum dimiſerit, ſecus ac Abimelechus, qui univerſam terram obtulit Abrahamo, cùm ei uxorem reſtituiſſet, ita divinat R. Solomon לא כאבימלך שאמר לו הנה ארצי לפניך אלא אמר לו לך ואל תעכור שהמצרים שטופי זמה הם *Non ſicut Abimelechus, qui dixit ei, Ecce terra mea coram te eſt: ſed dicit ei, diſcede & ne uſpiam conſiſtas: quia Ægyptii pleni ſunt malitia.* Addi poteſt, feſtinationem à Pharaone injunctam eſſe Abrahamo ob divinarum plagarum horrorem atque metum. Cæterùm ad Regis benevolentiam pertinet, quòd honorificè ſatis Abrahamum & Saram dimiſit. Præcepit enim *viris*, hoc eſt, Regni ſui miniſtris, ut eum deducerent, tum honoris gratiâ, tum ne prædæ pateret. Hæc enim vis eſt vocis שלחו quod hìc notat honorificum comitatum Ægyptiorum. Unde Græci tranſtulerunt: καὶ ἐνετείλετο Φαραὼ ἀνδράσιν περὶ Ἀβραὰμ συμπροπέμψαι αὐτὸν: *Et præcepit Pharao viris Abram, ut comitantes dimitterent eum* &c. Ita etiam Paraphraſtes Chaldæus: ואלויאו יתיה. *Et comitati ſunt eum.* Perſpicuè etiam Arabs פוכל על ה פרעון קומא ידרפוא בה, *Et commiſit curam illius Pharao hominibus, qui deducerent eum & uxorem ejus*, &c. Unde etiam Abenezra: וישלחו אותו דרך ליוי בכבוד Et dimiſerunt eum. *Notatur comitatus honorificus.*

X. Raptus Saræ in Ægypto, & quæ circa eum contigerunt, figura fuit eorum, uti eruditi appoſitè notant, quæ poſtea populo Iſraëlitico in Ægypto contigerunt. Fame impellente Abrahamus divertit in Ægyptum. Sic neceſſitate famis urgentis Iſraëlitæ in Ægyptum ſunt traducti. In Ægypto vexatus & afflictus erat tum Abrahamus tum Sara. Eodem modo Iſraëlitæ. Sara à Pharaone rapta & Abrahami dominio ſubducta in peregrini heri poteſtatem conceſſit. Sic Iſraëlitæ in Ægypto paulatim libertate ſua ſpoliati, & in Ægyptii Regis poteſtatem redacti ſunt. Propter Saram raptam & retentam Deus Pharaonem maximis plagis affecit. Ita propter Iſraëlitas vexatos immaniſſimè, & vi retentos Deus Pharaonem ejuſque domum graviſſimis pœnis mactavit. Abraham & Sara ex Ægypto dimiſſi ſunt macti divitiis & potentes. Ita Iſraëlitæ Ægyptiorum bonis ac divitiis, graves atq; onuſti, annuente tandem eorum votis Pharaone ex Ægypto diſceſſerunt. Abrahamo, ſtatim atque Ægyptum deſeruit, facta ſeparatione à Lotho, confligendum fuit cum Regibus exteris, qui Pentapolitanos afflixerunt, & Lothum ceperunt. Sic Iſraëlitis ex Ægypto digreſſis mox certamen graviſsimum imminuit cum diverſi generis hoſtibus. Sed & Pharaonem Saram rapientem Antichriſti figuram

facit

facit Muſculus Commentario in cap. XII. Geneſ. quem ibi vide.

XI. Pergimus nunc ad hiſtoriam raptus poſterioris, quo Sara iterum in Palæſtina ab Abimelecho Rege Geraritarum rapta & abducta fuit. Eam deſcribit Moſes Geneſeos capite viceſimo integro. Occaſionem ei raptui præbuit migratio Abrahami ex Elon Mamre in Palæſtinam, ubi inter Geraritas peregrinatus dicitur. Conſilium ibi ſuggeſsit Saræ ſimile ei, quod antea in Ægypto ſuggeſſerat, in diſsimulatione nempe poſitum. Quippe Saram pro Sorore ſua etiam ipſe venditaverat. Ubi culpæ ejuſdem ſe obnoxium reddidit, cujus etiam antehac in Ægypto, diſſimulationis nimirum & carnalis prudentiæ. Diſſimulatio quidem generis eſt medii, & aliquando probari poteſt, cùm ſine jactura primùm veritatis, ſecundò pietatis in Deum, charitatiſque in homines, quæ ex vocatione communi, vel particulari determinanda eſt, & ædificationis etiam in rebus indifferentibus adhibetur. In hoc autem conſilio atque facto Abrahamus non peccavit equidem vel contra veritatem, vel contra pietatem in Deum ſimpliciter, vel contra charitatem communem, ſed contra vocationem ſingularem, qua Abrahamus & uxor inter ſe conſtricti erant. Ex quo peccato etiam charitatem publicam periclitatam eſſe, manifeſtum faciet expoſtulatio ſeria Regis cum Abrahamo. Et ſanè culpam hanc etiam augere atque intendere videtur, quòd ſemel à periculo liberatus, iterum in illud ſe conjecerit..

XII. Cùm igitur Saram uxorem ſuam eſſe diſſimularet Abrahamus ישלח אבימלך מלך גרר ויקח את שרה *miſit Abimelechus Rex Gerar*, *& eam abduxit*, v. 2. Abimelechus *Patrem Regis* notat. Fuitque nomen commune tum temporis Regum Philiſtinorum, quod etiam Baſilius & Euthymius in Pſal. 33. notant, & Hieronymus in cap. 29. Ezechielis. Ita Geneſ. XXVI. I. Rex Gerari ab hoc diverſus; & I. Sam. XXI. Rex ille Geth, ad quem David confugit, quique ibidem Achis dicitur, Pſal. XXXIV. I. vocatur אבימלך *Abimelec*, ubi vulgatus vitiosè habet *Achimelec*. Boulducus Monachus de Eccl. ante legem lib. III. 4. contendit, Abimelechum hunc, qui Saram rapuit, fuiſſe virum ſanctum atque prophetam. Quòd verò Saram ille appetiiſſe atque rapuiſſe dicitur, nullo id feciſſe ipſum æſtu libidinis ductum, ſed ex mera ferventique devotione, ſpe bona fretum, fore ſe beatum, ſi frequentiùs poſſet converſari, déque rebus divinis familiariùs tractare, cum tam ſancta, religioſa, & veneranda matre, quæ multa tum ex Abrahamo fratre, tum ex diutina cum Deo converſatione, praxique virtutum in illa pia Hebræorum per Abrahamum refloreſcente ſedulitate didicerit. Inde etiam factum, quòd tanquam princeps Prophe-

Digitized by Google

tidum & Therapeutidum ſpeciem quandam velaminis detulerit Abimelecho in authoritatis ſuæ argumentum. Sic nempe Monachus ille nobis Abimelechum videtur fingere Monachum, & Saram Monialem, raptumque hunc facere totum religioſum. Sic nempe etiam Monachi quoties forte Moniales rapiant, id faciunt religionis ac devotionis ergo. Faceſſat illa quidvis fingendi pro arbitrio temeraria atque audaciæ plena licentia! Qualem de Abimelecho conceperit opinionem Abrahamus ipſe ſatis teſtatur, v. 11. *Dixi verè non eſt timor Dei in loco iſto.* Quod judicium non pronuntiâſſet vir ſanctus, niſi ex falſo cultu & depravatis moribus eò adductus eſſet. Sed & increpatio & plagæ divinæ, quibus affecta eſt domus Regia ob raptam Saram, ſatis arguunt, quo conſilio rapta fuerit. Interim fatemur ex eo colloquio, quod cum Deo & Abrahamo ſuſtinuit, apparere ſatis, quòd inter malos peſſimus non fuerit, nec prorſus notitia & timore Dei deſtitutus.

XIII. Cùm Saram jam abduxiſſet Abimelechus, Deus ei בחלום *in ſomnio* noctu apparuit, & ut à patrando peccato, abolendóque jure conjugali abſterreret Regem, ita minatus eſt ei: הנך מת על האשה אשר לקחת והיא בעלת בעל *Ecce morieris propter uxorem quam accepiſti, quum ipſa maritata ſit marito*, v. 3. Pharaonem quidem Ægyptium Deus plagis maximis avertit à contingenda Sara: Abimelechus verò hic ſimplici comminatione absterritus videtur. Cujus diſcriminis rationem reddit Abenezra כי צדיק היה מפרעה *quia* Abimelechus *juſtior fuerit Pharaone.* Verùm dubito, annon jam tum cùm verba hæc ad Abimelechum Deus fecit, pœna Abimelecho & uxori, ancillisque ejus incubuerit? Id colligo ex v. 7. ubi Deus Abimelecho, ſiquidem dimittat Saram, promittit interceſſionem Abrahami, ut vivat, tum ex v. 17. ubi Deus poſt interceſſionem Abrahami, tum Abimelechum, tum uxorem, ac ancillas ejus ſanâſſe dicitur. Ne verò ex comminatione tam rigida colligeret, ab Abimelecho Saram jam compreſſam eſſe, ſtatim ſubjungit Moſes, Abimelechum ei non appropinquâſſe. Sed & Abimelechus ita reſpondet graviſſimæ comminationi Dei, ut provocet ad juſtitiam tum Dei, tum ſuam. Ad Dei quidem juſtitiam provocat his verbis: *Domine, numquid gentem etiam juſtam occides?* v. 4. Ad ſuam verbis ſequentibus: *Annon ipſe dixit mihi: ſoror mea eſt? ſed & ipſa dixit: Frater meus eſt* בתם לבבי ובנקין כפי *in perfectione cordis mei & munditia manuum marum hoc feci*, v. 5. Quæ quidem tum perfectio cordis ſeu integritas oppoſita malæ conſcientiæ, tum manuum mundities factis improbis & inhoneſtis oppoſita, non tam juſtitiam *perſonæ* & *univerſalem*, quàm *cauſæ* & *particularem* hoc loco denotat. Quamvis enim ex eo, quòd Abimelechum

melechum

Digitized by Google

melechum & familiam ejus Deus caſtigâſſe dicitur, colligi poſſit, non omnino vacâſſe ipſum culpâ, quippe qui ſola libidine exardeſcente peregrinam fœminam ſibi adjunxit, repugnantem haud dubiè: tamen in eo à culpa liber fuit, quòd ſororem Abrahami putaverit, quódque eam hactenus non contigerit. Abimelechi reſponſioni ita occurrit Deus, ut confirmet ejus teſtimonium, quòd *in perfectione cordis ſui* adeóque bona fide hoc fecerit: quam ob cauſam etiam bonam fidem integram à malo conſervaverit, & ſingulari ratione proſpexerit, ne injuria Saræ fieret. Quòd verò dicit Deus: *Propterea prohibui te, ne peccares mihi*; arguere videtur, peccaturum fuiſſe Regem, ſi cum Sara rem haberet. Cùm verò Deus declaraverit, Abrahami propoſitum fuiſſe inculpatum, quomodo peccaturus fuit Abimelechus, ſi monente errore in conditione perſonæ, ad Saram acceſſiſſet? Reſpondeo, fieri potuiſſe ut Rex etiam monitus à Sara multis tamen repagulis cohiberetur, quò minùs libidini ſatisfaceret, adeóque graviter peccaret. Hoc peccatum, quod nondum in propoſito Regis fuerat, Deus impedivit. Voluit præterea conſulere ipſius Saræ verecundiæ, & ſecuritati mariti, quæ tali miraculo efficacius procurari potuit.

XIV. Poſthæc præcipit Abimelecho Deus, quid facto opus ſit, adjuncta tum promiſſione, tum comminatione. *Nunc igitur*, inquit Deus, *redde uxorem viri illius*, כי נביא הוא *quia propheta eſt,& orabit pro te,& vives. Quòd ſi tu non reddideris, ſcito te moriendo moriturum, & quicquid eſt tuum*, v. 7. Dubium eſt, quò referri oporteat particulam cauſalem כי *quia* videlicet, *propheta eſt*: ad præcedentia nimirum, an ad ſequentia verba? Ad præcedentia refert Pererius, ut ſenſus ſit, reddendam eſſe uxorem marito, quia is tanquam propheta probè noverit, eam hactenus à Rege intactam eſſe. Junius etiam ad præcedentia refert, hoc ſenſu, reſtituendam eſſe uxorem Abrahamo, quia is tanquam Propheta Dèo ſit chariſſimus. Calvinus hunc ſenſum eſſe putat, meritò puniri Regem, qui tantum prophetam afficiat injuriâ. Ad ſequentia malunt referri alii, ut ſenſus ſit, Abrahamum tanquam prophetam interceſſurum pro Rege, ſiquidem is fecerit officium, & Saram reſtituerit marito. R. Solomon ad præcedentia ſimul & ſequentia refert, hunc in modum verba illa explicans: כי נביא הוא ויודע שלא נגעת בה לפיכך ויתפלל בעדך *Quia propheta is eſt, qui & novit quòd eam non attigeris, & intercedet pro te.* Quid verò ſi ſententias haſce omnes conjunxerimus, ut ſenſus ſit, reſtituendam eſſe omnino uxorem Abrahamo, quia is tanquam Propheta Deo chariſsimus non ſit injuria afficiendus, & reſtitutâ eâ, quam illæſam probè noverit, interceſſurus ſit apud Deum, quò ipſum & domum

domum ipſius ſanet atque in integrum reſtituat. Nam eos quidem, qui Abrahamum prophetam dici putat, hoc eſt, hominem ſelectum & Deo familiariſsimum, non conſcium rerum futurarum & abſtruſarum, probare vix equidem poſſum. Quis enim dubitet, quin polluerit Abrahamus dono prænuntiandi futura.

XV. Hac Dei ſententia perculſus Abimelechus res malè geſtas curare ſtudet ſecundùm Deum. Nam primò quidem ut promptitudinem teſtificetur, ſtatim atque ſurrexit manè, ſervis advocatis mandata & indignationem Dei exponit. Tum & Abrahamum accerſitum partim increpat graviter, quòd veritatem diſsimulaviſſet nulla occaſione juſta, quodque per ipſum non ſtetiſſet, quò minùs ruina graviſsima ſuperveniſſet Regi & populo ejus: partim ex eodem ſeriò cauſam ſciſcitatur, quamobrem ita erga ſe geſſerit. Cúmque pro ſe Abrahamus reſpondiſſet, quòd id feciſſet metu, ne in loco, in quo nullum timorem Dei eſſe ſuſpicatus fuerit, malè haberetur propter uxorem: quòd Sara verè ſua Soror ſit, quamvis non uterina: quòdque ipſum inter & Saram, ex quo è ſolo natali diſceſſerunt, ita conventum fuerit; Rex *tulit oves & boves, ſervos quoque & ancillas, & dedit Abrahamo* וישב לו את שרה אשתו *& reſtituit illi Saram uxorem ejus*, v. 14. Singularis porro ejus benevolentia erga Abrahamum in eo conſpicua fuit, quòd totius terræ ſuæ copiam ei animo propenſiſsimo facit.

XVI. Sed & Saram jam Abrahamo reſtitutam Abimelechus ita muneribus oblatis demulcet, ut ſimul eam officii admoneat. Sic enim eam alloquitur, v. 16. *Ecce dedi mille ſiclos fratri tuo* הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת *Ecce eſt tibi velamen oculorum, ac omnibus qui ſunt tecum. Et in omnibus erudita fuit.* Ita Vatablus. De cætero pericope eſt intricata. Unde mira etiam orta eſt interpretationum varietas. Difficultas in duobus. Prius, quid intelligatur per כסות עינים *velamen oculorum*, & quò illud referendum ſit. Poſterius quid ſibi velit verbum ונכחת? Ac prius quod attinet, LXX Interpretes illud velamen oculorum referunt ad præcedentes mille ſiclos. Ita enim reddunt: Ἰδοὺ δέδωκα χίλια δίδραχμα τῷ ἀδελφῷ σου. ταῦτα ἔσται σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, καὶ πάσαις ταῖς μετά σου. *Ecce dedi mille didrachmas fratri tuo: hæ tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus quæ tecum ſunt.* Eodem referunt etiam, quamvis diverſo ſenſu Thargum Onkeloſi, Syrus & Arabs. Onkeloſus ita habet: הא יהבית אלף סלעין דכסף לאחוך הא הוא ליך כסות דיקר חלף דשלחית דברתיך והזית יתיך וית כל דעמך *Ecce dedi mille ſiclos argenti fratri tuo. Ecce illud eſt tibi velamen honoris, pro eo quòd miſerim tollere te, & viderim te & omnia quæ tecum ſunt.* Syrus: הא יהבית אלף דכסף לאחוך והא אף הו יתיב לך חלף דהפית עינא דכל דעמי *Ecce dedi*

dedi mille argenteos fratri tuo, & ecce ipſi tibi ſunt commiſſi, eò quòd velaveris oculos omnium, qui mecum ſunt. Arabs כד איעתית אחיך אלף דרהם יכון לך מצריפא פי כסוה כסוה לכל כן מעך *Jam dedi fratri tuo mille drachmas, impendantur tibi pro veſtitu pulchro omnibus qui tecum ſunt.* Horum interpretatio *velamen oculorum* refert ad argenteos ab Abimelecho donatos, quaſi exhibiti eſſent, vel ut pretium & *ἀντάλλαγμα* injuriæ per raptum illatæ, & conſpectæ pulchritudinis Saræ, juxta Græcos & Chaldæum; vel ut teſtimonium Pharaonis & domus ipſius pudore affectæ, juxta Syrum; vel denique ut pretium impendendum pro pulchro veſtitu, juxta Arabem. Græcæ verſionis ſenſum ſequitur etiam B. Chryſoſtomus, cujus verba ſunt: *Τί ἐστιν, εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου; ὑπὲρ ὧν δι᾽ ἄγνοιαν ἐπεχείρησα γαμετὴν σε οὖσαν τοῦ δικαίου εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἐμὴν ἀγαγεῖν, ὑπὲρ τούτου μόνου, ὑπὲρ τῆς ὕβρεως σοι αἴτιος γέγονα, τὰ χίλια δέδωκα δίδραγμα, θεραπεύων τὸ παρ᾽ ἐμοῦ γεγενημένον εἰς σε. Quid eſt, in honorem vultus tui? Nempe pro iis, quæ per ignorantiam tentavi facere, te quæ uxor es juſti, in domum meam introducens; pro hoc ſolùm, quia contumelioſus in te viſus ſum, mille didrachmas dedi reſarcire volens, quod adverſus te ac virum tuum admiſi.* Alii ad Siclos quidem etiam referunt, ſed hoc ſenſu, ut ſicli illi ſint *velamen oculorum*, hoc eſt, teſtimonium integræ & non violatæ pudicitiæ Saræ. Nempe *velamen faciei* notare talem rem, quæ apud omnes efficiat; ut Saræ non pudendum ſit, quòd abducta fuit in aulam Regis alieni. Etenim ſi ſuſpicio fuiſſet Abrahamo, & non potiùs à Deo didiciſſet, pudicitiam uxoris manſiſſe integram, ne teruncium quidem à Rege, nedum mille ſiclos accepturum fuiſſe. Quòd verò accepit, argumento eſſe, quòd bene ei cum Rege convenerit, nec quidquam contigerit pudendum uxori. Ita etiam Bibliander noſter M.S. in Geneſin. Alii referunt quidem ad Siclos, ſed hoc ſenſu, ut eorum pretio Abrahamus emat tum pro Sara tum pro iis, quæ cum Sara erant, *velamen oculorum* ſignum & indicium certum, quòd nuptæ ſint & conjuges, non cœlibes & nubiles, ne ultra diſſimulantes matrimonium cuiquam imponere poſſint. Alii referunt ad ipſum Iſacum filium Saræ, quem hoc loco nomine כסות עינים venire exiſtimant. Ita Baal Hathurim, הנה הוא לך כסות עינים רמז שיהיה בן לשרה והיה לו כסות עינים דכתיב ויהי כי זקן יצחק ותכהין עיניו מראות: *Ecce is erit tibi* כסות עינים *ſignificat filium naſciturum Saræ, cui ſit tegumentum vultus, ſicut ſcriptum eſt: ſenex erat Iſaacus, & caligârunt oculi ejus, ne videre poſſet.* Eam explicationem ſic ſatis ineptam recitat etiam Abenezra. Alii denique referunt ad Abrahamum, ut ille dicatur Saræ fuiſſe loco כסות עינים *velaminis oculorum.* Cæterùm nec illi conveniunt in ſenſu, quo Abrahamus dici poſſit Saræ fuiſſe loco *velaminis oculorum.* Aliqui enim Abraha-

Digitized by Google

mum Saræ eſſe debuiſſe velamen oculorum, propter ſubjectionem, cujus ſignum eſt velamen teſte Paulo 1.Cor. XI. 10. Signum itaque poni pro re ſignificata, nempe pro jure & authoritate mariti in uxorem, quæ authoritas & poteſtas mulierem nuptam, omnibus aliis ſubducit, ut lateat omnes præter maritum, quod jus conjugii ſpectat. Ita Junius, Rivetus, alii. Cajetanus ſic interpretatur, ut Abrahamus dicatur velamen oculorum Saræ quia nemo eorum, qui cum illa ſunt, vel aliorum, qui noverint eſſe eam conjugem Abrahami, auſurus ſit eam concupiſcere & in uxorem ſibi ſumere. Alium ſenſum tenet etiam Oleaſter: Putat enim Abrahamum velamen dici Saræ,* hoc eſt, juſtam excuſationem. Si enim ex Sara quiſpiam percontetur, cur matrimonium diſſimulaverit, juſta excuſatione & obtentu illam uti poſſe, quòd Abrahamo ita jubenti obſecundaverit.

XVII. In hac ſententiarum & interpretationum varietate longum nimis eſſet, ſingula diſcutere, & ad rationis libellam exigere. Satis inſtituto noſtro fecerimus, ſi quid veriſimillimum videatur, paucis ediſſeruerimus. Non dubitamus igitur quin כסות עינים notet *velamen* ejuſmodi ſeu θέριστρον quo faciem obnubere ſolebant olim nuptæ, tum ut ſe viro ſubeſſe teſtificarentur, tum ut averterent à ſe contemplandis aliorum virorum oculos, ne earum forma ineſcati pudicitiæ earum inſidiarentur, tum denique ob pudorem ſexui illi congenitum. Tale velamen fuit illud, quo Rebecca Iſaco nupta ſe velaverat, quodque Geneſ. XXIV. 65. vocatur צעיף à Græcis θέριστρον, de quo alibi fuſiùs. Paulus μετωνυμικῶς appellat ἐξουσίαν poteſtatem 1.Cor. XI. 10. Ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. *Oportet, mulier poteſtatem habeat ſupra caput ſuum propter Angelos.* Ubi ἐξουσία notat velamen, quod eſt ſignum ſubjectionis ſuæ & poteſtatis, quam vir quodam naturæ privilegio ſortitus eſt in mulierem. Hinc eſt quod Hymenæus Ethnicarum nuptiarum Deus fictitius *croceo velatus amictu* deſcribitur à Naſone. Id velum *flammeum* ſive *flammeolum* vocabant veteres à colore luteo & flammeo ſive ardenti. Vide Salmaſii Exercit. Plin. p. 1155. Lucanus 2. Pharſal.

Non timidum nuptæ, leviter tectura pudorem
Lutea demiſſos velârat flammea vultus.

Plutarchus in Quæſt. Romanis ait, moris fuiſſe ταῖς γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι, *mulieribus capite velato in publicum procedere.* Apud Valer. Max. lib. VI. 2. C. Sulpitius Gallus *uxorem dimiſit, quòd eam capite aperto foris verſatam cognoverat. Lex enim,* inquit, *tibi tantùm meos præfinit oculos, quibus & formam tuam approbes, & placere deſideres.* Charilaus, teſte Plutarcho in Apopht. Lacon. rogatus, cur Lacedæmonii puellas

Digitized by Google

puellas diſcoopertas, *τὰς δὲ γυναῖκας ἐγκεκαλυμμένας, mulieres verò velatas ſeu obnuptas in publicum educerent*, hanc reddit rationem, quòd *τὰς μὲν κόρας, ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν τοὺς ἔχοντας, puellas quidem oportet viros invenire, mulieres autem viros retinere.* Hinc & Venus Andromachæ dicitur pro die nuptiarum dediſſe velamen, apud Homerum Iliad. x. De Arabicis mulieribus ita Tertullianus lib. de velandis Virginibus: *Judicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem ita quoque totam obtegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint dimidia frui luce, quàm totam faciem proſtituere.* Sed & Muhamed ita præſcribit mulieribus Arabicis Surata 34. *Mulieres bonæ ſe curent, ne lunaticum aſpiciant, ſuóque peplo tegentes collum & pectus omnemque ſuam pulchritudinem, niſi quantum apparere neceſſitas coget, celent omnibus, ſpeciémque pedum etiam eundo niſi maritis ſuis.* Cùm igitur antiquiſſima fuerit conſuetudo, qua mulieres velabant vel palliabant vultum, uti vel ſolo Rebeccæ exemplo liquet, quid vetat credere, Saram, quæ ſe pro innupta ex compoſito venditaverat, velamen illud & flammeum neglexiſſe, & propterea ab Abimelecho, qui hac fraude deceptus uxorem eſſe, ne conjectare quidem potuit, objurgatam, monitámque ut impoſterum impoſito faciei velamine palàm ſe conjugem profiteatur, ne in hunc errorem deinceps alios etiam inducat. Neque ad rei ſummam multùm refert, ſive jam illud הוא quod per ſe ambiguum eſt, referatur ad donatos Abrahamo ſiclos, ſive ad ipſum Abrahamum. Si ad ſiclos referatur, erit ſarcaſmus talis: *Ecce dedi Abrahamo fratri tuo mille ſiclos pro velamine oculorum, quo impoſterum utare non apud eos duntaxat, qui in tuo comitatu ſunt, ſed in univerſum ubique & apud omnes, ut pateat hoc ſigno te ſubiiſſe viro, neque quiſquam amplius compoſita tua diſſimulatione ſeductus in diſcrimen adducatur.* Quia verò in re tam ſeria, in qua Rex ab ipſo Deo admonitus & punitus fuit, probabile eſt tali ſarcaſmo non uſurum Regem, idcirco ad Abrahamum referre, & per Metonymiam ſigni pro re ſignata accipere malo, ut hic ſenſus ſit: *Ecce mille ſiclos dono dedi Abrahamo fratri tuo. Is frater tuus eſto tibi pro velamine faciei, ita ut ipſi ſoli non ſubſis tantùm, ſed etiam tum apud tuos, tum apud omnes profitere palàm, quòd ipſi ſoli tanquam marito ſubſis, ne diſſimulatione tua impoſterum etiam alii ſeducantur.* Hic ſenſus meo judicio appoſitus ſatis, congruit & verbis & præſenti negotio, & ſcopo adeò loquentis.

XVIII. Reſtat in pericope verborum Abimelechi ad Saram verbum alterum haud minùs obſcurum, nempe ונכחת quod variè reddunt ac interpretantur varii. Non deſunt, qui conſtruant cum præcedentibus ואת כל qui tamen & ipſi non eundem verbis illis ſenſum adaptant. Ita Græci vertunt, *καὶ πάντα ἀλήθευσον, & omnia verè dicito.* Nempe vocem illam

Digitized by Google

נכחת deflexiſſe videntur à נכח *coram*, *ante*, ac ſi dixiſſet Abimelechus: Palam omnibus profitere te eſſe conjugem. Thargum Onkeloſi ועל כל מה דאמרת אתוכחת Quæ verba ita reddidit Doctiſſ. Buxtorfius: *Et propter omnia, quæ dixit, reprehenſa fuit.* Sed P. Fagius & poſt eum Ludovicus de Dieu malunt vocem illam Chaldaicam punctare per ſecundam perſonam אִתּוֹכַחְתְּ ac proinde vertunt Onkeloſi paraphraſin: *Et in omni eo quod locuta es, verax inventa es.* Syrus interpres: ועל כל מדם אכסתני, *& ſuper omnia me reprehendiſti.* Arabs: והוא אל כל חיאא, *Et ecce omnia ad ruborem tuum.* Tigurini: *Et in omnibus erudita fuit.* Vatablus: *Et cum omnibus his erudita fuit.* Sic etiam doctiſſimus Amama in cenſura vulgatæ editionis, Schindlerus, alii. Verùm hæc conſtructio cum præcedentibus ואת כל non admodum placet, tum quia ſic Vau in ונכחת redundaret, tum quia præcedentium ſenſus turbaretur. Præſtat igitur ונכחת ſeorſim ſine conſtructione reddatur. Atque hîc alii eam explicant in perſona tertia, ut verbum ſit non Abimelechi, ſed Moſis, veluti Samaritanus, Tigurini, Vatablus, Amama, Genevenſes; alii rectiùs in perſona ſecunda, ut Abimelechi non Moſis verbum ſit. Cúmque dageſch non habeat notam perſonæ ſecundæ fœm. præteriti, videtur וְנֹכַחַת eſſe participium Benoni pro וְנֹכַחְתְּ ſicut Geneſ. xvi. 8. eſt בֹּרַחַת pro בֹּרַחְתְּ. Præterea nec in ſignificatione נכחת eruditi conveniunt. Vulgatus enim habet notionem deprehendendi: *Et memento te deprehenſam eſſe.* Alii præferunt notionem *reprehendendi, increpandi.* Deducunt videlicet à יכח *caſtigavit, corripuit.* Ego cum Tigurinis, Junio, Vatablo, L. de Dieu potiorem puto notionem *erudiendi, arguendi, edocendi, convincendi.* Nam הוכיח, non tantùm ſignificat *redarguere*, ſed & ſimpliciter *arguere*, hoc eſt, argumentis rem aliquam demonſtrare, & animum de ea convincere. Vide Geneſ. xxiv. 14. 44. Hinc תוכחות ſunt ἔλεγχοι *argumenta*, quibus aliquid demonſtratur ad convictionem uſque Job xxiii. 4. פי אמלא תוכחות. *Os meum replebo ἐλέγχοις, argumentis convincentibus.* Senſus igitur eſt, Saram certis argumentis *edoctam* & convictam eſſe, Abrahamum verè ipſi eſſe velamen oculorum, non apud eos duntaxat, qui cum ipſo ſunt, ſed apud omnes etiam fortiſſimos Reges, quos propter ſubductam marito uxorem Deus pœnâ præſentiſſimâ affecerit. Verti igitur obſcuriſſimus verſus poteſt: *Ecce mille ſiclos dedi Abrahamo fratri tuo. Is erit tibi velamen oculorum apud omnes qui tecum ſunt, & in univerſum apud omnes. Atque* hoc jam abundè tibi *probatum* ac *argumentis demonſtratum eſt.*

XIX. Poſtquam reſtituit Abimelechus uxorem Abrahamo multis muneribus affecto, is, uti jam promiſerat Deus, interceſſit apud Deum pro Abimelecho & domo ejus. Quæ quidem interceſſio adeò apud Deum efficax

cax fuit, ut ſanarentur tum Abimelechus, tum uxor ejus atque ancillæ, quas ſterilitate Deus mulctaverat. Nam עצר עצר יהוה בעד כל רחם לבית אבימלך על דבר שרה: *Claudendo clauſerat Jehova ſuper omnem vulvam domus Abimelech, propter Saram uxorem Abrahami*, v. 18. Cùm Sara breviſsimo tempore fuiſſe videatur in poteſtate Abimelechi, quæri poſsit, unde innoteſcere potuerit hæc mulierum Abimelechi ſterilitas? Græci interpretes in ea opinione fuerunt, quòd Deus clauſerit os vulvæ, ut fœtus jam partui maturus exire non poſſet. Ita enim transferunt: ὅτι συγκλείων συνέκλεισε κύριος ἔξωθεν πᾶσαν μήτραν. *Quia concludens concluſit Dominus deforis omnem vulvam.* Eodem tendere videtur etiam Thargum Onkeloſi, in quo habetur, quòd Deus concluſerit כל פתח ולדא *omnem aperturam vulvæ* domus Abimelechi. Verùm ſi hæc ſententia obtinet, gravidæ tantùm & parturientes iſtâ plagâ fuiſſent percuſſæ. Textus autem id non refert ad gravidas duntaxat & prægnantes, ſed ad omnem vulvam, omnéſque adeò mulieres domûs Abimelechi, quas omnes ſimul fuiſſe gravidas credibile non eſt. Arabs interpres non tam de inflicta actu pœna ſterilitatis, quàm de comminatione ejus exponit. Sic enim vertit: לאנא אללה כאן קד תועד גבס כל רחם כון אהל בית אבימלך: *Nam Deus jam minitatus fuerat concluſionem omnis uteri habitantium domus Abimelechi.* Atqui pœnam jam actu inflictam eſſe domui Abimelechi ſatis inde colligitur, quod Abrahamus interceſsione ſua eam ſanare neceſſum habuerit. Hebræi in *Bereſith rabba* tradunt, omnia foramina tam virorum quàm mulierum fuiſſe obſtructa, ut nullo modo ſuo officio defungi poſſent, ne os quidem ad capiendum cibum, nec alia ad excrementa ſecernenda, ad quæ omnia extendunt vocem רחם *vulvæ*. Imò ad bruta etiam animalia plagam pertigiſſe decernunt. Quin & viros percuſſos ajunt ea parte, qua viri ſunt, ita ut neque cum Sara, neque cum alia rem habere potuerit Abimelechus. Atque poſtremum illud admodum probabile eſt, nimirum Abimelechum ejúſque familiam affectos fuiſſe concluſione vulvæ, ſeu plaga tali, quâ & viri & mulieres ad concubitum eſſent penitus inhabiles, & vicini partui eum edere non poſſent. Quâ ratione etiam pudicitiæ Saræ certiùs conſultum eſt, & conſtare potuit omnibus, eam illæſam & inviolatam ad Abrahamum rediiſſe. Cùm enim Dæmones per maleficium ligaminis aliquando juſta Dei permiſsione ligare poſsint homines, de quo videantur multa apud Jeſuitam Delrio Mag. diſquiſit. lib. III. q. 4. ſect. 8. cur non exiſtimemus, quod illi ex malitia faciunt, id ex cauſa juſta & legitima, ſanctúmque in finem feciſſe Deum? Atqui tale incommodum intra exiguum temporis ſpatium innoteſcere potuit utriſque tam viris, quàm fœminis. Atque inde etiam quæ plaga fuerit Abimelechi,

Digitized by Google

melechi, conſtare poſſet. Quod verò v. 17. dicitur וילדו *& pepererunt*, arguit ex effectu conſequente ſublatum fuiſſe impedimentum prius. Vel ſanè, ſi ea ſententia videatur minùs probabilis, dici poteſt, illud Dei judicium modo incognito tum fuiſſe perceptum.

XX. Atque ſic utriusque raptus Saræ hiſtoriam explicatam utcunque dedimus. Supereſt, ut quo conſilio Moſes illam tam ſolicitè atque diligenter expoſuerit, animadvertamus. Atque ut paucis id complectamur, acceperat Abrahamus promiſsionem, primò ſimplicem, poſtea etiam fœdere teſtamentario atque jurejurando ſancitam, quòd Deus ipſi atque ſemini ejus velit eſſe in Deum. Ne verò infirmitate ſuâ fidem atque veritatem promiſsionum divinarum infringi poſſe putaret Abrahamus ejusque poſteri fideles, tum Deus permittere hunc raptum, in quo & infirmitas Abrahami & Dei veritas certis documentis notata eſt, tum Moſes eum diligentiſsimè deſcribere voluit. Etenim Abrahamus ſuo facto à ſe abalienâſſet promiſsiones Dei, niſi Deus propter veritatem ſuam gratioſè eum conſervare dignatus fuiſſet. Patet igitur ex hac hiſtoria evidentiſsimè, pios, quamvis promiſsione & fœdere divino confirmatos, ex infirmitate naturali in ea vitia labaſcere, quæ ipſos quidem per ſe indignos teſtantur illa Dei beneficentia, ſed eo amplius commonſtrant, Dei virtutem in ipſorum infirmitate perfici. Deinde in hac hiſtoria fidei, qua Abrahamus Pater fidelium divinis promiſſionibus acquievit, certiſſimum documentum apparet tum ex tentatione foris adveniente, tum ex patientia Abrahami conſtante. Neque enim immeritò Hebræi inter tentationes Abrahami, quas decem numerant, utrumque hunc raptum Saræ recenſent. Ipſa autem tentatio divina argumentum eſt fidei, quæ jam ante promiſſis acquieverat. Sed & patientia Abrahami in malo, quod ſuo quidem jumento ſibi accerſiverat, non mediocriter in eo raptu probata fuit. Quantam enim animo ejus ægritudinem innaſci oportuit, quòd optimam & chariſsimam conjugem, quæ ipſum ex patria comitata eſt, in ſecundis juxta atque adverſis ſociam periculo raptus exponi antea ſenſerat? Quantum animi robur, quòd in aliena poteſtate poſitam, ſibique ſubductam videre potuit, nequicquam verbis vel factis reluctans? Quanta denique lucta, quam ſuſtinuit, hinc promiſsionibus divinis de ſemine ex Sara ſuſcitando, illinc conſcientia propriæ culpæ, qua jure eo excidiſſe ſibi videri poterat, animum in diverſa trahentibus & ſolicitantibus?

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO QUINTA
DE
BELLO PENTAPOLITANO
ET
EXPEDITIONE ABRAHAMI.

Breviarium.

Expeditio & victoria Abrahami promiſſionis divinæ præcedentis fructus fuit 1. Tempus belli Pentapolitani diſceptatum. 2. Partes offendentes Reges exteri, Amraphel &c. Fuerintne Armenii, Perſæ, vel Aſſyrii? Eupolemi, Diodori Tarſenſis & Joſephi ſententiæ ventilatæ. 3. Sennaar Babylonia eſt. Fueritne Amraphel Rex Sennaar Nimrodus? Elam Elymais. Ellaſar an fuerit Pontus? Bottica regio Chaldéæ. Rex Goim quis fuerit? 4. Reges Pentapolitani enumerantur. Reges olim dicti unius civitatis Domini. 5. Cauſa belli fuit rebellio Pentapolitanorum. An bellum hoc ſacrum fuerit? 6. Strages Raphaim, Zuzim, Emim &c. Qui fuerint Raphaim, Emim, Zuzim? Verborum זוזים בהם *Græca translatio ventilatur adverſus Iſacum Voſſium. 7. Fuerintne Raphaim, Emim & Zuzim reſtauratores pietatis? Boulduci figmentum eliditur. 8. Locus, in quo geſtum prælium, vallis Siddim explicatur. Aſphaltites lacus quo ſenſu mare appelletur? Quo ſenſu mare ſalſum? Salſugo apud Hebræos idem quod ſterilitas &* ἐρημία. *An vallis Salinarum, cujus mentio in Hiſtoria Davidis, eadem fuerit cum mari ſalſo? An lacus Serbonides mare ſalſum denotet? Epiphanius, Strabo, Geographi, alii ad partes vocati. 9. Victoria Regum exterorum à Pentapolitanis reportata. Quo ſenſu Rex Sodomæ & Gomorrhæ cecidiſſe dicantur? Hebræorum*

bræorum de eo deliria. 10. *Abrahami expeditio. Nuntius ſeu* פליט *Abrahamo captivitatem Lothi denuncians, quis fuerit? Hebræorum de Ogo & Archangelo Michaële nugamenta.* 11. *Socii expeditionis Abrahamicæ, Mamre, Aner & Eſcol fuerintne fideles? An licuerit Abrahamo cum iis pangere fœdus?* 12. *Exercitus Abrahami. Quid ſignificet verbum* וירק*? Qui fuerint* חניכים *Abrahami? Boulduci, Thalmudiſtarum & Joſephi de iis opinio.* 13. *Joſephi de numero vernarum Abrahami ſententia. An Eliezer & quidem ſolus Abrahamum comitatus fuerit? An credibile ſit, tot vernas Abrahamum aluiſſe?* 14. *Abrahamus quâ authoritate, & quàm juſtè hanc expeditionem ſuſceperit?* 15. *Perſecutio hoſtium Danem uſque. Situs Danis. Verbi* ויחלק *ellipſis. Prudentiæ militaris in Abrahamo argumenta.* 16. *Inſidiæ Abrahami licitæne fuerint? In bello ſtratagematis & dolis an liceat uti?* 17. *Fuga Regum exterorum Hobam uſque. Hobæ topographia. Præda ex hoſtibus relata.* 18. *Occurſus Regis Sodomæ in valle Save. Situs vallis Save. Fuerítne Save Collegium ſeu Gymnaſium religioſum? cur dicta* עמק המלך *vallis Regis?* 19. *Occurſus Melchiſedeci obviam Abrahamo. Ejus gratulatio & benedictio Abrahami. Quid* קנה שמים*?* 20. *Uter decimas dederit, Abrahamus Melchiſedeco, an Melchiſedecus Abrahamo? Mos antiquiſſimus ex manubiis decimas ſacrandi Diis. Cajetani error de decimis impropriè dictis. An Abrahamus dederit ex præda univerſa, etiam recuperatis Pentapolitanorum bonis? Quo jure decimas dederit pro iis bonis recuperatis, quæ in ſua poteſtate non fuiſſe poſtea fateri videtur? Jus gentium & naturæ circa ea quæ hoſtibus erepta ſunt.* 22. *Tranſactio Abrahami liberati cum Rege Sodomarum circa prædam hoſtibus ereptam. Abrahami in ea ſumma virtus & ſapientia. Exempla ſimilia Catonis, Timaleontis, Pittaci Mitylenæi, Mummii & P. Æmylii.* 23.

I. POſtquam terram Cananæam ceſſuram eſſe ſemini Abrahæ in hæreditatem Deus gratioſè promiſerat, illuſtri ſpecimine ac veluti præludio quodam, victoria nimirum Abrahami, qua is & amicum Lothum hæreditatis ejuſdem conſortem, & hæreditatem ipſam ab

ab aliena injuria vindicavit, promiſſioni fidem facere dignatus eſt. Cùm enim exteri Reges Pentapolin invaſiſſent, & bello ſuperiores extitiſſent, ipſumque inter alia Lothum Abrahami conſanguineum abduxiſſent, Abramus Divino robore ſuccinctus, hoſtes ſpoliis onuſtos & exultantes perſequitur, prædâ exuit, atque ipſum adeò cognatum in integrum reſtituit, idque beneficium Dei omnibus ſanctificationis officiis religiosè profitetur. Eam Hiſtoriam exponit Moſes Geneſeos decimo quarto, ſumma fide atque pari ingenio rem maximam paucis verſibus perſpicuè delineans. Nos quoque ejus veſtigia ſecuti impræſentiarum expendemus temporis, quo geſtum eſt bellum illud, articulum, partes belligerantes, tum offendentes nimirum, tum defendentes, cauſam, quam prætexuére offendentes, prælium ejusque ſucceſſum, interventum Abrahami ejusque victoriam & pietatem.

II. Tempus quod attinet initi belli hujus, à Moſe illud indefinitè notatur his verbis: ויהי בימי אמרפל *Et factum eſt in diebus Amraphel* v. 1. Cœterùm ipſum temporis articulum variè definiunt varii. Vulgatus Interpres referre videtur ad illud ipſum tempus, quo Abrahamus tabernaculum fixit in Elon Mamre. Ita enim vertit: *Factum autem eſt in illo tempore,* nempe quo geſta ſunt ea, quæ in proximè præcedentibus narrantur. Narratur autem adventus in Elon Mamre. De re ipſa quidem haud contenderim. Id certum tamen eſt, Hebræa non fideliter ab eo expreſſa eſſe, quippe quæ non connectunt geſtum hoc bellum cum proximè præcedentibus, ſed ſimpliciter referunt ad tempus Amraphelis. Atque ſic etiam Interpretes Græci, & Orientales ad unum omnes. Chronicon Alexandrinum peſſimè refert ad annum Abrahami ſeptuageſimum quartum, quo ne quidem Charane adhuc exiverunt. Epiphanius hæreſi 55. anno demum nonageſimo Abrahami illud contigiſſe putat. Pererius, Torniellus, Salianus, Gordonus rejiciunt in annum Abrahami octogeſimum. Denique Hebræi, quos ſequitur Genebrardus, aliique in annum ejusdem ſeptuageſimum ſextum. Nos in re dubia, & quæ ad Chronologiam vel perficiendam vel perturbandam nihil facit, neque hiſtoriam ipſam, quocunque modo determinetur, multùm adjuvat, nihil definimus.

III. Partes belligerantes quod attinet, ſunt eæ partim offendentes, partim defendentes. Offendentes nominantur Reges quatuor, nempe אמרפל מלך שנער *Amraphel Rex Sennaar*, אריוך מלך אלסר *Arioch Rex Ellaſar*, כדר־לעמר מלך עילם *Chedor-Laomer Rex Elam*, & תדעל מלך גוים *Thidal Rex Gentium*, v. 1. Quales fuerint hi Reges, quorum alibi mentio nulla, admodum obſcurum & intricatum eſt. Eupolemus uti apud Euſebium de

Præparat. Euang. lib. IX. cap. 4. narrat Alexander Polyhiſtor, ait Ἀρμενίους ἐπιστρατεῦσαι τοῖς Φοίνιξι, *Armenios ſuperâſſe Phœnices, ipſumque Abrahami nepotem captivum abduxiſſe.* Reges igitur illos ex Armenia arceſſit. Verùm neque ullum indicium eſt, Armenios fuiſſe, neque probabile eſt, ulla Cananæorum injuria ita eos accendi potuiſſe, ut in tam remota loca maximis ſumptibus, & exiguo admodum operæ pretio, exercitum educerent. Theodorus Tarſenſis Epiſcopus Præceptor Chryſoſtomi, cujus quædam reliquiæ ſervantur in Catena Patrum, vocat hoc bellum πόλεμον, ὃν ἐπολέμησαν οἱ Πέρσαι πρὸς τοὺς Βασιλεῖς τῶν Σοδομιτῶν, *bellum, quod geſſerunt Perſæ adverſus Reges Sodomitarum.* Verùm neque hoc fidem meretur. Perſæ enim uſque ad tempora Cyri alieno imperio ſubfuerunt, propriis Regibus deſtituti. Aſſyrios probabiliùs facit Joſephus Antiq. Jud. lib. I. cap. 9. Nam cùm temporibus iis Aſſyriacum Imperium fuerit admodum celebre, & terra שנער *Sennaar*, cujus *Amraphel* Rex dicitur, fuerit circa Babyloniam ſita, uti colligitur ex Geneſ. X. 10. XI. v. 9. Daniel. I. 2. vero fit admodum ſimile, fuiſſe hos qui bellum intulerunt, Aſſyrios, hoc eſt, Aſſyriorum Regi obnoxios. Quomodo etiam Iſajas cap. X. 8. Aſſyrium introducit gloriantem: הֲלֹא שָׂרַי יַחְדָּו מְלָכִים *Nonne Principes mei ſimul Reges ſunt?* Fieri quippe potuit, ut plures Reges Aſſyrius ſibi tributarios faceret, vel provincias diverſas Principibus ſuis aliis atque aliis Regio nomine adminiſtrandos committeret. Ita Diodorus Siculus Biblioth. lib. III. Priamum etſi Aſſyriorum Regem, Aſſyriis tamen fuiſſe ſubjectum teſtatur. Ita Jechonias & Zedechias Nabucodonoſori, Herodes, Mithridates, aliique, Romanis obnoxii fuerunt. Tacitus Hiſt. II. 81. I. Antiochum vocat vetuſtis opibus ingentem, & *inſervientium Regum* ditiſſimum. Huic tamen Joſephi ſententiæ unum obſtare videtur, quòd v. 4. dicuntur Cananæi illi ſerviviſſe Cedor-Laomeri, qui ſuperiùs Rex *Elam* nominatur. Proinde, cùm hujus Cedor-Laomer non Aſſyrii nomine & authoritate bellum geſtum ſit, vix recipi poteſt, ut omnes hi Reges Aſſyrii fuerint, hoc eſt, unius Aſſyrii Regis imperio ſubjecti. Convenire igitur magis judico, ut Reges hoſce Cedor-Laomeris fœderatos dicamus, ſingulosque non obnoxios aliis provinciis ſingulis imperâſſe. Neque enim jam tum vel Aſſyrii, vel alii eò potentiæ devenerunt, ut inſervientes ſub ſe haberent Reges.

IV. Feliciùs fortè Reges hi diſcerni poſſent, ſi gentium, quarum Reges dicuntur, nomina explicari poſſent. Et de *Sennaar* quidem ac *Elam* certius quid erui poteſt. Nam *Sennaar* eſſe terram Babyloniæ, extra controverſiæ aleam poſitum eſt. Unde Chaldæus Paraphraſtes ſimpliciter vocat

Digitized by Google

vocat מלכא רבבל *Regem Babyloniæ.* Neque audiendi reliqui duo Jonathan & Hieroſolymitanus, qui reddunt מלכא רפנטוס *Regem Ponti*, niſi fortè Pontum ſumpſerunt pro Bottica Chaldéæ regione. Proinde *Rex Sennaar* eſt Rex Babyloniæ. Quis verò fuerit Amraphel Rex ille Babyloniæ, quem Joſephus corrupte Ἀμαρφάδλω, LXX. & eos ſecutus Syrus Ἀμαρφὰλ vocant, non æquè certum eſt. Illud vix probandum, quòd Nimrodum faciunt ex Hebræis nonnulli, Jonathanem Uzielidem ſecuti. Quos inter ita ſcribit Jarchius: אמרפל הוא נמרוד אשר אמר לאברהם פול לתוך כבשן האש: *Amraphel eſt Nimrodus, qui juſſit Abrahamum projici in medium fornacis ignis.* Et R. David Ganz in Zæmach David notat, in narrationibus Sapientum extare, quòd Amraphel fuerit Nimrodus. Verùm rectè obſervat idem Hebræus, juxta tractum annorum hominum, qui nati ſunt poſt diluvium, videri ſimpliciori ſenſui vicinius, ut Nimrod primus, à quo tertia ætas à Noacho, fuerit ante Abrahamum, qui fuit decimus à Noacho. Quod attinet עילם *Elam*, cujus Cedor-Laomer Rex dicitur, *Elamitarum*, uti vocat Lucas Act. II. 9. ſeu *Elymæorum* regionem inſigniri non dubitamus. vide de eo Hiſt. Patriarch. tom. I. Exerc. XXIII. 41. Symmachus, & ex eo Procopius Scythiam interpretantur, nullo idoneo argumento. Verùm difficilior eſt inveſtigatio, quæ gentes indigitentur per אלאסר *Ellaſar*, cujus Rex fuit Arioc, nec non גוים *Goim*, cui genti præfuit Thidal? Et *Ellaſar* quidem vulgatus Interpres reddidit *Pontum.* Eodem modo Symmachus. At Onkeloſus, Græci, Samaritanus & Syrus vocem propriam *Ellaſar* retinent. Et ſanè qui Pontum ſignificari putant, eum nempe, qui in Aſia minore prope mare Euxinum ſitus eſt, vix ullam fidem merentur. Quis enim ſibi perſuadere poterit, Ponticos ex remotiſſimis locis ſe conjunxiſſe ad συμμαχίαν cum Babyloniis & Elymæis? Nec obſtant exempla adducta ab Abulenſi populorum, qui, teſte Lucano, ab extremis pene orbis partibus venerunt in auxilium Pompejo, quando pugnaturus erat cum Cæſare. Nam tunc de totius fere orbis imperio diſceptabatur: hîc de quinque duntaxat civitatibus ſubjugandis. Quid verò, ſi Symmachum ſcripſiſſe *Pontum* & *Ponticam* terram pro *Bottica* dicamus? Nempe fuit id unum è Chaldeæ ſeu Babyloniæ nominibus, de quo ita magnum Etymologicum: Βοττικὴ ἡ Χαλδαϊκὴ γῆ, καὶ θηλυκῶς λέγεται Βοττιαῖς καὶ Βοτταϊκὴ κλητικόν. Id nomen Chaldeæ impoſuiſſe Macedones propter ſimilitudinem cum *Bottica* vel *Bottiœa* Macedoniæ, oſtendit celeberrimus Bochartus Phaleg. lib. I. cap. 5. Paraphraſtes Hieroſolymitanus pro אלאסר hîc habet תלאסר *Telaſar*, quem locum alibi ad Geneſ. x. deſignat his verbis: תלאסר בין נינוה ובין הרית *Telaſar inter Niniven, & Harioth.* Fortè

igitur regio fuit Babyloniæ vicina. Certi nihil pronunciari poteſt. Reſtat גוים *Goim*, cujus gentis Thidal Rex dicitur. Græci Interpretes reddunt **Βασιλέα Ἐθνῶν** *Regem Gentium*, vel quia præerat provinciæ, quæ diverſarum gentium & linguarum frequentiâ celebrabatur, ut Lyranus & Toſtatus exiſtimant; vel quia ulteriori Galilææ imperaverat, uti placet Andreæ Maſio in Joſ. x. v. 9. ubi mentio eſt גוים לגלגל quod Galiléam ulteriorem ibi interpretantur, eò quòd portuoſa mercaturæque faciendæ accommoda varias gentes reciperet, ex quibus multos etiam homines inibi manſiſſe ſit veriſimile. Unde eadem Eſai. ix. 1. vocatur גליל הגוים *Galilea Gentium*. Et Strabo lib. xvi. Galilæam numerat inter alias Judéæ provincias, quæ magna ex parte à mixtis gentibus, velut Ægyptiis, Arabibus, & Phœnicibus habitatæ ſint. Si igitur conjecturis his, quas de gentibus illis attulimus, fides nonnulla adhiberi poteſt, fuerint Reges illi exotici Reguli aut Dynaſtæ Babyloniæ, eique vicinæ provinciæ Ellaſar cognominatæ, Elymaidis & Galiléæ Gentium.

V. Partes defendentes & offenſæ hujus belli numerantur v. 2. quinque nimirum ברע מלך סדם *Bera Rex Sodom*, ברשע מלך עמרה *Birſa Rex Gomorrhæ*, שנאב מלך ארמה *Sinab Rex Adamæ*, שמאבר מלך צבוים *Semeber Rex Seboim*, denique מלך בלע הוא צער *Rex Bela, quæ eſt Zoar*. Sunt hi Reges Pentapoleos ſeu civitatum quinque, quarum præcipuæ fuerunt Sodoma & Gomorrha. Regum porro eorum nomina interpretatur Jonathan in Thargum hujus loci, ubi ברע *Beram* facit Regem ריעברו בביש *qui malè fecerunt*; ברשע ſeu *Birſam* ריעברו ברשיעא *eorum qui impiè fecerunt*, ſeu tranquillitatem publicam ſeditioſè perturbârunt; שנאב *Sinab* patrem mutationis ſeu mutabilem; שמאבר *Semeber* רמחבל איבריה לזניה *Scortatorem*; qui membra ſua impuris ſcortationibus vaſtat. Porro Reges hi civitatum ſingularum dicuntur antiquiſſimo more, quo מלך *Rex* denotabat etiam eum, qui unius urbis imperium habebat. Quomodo omnes antiquas Gentes atque civitates ſubfuiſſe Regibus teſtantur Ariſtoteles & Cicero paſſim. Sic Joſua dicitur percuſſiſſe in una terra Canaan Reges triginta & unum, Joſ. xii. v. 24. qui Reguli & Dynaſtæ civitatum fuerunt. Arabibus Rex dictus eſt à *poſſidendo*; Chaldæis à *conſulendo*: Apud quos proin quilibet Senator vel Poſſeſſor quamlibet exiguæ ditionis *Rex* dicitur.

VI. Cauſa, quam invaſioni ſuæ prætexuerunt Reges exotici, fuit defectio Regum Pentapolitanorum à Rege Elymaidis Cedor-Laomer, cujus jugum ſubiverant tredecim retro annos. Et duodecim quidem annis continuis bona fide ſerviverant Regi. Sequente verò decimo tertio jugum excutere conati ſunt, ſive freti potentia & opibus acquiſitis, ſive quòd Regem

Digitized by Google

Regem ſatis diſſitum haud vindicaturum ſcelus ſperarent. Verùm Rex commotus perfidia rebellantium, & Regum fœderatorum copiis validus, anno poſt ſubjugatos Pentapolitanos decimo quarto vindictam de perfidis expetiturus, cum exercitu eorum fines ingreditur. Hanc belli hujus cauſam perſpicuè indigitat Moſes. Dignus proin qui explodatur, eſt Boulducus, qui *de Eccleſia ante legem* lib. III. 3. bellum hoc ſacrum fuiſſe contendit, ideo ſuſceptum, ut Reges exteri Pentapolitanos cogerent ad amplectendas ſuperſtitiones ſuas. Argumenta quæ ſtabiliendæ ſuæ ſententiæ affert, digna non ſunt, quæ memorentur. Sufficit quòd in S. Scriptura ejus rei nec vola nec veſtigium appareat.

VII. Priusquam Pentapolitanos aggrederentur Reges, ſtratagemate militari uſi, circumſtantes regiones omnes trans Jordanem ſitas prius ſibi adjungunt. Unde Moſes v. 5. 6. 7. eos percuſſiſſe narrat רפאים בעשתרת קרנים *Raphaim in Aſtaroth Carnaim*; הזוים בהם *Zuzæos in Ham*; האימים בשוה קריתים *Emim in Saue Ciriathaim*; החרי בהררם שעיר *Horræos in monte eorum Seir*, & quidem עד איל פארן *ad planitiem Paran, quæ eſt ſuper deſertum*; כל שדה העמלקי *omnem agrum* Amalecitæ; denique etiam את האמרי הישב בחצצן תמר *Emorrhæum habitantem in Haſeſon-Thamar*. In deſcribendis hiſce gentibus nolumus æquo verſari diutius. Raphaim populus fuerunt in Baſanitide trans Jordanem ſitus, uti ſatis apertè colligitur ex Joſ. XII. 4. & XIII. 12. Creduntur in ſpeluncis habitâſſe montium, quales & Homerus ſuos fingit Cyclopes, eò quòd Eſaias cap. 26. videatur hanc vocem uſurpare pro hominibus ſub terra degentibus. Ita dicti ſunt à Parente רפא *Rapha* de quo 1. Paralip. XX. 6. Eorum ſedes potiſſima fuit *in Aſtaroth-Carnaim*. Unde Aſtaroth Regiam Og Regis Baſan faciunt Scripturæ. Ab אשרה *luco* eam vocem deſcendere probat doctiſſimus Seldenus Syntag. 1. de Diis Syris cap. 1. Porro ea civitas *Aſtaroth Carnaim* dicta videtur, eò quòd ſacra eſſet Numini Phœnicio & Sidonio hoc nomine nuncupato, Dianæ nimirum bicorni, quippe quæ in fronte lunulam bicornem expreſſam haberet. Quanquam Jarchius קרנים ſeu *bicornem* appellatam putet, quia ſita inter duos altiſſimos montes, cujus extrema duo cacumina totidem cornua referebant. זוזים *Zuzim* & אמים *Emim* qui fuerint, paulò obſcurius. Deut. II. 10. numerantur *Emim* inter gigantes ſimiles iis, qui erant de ſtirpe Enakim, quorum terram poſtea iis expulſis Moabitæ poſteri Lothi occupârunt. Sed & *Zuzim* videntur iidem, qui ibi v. 20. vocantur *Zom Zommim*, & ipſi gigantes, quorum terram iidem Moabitæ inſederant. Pro הזוזים בהם *Zuzim in Ham* LXX. habent ϗ ἔθνη ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς. Verſionem hanc rejecit olim Hieronymus, quanquam argumento non idoneo.

Digitized by Google

Doctiſſimus vir Iſacus Voſſius pro more patrocinatur Verſioni Græcæ, eo ductus argumento, quòd eodem modo reddiderint Thargum Onkeloſi, & codex Samaritanus. De Samaritano largior. At Chaldæus habet תקיפיא רבהמתה: *Robuſtos qui erant in Ham.* Quod nequicquam favet Græcis. Etenim nomen proprium זוזים interpretari maluerunt quàm retinere. Quomodo etiam רפאים reddiderunt גבריא *gigantes*, & אמים ſimiliter אמתניא horrendos. Porro בהם legerunt quaſi עמהם per eliſionem literæ gutturalis non infrequentem. Vel certè זוזים derivârunt à מזוזה quod *poſtem* ſignificans etiam *robur* conſignificare videtur, uti ariolatur doctiſſimus Anglorum Nicolaus Fullerus Miſcellan. lib. II. 10. Neque de nihilo eſt, quòd in Græcis codicibus legitur *ἅμα ἀυτοῖς*, non *σὺν* vel *μετὰ*. Unde prona conjectura eſt, duplicem lectionem ab imperitis librariis confuſam eſſe in unam. Nam cùm alia interpretatio haberet more Syriaco בהכא *ἐν Ἁμὰ*, alia *σὺν ἀυτοῖς*, ſciolus ex ambabus imperitè commixtis fecit *ἅμα ἀυτοῖς*.

VIII. Temerarius eſt pro more Boulducus qui *de Eccleſ. ante legem* lib. I. cap. 10. pertendit prolixè hóſce Raphaim, Emim & Zuzim fuiſſe primos poſt diluvium mundi ac pietatis reſtauratores. Et *Raphaim* quidem à רפא notare medicos animarum, Paſtores, à Græcis *θεραπευτὰς*, *κυρῆτας* curatores animarum nuncupatos: *Zuzim* à ציץ quod *ſplendorem* denotat, ſignificare *ἐπιφανεῖς illuſtres*, à quibus civitas eorum הם *Ham* commodè *Epiphania* dici potuerit, ita ut eadem fuerit cum Emath. Denique & אימים *Emim* notare *reverendos*. Argutum ſanè Monachum, qui ex quolibet elicere poteſt quidlibet. Quo verò is argumento pugnat? Nempe quia Deut. II. 9. 10. Emim dicuntur primi habitatores terræ Moab, populus magnus, validus & tam excelſus, ut de Enakim ſtirpe, quaſi *Raphaim* crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim. Egregia ſanè argutatio. Populus magnus, validus, ſimilis Raphaim & Enacim, ſi credimus lepido Boulduco, alius eſſe non poteſt quàm religioſus, ac pietatis ac ſanctimoniæ laude inclytus. Apageſis febriles nugas, & ſceleratum in rebus ſacris nugandi cacoëthes. Præter memoratos illos Raphaim, Zuzim & Emim, exteri Reges etiam percuſſerunt *Horræos* incolentes tractum Seiris, ſeu Edomeæ (uti poſtea dicta eſt) ad extremos uſque terminos illius, qui ad deſertum Paranis mari rubro conjunctum pertinent; *Amalekitas* & Amorrhæos. His regionibus in ambitum occupatis fieri non poterat, ut Reguli Pentapolitani commodè ex manibus tyrannorum effugerent.

IX. Prælium Pentapolitanos inter & exteros Reges patratum eſt בעמק השדים הוא ים המלח *in valle Siddim*, *ipſa eſt mare Salis*, v. 3. & 8. Quid verò שדים *Siddim* ſignificet, parum convenit inter Interpretes. LXX. reddunt

Digitized by Google

reddunt φάραγγα ἁλυκὴν *vallem ſalſam*, reſpicientes ad v. 10. ubi vallis illa dicitur habuiſſe puteos multos bituminis; vel certè ad id, quod poſtea ibi extitit Mare Salſum. Utrumlibet reſpexerint, malè ita reddiderunt. Neque enim vallis ſalſa fuit, quia in ea putei bituminis: neque ſalſa dici debuit, in qua poſtea mare ſalſum extitit. Syrus vertit עמקא דסדומיא *vallem Sodomitarum*, quaſi videlicet ſcriptum eſſet עמק סדום Silveſtrem vallem interpretatur Vulgatus, hoc eſt, incultam & deſertam, uti putat Eugubinus. Verùm pleriſque interpretibus reliquis contrarium placet, deſignari nimirum vallem campeſtrem, cultam & amœnam. Putem igitur שדים *Siddim* nomen proprium eſſe inditum illi valli ab agris arabilibus, uti etiam arbitratur Cl. Samaſius Exercit. Plin. p. 614. Non malè tamen Interpretes nonnulli reddunt appellativum. Ita Thargum Onkeloſi: כל אלין אתכנשו למישר חקליא *omnes hi congregati ſunt in valle campeſtri*. Ita etiam Samaritanus. Arabs: כל הולא אסטאחבו פי מרח אלחקול *omnes hi congregati ſunt in prato agrorum*. Nempe שדים ſunt agri æquales & bene culti, quomodo etiam definit R. David Kimchi in libro Radicum. Thargum R. Jonathanis vertit, מישר פרדסיא הוא אתר דמסיק דמין ושדי להין לימא דמלחא *planitiem hortorum, quæ locus eſt producens piſcinas, eáſque effundit in mare ſalis*. Neque aliud vult Aquila per τῶν πεδινῶν. Quin & Theodotio ἄλση vertit, lacum intelligens nemoribus conſitum. R. Solomon Jarchi vallem eam *Siddim* nuncupatam docet שהיו בו שדות הרבה *quia in ea fuerint agri plurimi*. Et ſanè talis erat tum temporis Regio, ſcatens etiam puteis bituminis, uti habet verſ. 10. Nempe ante conflagrationem Sodomæ & Gomorrhæ erat vallis *Siddim* locus amœniſſimus, nemoribus & agris cultiſſimis refertus, medio Jordane irriguus, ideóque Paradiſo Domini à Moſe aſſimilatus. Verùm Sodomis cœleſti incendio deletis eam vallem contexit lacus ſalſus, quem à ſcatente bitumine *Aſphaltitem* dixére. Id Moſes innuit, addens הוא ים המלח *ipſa eſt mare ſalſum*. Nempe Hebræi lacus omnes grandiores maria vocant, & ab amplitudine ita appellant. Ita apud Matthæum θάλασσα Γαλιλαίας, *mare Galilææ*. Apud Johannem θάλασσα τῆς Τιβεριάδος *lacus Tiberiadis*. Atque ita alibi paſſim. Lucas Genneſaram ſemper λίμνην *lacum* vocat, quem alii θάλασσαν *mare*. Ita apud Colchos, teſte Ariſtotele Meteor. lib. 1. c. 13. lacus eſt ſub Caucaſo, quem incolæ vocant mare. Cur verò mare ſalſum vocetur, cauſam reddunt nonnulli, quòd aquæ ejus ſupra modum ſalſæ ſint. Verùm cùm lacus ille à bitumine dictus ſit *Aſphaltites*, neque teſte Plinio, quidquam ibi gignatur præter bitumen, quod & Moſes v. 10. innuit, notum eſt, bitumen nec ſalſum eſſe, nec ſalis naturam habere. Igitur Aſphaltitem lacum *mare Salis* vocant Hebræi,

Digitized by Google

bræi, eodem planè ſenſu, quo terram ſalſam iidem nuncupant, quæ deſerta ac deſolata eſt. Verùm mare non opus eſſet eo attibuto inſignire, quippe mare ſuâpte natura ſalſum eſſe ſciunt omnes. Sed quia lacus omnes maria appellant, eum lacum, qui nihil generat, non piſces, non aves habet aquis aſuetas, qui nihil denique vivi ſuſtinet ים מלח *mare Salis*, id eſt, *lacum Salis* appellârunt, eadem ratione, quâ & *mare mortuum*, vel quod idem eſt, *lacum mortuum*. Ita terram eam, quæ nihil gignit, atque in totum ſterilis eſt, *terram* מליחה *Salis* indigitant. Et ſalſuginem ipſam ponunt pro deſolatione & ἐρημία. Vide Deuter. XXIX. 23. Pſalm. CVII. 34. Nempe terra ſalſa atque amara ingrata & infœcunda eſt. Verùm ab amarore aquæ illius *mare Salis* verè ſalſum fuiſſe, poſſit aliquis aſtruere. Nam aquam illius amariſſimam eſſe ſatis conſtat. Sales autem amari. Itinerarium Hieroſolymitanum: *Eſt aqua ipſius valde amariſſima, ubi in totum nullius generis piſcis eſt, nec aliqua avis, & ſi qui hominum miſerit ſe ut natet, ipſa aqua non merſat.* Idem ex Fertello & Vitriaco docet Adrichomius. Verùm aliud amarum, aliud ſalſum. Sales amari ſunt. Neque tamen quicquid amarum, ſalſum etiam eſt. Cur *mare mortuum* vocetur idem, paucis rationem reddit Juſtinus lib. XXXVI. 3. 6. *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem mare mortuum dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque navigationis patiens eſt, quia omnia vitâ carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Quòd aquam ſtagnari ait, perinde eſt ac ſi dixiſſet, muniri, firmari, indurarique, à στεγανῶσαι vel στεγνῶσαι uti placet Salmaſio ad Solinum pag. 577. Epiphanius hæreſi XIX. etiam גי מלח κοιλάδα τὴν ἁλυκὴν *vallem ſalſuginis* ſeu *Salinarum*, cujus mentio eſt 2. Sam. VIII. 13. & 1. Paralip. XVIII. v. 12. facit eandem cum hoc *mari ſalſo* ſeu *mortuo*. Nempe confundit illam *vallem Siddim* quam Græci Interpretes uti vidimus, φάραγγα ἁλυκὴν reddiderunt, quæque poſtea juſto Dei judicio converſa eſt in *mare ſalſum* cum valle Salinarum, in qua Idumæi à Davide deleti ſunt. Hæc ſententia eſt etiam quorundam recentium Geographorum, in tabulis ſuis adſcribentium mare mortuum Salinarum olim vallem fuiſſe, præcipuæ amœnitatis & fæcunditatis. Verùm gravi ſatis errore illos teneri manifeſtum. Neque enim vallis Siddim poſt excidium Sodomæ & Gomorrhæ, vallis amplius fuit, ſed tota converſa eſt in lacum Aſphaltiten ſeu mare ſalſum. Tertullianus: *Hactenus Sodoma & nulla Gomorrha, & propinquitas maris juxta cum ſale in mortem ivit.* Neque vallem vocâſſent ſacri Scriptores, quæ tempore Davidis lacus ſeu mare fuit. Cúmque hoſtes Davidis Idumæi cæſi dicantur בגי מלח *in valle Salinarum*

Digitized by Google

narum abſurdè in mari ipſo cæſi dicerentur, qui nonniſi juxta illud mare cædi poterant. Præterea vallem Salinarum in Idumæa eſſe oportet. Nam & ibi Idumæi profligati ſunt in ſuamet ipſorum Regione, & præſidium ibidem impoſitum memoratur, in ipſa nempe Idumæa. Atqui Idumæam ſatis longè diſſitam fuiſſe à mari mortuo conſtat. Nec minori errore Strabo lib. XVI. p. 525. aliique Geographi *mare mortuum* confundunt cum *lacu Serbonide.* Rectiùs diſtinguit Plinius lib. V. 13. 15. 16. De mari hoc ſalſo ſeu mortuo videſis plura apud Joſephum Antiq. Jud. lib. V. 5. Diodorum Siculum lib. XIX. 98. Tacitum Hiſt. lib. V. 6. Addam hoc unum, quòd בארות חמר *putei bituminis*, quos in valle Siddim extitiſſe memorat Moſes, hodiéque cerni in littore lacus Aſphaltitis, atque juxta eos Pyramides erectas teſtetur αὐτόπτης Brocardus Itin. 6.

X. In ea igitur valle *Siddim*, quæ paulò poſt ob nefanda flagitia Pentapolitanorum converſa fuit in lacum mortuum ſeu ſalſum, quámque Pentapolitani ad prælium delegiſſe videntur, ut foſſæ bituminis, quibus abundabat, tum ſibi perfugium præberent, tum hoſtibus ſive victis ſive victoribus præſentiſſimum periculum crearent, placuit Deo juſtiſſimo ſcelerum vindici, ſuorum erga Pentapolitanos judiciorum veluti præludium quoddam exiſtere. Nam prælio ibi inito וינסו מלך סדם ועמרה ויפלו שמה והנשארים הרה נסו : *fugerunt Rex Sodom & Gomorrha, & ceciderunt ibi: reſidui verò in montem fugerunt*, v. 10. Qui cecidiſſe dicuntur, non equidem Reges ipſi fuerunt; ſed exercitus eorum. Nam poſtea inducitur Rex Sodomorum obviam procedens Abrahamo poſt victoriam reportatam. Ridiculi ſunt pro more Hebræi, qui illud ויפלו *ceciderunt* explicant non de mortis occubitu, ſed de caſu Regum illorum in puteos bituminis, & quidem non propter ſcelera & infames culpas, ſed quia hactenus credere noluerint, Abrahamum liberatum eſſe ex igne Chaldæorum. Cúmque ex iis liberati eſſent, jam fidem illos habuiſſe liberationi Abrahæ ex igne fornacis Chaldaicæ. Ita refert ex מדרש אגדה Jarchius. Alii dicunt ſervandæ vitæ causâ illuc delapſos eſſe. Ita Abenezra: ויפלו ברצונה להמלט וכן ויפל על פניו *Et ceciderunt, nempe ſponte ſua, ut liberari poſſent. Eodem ſenſu alibi dicitur: Et cecidit in faciem.* Sed mittamus hæc, in primis de Regum duorum lapſu in foveas, vigilantium ſomnia. Simplex ſenſus eſt, Regem Sodomæum & Gomorrhæum fugam capeſſiviſſe, exercitúmque reliquum cæſum eſſe, exceptis iis, qui in montem ſalvi evaſerant. Interim non abnuam, in valle illa Siddim plures ex Pentapolitanis adactos ab hoſtibus in puteos bituminis ſe dediſſe præcipites. Quæ cauſa eſſe videtur, quòd Moſes v. 10. mentionem facere voluerit בארת בארת חמר *multorum bituminis*

minis

Digitized by Google

minis puteorum, quia videlicet poſtea in eos præcipitati iis quibus vis major inſtabat. Neque hîc ſtetit calamitas. Nam poſt cœdem & fugam miſerorum hoſtes *ceperunt omnem ſubſtantiam Sodomæ & Gomorrhæ, ac omnes cibos eorum, & abierunt. Ceperunt etiam Lothum & ſubſtantiam ejus, filium fratris Abrami & abierunt.* v. 11. 12. Inter abductos igitur etiam ipſe Lothus fuit, qui commune cum ſceleratis ſubiit periculum, quomodo idem patiuntur naufragium, qui in eadem navi vela faciunt, ſic Deo totum illud negotium moderante, ut juſtitiam ſimul & miſericordiam ſuam teſtatam faceret.

XI. Sequitur expeditio Abrahami ad vindicandum potiſſimùm Lothum inſtituta, totius hiſtoriæ hujus præcipuus ſcopus. Et primò quidem ex הפליט *profugo* omnia Abrahamus cognovit diligentiſſimè, nempe tum cladem à Lotho acceptam, tum iter à Regibus inſtitutum. Nuntium illum הפליט *profugum* non alium fuiſſe, quàm Ogum gigantem, magnitudinis ſuæ beneficio ſervatum è diluvio fingunt Hebræi portentoſi nugatores. Ita Jarchius ex Tanchuma & Bereſith לפי פשוטו זה עוג שפלט מן המלחמה הוא שכתוב כי רק עוג נשאר מיתר הרפאים שלא הרגוהו אמרפל וחביריו כשהכו הרפאים בעשתרות קרנים תנחומא ומדרש בראשית רבה זה עוג שפלט מדור המבול וזהו מיתר הרפאים שנאמר הנפלים היו בארץ: *Simplex ſenſus eſt, hunc Gogum eſſe, qui evaſit ex bello illo, quia ſcriptum eſt: Duntaxat Gogus reliquus manſit ex Rephaim. Et reliquus fuit, quia non occiderunt eum Amraphel & ſocii ejus, quum percuſſerunt Rephaim in Aſteroth Carnaim. Ita Tanchuma. Et in Midras Bereſith-rabba: Hic Gogus fuit relictus inde à diluvio. Et hoc eſt, quod dicitur, ex reliquiis Rephaim, ſicut dictum eſt, Nephilim erant in terra.* In Pirke Eliezer cap. 27. profugus ille fingitur fuiſſe Michaël princeps mundi ex Eccl. x. v. 20. *Qui habebat alas, indicavit rem*. Rationem cur פליט vocetur Michaël, afferunt hanc. Cùm præcipitaret Deus Samaëlem, ejúſque turmam ex ſancto illorum loco, apprehendiſſe illum alam Michaëlis, ut detraheret ac deturbaret illum. Sed eripuiſſe eum Sanctum benedictum, atque hinc vocari nomen ejus פליט *evaſorem.* Idem figmentum repetit Baal Hatthurim. Piget nugarum. Piguit etiam Abenezram ita commentantem: הפליט שברח ונמלט מבני סדום: *Profugus qui aufugit & evaſit ex Sodomæorum numero.* Probabile eſt, fuiſſe aliquem ex familia Lothi, qui ſingulari Dei providentia ſervatus fuerat, ut Abrahamo exiſteret nuntius cladis & captivitatis Lothi.

XII. Socios expeditionis ſuæ habuit Abrahamus tres fratres Amorrhæos, Mamre, Eſcol, & Aner. Hi enim v. 13. vocantur בעלי ברית אברם *fœderati cum Abram.* Cum iis diviſit prædam v. 24. Qui fuerint fœderati

derati illi Abrahami, fideles an infideles, ambigitur. Et Boulducus quidem noſter eam ſocietatem facit religioſam atque ſpiritualem. Aſſerit nempe, pertinuiſſe illos ad ſocietatem religioſam Hebræorum, quorum archimandrita atque pater fuerit Heber, de qua actum nobis Exercit. l. 15. ubi hanc ipſius de religioſa ſocietate Hebræorum ſententiam confutavimus, docuimusque tum ibi, tum Tom. 1. Exercit. XVI. 22. 23. quam ob cauſam Abrahamus עברי *Hebræus* nuncupatus fuerit. Frivolum eſt Monachi hujus argumentum petitum ex v. 24. ubi fœderatos illos vocat Abrahamus אנשים hoc eſt, ipſo ita interpretante *Enoſchæos*, qui iidem fuerint cum Hebræis. Neque enim talis unquam fuit ſocietas Enoſchæorum, neque אנשים eo loco aliud notat, quàm ἄνδρας συμπορευθέντας, viros unâ cum Abrahamo in bellum profectos. Sunt alii, qui ſocios hos Abrahami quamvis Amorrhæos, fideles tamen fuiſſe, & ab Abrahamo cœleſtem veritatem edoctos arbitrentur, argumentis non planè contemnendis freti. *Videtur enim*, verba ſunt Cl. Riveti in Geneſ. Exercit. 75. *alicujus fidei fuiſſe, quòd Abrahamo extero cum exigua manu ducendos ſe præbuerint adverſus hoſtes victoriis ſuis tumidos & præpotentes. Argumento etiam eſt, multum eos Abrahami conſiliis tribuiſſe, quod poſtea legimus cap. 23. ubi cùm ſepulchrum venale peteret in illo eodem loco à filiis Chethi, illi ultro concedunt, ut ſepeliat mortuum ſuum in ſepulchris ſuis, dicentes, Princeps Dei es inter nos: quibus verbis agnoſcunt, Abrahamum eximiis Dei donis fuiſſe ornatum.* Suppetunt tamen conjecturæ in contrarium, quod de Amorrhæorum iniquitate queritur ipſe Deus Geneſ. XV. 16. quódque haud ita pridem ad Amorrhæos hoſce Hebronitas acceſſerit Abrahamus, quos proinde tam brevi tempore convertere vix potuerit. Si igitur infideles fuiſſe hoſce ſocios conſtaret, an rectè cum iis fœdus iniverit Abrahamus, quærunt interpretes. Nos de eo in genere ſententiam noſtram exprompſimus tomo 1. Exercit. 11. 16. 17. In ſpecie dicimus, Abrahamum ad fœdus ejusmodi quæſitum & adoptatum videri à Principibus illis Hebronitis. Cùmque nondum adfuerit tempus inimicitiæ cum Cananæis ſuſcipiendæ, potuiſſe omnino fœderi atque amicitiæ oblatæ conſentire virum juſtum, cujus fidei conſtat nihil periculi ex contagione infidelium acceſſurum. Præterea Dei providentia ſingulari id omne factum eſſe, qui hoſce ſocios in ſubſidium Abrahami armavit.

XIII. Præter adjunctos ſocios Amorrhæos Abrahamus וירק את חניכיו ילידי ביתו שמנה עשר ושלש מאות *produxit initiatos ſuos, pueros domûs ſuæ octodecim & trecentos* v. 14. verbum וירק Vulgatus ſecutus Septuaginta Seniores reddit, *numeravit*. Arabs הרר concivit. Thargum Onkeloſi וזרין & *armavit*.

mavit. Atque ita habet etiam Syrus. Abenezra: וירק שנתן להם כלי מלחמה בטינם והרק הנירה ויש אומרים להוציא החרב מתערה *Ita dicitur, quia dedit illis arma militaria, eodem ſenſu, quo alibi* (Pſalm. xxxv. 3.) dicitur: *Evacua lanceam. Súntque qui exponant de eductione gladii ex vagina.* Verùm docet Doctiſſ. Lud. de Dieu, verbum illud venire hoc loco notione *producendi, depromendi*, tanquam ex evacuatis hoc modo ædibus. Similis locus eſt Mal. III. 10. Quid porro ſint חניכים non conſentiunt Interpretes. Vulgatus reddit *expeditos.* L X X *ἰδίους proprios.* Onkeloſus עולימוהי *pueros ſuos.* Arabs בצחא *fidos.* Rectiùs interpretamur vernas *initiatos μεμυημένους*, aſſuetos nimirum operâ Abrahami cùm aliis rebus, tum etiam armis. Ita Abenezra dictos hoſce vernas חניכים cenſet: שחנכם פעמים רבות במלחמה ואם לא נזכר *quia eos ſæpiùs initiaverat bello, quamvis id eum feciſſe nuſpiam memoretur.* Neque audiendus hîc Boulducus, qui *de Eccl. ante legem* lib. III. 3. hoſce novitios explicat de familiæ ſuæ religioſæ in Deogenitis, quos Johannes, vel *natos ex Deo*, vel *τέκνα τοῦ Θεοῦ natos Dei* vocat. Pertendit nimirum, non fuiſſe hoſce vernas Abrahæ, domi ejus natos: ſed potiùs alumnos ſodalitatis Hebræorum & Proſelythos, quos ille ex domo, hoc eſt, familia ſuæ ſodalitatis ex civitate Hebron, aliiſque vicinis locis ſubitò convocaverit. Nimirum Monachorum turmam ſubitò ex clauſtris ſuis elicuit, ſi Monacho credimus. Idque eadem ratione nobis probaverit, qua ſodalitatem ipſam religioſam Hebræorum. Neque argumentum ejus caſſa nuce dignum eſt, quòd Abrahamus domum nullam habuerit, cùm in tabernaculis habitaverit, ac proinde domi ejus vernæ nulli naſci potuerint. Convincunt eum loca Geneſ. xv. 2. xvii. 13. aliáque multa. Concinunt Boulduco Hebræi in Maſſecet Nedarim cap. 3. ubi vernas hóſce fuiſſe pertendunt תלמידי חכמים *diſcipulos ſapientum*, quibus cum quòd angariam exercuerit Abrahamus, maximo vitio ei dant Magiſtri, aſſerentes ibidem, ſola hac culpa eum meruiſſe, ut poſteritas ejus dura ſervitute premeretur. Tam iniqui ſunt in Sanctum Patriarcham degeneres filii.

XIV. Vernæ illi numerantur 318 æquantes numerum Patrum Concilii Niceni. Non audiendus Joſephus, qui Antiq. Jud. vi. 11. hoſce vernas novitios trecentos & octodecim fingit non tam milites fuiſſe, quàm militum duces. Quo pacto in immenſum creſceret exercitûs hujus multitudo. Quamvis enim dubium non eſt, quin præter ſelectos hóſce 318. proceſſerint in aciem etiam alii hactenus non exercitati, uti etiam colligit Doctiſſimus Barthius Adverſ. p. 2269. tamen ſelectos hoſce novitios duces fuiſſe omnes, ne probabilitatem quidem habet ullam. Tam immenſa enim fuiſſet hæc vernarum copia, ut ei alendæ par eſſe Abrahamus peregrinus

Digitized by Google

grinus & advena non poſſet. Neque minùs ſpernendum eſt figmentum Hebræorum nonnullorum, quòd Abrahamus reliquerit vernas illos trecentos & octodecim, excepto ſolo Eliezere ſervo ſuo, qui inde cum Abrahamo ſolus perſequi hoſtes ac percutere perrexerit. Idque eliciunt ex nomine אליעזר *Eliezer*, in quo contineatur numerus 318. Fabula illa recitatur in Bereſit-Rabba, Pirke Eliezer c. 27. Thargum Jonathanis Pſeud-Uzielidis, nec non apud Jarchium, cujus verba ſunt: רבותינו אמרו אליעזר לבדו והו' מני' גימטרי' של שמו *Magiſtri noſtri dixerunt, ſolum* cum Abrahamo proceſſiſſe *Eliezerum, cujus nomen per Gematriam efficit numeros* 318 *vernarum*. Hæc recitâſſe eſt refutâſſe. Cæterùm ex tanto vernarum numero colligi poteſt, quantæ fuerint divitiæ Abrahami, quámque fideliter Deus promiſſa ſua, quibus benedictionem multiplicem receperat, ei repræſentaverit. Et ne Porphyrio alicui vel Juliano incredibile videatur, quod hîc memorat Moſes, ſuccurrunt hiſtoriæ aliæ privatorum, qui ejuſmodi copiis inſtructi fuerunt. Ita Tiberius Minutius Romanus eques quadringentos ſervos domeſticos armavit, teſte Diodoro Siculo lib. 36. Marcus Craſſus, authore Plutarcho, quingentos ſervos domi aluit. Demetrius Pompeji magni libertus tantam ſervorum copiam habuit, ut quotidie eorum numerum ipſi velut Imperatori referri neceſſum fuerit, uti habet Seneca de Tranquillitate animi c. 8. Hermes præfectus urbis, & Ovinius Gallicanus uterque martyrio coronatus, ſervos ille quidem in die Paſchatis mille ducentos quinquaginta, hic quinquies mille manu miſit. Ejuſmodi plura ſtudioſè collegit Laurentius Pignorius Commentario de Servis.

XV. Vidimus apparatum Abrahami. Sed quâ authoritate, quove jure bellum hoc ſuſceperit ſanctus Patriarcha, inquirendum relinquitur. Etenim cùm Reges exteri juſto bello petierint Pentapolitanos rebelles, adeóque in eos licuerit, quicquid licuit unguem in hoſtes: perperam, nullóque jure Abrahamus ſe immiſcere bello, & partem injuſtam, jamque pœnas meritas luentem bello adjuviſſe videri poſſit. Cúmque ſummam poteſtatem peregrinus, advena, atque hinc inde oberrans non habuerit, ne quidem authoritate idonea gerendi bellum polluiſſe videtur. Quippe poteſtas gerendi bellum referri ſolet inter τὰ κύρια ſeu Majeſtatis jura. Reſpondent nonnulli, expeditionem illam ſuſceptam ab Abrahamo eſſe authoritate publica, nempe ſociorum ſuorum Principum Hebronitarum. Id verò probari non poteſt. Nec ſi conſtaret liquidò, Principes Hebronitæ pio juſtóque bello Pentapolitanos frenum obedientiæ mordentes adjuvare potuerunt. Alii cauſam Chedor-Laomeris Elamitici Regis juſtam non fuiſſe pertendunt. Verùm nec illud recipi poteſt. Licuit enim ipſi ſemel

Digitized by Google

factos ſibi obnoxios, & jugum impoſitum ac ſuſceptum excutere parantes, punire atque in ordinem redigere. Tria igitur ſunt, quæ expeditionem hancce Abrahami juſtam fecére, nimirum authoritas legitima, cauſa juſta & bona intentio. Et authoritatem quidem legitimam habuit à Deo. Neque enim privatus fuit Abrahamus, qui ſi non poſſeſſione, at certè jure & promiſſione divina dominus fuit terræ Canaan. Unde eum *Principem Dei* confeſſi ſunt Hebronitæ. Idque apparuit etiam ex eo, quòd præcipui Amorrhæorum cum eo fœdus percuſſerunt. Neque in toto illo tractu fuit Princeps aliquis ſupremus, à quo alii penderent, qui cum ipſo de uſurpata aliena poteſtate expoſtulare potuerit. Et ſi privatus maximè fuiſſet, motus ille, ac impulſus Spiritus S. qui abundè ex tota illa expeditione colligi poteſt, authoritatem ipſi conciliavit. Sed & cauſæ juſtitia, atque intentionis integritas vel inde emicat, quòd bellum ſuſceperit ſtudio & pietate erga Lothum amicum & conſanguineum iniquè abductum. Quamvis enim ſontes fuerint Pentapolitani, inſons tamen fuit Lothus, qui nuper inter eos habitare cœperat. Si, teſte Ambroſio de officiis lib. I. *Fortitudo quæ defendit infirmos, plena juſtitia eſt*, quis culpabit patruum, quòd conſanguineum iniquè abductum ex uſurpatorum manibus ereptum & aſſertum iverit? Quod verò Regis Sodomæ ſubditos liberavit, & ſubſtantiam eorum prædatoribus abſtulit, factum eſt ex accidente, non primario ſcopo & intentione Abrahami.

XVI. Copiis inſtructis Abrahamus hoſtes ſuos perſecutus eſt Danem usque. De quo loco ita ſcribit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſin: *Dan eſt oppidum Phœnices, quod nunc Paneas dicitur: eſtque unus de fontibus Jordanis: namque alter vocatur Jor, quod interpretatur rivus.* Et in locis Hebraicis ſcribit, fuiſſe Dan terminum Provinciæ Judéæ contra Septentrionem. Ab hoc fonte ipſi Jordani nomen impoſitum eſſe tradunt Doctores Hebræi. Eſt enim, inquiunt, explicatio ירדן יור מן דן *Jordanis fluens ex Dan.* Primitus appellabatur לשם *Leſem* ſeu *Lais*, poſtea *Dan* à tribu Dan, quæ eam expugnavit, uti conſtat ex Joſ. XIX. 47. Unde colligit doctiſſimus Maſius, libros Moſis non Moſe autore, ſed alio aliquo, qui vixit poſt expugnatam Cananæam, ſcriptam eſſe. *Paneas* poſtea appellata fuit, uti etiam vocat Plinius. Stephanus Πάνιον. Philippus Herodis frater de ſuo atque Cæſaris nomine appellavit *Cæſaream Philippi.* Ferunt nunc Palin corrupto Panii nomine dici. Cæterùm iter ex Elone Mamre Danem usque Abrahamus emenſus eſt quinque dierum, ſi Joſepho credimus, ſpatio. Et ſanè id congruit cum tabulis Adrichomii. Eo igitur loco Abrahamus יחלק עליהם לילה הוא ועבדיו ויכם *diviſis ſociis in eos irruit*

irruit nocte, percuſſitque eos v. 15. Græci verbum ſubintellectum duntaxat exprimentes ipſum principale verbum dimiſerunt: καὶ ἐξέπεσεν ἐπ' αὐτοὺς, *& irruit ſuper eos.* Eſt nempe in hoc ſermone ellipſis verbi in altero verbo comprehenſi, de quo vide doctiſſimum virum, Arnoldum Boetium Animadverſ. S. lib. IV. 12. Vulgatus interpres optimè ſupplevit, neque in eo aliud deſidero, quàm quòd *ſocios* ſcripſit pro *copiis.* In hac impreſſione Abrahamus ſigna edidit luculenta prudentiæ militaris, tum quòd de viris militibus, ex multis & diverſis partibus ex improviſo irruendo in hoſtes, vehementer eos terruit: tum quòd noctu eos adortus eſt. Quippe noctis ſilentio etiam parvi motus videntur ingentes & horribiles, nec diſcerni hoſtium multitudo poteſt: & ſubita quæque, quæ magis effectu, quàm viſu apprehenduntur, validiùs animos hominum perturbant. Ipſe quoque nocturnus pavor in majus extollit quodlibet periculum. Adde, quòd noctu, vel diurno labore fatigati, vel vino ſomnóque ſepulti minùs validi ad reſiſtendum fuerint. Atque ita ſummâ prudentia compenſavit inæqualitatem copiarum. Præterea uti rectè agnoſcit Chryſoſtomus, ἡ ἄνωθεν χεὶρ ἦν συνεφαπτομένη καὶ συστρατηγοῦσα τοῖς γινομένοις, *Divina manus erat conjuncta & concertans iis, quæ facta ſunt,* Homil. 35. in Geneſin.

XVII. An verò rectè Abrahamus hoſtes ſuos ex inſidiis & dolo circumventos oppreſſerit, quæritur. Incidit autem id in quæſtionem juris, quam hac occaſione tractat etiam D. Auguſtinus: *An liceat in bello uti dolis & ſtratagematis?* Simplex reſponſio eſt, in bello juſto non eſſe injuſta ſtratagemata, quæ cum fide hoſti data, veracitate ac bonis moribus non pugnant. Etenim Deus ipſe juſtitiæ author in populo ſuo ea approbavit mandato Joſ. VIII. 2. & exemplis multis, qualia extant Judic. VII. 16. &c. & XX. 29. Solomon Prov. XXIV. 6. commendare ea videtur nomine תחבלות *prudentium conſiliorum, variarumque cogitationum.* Neque repugnat ratio naturalis, ut hoſtes viâ, quàm fieri poteſt, breviſſima & expeditiſſima vincantur, atque ipſum adeò jus vel quæratur vel recuperetur. Aſtu & calliditate hoſtes ſuperare quis non cernit tutius eſſe, quàm multorum hominum ſanguinem profundere, civitates & regiones vaſtare, incendiis graſſari, aliiſque ejuſmodi, quæ apertum Martem ſequuntur. Et potiora, & magis laudabilia videntur, quæ ratione & mente, quàm quæ vi & corpore efficiuntur. Suffragatur etiam Jus Gentium. Notum illud Virgilii Æneid. II. *Dolus, an virtus quis in hoſte requirat?* Ammianus Marcell. Hiſt. lib. XVII. *Nullo diſcrimine virtutis an doli, proſperi omnes bellorum eventus laudantur.* Auguſtinus citatus Decreti p. 2. c. 23. q. 2. *Cùm juſtum bellum ſuſceperit, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.*

Digitized by Google

intereſt. Exempla innumera ſuppeditantur in gentium hiſtoriis. Neque mendaciis accenſeri poſſunt, inprimis illa, quæ vel conſiſtunt in actu merè *negativo*, veluti cùm diſſimulantur & occultantur conſilia; vel in actu quidem *poſitivo*, ſic tamen, ut dolus ejusmodi conſiſtat in notis & ſignis ejusmodi, quæ ex inſtituto peculiari nihil ſignificant, adeoquè mutuam obligationem in ſe non continent. Tale illud in bello Romanorum, qui teſte Livio lib. 5. Panem in hoſtium ſtationes jecerunt, ne fame premi crederentur: nec non illud Iſraëlitarum, qui finxerunt fugam ad expugnandam urbem Hai.

XVIII. Abrahamus igitur ex inſidiis circumventos hoſtes ita cæcidit & perculit, ut in fugam compelleret, & perſequeretur עד חובה אשר משמאל לדמשק *uſque ad Hoba, quæ eſt à læva Damaſci* v. 15. De Hoba hac ita Hieronymus de locis Hebraicis: *Chobaa villa eſt in regionibus Damaſci, habens accolas Hebræos, qui credentes in Chriſtum omnia legis præcepta cuſtodiunt. Et à principe hæreſeos Hebionitæ vocantur.* Junius putat eſſe oppidum *Opotos*, Syriaca adjectione facta à Geographis ita poſtea nuncupatum. Joſephus Antiq. l. 10. facit *Sobam* Damaſci, quæ & *Hobal* Syriæ, poſtmodum Chobaa dicta. At celeberrimus Bochartus Phal. lib. 11. 6. facit *Aram Dameſek* ſeu Syriam Damaſcenam inter Libanum & Antilibanum comprehenſam, cujus caput fuit Damaſcus. Hanc vallem putat fuiſſe πολυώνυμον. Nam & hîc Hobam: & Amos. 1. 5. בִּקְעַת און *vallem Aven*, nec non בית עדן *vallem voluptatis*: & Zachar. IX. 1. חדרך *Hadrac* & à Strabone κοῖλον πεδίον nuncupatum eſſe. Sed & incolas, teſte Geographo Nubienſi, vocare אלגוטה *Algautha*. Dubium tamen eſt, an toti valli nomen fuerit Hoba, annon potiùs oppidum fuerit ad lævam Damaſci. Id nos in medio relinquimus. Abundè nobis eſt, quòd ex hiſtoria diſcimus, Abrahamum victorem hoſtes ſuos fudiſſe, in fugam compuliſſe, atque præda omni exuiſſe. Ita enim ſequitur v. 16. *Reduxit omnem ſubſtantiam, ac etiam Loth fratrem ſuum, ſubſtantiámquo ejus reduxit, atque etiam mulieres & populum.*

XIX. Victori cum omni præda occurrit Rex Sodomæ, aliique cum eo Reges אל עמק שוה הוא עמק המלך *apud vallem Save, quæ eſt vallis Regis* v. 17. Vallem hanc Save, vallem *planitiei* reddunt Thargum Onkeloſi, & interpres Syrus. Arabs מרך אלמזתוי *pratum planum.* Hieronymus epiſt. 126. ad Evagrium, ex ſententia Hebræorum Save eum locum fuiſſe docet, quem ſuo tempore Palæſtini *Aulonem* appellârunt, longam nimirùm illam vallem cis Jordanem. Eum ſequitur Adrichomius. Neque ſatis tamen expeditum eſt, an hæc vallis à Moſe indigitetur, quippe nimis ab Hieroſolyma, cujus Rex fuit Melchiſedecus, qui ea in valle Abrahamo

Digitized by Google

hamo occurrit, remota. Boulducus vallem Save facit eandem cum illa *Save Ciriathaim*, in qua percuſſi dicuntur *Emim* v. 5. Et nugatur, Save fuiſſe gymnaſium ſeu collegium illius urbis Ciriathaim, in quo Melchiſedecus collegium Rephaim, ſeu Prophetarum inſtituerit: & illud gymnaſium fuiſſe per totum vallis illius tractum. Ipſumque adeò nomen שוה: *Save* derivat à שוה *proficere*, *utilem progreſſum facere.* Ita pro more ſuo ludit. Nos quamvis, quæ vallis illa Save fuerit, pro certo dicere non poſſimus, vicinam tamen Hieroſolymæ exiſtimamus, quippe ad quam Melchiſedecus Rex Hieroſolymæ exivit. Cur porro eadem vallis dicta ſit עמק המלך *vallis Regis*, æquè minùs patet. Adrichomius ita dictam putat, quia pulchra admodum & amœna. Quomodo ea quæ excellunt, Regia appellare ſolemus. Alii ita dictam putant, quia Rex ibi hortos & loca ad delicias facta haberet; vel etiam quia Rex ludicris & militaribus exercitationibus cum ſuis ibi exerceretur. Chaldæus vertit אתר בית ריסא דמלכא *locum refrigerii Regis.* Arabs כלעב אל כלך *locum ludi Regis.* Ita etiam Jarchius. At in Midras Agada Hebræi, citante eodem Jarchio, fingunt, Save vallem Regis dictam eſſe, שהושוו שם כל האומות והמליכו את אברם עליהם לנשיא אלהים ולקצין *quia convenerunt ibi omnes gentes, & Abrahamum conſtituerunt ſupra ſe Principem Domini atque Ducem.* Mihi id maximè probabile eſt, vallem Regiam appellari ab hoc ipſo concurſu Regum Abrahamo obviam procedentium, & victoriam partam gratulantium. Unde vallem non Regis, ſed *Regum* reddunt LXX. & Syrus.

XX. Ad eandem Regum concurrentium vallem non vel in montes Jebuſæorum, uti habet Patricides: vel ad baſin montis Thabor, uti regionis ejus incolas tradere ſcribit Brochardus, egreſſus eſt etiam *Melchiſedecus* Rex *Salem*, quæ poſtea Hieroſolyma appellata. Is exercitum multis moleſtiis & longo itinere delaſſatum cibo prolato, pane nimirum & vino recreat. De ejus tum perſona, tum muneribus occupavimus dicere paulò fuſiùs Exercit. 11. Sed & Abrahamo Melchiſedecus, tanquam minori major ita benedicit & gratulatur, ut omnem tamen victoriæ illius reportatæ gloriam ſoli Deo tribuat, ſingulari pietatis argumento. *Benedictus*, inquit, *Abram Deo altiſſimo* קנה שמים וארץ *creatori cœli & terræ. Et benedictus Deus altiſſimus, qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam.* v. 19. 20. Ubi קנה *creatori* potiùs quàm *poſſeſſori* reddimus, ſecuti LXX. Seniores, & vulgatum Interpretem. Nam קנה uti eruditè obſervat Lud. de Dieu, prima ſua ſignificatione non eſt *poſſidere* & *habere*, ſed *facere ut poſſideas ac habeas*, ſive id fiat pretio, ac tum *emere* valet, ſive opere ac labore, ac tum pro re de qua agitur, *creare*, *operari*, *facere*, licet vertere. Hinc etiam Jarchius per עשה interpretatur.

 XXI. Abra-

XXI. Abrahamus gratitudinem Melchiſedeco optimè de ſe merito teſtificaturus יתן מעשר מכל *dedit decimas de omnibus*. v. 20. Neque dubitare nos ſinit Paulus Hebr. VII. 4. quin, qui decimas dedit, fuerit non Melchiſedecus, ſed Abrahamus. Sed & LXX. Seniores tum Romani tum Complutenſes ſuſtulerunt omnem ambiguitatem, diſertè addito nomine Abrahami. Dubium tamen eſt, an Hieronymi tempore jam additum fuerit in Græcis Codicibus Abrahami nomen. Is enim Epiſtola ad Evagrium docet, ſententiam hanc ambiguam eſſe, tum in Hebræo Codice, tum in Græco LXX Seniorum. Neque etiam Codex Baſileenſis habet. Idem tamen Hieronymus ait, veteres Hebræos dubitâſſe, an Abrahamo Melchiſedecus, an potiùs Melchiſedeco Abrahamus decimas dederit. Verùm præter authoritatem Apoſtoli, conſentientes habemus Joſephum, & Philonem Judæum, qui Melchiſedecum ab Abrahamo decimas accepiſſe, diſertè ſcribunt. Et arguit hoc ipſum ratio ab Apoſtolo adducta, quòd nimirum decimas pendat minor, & accipiat major. Atqui major fuit Melchiſedecus, quippe Rex, territorii dominus, indigena & Sacerdos Dei altiſſimi: minor Abrahamus, quippe peregrinus & habitans in terra non ſua. Addo fuiſſe hunc morem antiquiſſimum, ut victores de ſpoliis hoſtium & manubiis decimas voveant ac perſolvant Diis. Quod alii præſtiterunt, hoc Abrahamus præſtitit religioſiſſimo Regi ac Sacerdoti Melchiſedeco. Ita Xenophon lib. 4. καὶ ὑμεῖς διέλοιτε τὰ κοινά. πρῶτον μὲν οὖν, ἔφη, τοῖς Θεοῖς ἐξαιρεῖτε, ὅ τι ἂν μάγοι ἐξηγῶνται. *Et vos dividite communia. Primùm igitur excipietis Diis in partem; quicquid Magis viſum fuerit.* Romulus ſimiliter ſpolia opima de Rege Vejentum Feretrio Jovi manibus ſuis reportavit, ut loquitur Florus lib. 1. 1. Errat Cajetanus, qui pertendit per מעשר *decimas* non intelligi decimas propriè dictas, ſeu decimam quamque partem prædæ hoſtibus acceptæ, ſed ſpeciem poſitam eſſe pro genere, ut ſenſus ſit, dediſſe Abrahamum Melchiſedeco portionem ex omnibus, quam decimam appellare conſuevimus. Atqui Paulus Hebr. VII. eodem modo ac ſignificatione utitur vocabulo decimarum, cùm loquitur de decimis, quas Hebræi dabant ſuis Sacerdotibus, & de decimis quas Abrahamus dedit Melchiſedeco. Sicut igitur quas Hebræi dabant ſuis Sacerdotibus, veræ, & propriè dictæ decimæ erant: ita veræ etiam erant, quas Abrahamus Melchiſedeco erogavit.

XXII. Quæſitum eſt: *An Abrahamus dederit Melchiſedeco decimam partem tam de præda erepta Regibus exteris, quàm de præda Pentapolitana recuperata?* Cùm Moſes non diſtinguat, ſed מכל *ex omnibus* Abrahamum decimas dediſſe aſſerat, potiùs eſt ut credamus, de utraque præda & erepta Regi-

Digitized by Google

Regibus exteris, & recuperata Pentapolitanorum, decimas ipſum elargitum eſſe. Obſtare videtur, quòd præda Pentapolitana recuperata certos habuerit dominos, Reges nimirum Pentapolitanos, quibus proinde reſtituenda, non aliis diſpertienda videbatur. Quòd ſi religio fuit Abrahamo, quicquam rei alienæ ſibi uſurpare, an æquius fuit de re, quam alienam agnoſcit, decimas Deo tradere, vel Melchiſedeco in manum. Reſpondet Salianus, non peccâſſe tamen Abrahamum, qui prædæ recuperatæ decimas Melchiſedeco ſacravit, quia id fecerit ex conſenſu Regum Pentapolitanorum, quibus gratiſſimum fuerit de decem partibus amiſſis novem recuperare, & decimam Deo devoveri. Alii hîc agnoſcunt ὕστερον πρότερον, & occurſum hunc Melchiſedeci, adeóque etiam decimationem factam eſſe poſt transactionem cum Rege Sodomæ putant. Atque tum decimas eum elargitum eſſe ex omnibus, nempe quæ poſt transactionem illam ſibi relicta erant. Nos eam quæſtionem expediri poſſe putamus, ſi expendatur Abrahami factum, pietas, jus & finis facti hujus. Quoad *factum*, conſtat non ſibi bona recuperata eum vindicâſſe, ſed Deo dediſſe, quod Dei eſſe noverat, decimas nimirum euchariſticas, & ſpolia, ut vocant, opima. Etenim gentes ipſæ inde à principio naturalem hancce perſuaſionem habuerunt, ex ampliſſimis Dei beneficiis gratias Deo agendas eſſe euchariſteriis. Sed & *pietas* in eo facto ſingularis, ipſum immunem ab omni culpa fuiſſe oſtendit. Etenim ſi omnia, etiam non exceptis decimis reſtituiſſet in manum priorum Dominorum, noverat illos infideles idolis ſuis ſacrificaturos, & attributuros eis beneficia, quæ Deus in Abrahamum ex promiſſione, & in ipſos Abrahami cauſâ contulerat. Piè itaq; & ſanctè partem Deo dicatam excepit ipſe, Deumque ex officio hac parte excepta muneratus eſt. Sed & *Jus* ipſum ſi reſpexerimus, nulli omnino culpæ obnoxium eum comperiemus. Etenim *jure gentium* quæ hoſtibus erepta ſunt, ea eripientium fiunt, neque poſſunt vindicari ab his, qui ante hoſtes ea poſſederant, & bello amiſerant. Nam *jus gentium* hoſtes primùm dominos fecit dominio externo, deinde eos, qui juſto bello hoſti eripuerunt. Hoc jure ſe tuetur Jephte contra Ammonitas, quia ager ille, quem Ammonitæ vindicabant belli jure ab Ammonitis, ut & pars alia à Moabitis ad Amoræos, ab Amoræis ad Hebræos tranſiviſſet, Judic. XI. 23. 24. 27. Exemplum ſimile Davidis 1. Sam. XXX. 20. Facit huc oratio Titi Largii habita in Senatu Romano, cùm Volſci olim poſſeſſa repeterent, apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. VI. aliáque quæ vide apud Excellent. virum Hugonem Grotium *de jure belli & pacis* lib. III. 6. 7. Sed & *jure naturæ* Abrahamus loco mercedis ſibi ſervare potuiſſet eam partem, quam nomine decimæ Melchiſedeco

obtulit. Quò pertinet conditio Regis Sodomorum, quam fert Abrahamo, ut captivos redderet, cætera ſibi retineret pro labore & periculo. Denique & *finis* hujus facti, quo & Melchiſedeco decimam obtulit, & ſibi quidquam ſervare renuit, diverſitas, controverſiam dirimit. Etſi enim jure aliquid ſibi retinere poterat: tamen finis alius Abrahamo fuit, cùm decimas conſecraret Deo, quod humano jure ex illis ſpoliis potuit, & religione Divina debuit: alius quòd ſibi eo conſilio nihil ſervatum voluit, ne Sanctum Dei nomen ab exteris blaſphemaretur, aut ipſa Abrahami exiſtimatio laboraret, quaſi ex alieno diſpendio ſua compendia procuraviſſet.

XXIII. Reſtat transactio Abrahami liberalis admodum & benigna cum Rege Sodomorum, concernens prædam Regibus exteris ereptam. Conditionem quidem hanc obtulit Rex Sodomorum Abrahamo, ut ſibi animas, hoc eſt, perſonas redderet: poſſeſſiones verò reliquas receptas ſibi ſervaret. Sic nempe ſecum reputabat Rex, jure gentium nihil ſibi ab Abrahamo ereptum eſſe, ſed ex eo jure Abrahamum factum eſſe dominum earum rerum, quas bello paraverat, ac proinde ex illo gentium jure cogitabat maximâ gratiâ ſe ab Abrahamo affectum iri, ſi vel ſolas perſonas ejus beneficio recuperaret. Cæterùm Abrahamus non ex illo jure gentium, ſed ex divino & naturali integro ſtatuebat, nihil alienum eo bello receptum ad ſe pertinere, non magis, quàm ſi quis rem vi à prædone, aut clam à prædone ſublatam ſuam eſſe affirmaret, eò quòd prædoni aut furi eam ſubtraxiſſet, vel rem alienam in mari perditam pro ſua vindicaret, quia eam urinando eduxiſſet. Noverat tamen, eodem jure ſibi deberi non tantùm impendium, verùm etiam æſtimationem laboris & periculi. Verùm cùm vir eſſet non pii tantùm animi, ſed & excelſi, ſibi quidem nihil omnino ſumere voluit: cœterùm de rebus receptis duntaxat quaſi ſuo jure decumam Deo dedit, ſumptus neceſſarios detraxit, & ſociis ſuis, Principibus Hebronitis partem aliquam tribui voluit. Sic enim reſpondet ad allatam conditionem Regis: *Levavi manum meam ad Jehovam Deum altiſſimum, creatorem cæli & terræ, ſi* מחוט ועד שרוך נעל *à filo neque ad corrigiam calceamenti accipiam ex omnibus, quæ ſunt tibi: ne dicas; Ego ditavi Abram. Præter ea tantùm, quæ comederunt, & præter partem virorum, qui perrexerunt mecum, Aner, Eſcol & Mamre: ipſi accipiant partem ſuam.* v. 22. 23. 24. Summæ virtutis ac ſapientiæ incomparabile exemplum præ ſe fert vir Sanctus. Cùm glorioſè viciſſet hoſtem, nihil omnino ſibi tribuit. Deo ante omnia victoriam acceptam referens, Melchiſedeco Sacerdoti ejus decimas conſecrat. Non oſtentat victoriam. Non ſibi quicquam vendicat.

Digitized by Google

cat. Animum tum à ſuperbia, tum à rapacitate planè alienum oſtendit. Ne tamen vel humilitate vel αὐταρκείᾳ noceret aliis, non aliud paciſcitur quàm victum ſervorum, & portionem pro fœderatis. Atque ita non tam exæquat quàm anteit laudem Catonis, qui teſte Plutarcho in ejus vita εἰς αὐτὸν τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν *ad ſe nihil pertinere eorum, quæ ceperat*, profeſſus eſt; nec non Timoleontis ante Catonem, qui eodem autore memorante, οὐ τὸ λαβεῖν ἐκ τοιούτων αἰσχρὸν, ἀλλὰ τὸ μὴ λαβεῖν κρεῖττον, *non equidem turpe eſſe aliquid ex præda recepta accipere, ſed melius tamen nihil accipere*, judicavit. Ita Pittacus Mitylenæus, teſte Valerio Maximo lib. VI. I. cùm recuperati agri dimidia pars ei afferretur, avertit animum ab eo munere, deforme judicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. Simile quid de Paulo Æmilio Plutarchus, & de Mummio Latinus vitarum Scriptor memorat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXERCITATIO SEXTA
DE
HAGARE & ISMAELE.

Breviarium.

Humanæ infirmitatis & veracitatis Divinæ exemplum Abrahamus in conjunctione cum Hagare. 1. Hagaris genus. Paraphraſtæ Jonathanis, Jarchii, R. Joſuæ F. Karcha de eo aſſertiones perſtringuntur. 2. Conſilium Saræ de conjugio cum Hagare ineundo. Claves fæcunditatis Deus ſolus habet. Cur ancillam, non liberam Sara ſuaſerit marito? 3. An conſilium Saræ, & obſequium Abrahami copulantis ſibi Hagarem fuerit legitimum? Fauſti Manichæi Abrahamo nefariam libidinem, tum infidelitatis notam impingentis criminatio, retunditur. Diſtinguitur copulatio viri cum fœmina, juſta, injuſta & media, & Abrahami hanc conjunctionem mediam fuiſſe oſtenditur. 4. Philo Judæus, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, aliique qui Abrahamum ab omni culpa liberare conantur, ad

Digitized by Google

partes vocati. 5. Varii eorum prætextus, quos ſacto Abrahami obducunt, examinantur. 6. In conſilio Saræ & facto Abrahami fidei permiſceri errores, demonſtratur. Pontificiorum Sycophantia depellitur. 7. An ex eo, quod Abrahamus ſcribitur in fine decem annorum, ex quo inhabitare cœperat Cananéam, Hagari nupſiſſe, rectè concludant Hebræi, licere poſt decennium exactum cum uxore ſterili, eâ repudiatâ ducere aliam? 8. Hagaræ prægnantis inſolentia. Saræ de ea expoſtulatio cum Abrahamo. Quid ſibi velint verba Saræ חמסי עליך*? Quæ fuerit injuria, de qua Sara cum Abrahamo expoſtulat? Jarchii de ea ſententia improbata. 9. Afflictio Hagaris. An exemplo Saræ Eccleſia Hæreticos affligere poſſit, diſceptatur adverſus Auguſtinum & Pererium. 10. Fuga Hagaris prægnantis. Angelum qui Hagarem conſolatus eſt, fuiſſe Jehovam probatur. Quis locus fuerit fons aquæ in via Sur? Cades & Bered quæ loca fuerint? 11. Iſmaëlis naſcituri deſcriptio Angelica. Nomen Iſmaëlis. Eliezeris de eo, nec non ſex viris, qui ante nativitatem nominibus ſuis inſigniti, ſententia examinatur. 12. Iſmaëlis mores. Quo ſenſu vocatur* פרא אדם*? Onagri cum Iſmaële varia comparatio. 13. Iſmaëlis manus contra omnes, & omnium manus contra ipſum quo ſenſu dicatur? Onkeloſi paraphraſis rejecta. 14. Sedes Iſmaëli ab Angelo deſignata. Evolvuntur verba Angeli* ועל פני כל אחיו ישכן *Scenitarum mos verbo* שכן *prædictus. 15. Quo ſenſu Hagar Deum ſibi loquentem appellaverit El-roi? Verba Hagaris* הגם הלם ראיתי אחרי ראי *explicata, & examinatæ eorum interpretationes Orientalium, aliorumque. 16. Locus, in quo apparuit Angelus, quo ſenſu vocetur* באר לחי ראי*? 17. Iſmaëlis nativitas. Unde agnoverit Abrahamus filio huic nomen Iſmaëlis imponendum eſſe? 18. Hagaris & Iſmaëlis ejectio. Ejus cauſa, quòd Sara vidit Iſmaëlem* מצחק*. Variæ de actione hac Iſmaëlis Hebræorum & Interpretum ſententiæ. Quomodo ſarcaſtica illuſio Iſaci ab Apoſtolo vocetur* διωγμὸς *perſecutio? 19. Petitio Saræ de ejicienda Hagare, quam primò averſatur Abrahamus. Explicantur verba* על אודת *ex idiomate Æthiopico. Divinum oraculum de ejicienda Hagare & Iſmaële.*

Digitized by Google

Iſmaële. 20. *Abrahami obſequium. An præter panem & utrem aquæ etiam Iſmaëlem humeris Hagaræ impoſuerit? Jarchii de eo commentum. Cur tam exiguo commeatu Abrahamus dimiſerit Hagarem? Cajetani & Toſtati, nec non Abenezræ & Jarchii conflictus.* 21. *Dimittitur Hagar. An eam & Iſmaëlem Abrahamus expulerit ex hoc & futuro ſeculo? Eliezeris & Rabbinorum Sævitia.* 22. *Hagaris oberratio in deſerto Berſeba. Deſertum Jathreb quid notet Arabibus? Quid Jamari? Oberratio Hagaris in deſerto. An verbo* תעה *notetur, Hagarem in deſerto ad idololatriam delapſam eſſe?* 23. *Hagaris fletus ob Iſmaëlem pænè ſiti confectum. Angeli conſolatio.* 24. *Iſmaëlis incrementum, habitatio in deſerto Pharan, occupatio vitæ, & conjugium.* 25. *Iſmaëlis filii duodecim, totidem Principes Phylarchi Arabum & Saracenorum. Nebajoth Nabathæis, Kedar Kedarenis, originem dedit. Sedes Iſmaëlitarum ab Havila usq; ad Sur. Joſephi de ea error.* 26. *Hagaris poſteritas Agareni; Iſmaëlis Iſmaëlitæ, qui iidem etiam dicti Arabes, Scenitæ, Saraceni. Scaligeri error de* אלמהגרין *Elmagarin. Arabes diſtincti in Arabes puros, & Monſtarabes ſeu inſititios. Hos non illos ex Iſmaële oriundos eſſe per Adnanum. Arabes & Iſmaëlitæ promiſcuè poſiti apud Veteres Muhammedanos & Rabbinos. Saracenorum nomen Ptolomæo antiquius eſſe probatur adverſus Scaligerum. Unde appellationem hanc traxerint? Opiniones Saracenorum ipſorum, Scaligeri, Salmaſii, Pocokii ventilatæ.* 27. *An Hagar poſt ejectionem in deſertum redierit in thorum Abrahami?* 28. *Iſmaëlis mors. Verba Geneſ.* XXV. v. 18. על פני כל אחיו נפל *ad habitationem Iſmaëlis, non mortem referenda eſſe probatur.* 29. *Muhammedani quanto in pretio Iſmaëlem habeant?* 30. *Sara & Hagar typus Eccleſiæ V. & N. Teſtamenti.* 31.

I. PRomiſſionum Divinarum efficaciam non tam ex mutabili arbitrio voluntatis humanæ, quàm divina gratia & miſericordia pendere, evidentiſſimè conſtat exemplo Sancti Patriarchæ Abrahami, cujus hactenus hiſtoria nos occupat. Caverat ei Deus de hæredibus verbo promiſſionis, ſigno & fœdere ſingulari, uti ex Geneſ. xv. v. 4.

Digitized by Google

v. 4. 5. 6. &c. alibi oſtendimus. Quid verò vir Sanctus? In fide titubans, obtemperat illegitimis conſiliis uxoris Saræ, & promiſſionem divinam, de ſuſcitandis ei hæredibus utcunque adjuturus, conjungit ſe cum ancilla Ægyptiaca Hagare, ex qua prolem ſibi, deſperatâ propriâ, promiſerat Sara. Jamque plurima ſibi ſuæque familiæ mala accerſiverat, niſi Deus pro infinita gratia ſua abjiciens peccati illius ex infirmitate fidei recordationem, in promiſſionum ſuarum veritate perſtitiſſet. Impræſentiarum Hagaris illius & ex ea ſublati ab Abrahamo filii Iſmaëlis hiſtoriam proſequimur.

II. Hagaris genus paucis nobis deſcribit Moſes vocans eam שפחה מצרית *ancillam Ægyptiacam* Geneſ. xvi. 1. Ex Ægypto proinde oriunda, atque ibidem in famulitium ſuum ab Abrahamo ibi peregrinante allecta videtur. Neque moramur commenta Hebræorum, qui eam Pharaonis Regis filiam fuiſſe fingunt. Fabulæ primus author videtur Chaldæus Paraphraſtes Jonathan, cujus ea de re verba ſunt: לה אמתא מצריתא ושמה הגר בנת פרעה דיהבא לה לאמתא בזמן דנסבה ואתכתש בכיבר מן קדם יהוה *Erat ei* (Saræ) *ancilla Ægyptiaca, Hagar nomine filia Pharaonis, quam dedit ipſi in ancillam, quo tempore eâ ſublatâ percuſſus eſt per verbum Dei.* Addit R. Salomon Jarchi, Pharaonem cùm vidiſſet נסים *ſigna*, quæ propter Saram ab ſe raptam facta ſunt, dixiſſe Hagaræ: מוטב שתהא בתי שפחה בבית הזה ולא גבירה בבית אחר: *filia mea, melius eſt, ut in illa domo ſerva ſis, quàm in alia domina.* Sed & R. Joſua filius Karcha in Pirke Eliezer cap. 26. fingit, Pharaonem Saræ legaviſſe Hagarem filiam concubinæ ſuæ in ancillam. Aliud figmentum placuit Rabbi Abrahamo Zachuth Judæo Salmanticenſi in libro Juchaſin, ubi aſſerit, non tam Regis Pharaonis filiam fuiſſe Hagarem, quàm Churiæ uxoris Pharaonis poſt mortem ejus ſuperſtitis ancillam, quam illa Saræ donaverit. Non deſunt denique, qui Hagarem cum Chetura confundant, quos alibi refutavimus.

III. Poſtquam jam decem annos in terra Canaan exegit S. Patriarcha, ei ancillam hanc Hagarem Sara, ſterilitatem propriam cauſata, deſpondet in uxorem concubinam. Conſilium Saræ Abrahamo ſuppeditatum ejuſmodi fuit: הנה נא עצרני יהוה מלדת בא נא אל שפחתי אולי אבנה ממנה: *En nunc concluſit me Jehova ne parerem. Ingredere quæſo ad ancillam, ſi fortè ex ea ædificer.* Geneſ. xvi. 2. Queritur Sara, Dominum ſe concluſiſſe ne pareret. Unde meritò Hebræi Deo ſoli tribuunt claves fœcunditatis ad aperiendum, & ſterilitatis ad concludendum uterum. Ita Paraphraſtes Hieroſolymitanus ad Geneſ. xxx. 2. Quia prolem deſperavit Sara, idcirco marito deſpondet ancillam, ſi fortè ex ea *ædificari*, hoc eſt, *prolem ſuſcipere* poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Hebraicum nempe בן *filius* derivatur à בנה *ædificavit*, eò quòd ſint fulturæ generis, & ædificent familiam. Ex qua quidem locutione Saræ colligi poteſt, quo conſilio marito ſubjecerit, non liberam aliquam, ſed ancillam. Volebat nempe filium ex ancilla naſciturum haberi pro ſuo, ex quo ædificari familia poſſet. Poterat autem filium ex ancilla natum pro ſuo vendicare, & ex eo domum ſuam ædificare majori jure; quàm alium ex libera aliqua procreatum. Neque verò Sara ancillam marito commendat ut ſcortum, ſed ut futuram ei לאשה *in uxorem*, nempe concubinam. v. 3. Conſilio huic maleſuado uxoris morem gerit ilico Abrahamus, qui ingreſſus ad Hagarem, eam gravidam reddit. v. 4.

IV. Gravis hìc quæſtio oritur, fueritne tum bonum & legitimum conſilium hoc Saræ, tum juſtum obſequium Abrahami? In ſententiarum conflictantium pugna reperio, ut alibi in ejusmodi quæſtionibus, quandam ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, dum alii utriusque culpam plus æquo exaggerant, alii tum conſilium Saræ, tum factum Abrahami prorſus ab omni mendo ſtudioſiùs æquo liberant, quorum utrique notam merentur. Inter eos qui exaggerant culpam, S. Auguſt. lib. XXII. 30. contra Fauſtum, nominat, & graviter refutat ipſum Fauſtum Manichæum, qui Abrahamum duplici crimine auſus eſt aſpergere, altero turpis ac nefariæ libidinis, quod prolis inſana cupidine flagrans, cum pellice volutatus ſit; altero infidelitatis, quòd Deo jam Semen ſibi de Sara pollicito minimè credens, filios ex alia muliere tollere concupiverit. Verùm utraque hominis procaciſſimi criminatio planè injuſta eſt. Et priorem quidem quod attinet, quamvis conjunctionem eam omni culpa vacare non putamus, tamen ab ea turpem ac nefariam libidinem procul abſuiſſe dubitamus nulli, *Uſus enim eſt Hagare ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, non inſultans, ſed potiùs obediens conjugi: quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum. Nulla hìc eſt cupido laſciviæ, nulla nequitiæ turpitudo: ab uxore cauſa prolis; ancilla marito traditur, à marito cauſa prolis accipitur:* verba ſunt S. Auguſtini de civit. D. lib. XVI. 25. quæ hactenus amplectimur. Et ſanè multa ſunt, quæ jus conjugationis illius Abrahamum inter & Hagarem per ſe vitioſum, reddunt tolerabilius. *Primò* quod de conſenſu & conſilio uxoris juſtæ Saræ facta eſt. *Secundò* quòd non ſimplex aut vagus congreſſus fuit, ſed conjugium ſecundo gradu, hoc eſt, non equidem à Deo probatum, ſed tamen receptum & excuſatum civili more. Hoc ut intelligamus, cum graviſſimo Theologo Franciſco Junio diſtinguimus copulationem viri & fœminæ, quæ eſt vel juſta, vel injuſta vel media. Juſta copulatio duobus

bus modis facta eſt in Teſtamento veteri, quibus tamen commune hoc fuit, quòd & à Deo eſſent, & ex conſenſu eorum quorum intererat. Sed harum copulationum una habuit æquale conſortium omnis Divini & humani juris, ſi maritalem ordinem exceperis. Altera conſortium habuit omnis Divini juris, ſed humani ex parte duntaxat, veluti cùm uxores adjungebantur viris citra collationem bonorum omnium, & ſervatis quibusdam exceptionibus. Et quæ hoc poſteriori modo uxor erat, etiam פילגש *concubina* dici conſuevit. Tale conjugium erat Abrahami cum Cethura, de quo ſupra. Copulatio *injuſta* non eget definitione. *Media* eſt, quæ ita fit inter contrahentes, ut aliquid tamen eſſentiale juſti conjugii deſideretur, veluti ſi copulatio & fides inter partes ſervatur, cùm tamen aut non fuerit inſtituta à Deo copulatio, aut ab iis probata, quorum intereſt Divino & humano jure. Ejuſmodi uxores etiam concubinæ dicebantur, quæ aut contra inſtitutionem Dei, aut contra voluntatem eorum quorum interfuit, aut denique contra legem Divinam ducebantur. Honeſtiore tamen loco habebantur quàm fœminæ proſtibulæ, quarum copulatio ſemper injuſta eſt. Atque ejusmodi conjugatio media fuit Abrahami cum Hagare. Neque enim cum illa ut ſcorto & proſtibulo rem habuit, ſed prævio conſilio atque conſenſu uxoris, nec non partium ipſarum copulatione, & data atque ſervata ultro citróque fide. *Tertiò* Abrahamus Hagarem ſuperinduxit non tam perverſa voluntate, quàm oblivione primæ inſtitutionis & legis polygamiam prohibentis. Accedit *quartò* quòd Abrahamus Saræ ſine mora obtemperaverit, expetenti, ut Hagarem jam gravidam & inſoleſcentem dimitteret. Quo argumento ſic militat S. Auguſtinus loco antea citato: *Cùm ancilla gravida dominæ ſterilis ſuperbiret, & hoc Sara ſuſpicione muliebri viro potiùs imputaret: etiam ibi demonſtravit Abram non ſe amatorem ſervum ſed liberum fuiſſe genitorem. Et in Agar Saræ conjugi pudicitiam cuſtodiviſſe, nec voluntatem ſuam, ſed voluntatem ipſius impleviſſe: accepiſſe non petiiſſe: acceſſiſſe non hæſiſſe: ſeminâſſe non amâſſe. Ait enim: Ecce ancilla tua in manibus tuis, utere ea quomodo tibi placuerit. O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.* Quoad alteram criminationem Fauſti, infidelitatem objicientis Abrahamo, eam ſic diluit idem S. Pater, ut Fauſtum mendacii reum peragat. Nam quo tempore Abrahamus duxit uxorem Hagaram, nec dum evidenter ei declaratum fuerat, num ſemen ipſi promiſſum à Deo ex Sara ſuſcipiendum eſſet, an ex alia quapiam muliere.

V. Neque tamen calculum ſubſignamus iis, qui in alterum delapſi extremum, è diverſo ſentiunt, nec Saram conſilio ſuo, nec Abrahamum obſequio

Digitized by Google

obſequio ullo modo peccâſſe. Quomodo Joſephus Saram divino inſtinctu motam conſilium ducendi Hagarem Abrahamo ſuppeditâſſe ſcribit. Philo Judæus lib. de Abrahamo commemoraturus encomia Saræ, conſilium hoc Abrahæ ſuppeditatum prolixè admodum diducit, tanquam τῶν ἄλλων σαφεστάτην πίστιν *reliquarum ipſius laudum illuſtriſſimum ſpecimen.* Sed & Patres plerique, imprimis Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus; nec non Pontificii commentatores paſſim factum per omnia excuſant, & dilaudant. Nos, ſi rigidè & ad normam legis exigatur, utrumque & conſilium Saræ, & obſequium Abrahami, non poſſumus non nævos, & fidei quandam ἀῤῥωστίαν notare in utroque. Etenim conſilium Saræ quod attinet, illud & Divino & naturali juri, quo utroque unius viri & unius fœminæ individua conjunctio ſancita eſt, adverſatur. Etenim obligationis illius, quæ eſt inter virum & fœminam authoritas ſi ex ſolo contrahentium conſenſu penderet, eodem quoque modo legitimè diſſolvi poſſet. Nunc autem cùm pendeat etiam & quidem potiori parte ex prima ordinatione Dei conjugium inſtituentis, & in natura hactenus conſervantis, quin & conſenſionem illam inſpirantis, patet evidenter non poſſe, qui ſemel conſenſerunt, jugum matrimonii excutere ſine graviſſima in Deum contumelia. Neque eſt quòd abducat aliquis, non abjeciſſe Abrahamum Saram, ſed in matrimonio retinuiſſe. Nam qui ſemel diſcedit à jure illo, quo per voluntatem Dei obſtrictus eſt, non tantùm flectit, ſed abrumpit jugum conjugii. Deinde ſuperinductionem alterius fœminæ juri tum divino tum naturali repugnare, etiam alibi pluribus argumentis comprobavimus. Peccavit igitur tum Sara ſuperinductionem illam ſuadendo, tum Abrahamus obſequendo. Sed & finis conſilii Saræ demonſtrat,in legis naturalis fraudem illud ſuppeditatum eſſe.Dicit enim:*Fortaſſis liberos conſequar ab illa.* Non eſt autem conſonum legi naturali,ut vera conjux ex ancilla ſuperinducta liberos conſequatur. Neque is qui ex conjunctione hac natus eſt, fuit propterea filius Saræ, vel filius promiſſionis, ad quem reſpiciendum ei fuit: ſed tantùm quadam imputatione & ſimilitudine. Cujus quidem imputationis levitatem & inſtabilitatem prodidit Sara, cùm infantem adhuc in utero ejecta matre domo ejiceret. Fuit etiam carnale & præceps conſilium Saræ vel hoc nomine quòd divinam promiſſionem conſilio illicito adjutum ivit. Sed & temporis circumſtantia, quòd videlicet poſt decem in terra Canaan transactos annos accidiſſe hoc ſcribit Moſes, demonſtrat infirmitatem fidei, & impatientiam Saræ, quam Abraham ſecutus eſt: tum quia amplius exſpectari oportuit promiſſionem Dei, tum quia recentem proximè ſuperiori capite promiſſionem de ſemine acceperant.

Digitized by Google

rant. Denique & acerbiſſima æmulatio mulierum Saræ & Hagaris, nec non inde orta expoſtulatio Saræ cum Abrahamo, divinitus haud dubiè ad puniendam culpam immiſſa, argumento eſt, non omnino factum hoc conjugum Deo placuiſſe.

VI. Neque ſufficiunt variæ προφάσεις & colores, quibus factum hoc incruſtare etiam olim ſatagebant Sancti Patres. Et Ambroſius quidem omnium minimè impetrat aſſenſum, qui adulterium ante legem licitum fuiſſe ſtatuit. Verba ejus ſunt de Abrah. lib. 1.4. *Conſideremus primùm, quia ante legem Moſis & ante Euangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit, nec ante legem ulla rei damnatio eſt, ſed ex lege. Non ergo in legem commiſit Abraham, ſed legem prævenit. Deus in Paradiſo licet conjugium laudaverit, non tamen adulterium damnaverat.* Verùm jam à nobis refutatus eſt tom. 1. Exercit 1. 9.10. Neque minùs errant Durandus, Toſtatus, Seldenus, Grotius, aliique, imprimis Hebræi, ibidem ac imprimis Exercit. VII. à nobis refutati, ſtatuentes polygamiam ante legem vitio omni caruiſſe. Alii etſi polygamiam non in univerſum probant, eam tamen prætextu divinæ diſpenſationis in Patriarchis excuſant. Et Theodoretus quidem quæſt. 66. in Geneſin diſpenſationem inde probare conatur, quòd nec naturalis nec ſcripta lex tum temporis extiterit. Verùm quod & naturalis lex & primæva inſtitutio, quæ per traditionem innoteſcere potuit, polygamiam excludat, neque ullum diſpenſationi huic locum relinquat, manifeſtum loco citato fecimus. Pererius in Geneſ. XVI. Diſp. 1. diſpenſationem probat ex verbis Dei ad Noachum: *Creſcite & multiplicamini.* Verùm eadem verba in principio mundi Deus ad hominem fecerat. Neque tamen per ea quicquam tum diſpenſatum fuiſſe, abundè demonſtrat ſequens prima conjugii inſtitutio. Neque ſolidior eſt ratio altera, quam obducit Ambroſius, quòd hoc conjugium non ex intemperantia, ſed ſtudio quærendæ prolis proceſſerit. Obſtat nempe regula Pauli, non eſſe faeienda mala, ut eveniant bona. Auguſtinus de Civit. D. XVI. 15. obtendit, motu uxoris hoc feciſſe Abrahamum. *Voluntatem illius*, inquit, *non voluntatem ſuam implevit. Accepit, non petiit.* Verùm eadem ratione excuſari etiam Adamus poſſet, qui pomum vetitum non carpſit ipſe, ſed ex manibus Evæ accepit. Quin potiùs Sara ab inſtituto cohibenda fuerat. Idem S. Pater inquit: *Sufficiendæ prolis causâ erat uxorum plurium ſimul uni viro habendarum inculpabilis conſuetudo.* Eodem modo Chryſoſtomus. Verùm rectus finis minùs bene intenditur per media illegitima. Denique myſterium prætexit Ambroſius l. c. *Putabas*, inquit, *eſſe peccatum, advertis eſſe myſterium, quo ea, quæ in poſterioribus*

Digitized by Google

ribus futura erant temporibus, *revelabantur*. Verùm nec furtum excuſari poteſt, eò quòd ipſi adventus Chriſti comparetur. Sic nec conjugium Abrahami cum Hagare, quod rerum futurarum typus erat, propterea eſſe peccatum deſinit.

VII. Agnoſcimus igitur in hoc facto Saræ & Abrahami, fidei permiſceri errores, & argumenta humanæ infirmitatis. Laudabile fuit deſiderium prolis, non cujuslibet ſanè, ſed divinitus promiſſæ, in qua benedicendæ fuerunt omnes gentes. Non enim naturaliter tantùm, ut fieri ſolet, prolem appetierunt, ſed benedictionis promiſſæ potiundæ voto. Laudabilis fuit ſcopus atque finis. Sed modus agendi non caruit vitio, uti jam oſtendimus. Neque horremus notas illas, quas noſtris ita ſentientibus, & Calvino inprimis inurere conantur Pontificii, nominatim Bellarminus & Fevardentius, qui horrendarum in cœlites calumniarum & blaſphemiarum propterea nos reos peragere moliuntur. Quis non videt, homines illos συκοφαντήσαντας ἡμῶν per latus noſtrum ipſam Scripturam & Spiritum S. cum quo ſentimus, confodere? Etenim ſi blaſphemus eſt, qui Sanctos alioquin viros peccati alicujus inſimulat, oſtenditque eos in mortalitate hac humana adhuc infirmitate laboràſſe, ſanè tota Scriptura blaſphemiis refertiſſima erit, quod ipſum vel cogitatu blaſphemum eſt.

VIII. Ex circumſtantia temporis, quo Abrahamus duxit Hagarem, nimirum *fine decem annorum*, *ex quo inhabitare cœperat in terra Canaan*, concludunt Hebræi, licere poſt decennium exactum cum uxore, ſi ſterilis ea reperiatur, repudiata priori ducere aliam. Ita Abenezra ad h. l. העתיקו קדמונינו שלא ישהא אדם עם אשתו יותר מעשר שנים אם לא תלד *Hinc collegerunt prædeceſſores noſtri, quòd vir non moretur ultra decem annos cum uxore ſua, ſi illa ei non pepererit prolem.* Idem refert Baal Hathurim & Jarchius. Quàm verò vana ſit ea collectio, abundè liquet. Neque enim ex facto concludi poteſt, quid ſit juris. Deinde Abrahamus animo ſuo minimè repudiavit Saram: Quin potiùs ut adamatam adhuc eſſe conſtet, in ipſius Saræ gratiam Hagarem dimiſiſſe refertur. Igitur circumſtantiæ hujus temporis mentio non aliò pertinet, quàm ut demonſtret, conſilium Saræ & Abrahami obſequium proceſſiſſe ab impatientia quadam, cùm poſt longam exſpectationem promiſſorum diem non repræſentari cernerent.

IX. Poſt conjugium Abrahami cum Hagare evenit, ut illa conciperet.
v. 4. Ex quo quidem conſecuta eſt ilico tum inſolentia Hagaris, tum Saræ & Abrahami infirmitas. Inſolentia Hagaris ex eo emicuit, quod ſtatim atque ſe concepiſſe animadvertit הקל גברתה בעיניה *deſpecta fuit domina ipſius in oculis ejus*. Ita re ipſa confirmat id, quod in Proverbiis monet Salomon,

Digitized by Google

lomon, nihil durius & inſolentius eſſe ſervo, cùm is factus eſt dominus. Saræ infirmitas ſingularis inde manifeſta eſt, quòd non ferens contumeliam & indignatione exardeſcens in ipſum ante omnia maritum invehitur his verbis: חמסי עליך *Injuria mea ſuper te. Ego dedi ancillam meam in ſinum tuum. Ea videns quòd concepit, deſpectui ſum in oculis ejus.* ישפוט יהוה ביני וביניך *Judicet Jehova inter me & te.* Non hoc vult Sara, fore ut injuria ipſi facta recidat in maritum, uti Junius exiſtimat: vel ſe *ἀδικοῦμαι improbè ſecum agi*, uti LXX. Seniores, & Vulgatus reddunt verba illa חמסי עליך ſed, marito incumbere præſtare hanc injuriam, adeóque ſuam injuriam eſſe debitum Abrahami ab ipſo præſtandum. Ita Geneſ. XXVII. 13. Rebecca dicit Jacobo: עלי קללתך בני *mihi incumbet maledictio tua*: hoc eſt, meum ea erit debitum, ego eam præſtare teneor. Nempe moris eſt tum Hebræis, tum Arabibus, id quod officii, muneris ac debiti alicujus eſt, & quo quis obſtringitur, per על adjuncto affixo perſonæ exprimere. Ita Pſalm. XVI. 2. טובתי בל עליך *Bonum meum non amplius ſuper te eſt*, hoc eſt, non amplius incumbit illud tibi præſtare, quoniam jam præſtitiſti, adeóque ἀπέχω, non amplius obligationem urgeo. Ita *tuum eſt me docere* ſic exprimerent Hebræi עליך למרני Arabes dicunt: *Redde mihi* מא לי עליך *quod mihi eſt ſuper te.* Quæ porro ſit injuria, de qua conqueritur Sara, apparet ex ſequentibus, ubi queritur, quòd deſpectui ſit in oculis Hagaris. Non enim audiendus Jarchius, qui exprobrari hiſce verbis חמסי עליך putat Abrahamo, quòd cùm oraret Deum hiſce verbis: *Quid dabis mihi, & ego vado ſterilis*, pro ſe ſolo oraverit, non etiam pro Sara. Hinc enim eveniſſe, ut Abrahamus quidem fœcundus exiſteret, & ex eo Hagar מביאה ראשונה *primo congreſſu* conciperet, & Sara ſterilis permaneret. Atqui Scriptura ipſa injuriam hanc nuſpiam interpretatur defectum interceſſionis pro Sara, ſed potiùs contemptum, quòd dominam ancilla ex conceptione ſtolida ac inſoleſcens deſpectui habuit. Cœterùm quòd injuriam hanc non tantùm marito queritur, ſed etiam Deum appellat vindicem in virum, quem Deus caput ei præfecerat ex eo mulieris, quæ hac ratione & in Deum, & in maritum & in ſe ipſam iniquam ſe oſtendit, imbecillitas apparet. Sed & Abrahami non minor infirmitas ex eo eluceſcit, quòd ancillam gravidam, quam uxorem duxerat, pacis causâ exponit voluntati Saræ, cùm tamen alia via moderatiore potuiſſet & Hagaræ & ventri ejus conſulere. Verùm hinc abundè liquet, Deo diſplicuiſſe Saræ & Abrahami factum, quippe qui conjunctionem illam Abrahami cum Hagare hoc acerbitatis & zelotypiæ mutuæ ſtudio ſtatim in principio mulctavit.

X. Sara Hagarem, quam exagitandam poteſtati ejus ſubdiderat Abrahamus

hamus ותענה *afflixit*, v. 6. Qualis verò fuerit affligendi modus, Scriptura non exprimit, quamvis de eo diverſa fingant Rabbini. Auguſtinus ex hac afflictione Hagaris colligit, juſtè ac ſalutariter à Catholicis puniri hæreticos. Verba ejus ſunt Epiſt. 48. & 50. *Putas tu, nullam vim adhibendam eſſe homini, ut ab erroris pernicie liberetur? Nonne contumacem ancillam data ſibi poteſtate, Sara potiùs affligebat? Et utique non eam, quam anteà beneficio ſuo matrem fecerat, crudeliter oderat: ſed in ea ſuperbiam ſalubriter edomabat. Non autem ignoras, quòd duæ iſtæ mulieres Sara & Agar, & duo filii eorum Iſac & Iſmaël pro ſpiritualibus & carnalibus figurantur. Et cùm legamus ancillam & filium ejus paſſum eſſe graves moleſtias: Paulus tamen dicit, quòd ab Iſmaële perſecutionem paſſus ſit Iſac, ut qui poſſunt, intelligant, magis Eccleſiam Catholicam perſecutionem pati ſuperbia & impietate carnalium, quos temporalibus moleſtiis atque terroribus emendare conatur.* Ita S. Auguſtinus, in cujus ſententiam manibus pedibusque diſceſſionem facit Pererius Comment. ad h. l. Nempe putabat ſe reperiſſe, quo Antichriſti in conſcientias hominum tyrannidem ſtabiliret. Verùm nos quidem, qui hæreticos à communione noſtra ſimpliciter arceri, quàm durioribus pœnis affici malumus, Sancti Patris nimiam ſeveritatem non probamus. Nec etiam ex afflictione illa Hagaris eam ſequi putamus. Propriam nempe injuriam vindicabat Sara, nec non inſolentiam & ſuperbiam ancillæ, non errorem aliquem mentis aut hæreſin. Cùmque Angelus infra v. 11. dicat, Dominum audiviſſe afflictionem hanc Hagaris, ſatis inde colligitur, non placuiſſe Deo per omnia afflictionem hanc Saræ. Proinde hæreticorum afflictio, ſi quam infligit Magiſtratus, cum hac afflictione Hagaris comparari minimè poteſt.

XI. Sequitur fuga Hagaris prægnantis, & res in ea geſtæ. Cùm enim affligeretur & exagitaretur à Sara, illa תברח מפניה *aufugit à facie ejus*, v. 6. In ea fuga וימצאה מלאך יהוה *invenit eam Angelus Jehovæ*. Fueritne Angelus hic Angelus fœderis, an creatus, ambigunt viri docti. Et Hacſpanius quidem mordicus pertendit, creatum fuiſſe, eò quòd à Jehova ſe diſtinguat. Verum eſt, quòd à Jehova ſe diſtinguat, verùm non οὐσιωδῶς, ſed ὑποστατικῶς ſumpto, nimirum Deo Patre, ut alibi ſæpius. Neque Angelus creatus effari potuit verba v. 10. *Multiplicando multiplicabo ſemen tuum, neque numerari poterit præ multitudine.* Quin & Hagar eum diſertè vocat יהוה *Jehovam* v. 13. nuſpiam propterea reprehenſa. Invenit autem Angelus hic Hagarem על עין המים במדבר *juxta fontem aquæ in deſerto*, v. 7. Qui locus poſtea ab Hagare nuncupatus eſt באר לחי ראי *puteus viventis videntis me*, v. 14. Ita enim puteus ſumitur paſſim pro fonte. Confer Geneſ. XXIV. 62. XXV. 11. Cant. IV. 15. Fons autem ille collocatur בדרך שור *in via Sur.* Ita

Digitized by Google

Ita vocatur locus ille ab eventu, quia Hagar ibi שור *vidit* Jehovam; vel quia Angelus שור *vidit* Hagarem ejuſque afflictionem. Chaldæus Paraphraſtes Onkeloſus habet באורחא דהגרא *in via Agras*, ab Agare ſcilicet ita denominata. At Hieroſolymitanus Interpres pro שור habet חלוצא quod doctiſſimus Bochartus Phal. lib. IV. 38. interpretatur *Eluſam*, quam Ptolemæus Idumeæ, Stephanus olim Arabiæ, dein tertiæ Palæſtinæ urbem facit. De qua etiam Hieronymus in vita Hilarionis: *vadens in deſertum Cades &c. pervenit Eluſam.* At Interpres Arabs pro *via Sur* ponit *regionem Mecchanam.* Infra v. 14. collocatur fons ille בין קדש ובין ברד *inter Cades & Bered.* Ubi pro קדש Thargum Onkeloſi habet רקם *Recam*, Syrus & Arabs רקים *Rocim.* Deſertum eſt, quod Scriptura verſus faciem Ægypti extendi memorat, ad quod primùm venerunt Hebræi, transvadato mari rubro. At ברד *Bered* Chaldæus vertit הגרה *Hagara.* Adrichomius collocat in ſolitudine Berſabeæ, non longè à rivo ſeu torrente Ægypti. In eo loco Hagar interrogata ab Angelo, unde veniret, & quò vaderet, ei exponit, quòd à facie Saræ profuga eò conceſſerit. At Angelus Jehovæ eidem mandat, partim ut redeat ad Saram, partim ut dominio ejus quamvis aſpero ſe ſubmittat. Deinde ampliſſimè promittit ei tum in univerſum ſemen numeroſiſſimum; tum ſingulariter nativitatem Iſmaëlis, v. 10. 11. 12.

XII. Iſmaëlem proximè naſciturum Hagari deſcribit Angelus, tum à nomine, tum à moribus, actionibus & ſede. Et nomen ejus quod attinet, eum appellandum docet ישמעאל כי שמע יהוה את עני *Iſmaëlem, quia audivit Deus afflictionem ejus.* v. 11. R. Eliezer in Pirke cap. 32. obſervat, ſex appellatos eſſe nominibus ſuis, antequam nati erant, nimirum Iſacum, Iſmaëlem, Moſen, Solomonem, Joſiam & nomen Meſſiæ. De Iſaco & Iſmaële, Solomone & Joſia rectè hoc obſervatur. At de Moſe & Meſſia non conſtat. Nam Moſen quod attinet, inepta eſt ratio arithmetica, qua utuntur. Quia enim Geneſ. VI. 3. in בשגם iidem continentur numeri qui in voce משה *Moſes*, concludit in ea voce Moſis, qui fuit annorum 120 nomen prædictum eſſe. Hac ratione vel centum hominum nomina prædicta erunt ante conceptionem illorum. Ita etiam de Meſſiæ nomine incertum eſt, hoc tanquam proprio nomine ipſum vocari. Præterea etymon Iſmaëlis, quod ibidem R. Eliezer affert, ut Iſmaël ita dictus ſit, *quia Sanctus benedictus exauditurus ſit vocem gemitus populi ob illud, quod Iſmaëlitæ patraturi ſunt in terra Canaan noviſſimo dierum*, alienum eſt ab eo, quod ipſe Spiritus S. diſertè ſuggerit.

XIII. Mores Iſmaëlis naſcituri paucis deſcribuntur ab Angelo aſſerente,

rente,

Digitized by Google

rente, quod futurus ſit פרא אדם *ἄγροικος ἄνθρωπος ferus homo* v. 12. פרא *onagrum* notare conſtat. Unde Syrus vertit in proprio ſenſu והוא נהוא ערדא דבנינשא *Et ipſe erit onager in hominibus.* Neque aliter Paraphraſtes Chaldæus. Vocatur igitur פרא *onager*, id eſt, tam ferus, quàm onager. Eſt equidem onager animal ferum, hoc eſt, amans ſolitudinem, non item rapax. Unde rectè R. Salomon Jarchi Iſmaëlem vocari פרא docet, כי אהב מדברות *quia amans* futurus *ſolitudinum*. Et Interpres Arabs: והו יכון והשיא מן אלנאס: *Et ipſe erit ſolitarius ab hominibus.* Quin & Damir in capite de Laliſione ſeu onagro, notat, de homine cùm eſt ſolitarius in propoſito ſuo dici: כחש וחד *Is eſt laliſio ſolitarius*, hoc eſt, *pullus onagri ſolitarius.* Alii apud Abenezram interpretantur חפשי *liberum*, quia inſtar onagri liberè in deſerto vagabitur, nec patietur ſe ſubjici à quoquam. Nempe etiam onager vocatur חפשי *liber & ſolutus à vinculis* Job. XXXIX. 8. Quomodo onagrum Olympiodorus & Polychronius deſcribunt, ut animal *ἀνυπότακτον*, quod in ordinem cogi nequeat, quod tamen non *ἁπλῶς*, ſed *κατὰ τι* intelligendum. Poſſet addi ſimilitudinem conſiſtere etiam in velocitate. Eſt enim onager animal, quod velocitate ſolis equis barbaricis cedit, uti Leo Africanus lib. IX. habet. Unde פרא derivatur à פרי vel פרא quod Chaldæis & Syris eſt *currere*. Eadem onagri & hominis feri ſimilitudo occurrit Job. XXIV. 5. *Ecce! ſunt onagri in deſerto, egreſſi ſunt ad opus ſuum, ſurgentes manè ad rapinam, ſolitudo eis panis & filiis.* Et Oſeæ VIII. 9. Aſſyrius vocatur פרא בודד לו *onager ſolitarius ſibi*, quia ſibi ſoli proſpicit, nec aliorum ſalutem curat, adeò ut ejus auxilium, quod exſpectavere Iſraëlitæ, ſit futurum *συκίνη ἐπικουρία.* Quàm verò prædictio hæc impleta ſit in Iſmaële & poſteritate ejus, Iſmaëlitis & Saracenis abundè liquet. Ita enim de Iſmaële Scriptura Geneſ. XXI. 20. וישב במדבר ויהי רבה קשת *Et habitavit in deſerto, & fuit jaculator ſagittarius.* De Saracenis Ammianus Marcellinus lib. XIV. cap. 10. ubi eorum mores & inſtituta deſcribit: *Nec eorum quiſquam aliquando ſtivam apprehendit, vel arborem colit, vel arva ſubigendo quæritat victum: ſed vagantur ſemper, errantque per ſpatia longè latéque diſtenta, ſine lare, ſine ſedibus fixis, aut legibus, nec idem perferunt diutius Cælum, nec tractus unius ſoli illis unquam placet. Vita eſt illis ſemper in fuga.* Videri etiam poſſunt eam in rem, quæ habet Hieronymus in vita Malchi Monachi.

XIV. Actiones Iſmaëlis naſcituri paucis etiam deſcribit Angelus, cùm dicit: ידו בכל ויד כל בו *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* v. 12. Chaldæus Paraphraſtes Onkeloſus ita reddit הוא יהא צריך לכולא ואף כל בני אנשא יהון צריכין ליה: *Ipſe indigebit omnibus, & etiam omnes filii hominum indigebunt eo.* Aliter tamen Paraphraſten interpretatur Fagius:

Digitized by Google

Ipſe negotium faceßet omnibus, & omnes etiam homines negotium faceſſent ipſi. Verùm צריך in activo an ſignificatu moleſtiam faceſſendi uſpiam veniat, ambigo. Proindè Paraphraſis hæc vix probari poteſt. Nam uſitato Hebraiſmo *manum eſſe ſupra aliquem* idem eſt quod affligere. Ita 1.Sam.xii.15. היתה יד יהוה בכם *erit manus Domini ſupra vos*, vel *contra vos.* Ubi Chaldæus habet: ותהי מחתא דיי בכון *Et erit plaga Domini in vobis.* Et Arabs: אנזל אלרב עליכם עקאבה *Immittet Dominus ſuper vos punitionem.* Adagium igitur eſt, quod uſurpatur in eos, qui omnibus & offenſi & inviſi ſunt, quíq; dicere poſſunt: *Figimus, inque vicem præbemus tela ſagittis.* Neque degenerant ab hac indole Iſmaëlis, poſteri ejus, Turcæ, imprimis Saraceni, Arabesque alii, homines ſtolidè feroces.

XV. Sedes Iſmaëlis futuri ab Angelo notatur hiſce verbis ועל פני כל אחיו ישכן *& è regione univerſorum fratrum ſuorum tabernacula figet*, uti V. I. reddit. Non diffiteor, obſcurum ſatis eſſe, quid ſibi verbis hiſce velit Angelus. Quidam ita accipiunt, quaſi Iſmaël, utcunque homo agreſtis, ferus ac bellicoſus futurus ſit, tamen cum fratribus ſuis filiis Cethuræ, pacificè ſit victurus. Verùm in deſcriptione reliqua Iſmaëlis nihil eſt, quod humanitatem aliquam, morumque ſuavitatem ſpiret. Alii ſenſum eſſe putant, tam potentem fore Iſmaëlem, tamque populoſum ejus ſemen, nemo ut illi reſiſtere poſſit. Atque iis על פני adverſitatem ſeu contrarietatem denotat. Alii tamen præſentiam denotari malunt, hoc ſenſu: Præſentibus, viventibus ac videntibus fratribus ſuis quietem ſuam fortiter captabit. Ego ſimpliciſſimum & rei convenientiſſimum arbitror, ut de ſede habitationis Iſmaëlis ejusque poſterorum intelligatur Angelus. Iſmaël nempe & poſteri ejus habitârunt in deſerto Pharan & Cedar regione, atque adeò contiguos habuerunt à Septentrione *fratres Idumæos*, ab Eſavo oriundos: uſque mare rubrum à meridie *Madianitas fratres*, oriundos ab Abrahamo per Cethuram; ad orientem *fratres Amalecitas* ab Eſavo, *Moabitas, Ammonitas* à Lotho originem ſuam ducentes. Sed & à Septentrione ultra Idumæos habuerunt *Hebræos.* Concinnè igitur Iſmaël habitaturus dicitur è regione fratrum ſuorum. Sed & dignum notatu eſt, quòd de Iſmaële dicitur ישכן *habitabit*, nempe velut in σκήνεσι *tabernaculis.* Nam ipſum σκηνοῦν eſt à שכן. Et in Scriptura mentio eſt *tabernaculorum Kedar*, quæ ab Iſmaëlis poſteritate inhabitata ſunt. Atque hinc etiam Arabes Iſmaëlis propago à Græcis ἐπιθετικῶς dicuntur Σκηνῖται *Scenitæ*, quos Plinius incolere dicit Arabiam ultra Peluſiacum, quæ uſque ad Beatam procedit. Idque ipſum intellexiſſe non de quibuſvis Scenitis, ſed de Arabibus iis, qui ad Septentrionem Arabiæ felicis incolebant, quique vel Saraceni poſtea dicti, vel Saracenos vicinos habuerunt, oſtendit Cl. Salmaſius Exercit. Plin. p.483.&c.

XVI. Ha-

Digitized by Google

XVI. Hagar grata recordatione Angeli ſibi loquentis, & nativitatem Iſmaëlis denunciantis ejus memoriam ſtatuit. Nam ותקרא שם יהוה הדבר אליה אתה אל ראי כי אמרה הגם הלם ראיתי אחרי ראי *vocavit* (ita V. I.) *nomen Domini, qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidiſti me: dixit enim, profectò hîc vidi poſteriora videntis me.* v. 13. Vocavit igitur Angelum אל ראי *El-roi*, Θεὸς ὁ ἐπιδών με, *Deus videns me.* Juxta Thargum Onkeloſi: אלהא חזי כולא *Domine videns omnia.* Nempe cùm hactenus in deſerto vagabunda non cogitaret de divina providentia, nunc demum Angelo Domini ipſi apparente, & conſolatione præſentiſſima ipſam erigente, agnoſcit, ſe resque humanas Deo curæ cordique eſſe. Quæ verò ſequuntur verba, non admodum explicata ſunt. LXX. ita reddunt: ὅτι εἶπε, καὶ γὰρ ἐνώπιον εἶδον ὀφθέντα μοι. *Quia dixit: Etenim coram apparuit mihi.* Verùm parum ea congruere cum Hebræis, ſatis liquet. Thargum Onkeloſi: ארי אמרת אף אנא שריתי חזיא בתר דאתגלי לי *quia dixit: Etiam ego cœpi videre, poſtquam apparuit mihi.* Ita quidem editiones Veneta & Buxtorfiana. At in triplici Thargum Hanovienſi ita legitur: הברם הכא שריתי חזיא בתר דאתגלי לי *An utique hîc maneo, videns poſt eum, qui revelatus eſt mihi?* quaſi increpet ſe, quòd tam diu ibi hæreat, & non ſtatim ad familiam heri ſe conferat, poſtquam jam Dei providentiam certo argumento animadvertere potuerit. Arabs totam pericopem ita reddit: פנאדת בסם אללה אלמחאטב להא אנת אלה קאדר אל ראי לאנהא קאלת אני ראית האהנא רחמתך בעד רויתי אלשקא *Vocavitque nomen colloquentis Dei ſecum: Tu es potens videns: quæ ipſa dixit, quòd vidi hîc miſericordiam tuam, poſtquam vidi tribulationem.* Verùm neque hæc verſio congruit Originali. Varias etiam Hebræorum, aliorumque expoſitiones affert Vatablus in notis ad h. l. Ipſe verò Vatablus ita reddit: *Nonne etiam hîc vidi poſt videntem me.* Quaſi videlicet miraretur & ſtuperet Hagar, ſe poſt viſionem Dei adhuc vivere & ſuperſtitem eſſe, cùm eo tempore communis perſuaſio fuerit, non poſſe hominem videre Deum & vivere, uti colligitur ex Geneſ. XXXII. 30. & Jud. XIII. 23. Qui ſenſus admodum commodus eſt. Sed obſtat, quod הלם nunquam in Sacris ſumatur cum ſignificatione temporis, ſed propriè vel locum denotet, vel ad rem referatur. Itaque Lud. de Dieu illud הלם ad rem refert, & poſt illud ponit interrogationis vel admirationis notam cum apoſiopeſi, quæ in admiratione frequens & elegans, hoc ferè modo: *An etiam huc uſque! vidi poſt videntem me*, quaſi dicat: hui! etiam hucuſque me favore ſuo complexus eſt Deus? datum mihi eſt oculis meis eum qui me vidit proſequi. Ingens eſt beneficium, cujus obliviſci non licet. Et propterea vocavit eum אתה אל ראי Quæ interpretatio cœteris ferè præferenda. Quòd ſi

 tamen

Digitized by Google

tamen minùs placeret, commodè etiam ea ita reddi poſſunt: *Nonne hîc vidi poſteriora ejus, qui vidit me.* Innueret nempe Angelum Jehovæ ſe vidiſſe in humana ſpecie, ſed abeuntem, adeóque ejus poſteriora duntaxat. Qualis viſio contigit etiam Moſi Exod. XXIV. 11. XXXIII. 22.

XVII. Quò verò etiam in poſteritatem conſervaretur memoria illius apparitionis, etiam loco ipſi, in quo apparuit Angelus Jehovæ, ſive Hagar ſive Iſmaëlitæ (neque enim certò exprimitur) nomen *μνημονικὸν* impoſuerunt. Quippe fons ſeu puteus, apud quem in via Sur ab Angelo Hagar inventa eſt, nomen ſortita eſt באר לחי ראי *puteus viventis videntis me* v. 14. Thargum Onkeloſi vocat בירא דמלאך קימא אתחזי עלה *puteum, ſuper quem apparuit Angelus vitæ.* Arabs ביר אלחי אלרחים *puteum vivi miſericordis.* At Abenezra vitam refert ad puteum, non Deum videntem. Verba ejus: באר לחי לאשר יהיה חי לשנה האחרת כי בכל שנה היו חוגגים הישמעאלים אל הבאר הזאת *puteum viventis, h. e. cui vita erit anno altero, quia ſingulis annis erunt feſta Iſmaëlitarum apud huncce puteum.* Sanè obſcura eſt ὀνομοθεσίας hujus ratio, nec quidquam certi dicere habemus. Id nobis ſufficere poteſt, quòd ab apparitione Angelica cognomen puteus ille ſervaverit באר לחי ראי *Ber lachai Roe.*

XVIII. Hagar deinceps imperata Angeli factura, revertitur ex fuga ad Dominam ſuam, ubi Abrahamo peperit filium, cui ipſe Abrahamus nomen impoſuit *Iſmaëlis*, ſive quod credibile eſt, ex Hagare cognovit ſermonem Dei, ſive à Deo nominatim ea de re compellatus fuit. Atque hunc filium Abrahamo peperit Hagar, agenti jam annum octogeſimum ſextum, v. 16. Quæ quidem ætas Abrahami exprimitur, tum ut veritatem intelligamus antegreſſæ promiſſionis, tum ut obſervemus, divinarum promiſſionum complementum quandoque in annos & tempora plurima, peccatis noſtris, infirmitate & impatientia rejici ſolere juſtiſſimo judicio Dei. Etenim Abrahamus natus annos octoginta ſex genuit filium Iſmaëlem: at Iſacum centenarius demum adeptus eſt.

XIX. Decimo tertio poſt nativitatem anno Iſmaël mandato Dei ab Abrahamo circumciſus eſt, Geneſ. XVII. 23. 25. At decimo quinto poſt genituram ejus anno Abrahamo ex Sara natus eſt filius promiſſionis Iſacus, unicè dilectus, & verum parentum delicium. Hîc denuo Hagar unâ cum Iſmaële in exilium agitur. Cujus quidem rei cauſa fuit, quòd וַתֵּרֶא שָׂרָה את בן הגר המצרית מצחק *vidit Sara filium Hagar Ægyptiæ* מצחק cap. XXI. 9. LXX. Interpretes eam vocem מצחק reddunt παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, *ludentem cum Iſaco filio ſuo.* Eodem modo Interpres vulgatus, Chaldæus & Arabs. Verùm hoc molle nimis. Neque enim adeò indignatione commota

mota fuiſſet Sara, ſi Iſmaël cum Iſaco animi gratiâ tantùm luſiſſet, & tempus fefelliſſet. Neque de nihilo fuiſſe indignationem hanc Saræ arguit ſubſequens admonitio Dei, ut Saræ voci auſcultet Abrahamus. v. 12. Deinde ejusmodi luſus ne quidem locum habere potuiſſet inter ætate adeò diſpares. Quippe contigit id, quod de Iſmaële dicitur, poſt ablactationem Iſaci, quo tempore ipſe Iſacus annum præter propter ſecundum, Iſmaël verò decimum ſextum agebat. Hebræi nonnulli accipiunt de luſu idololatrico, quaſi videlicet idola fingentem & colentem Iſmaelem vidiſſet Sara. Ita Jarchius: לשון ע״ז כמו שנאמר ויקומו לצחק *Notatur idololatria, ſicut dicitur: Et ſurrexerunt ad ludendum.* Eandem explicationem Hebræis quibusdam tribuit Hieronymus in Quæſt. Hebraicis. Verùm apertiùs haud dubiè hoc ſcelus inſigniviſſet Scriptura. Alii venereum hunc fuiſſe luſum ſtatuunt. Ita Jarchius: ד״א לשון גלוי ערוה *Alii dicunt, notari hac voce detectionem turpitudinis.* Neque deſunt, qui Iſmaelem fratri necem molitum eſſe, atque id ea voce מצחק denotari exiſtiment. Ita R. Eliezer Pirke cap. 30. *Tulit Iſmaël arcum & ſagittas, atque cum aliquando jacularetur aves, vidit Iſacum conſidentem ſolum, inque illum direxit ſagittam, ut interficeret eum.* In Baal Hathurim id probant ratione ex Gematria petita. מצחק בגמטריא להרוג זהו שארז״ל עה״ה יורה בי מין כדי להרגו *Per Gematriam* מצחק *eſt* להרוג *ad interficiendum; atque hoc ipſum eſt, quod dixerunt Rabbini noſtri b. m. Sagitta Iſacum petebat Iſmaël, ut ipſum interficeret.* Alii fabulantur, rixas obortas eſſe inter Iſmaëlem & Iſacum de hæreditate, atque Iſmaëlem jus primogenituræ jactantem contempſiſſe Iſacum. Denique fingunt alii, uti habent Rabbini ingenia ad fingendum nata, Iſmaëlem in convivio ablactationis ſubſannâſſe parentes, & convivas illis de filio congratulantes. Nos interpretem habemus omni exceptione majorem Apoſtolum Paulum Gal. IV. 29. *Ille qui ſecundum carnem genitus eſt* ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα, *perſecutus eſt eum, qui eſt ſecundum ſpiritum.* Interpretatur igitur perſecutionem. Nempe צחק notat vel luſum ſimplicem, vel illuſionem ſeu irriſionem. Eſt enim verbum μέσον, quod ſumitur jam in meliorem partem ut Geneſ. XXVI. 8. jam in deteriorem, veluti Geneſ. XXXIX. 17. ubi uxor Potipharis: *Venit ad me ſervus Hebræus, quem adduxiſti mihi* לצחק בי ἐμπαῖξαί μοι, uti LXX. Seniores, *ut illuderet mihi*, uti V. I. ipſe eo loco vertit. Fuerit igitur irriſio, ſarcaſtica illuſio, ſubſannatio Iſaci, uti etiam Syrus reddidit. Porro ejusmodi irriſionem & illuſionem meritò Apoſtolus interpretatur διωγμὸν *perſecutionem.* Graviſſimum enim peccatum eſſe, apparet vel inde, tum quòd ex contemptu & odio profecta, adeóque ſpecies quædam homicidii fuerit, tum quòd Chriſtus eum, qui fratri ſuo dicit ῥακά, declarat obnoxium

xium eſſe Synedrio, qui μωρὲ *ſtulte*, ipſi Gehennæ ignis. Matth. cap. v. 22.

XX. Subſannatione hac Iſmaelis commota Sara ſive privato ſtudio impulſa, ſive ſingulari Spiritus Dei motu inſtigata, ita appellat Abrahamum: *Ejice ancillam hanc & filium ejus, quià non hæreditabit filius ancillæ hujus cum filio meo Iſaco*. verſ. 10. Cauſam ejectionis præter eam quam jam indicavimus, affert aliam, nempe quòd vereretur, ne forte Abrahamo mortuo, & Iſmaële ſe in hæreditatem intrudente, vel ipſe Iſacus extruderetur, vel nonniſi æquali jure cum altero patri ſuccederet. Aliam præterea indigitat Paulus, nimirum myſterium, quod perſequitur Galat. cap. IV. Nihilominus Saram affectu humano percitam, aliquid paſſam eſſe humanitus non immeritò agnoſcunt Chryſoſtomus & Calvinus. Cœterùm Abrahamus naturæ ductus ſenſu, & conſulturus Iſmaëli improbat hancce aſperitatem Saræ. *Nam diſplicuit hic ſermo in oculis Abrahami* על אודת בנו *propter filium ſuum*. verſ. 11. Ubi Doctiſſ. L. de Dieu vocem אודת quam ex Lingua Hebraïca hactenus nemo explicare potuit, explicat ex Æthiopica. Nam in Lingua Æthiopica uſitatum eſt verbum אור *circumivit*, ſimiliter אור *circum* adverbialiter. Ad verbum igitur eſt, *ob id quod erat circum filium ſuum*, hoc eſt, *causâ, gratiâ filii ſui*. Sic 2. Sam. XIII. 16. על אודתי ועל אודתך *ob id quod eſt circum me, & quod eſt circa te*, hoc eſt, *tui & mei gratiâ vel causâ*. Sicut igitur ab Hebraïco סבב *circuivit* deſcendit סבה *cauſa*: ita ab Æthiopico אור *circuivit*, deſcendit אודת *cauſa*. Verùm Abrahamo intercedit Divinum oraculum, ſive illud conſuluit, ſive ultro ei oblatum eſt, quo tum jubetur acquieſcere voci Saræ, adeóque ancillam unâ cum filio dimittere, tum promiſſionem addit geminam: alteram, *quòd in Iſaco ipſi vocandum ſit ſemen*, hoc eſt, quòd ex Iſaco naſciturum ſit ſemen benedictum non tam *carnale*, quàm *ſpirituale* & *promiſſionis*, Chriſtus omneſque electi Abrahamo inſiti per fidem; alteram verò, quòd etiam filium ancillæ, quippe ſemen quoque Abrahami ſit poſiturus לגוי *in gentem*. verſ. 12. 13.

XXI. Abrahamus divino obſecutus oraculo, ſummo manè יקח לחם וחמת מים ויתן אל הגר שם על שכמה ואת הילד וישלחה *tollens panem & utrem aquæ, impoſuit ſcapulæ ejus, tradiditque puerum & dimiſit eam* v. 14. Ita V. I. rectiſſimè diſtinguit panem & utrem aquæ, atque filium, ut Abraham panem quidem & utrem aquæ humeris ancillæ impoſuerit, at filium Iſmaëlem ſimpliciter ancillæ tradiderit, non humeris ejus, quippe jam adultum admodum & natum minimùm ſedecim annos, impoſuerit. In Hebræo nempe eſt hyperbaton, & involuta oratio, quam rectè vulgatus Interpres, & eum ſecutus Arabs, extricavit, quippe qui illud הילד *puerum* referunt non ad שם *poſuit*, nempe ſuper humeros matris, ſed ad ויתן *dedit*, *tradi-*

tradidit, nempe ancillæ, ut unâ cum ea exulatum iret. Hyperbaton hoc non ſunt aſſecuti Interpretes Græci, (in editione nempe Regia; nam olim aliter lectum eſſe conſtat ex Auguſtino & Hieronymo, nec non ex Codice Baſileënſi ac Romano) & Syrus, qui ita tranſtulerunt, ac ſi filius Iſmaël Hagaræ etiam humeris impoſitus foret. Sed & Hebræi quidam ita ſentiunt, qui & hanc rationem Iſmaëlis quamvis adulti humeris tamen ancillæ impoſiti reddunt, quòd nimirum morbo aliquo & languore fuerit debilitatus, ut incedere non poſſet; atque morbum eum inde contractum eſſe, quòd Sara eum עין רעה *torvis oculis* reſpexiſſet. Ita Jarchius ineptè fingit. Neque deſunt, qui & in eo tricentur, quòd Abrahamum non dediſſe ancillæ niſi panem & utrem aquæ ſcriptum ſit. Et Cajetanus quidem negat propriè hæc intelligenda; quin potiùs per Synecdochen, ſub expreſſa mentione panis & aquæ intelligi omnia victualia, etiam jumenta & famulitium pertendit. Quem meritò refutat Toſtatus, oſtendens ex ſequentibus, quòd aqua non poſſit niſi propriè accipi, adeóque etiam panis. Et ſanè cùm hiſtorica ſit ea narratio, nihil cogit, ut à proprietate literæ diſcedamus. Abenezra non dubitat, quin Abrahamus ei abundè ſuppeditaverit aurum & argentum, quamvis id Scriptura non exprimat. Verba ejus: ויתכן שנתן לה כסף וזהב ולא פיר' הכתוב ונתן לה לחם ומים מה שיספיק לה עד בארשבע *Probabile eſt, quòd dederit ei Abrahamus aurum & argentum, etſi Scriptura id non aſſerat. Dedit autem ei panem & aquam, quippe quibus indigebat, donec perveniret Beerſebam.* Verùm id pernegat Jarchius, contendens, nihil omnino ancillæ ſuppeditatum præter panem & aquam, idque ex odio Abrahami erga filium degenerantem. Ita enim infit: ולא כסף וזהב לפי שהיה שונא על שיצא לתרבות רעה *Non dedit ei aurum & argentum, quippe qui oderat eum, quod degeneraret in malam indolem.* Atqui Iſmaëlem in deliciis fuiſſe vel ex eo colligitur, quòd ſermo Saræ de ejiciendo eo admodum paulò ante ei diſplicuerit. Rectè igitur Theodoretus non aliam fuiſſe cauſam parci hujus commeatûs conjicit, quàm promptitudinem obedientiæ Abrahami, qui quamprimùm eos voluerit ſubducere ſuis & uxoris oculis, nec moras ullas nectere in parando ei lautiore viatico. Neque tamen putamus, ſanctum virum eorum dimiſſorum curam penitus abjeciſſe, ſed potiùs piè credimus, eum exiguo quidem hocce commeatu ipſos inſtruxiſſe ad paucos dies, poſtea tamen cùm perveniſſent in locum ab ipſo Abrahamo procul dubio ipſis deſignatum, paternam eorum curam habuiſſe, atque effeciſſe, ne reliqua neceſſaria deficerent. Et ſanè deſertum Pharan, in quo habitavit Iſmaël, non longè diſſitum fuit à Gerare & Berſabea, ex qua proinde Abrahamus eis ad victum & amictum neceſſaria facilè ſubmittere potuit.

XXII. Com-

Digitized by Google

XXII. Commeatu hoc inſtructos Hagarem & Iſmaëlem Abrahamus שלח *dimiſit* v. 14. Dimiſit autem in exilium. Neque probare poſſumus Hebræos aſſerentes, quòd Hagar & Iſmaël non tantùm ex hoc ſeculo, ſed etiam futuro expulſi, adeóque tum temporali, tum æterna felicitate orbati fuerint. Ita R. Eliezer in Pirke cap. 30. *Surrexit Abraham manè, & conſcripſit libellum divortii, deditque illi, atque ejecit illam à ſe, filióque ſuo ex hoc & futuro ſeculo, uti dicitur: Et manè ſurgens Abraham ſumpſit panem & urceum aquæ, & dimiſit eam, ſcil. libello repudii.* Atque ita plerique Rabbini ſtatuunt. Nimirum hoc ſolenne eſt Magiſtris iſtis, ut in ferenda anathematis ſententia contra alienigenas ſint ſæviſſimi. Proinde non Iſmaëlem duntaxat, ſed etiam poſteros ejus Iſmaëlitas, & Turcas hodiernos unâ cum Iſmaële æterno exitio devovent. Hinc Maimonides in הלכות תשובה cap. 3. inter illos, qui partem non ſunt habituri in futuro ſeculo, הגרים *Hagarenos*, ſive Saracenos ex Hagare oriundos recenſet. Cæterùm non fuiſſe eam Abrahami, Hagarem & Iſmaëlem ablegantis mentem, non tantùm inde colligitur, quòd nec Sara ejuſmodi ejectionem ex hocce & futuro ſeculo intenderit, nec Abrahamus eam ullo verbo indigetaverit, quippe qui eos dimiſiſſe duntaxat dicitur cum viatico: verùm etiam, quòd ne reditus quidem ſpem Iſmaëli præciderit, cùm interfuerit funeri parentis, & inter concubinarum filios, quibus munera collata ſunt, numeretur.

XXIII. Hagar ab Abrahamo dimiſſa ותלך ותתע במדבר באר שבע *abiit, & erravit in deſerto Beerſeba.* v. 14. Patricides in Annalibus expulſos eos docet in אליכן ארץ יתרב וארץ *terram Jatbreb & Jaman.* Eſt autem Jathreb Arabibus tum ipſa urbs Medina, unde Medinenſes in Alcorano dicuntur אהל יתרב *populus Jatbreb*: tum tota ea terra, in cujus tractu ſita eſt Medina, teſte Beidavi Roderico Toletano, Geographo Nubienſi, aliiſque. Stephanus de urbibus, vocat *Jathrippam.* Theophanes in Moammeticis aliique 'Αἴθριβον *Æthribum.* Jaman verò notat Arabiam felicem, interprete Cl. Golio. Cúmque deficerent in eo deſerto Hagari aquæ in utre, illa תשלך הילר *projecit puerum* ſupter unam ex arboribus, ne videret exitium illius. Illud תתע *erravit* explicat R. Eliezer in Pirke cap. 30. de ע״ז *idololatria*, adeóque errore in fide. Verba ejus ſunt: *Propter meritum Abrahami non defecit aqua in utre: ſtatim verò ubi pervenit in deſertum incepit Hagar errare poſt idololatriam domûs Pharaonis patris ſui; atque ilico defecit aqua in urceo, ideo etiam abjecit puerum, juxta illud: Cùm abiiſſet errabat in deſerto. Non* ותתע *& errabat, ſed* ע״ז *idololatriam exercebat, quia ſcriptum eſt de illa: Vanitas opus errorum vel ſeductionum.* Ita Jarchius: ותלך ותתע חזרה לגלולי בית אביה *Abiit & erra-*

Digitized by Google

& erravit, hoc eſt, *defecit ad idola domûs Patris ſui.* Verùm quis niſi planus ex verbis Scripturæ, quæ non aliud quàm oberrationem in deſerto clare indigitat, tale quid cum Rabbinis eliceret?

XXIV. Projecto Iſmaële, Hagar miſeram conditionem ſuam ſedens è regione pueri projecti intervallo כמטחוי קשת *jactus arcus*, libero Cœlo flebiliter coram Domino exponit. Verùm Deus dives conſolationibus huic malo clementer proſpexit, exaudito fletu pueri, & confirmata per Angelum Hagare. Is enim non tantùm Hagarem revocavit à metu, fiducia præſentiæ benevolentiæque Divinæ & revocatis in memoriam promiſſionibus anteà factis, eam adhortatur ad officium maternum erga filium: ſed etiam oculos ejus aperuit, ut puteum aquis abundantem cerneret, ex quo ei copiam fecit potus, quem filio præberet. Atque hoc ſingulare beneficium ita continuavit, ut & incrementum, & habitationem & occupationem Iſmaëli tribuiſſe, v. 20. eúmque in ſede ſua adeò confirmâſſe, ut auctore matre Ægyptia uxorem Ægyptiam duxerit, v. 20. dicatur.

XXV. Incrementum Iſmaëlis ita deſcribit Moſes v. 20. ויהי אלהים את הנער ויגדל *Et fuit Deus cum puero & crevit*. v. 20. Habitationem in ſequentibus: וישב במדבר *Et habitavit in deſerto*, nempe פארן *Pharan*. Idque deſertum cùm pateat latiſſimè, quippe quod ab una parte terram Canaan, ab altera montem Sinai attingit; probabile eſt eam deſerti partem ab Iſmaële delectam eſſe, quæ ab Abrahami habitatione non nimis remota eſſet: etſi poſteri ejus ſe longiſſimè extenderunt. Sed & occupationem ejus paucis complectitur ibidem Moſes, qui eum nuncupat רבה קשת *τοξότην* ſeu *jaculatorem, ſagittarium.* Atque ita eventus reſpondit Oraculo, ſuperiùs à nobis expenſo, ubi Angelus eum futurum hominem פרא *ferum* prædixerat. Denique & conjugium ejus narratur, quòd nimirum mater Ægyptia ipſi proſpexerit de uxore Ægyptia. Ejus uxoris nomen fuiſſe עישה *Hiſcha*, cui acceſſerit poſtea ſecunda Iſmaëlis uxor, nomine פיתמה *Phitome*, fingit R. Eliezer Pirke cap. 30. E Jorhamidis, tribu Arabum deperdita, eam ortum duxiſſe, volunt Arabes, uti id exponit Doctiſſimus Pocokius notis in Abulfarajum p. 38. 44. & 45.

XXVI. Filii Iſmaelis numerantur duodecim totidem נשיאים *Principes*, Geneſ. xxv. 12-16. Strabo memorat duodecim Arabum Φυλάρχυς, *Phylarchos*, & *Phylarchos* Saracenorum Principes vocat etiam Menander Protector, qui ex his duodecim Principibus Iſmaelis originem duxiſſe videntur Grotio. Ex illis duodecim filiis quatuor duntaxat ſunt, nempe נביות *Nebaioth*, קדר *Kedar*, דומה *Dumah* & תימא *Thema*, quorum etiam alibi Scriptura meminit, & de quibus certius quid ſtatui poſſit. Et Nebajoth

joth quidem authorem eſſe Nebathæorum ferè in confeſſo eſt. Neque alium intellexiſſe videtur Euſtathius Theſſalonicenſis, qui Nabathæos à quodam *Nabathe* dictos eſſe aſſerit. Eſt autem Nabathæa Arabiæ pars illa, quam alii *Petræam*, Tyrius *Arabiam ſecundam*, alii *inferiorem* nuncupant. Eorum hiſtoriam & religionem fuſè ediſſerit Cl. Hottingerus Hiſt. Orient. lib. 1. c. 7. A קדר *Kedar* quem Arabes volunt ab avunculis ſuis diademate & imperio ornatum, *ſunt Kedareni* Arabes, Cedrei Plinio, & Uranio Κεδρανῖται dicti, qui pars erant Saracenorum. Hebraicè verbum קדר ſignificat *obtenebrare* & *nigrorem contrahere* propriè à Sole. Tales nempe Kedareni, ardore ſolis peruſti atque infuſcati, uti conſtat vel ex Sponſæ verbis in Cantico Solomonis cap. 1. 5. *Nigra ſum &c. ut tentoria Kedar*, id eſt, juxta interpretem Chaldæum כבני דכוש דשרין במשכני קדר *ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Kedar*. Sed & *Dumah* ubi Arabiæ ſibi cognomini nomen dedit, uti colligitur ex Eſai. XXI. 11. Quoad *Thema*, originem is dedit illi *Thema*, cujus mentio eſt Job. VI. 18. Jerem. XXV. 23. Cœterùm Iſmaëlitarum horum terminos figit Moſes Geneſ. XXV. 18. ubi eos habitâſſe docet מהוילה עד שור *ab Havilah uſque ad Sur*, *quæ eſt è regione Mitzraim*, *dum pergis in Aſſur*. Joſephus Antiq. Jud. l. 12. amplam nimis Iſmaelitis habitationem aſſignat, totum videlicet tractum ab Euphrate fluvio ad mare rubrum uſque. Atqui ulterius Orientem & Euphratem verſus habitârunt Amalecitæ & Moabitæ, imò nec hi Euphratem habitatione attigerunt. Ex hoc loco conſtat, Iſmaëlitas occupâſſe totam illam vaſtam ſolitudinem Arabiæ, quæ pro diverſitate locorum diverſa ſortitur nomina. Ea enim parte quæ Orientalis eſt & Amalecitis proxima, vocatur ſolitudo *Hevila*, qua parte Ægyptum attigit ſolitudo *Sur*. Alibi etiam vocatur deſertum *Kedar*, *Pharan*, *Sin*. &c.

XXVII. Ex Hagare ortum duxére Hagareni ſeu Agareni; ex Iſmaële Iſmaëlitæ, qui poſtea nomine Scenitarum, Saracenorum & Arabum venerunt. Agarenos Ptolomæus vocat Ἀγραίους *Agraos*. Eorum mentio eſt Pſalm. LXXXIII. 7. *Tabernacula Edom & Iſmaëlitarum*, Moab והגרים *& Hagareni*. Ubi Chaldæus vertit הונגראי *Hungaros*. Unde hodierni Judæi Hungaros vocant *Agaros*, vel *Agarios*. Verùm etſi aliquam differentiam inter Agarenos & Iſmaëlitas innuere videatur Pſaltes: tamen *Agarenos* non tam Hungaros quàm Arabiæ populum eſſe, ſatis conſtat. Ita Gabriel Sionita in deſcriptione Arabiæ cap. 1. *Arabia ab Araba, plaga non longè à Medina ſita, nomen ſortita eſt, quam incoluit Iſmaël Abrahami & Hagaræ filius, à quo etiam Iſmaëlitæ & Hagareni dicuntur*. Scaliger de Emendat. Temp. lib. II. p. 110, 111. *Latiſſimè patet Arabum appellatio, quorum unum nomen,*

cogno-

Digitized by Google

cognomina autem infinita. Sed præcipuè ſunt Hagareni & Saraceni. Hagareni enim ab Hebræis dicuntur הגרים *ab ancilla Hagaris, & ab Arabibus ipſis* ערב אלהגרי *Arab-Elhagiari. Dicuntur etiam* אלמהגרין *Elmagarin, & fortâſſe inde Græcis recentioribus* Μαγαρίζειν *pro* Μαομετίζειν, *&* Μαγαρισμὸς *pro* Μαομετισμός. *Sed dubitari poteſt.* In eo tamen fallitur Illuſtris Scaliger, quod Arabes אלמהגרין *Elmagarim* ab Hagare dici innuat. Conſtat quippe, Muhammedis demum tempore eos duntaxat, qui cum eo ſolum verterunt, vocatos fuiſſe אלמהגרין hoc eſt, *religionis causâ exulantes*, ſeu *fugam capeſſentes*. Nam האגר apud Arabes eſt *religionis causâ ſolum vertere.* Iſmaëlitas quod attinet, ſeu אמה אסמאעיל *populum Iſmaëlis*, uti Arabes vocant; propriè illos non eſſe omnes, qui Arabum nomine veniunt, ſed ex Arabibus tantùm Schachinos atque Hillelos, Arabiæ deſertæ incolas, velle quoſdam refert Leo Africanus in Deſcript. Africæ p. 41. Sed & Doctiſſimus Pocokius in notis ad Abulfarajum. p. 38. 39. ex mente Abulfaraji diſtinguit inter Arabes oriundos à *Kabtane* ſeu Joctane & *Adnano*, qui fuerit ex poſteris Iſmaelis. Kathano ergo oriundos vocari אלערב אלעארבה *Arabes puros*, ſeu *genuinos*: reliquos autem qui ex Adnano adeóque Iſmaele genus ducunt אלערב אלמסתערבה *Monſtarabes* ſeu Arabes factos, & *inſititios*. Hanc Arabum qui hodie ſuperſunt, receptam eſſe diſtributionem, probat ex Abulfede. Cùm tamen Arabes inſititii ortum ſuum debeant Iſmaëli, *quem Muhammedis avum* vulgò dicunt, factum eſt, ut Arabes & Iſmaelitæ συνωνύμως apud Scriptores ponerentur. Hinc Gen. XXXVII. 25. 27. pro ישמאעלים *Iſmaëlitis* Onkeloſus habet ערבאי Saadias Arabs אלעראב & Tavaſus Perſa ערבן *Arabes.* Quin & Giggæus in Theſauro Arabico refert, Arabes Iſmaelem Arabicæ linguæ authorem facere. Hinc Judæi vulgò Muhammedanos eoſdem cum Iſmaelitis faciunt, tum quia Muhammedis genus ab Iſmaele ducitur: tum quia Iſmaelitæ ipſi propriè ſunt Arabes, qui Muhammedis placita primi receperunt. Et in Rabbinorum ſcriptis omnes Muhammedani *Iſmaëlitarum* nomine veniunt. Iidem Iſmaelitæ cur *Scenitarum* nomine veniant, obſcurum non eſt. Denique & Saracenorum nomine ſequioribus temporibus venire cœperunt. Ita enim Thargum Hieroſolymitanum Iſmaelitas Geneſ. XXXVIII. 25. interpretatur סרקין *Saracenos* ſeu *Saracæos*. Pharan oppidum ab Iſmaelitis conditum Hieronymus & Epiphanius teſtantur. *In deſerto autem Pharan*, inquit Hieronymus de locorum Hebræorum interpretatione, *ſcriptura commemorat habitâſſe Iſmaëlem. Unde & Iſmaëlitæ, qui nunc Saraceni.* Hinc Saracenorum regionem haud longè à Pharanitide ponit Ptolemæus. Scaliger Aramiduenſ. in Euſebium notat, vetuſtiores Ptolemæo Saracenorum non meminiſſe. Contrarium tamen liquet ex

 Mariano

Digitized by Google

Mariano Heracleota, qui τῶ Σαρρακηνῶν nomine eos intellexit, quos veteres appellârunt Ἄῤῥαβας, Σκηνίτας. Errant qui à Sara uxore Abrahami traxiſſe eos appellationem putant: etſi ita Saracenos jactare refert Hieronymus. Repugnat enim notatio nominis. Quippe nomini סרקין ineſt litera ק quæ ſemper radicalis eſt, nunquam inſititia. Neque ulla hiſtoria illorum favet judiciis. Cur enim ab ea Arabes dicti Saraceni, quibus nunquam illa imperavit, quos nunquam genuit? Scaliger de Emendat. Temp. lib. II. p. 111. Saracenos hodie à vicinis dici אלסרק *Elſarak*, hoc eſt, Ληϛρικὺς καὶ νομαδικὺς, ut verè ſunt, ſcribit. Derivat igitur à סרק quod *furari* ſignificat. Verùm cùm non vicini ſoli ipſos inſigniant hac voce, ſed ipſi etiam ſe hoc nuncupent nomine, probabile non eſt, tam infame nomen illos toleraturos. Accedit quod סרק non tam *furari* quàm *clam furari* ſignificet apud Arabes; quo nomine publicis latrociniis infames deſignari vix poſſunt. Cl. Salmaſius Exercit. Plin. p. 485. probabiliùs derivat à Σάῤῥακα oppido Arabiæ, cujus etiam Ptolemæus meminit. Aliam etiam derivationem affert doctiſſimus Pocockius Notis in Abulfarajum p. 34. ut Saraceni dicti ſint quaſi סרקיין & סרקין *Scharkiun* & *Scharkiin* hoc eſt אהל אלסרק *incolæ Orientis*, *Orientales*, quales habiti olim Arabes, Judæis imprimis, *quorum terra fineſque quà ad Orientem vergunt, Arabià terminantur*.

XXVIII. De Hagare poſtquam illa in deſerto ab Angelo conſolationem accepit, nihil ulteriùs Scripturæ memorant. Nam fabulis deputandum, quòd poſt mortem Saræ Hagarem rediiſſe in thorum Abrahami comminiſcuntur Rabbini, qui eam cum Cethura confundunt. Quod commentum alibi à nobis eliſum eſt.

XXIX. Iſmaëlis verò mortem narrat Scriptura Geneſ. xxv. 17. *Hi ſunt anni vitæ Iſmaël, centum triginta ſeptem anni: defecitque & mortuus eſt, aggregatuſque eſt ad Patres ſuos.* Quòd verò verſu inſequente dicitur, על פני כל אחיו נפל alii ad *mortem* Iſmaëlis, ad *habitationem* ejus alii referunt. Ad habitationem referunt LXX. Interpretes, qui ita exponunt. Κατὰ πρόσωπον πάντων τῶ ἀδελφῶν κατῴκησεν: *Ad faciem omnium fratrum ſuorum habitavit.* Eodem modo Thargum Onkeloſi, Syrus, Arabs, Vatablus, Tremelius. Ita Hebræi quidam, teſte Abenezra, poſt נפל *cecidit* ſubaudiunt חלקו או גורלו *portio ejus vel ſors ejus.* Putant igitur notari, quòd è regione omnium fratrum habitaverit, & maximum tractum occupaverit, juxta prædictionem Angeli Geneſ. xvi. 12. Ad *mortem* refert vulgatus Interpres, qui ita convertit: *Coram omnibus fratribus ſuis obiit.* Ita Abenezra: ויתכן שהכתוב דבר על ישמעאל שמת בחיי אחיו אחר שנפל כי לא ידענו סבת מותו: *Et probabile mihi, Scripturam dicere de Iſmaële, quod mortuus ſit ſuperſtitibus fratribus ſuis,*

poſtquam

Digitized by Google

poſtquam cecidit, quia cauſam mortis ipſius ignoramus. Cœterùm prior expoſitio mihi præferenda videtur. Quorſum enim attinebat repetere mentionem mortis quæ proximè præceſſerat. Tum non obſcura eſt impletio in iis verbis Vaticinii Angelici, quo prædictum eſt fore, ut habitet על פני כל אחיו *è regione omnium fratrum ſuorum.* Neque inſolens videri debet ellipſis vocis גורל *ſors*, cùm ejuſmodi ellipſeos exempla plura oſtendi poſſint. Imò citra ellipſin illud נפל explicari poteſt de habitatione, ex analogia loci Judic. VII. 12. ubi Midian, Amalek & Cedem dicuntur נפלים *jacuiſſe fuſi* ſeu *caſtrametati* in valle tanquam locuſtæ præ multitudine. Vide plura de eo loco apud Doctiſſimum Tarnovium Exercit. Bibl. pag. 895.

XXX. Iſmaëlem maximo in pretio atque dignatione habent Muhammedani. Paſſim enim vocant נבי *prophetam*, nec non גר מהמד *avum Muhammedis.* Imò plerunque eum cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo conjungit Alcoranus. Surata 36. Muhammed ipſum vocat רביח אללה *ſacrificandum Deo*, errore intolerabili ipſum confundens cum Iſaco. Unde Muhammedis ἀμάθεια & ἀνιστορησία æſtimari poteſt.

XXXI. Saram & Hagarem typum facit eccleſiæ Veteris ac Novi Teſtamenti Apoſtolus Gal. IV. capite. Eum typum evolvimus paucis tomo priori Exercit. III. 47.

EXERCITATIO SEPTIMA
DE
FOEDERE ABRAHAMICO
Ejúsque ſigno
CIRCUMCISIONE.

Breviarium.

Dei bonitas ſingularis in confirmandis expreſſo fœdere promiſſis. 1. *Tempus fœderis Abrahamici cur annotaverit Moſes. Modus communi-*

municationis, viſio. 2. Fæderi huic cur Deus præfatus fuerit his verbis: שדי אני אל *Ego ſum Deus Schaddai. Vocem* שדי *vel à* די *vel à* שד *ubere derivari. Dei ad fædus ſanciendum ſufficientia. Fueritne fædus hoc* μονόπλευρον *an* δίπλευρον? 3. *Stipulatio, & ſponſio Dei, nec non aſtipulatio Abrahami præcedens fædus ipſum. Ambulare coram Deo. Qualem perfectionem ab Abrahamo requiſiverit Deus? Thalmudiſtæ & Pontificii pulſati. Proſtratio Abrahami qualis geſtus fuerit?* 4. *Fæderis diſtributio. Promiſſionis divinæ partes. Promiſſio hæredum. Ex Abrahamo Reges & populos plurimos ortos eſſe demonſtratur.* 5. *Subſtantia fæderis explicata. Quid intellexerit Deus per ſemen Abrahami poſt ipſum, quocum æquè ac cum Abrahamo initum fædus, inquiritur. Promiſſa fæderis generalia & ſpecialia, nec non periodi tres temporum diſtinguuntur.* 6. *Summa fæderis: Ut ſim tibi in Deum & Semini tuo poſt te, explicata. Promiſſionem eam fuiſſe evangelicam probatur contra Judæos & Schmalcium. An Judæi agnoſcant, in lege promiſſionem vitæ æternæ contineri.* 7. *Ordo promiſſorum beneficiorum Dei. Terram Canaan ſemini Abrahami promiſſam eſſe ut typum & pignus Chriſti & vitæ melioris aſſeritur.* 8. *Quomodo in terra Canaan Deus ſemini Abrahami ſit factus in Deum?* 9. *Fædus Abrahamicum quomodo rationem habuerit* διαθήκης *ſeu teſtamenti? Teſtamentum prius & poſterius, vetus & novum diſtinguuntur.* 10. *An Abrahamus aliique fideles promiſſionem hanc certa fide apprehenderint?* 11. *Stipulatio Dei. Deum ab Abrahamo ſtipulari non circumciſionem duntaxat, ſed imprimis officium fidei & pietatis.* 12. *Tranſitur ad ſignum fæderis, circumciſionem. Quo ſenſu Circumciſio vocetur fædus? Bellarmini* παρερμηνεία. 13. *Tempus circumciſionis. Cur octavo die circumcidi fætum Deus juſſerit? An circumciſio anteverti vel differri potuerit? An ſi anteverteretur, repetenda?* 14. *Cur ſoli mares circumcidi debuerint? An fæminæ alio adverſus peccatum originale remedio, côque non ſcripto, ſed tradito opus habuerint? Pontificii refutati.* 15. *Quódnam ſemen illud Abrahami fuerit, quod præcepto huic circumciſionis obligatum? Hebræorum*

Digitized by Google

bræorum error notatus. Abrahami poſteros omnes, ante Politiam Iſraëliticam in terra Canaan ordinatam, & excluſas à fœdere gentes, præcepto huic obnoxios fuiſſe oſtenditur. 16. *An Abrahamus ſervos vernaculos & emptos etiam invitos circumcidere potuerit? Hebræorum de eorum circumciſione, & Chriſtianis incircumciſis perverſa opinio.* 17. *Circumciſionem an voluerit Deus perpetim obligare. Judæorum objectio ex eo, quòd vocatur* ברית עולם *fœdus ſeculi, ſolvitur. Circumciſio carnis, cordis, labiorum & aurium ex mente Judæorum diſtinguitur.* 18. *Comminatio Dei erga incircumciſos* v. 14. *quos tangat, Parentes circumciſionem negligentes, infantes octiduanos, an adultos? verſio Græca & Samaritana examinatur. Auguſtini, aliorumque de ea comminatione ſententia diſcutitur. Moſenné an filium incircumciſum Deus interficere inſtituerit? Hebræorum de ea pœna ſententia probatur. An vox* זכר *ætatem an ſexum denotet? Perkinſi & Voſſii de eo error.* 19. *An contra legem hanc peccaverint Iſraëlitæ in deſerto incircumciſi? Neglectæ ab iis circumciſionis cauſæ juxta Junium, Calvinum, alios.* 20. *Circumciſionis miniſter. An Abrahamus circumciderit ut Pater familiâs, an ut Sacerdos προεστὼς eccleſiæ? Inſtituti* מוהל *antiquitas.* 21. *Inſtrumentum circumciſionis. Quid Exod.* IV. 25. *& Joſ.* V. 25. *intelligatur per* צרים*? Silicis ſeu lapidis acuti in circumciſione uſus, & Chriſti eo inſtrumento adumbrati myſterium aſſeritur.* 22. *Judæorum ad inſtitutum circumciſionis ritum additæ δευτερώσεις, & inter eas abominabilis imprimis ſuctio perſtringuntur.* 23. *Circumciſionis myſterium explicatur. Cauſæ circumciſionis inſtitutæ, quas Judæi perhibent, ventilantur.* 24. *Verum circumciſionis myſterium ex Moſe & Paulo panditur.* 25. *Circumciſionis cum re ſua ſignificata analogia. Cur circumcidi debuerit caro præputii? Cur ſexus maſculinus? Cur octavo die? Effuſi in circumciſione ſanguinis myſterium.* 26. *Abrahami obſequium ejuſque promptitudo laudata. Hebræorum de Abrahamo tertio poſt circumciſionem die graviſſimè decumbente, à Deo & Angelis viſitato, delirium.* 27. *Herodoti aliorumque exoticorum de Origine Circumci-*

ſionis,

Digitized by Google

municationis, viſio. 2. Fæderi huic cur Deus præfatus fuerit his verbis: אני אל שדי Ego ſum Deus Schaddai. Vocem שדי vel à די vel à שד ubere derivari. Dei ad fœdus ſanciendum ſufficientia. Fueritne fœdus hoc μονόπλευρον an δίπλευρον? 3. Stipulatio, & ſponſio Dei, nec non aſtipulatio Abrahami præcedens fœdus ipſum. Ambulare coram Deo. Qualem perfectionem ab Abrahamo requiſiverit Deus? Thalmudiſtæ & Pontificii pulſati. Proſtratio Abrahami qualis geſtus fuerit? 4. Fœderis diſtributio. Promiſſionis divinæ partes. Promiſſio hæredum. Ex Abrahamo Reges & populos plurimos ortos eſſe demonſtratur. 5. Subſtantia fœderis explicata. Quid intellexerit Deus per ſemen Abrahami poſt ipſum, quocum æquè ac cum Abrahamo initum fœdus, inquiritur. Promiſſa fœderis generalia & ſpecialia, nec non periodi tres temporum diſtinguuntur. 6. Summa fœderis: Ut ſim tibi in Deum & Semini tuo poſt te, explicata. Promiſſionem eam fuiſſe evangelicam probatur contra Judæos & Schmalcium. An Judæi agnoſcant, in lege promiſſionem vitæ æternæ contineri. 7. Ordo promiſſorum beneficiorum Dei. Terram Canaan ſemini Abrahami promiſſam eſſe ut typum & pignus Chriſti & vitæ melioris aſſeritur. 8. Quomodo in terra Canaan Deus ſemini Abrahami ſit factus in Deum? 9. Fœdus Abrahamicum quomodo rationem habuerit διαθήκης ſeu teſtamenti? Teſtamentum prius & poſterius, vetus & novum diſtinguuntur. 10. An Abrahamus aliique fideles promiſſionem hanc certa fide apprehenderint? 11. Stipulatio Dei. Deum ab Abrahamo ſtipulari non circumciſionem duntaxat, ſed imprimis officium fidei & pietatis. 12. Tranſitur ad ſignum fœderis, circumciſionem. Quo ſenſu Circumciſio vocetur fœdus? Bellarmini παρερμηνεία. 13. Tempus circumciſionis. Cur octavo die circumcidi fœtum Deus juſſerit? An circumciſio anteverti vel differri potuerit? An ſi anteverteretur, repetenda? 14. Cur ſoli mares circumcidi debuerint? An fœminæ alio adverſus peccatum originale remedio, eóque non ſcripto, ſed tradito opus habuerint? Pontificii refutati. 15. Quódnam ſemen illud Abrahami fuerit, quod præcepto huic circumciſionis obligatum? Hebræorum

Digitized by Google

bræorum error notatus. Abrahami poſteros omnes, ante Politiam Iſraëliticam in terra Canaan ordinatam, & excluſas à fœdere gentes, præcepto huic obnoxios fuiſſe oſtenditur. 16. *An Abrahamus ſervos vernaculos & emptos etiam invitos circumcidere potuerit? Hebræorum de eorum circumciſione, & Chriſtianis incircumciſis perverſa opinio.* 17. *Circumciſionem an voluerit Deus perpetim obligare. Judæorum objectio ex eo, quòd vocatur* ברית עולם *fœdus ſeculi, ſolvitur. Circumciſio carnis, cordis, labiorum & aurium ex mente Judæorum diſtinguitur.* 18. *Comminatio Dei erga incircumciſos* v. 14. *quos tangat, Parentes circumciſionem negligentes, infantes octiduanos, an adultos? verſio Græca & Samaritana examinatur. Auguſtini, aliorumque de ea comminatione ſententia diſcutitur. Moſenné an filium incircumciſum Deus interficere inſtituerit? Hebræorum de ea pœna ſententia probatur. An vox* זכר *ætatem an ſexum denotet? Perkinſi & Voſſii de eo error.* 19. *An contra legem hanc peccaverint Iſraëlitæ in deſerto incircumciſi? Neglectæ ab iis circumciſionis cauſæ juxta Junium, Calvinum, alios.* 20. *Circumciſionis miniſter. An Abrahamus circumciderit ut Pater familiâs, an ut Sacerdos* προεςὼς *eccleſiæ? Inſtituti* מיהל *antiquitas.* 21. *Inſtrumentum circumciſionis. Quid Exod.* IV. 25. *& Joſ.* V. 25. *intelligatur per* צרים*? Silicis ſeu lapidis acuti in circumciſione uſus, & Chriſti eo inſtrumento adumbrati myſterium aſſeritur.* 22. *Judæorum ad inſtitutum circumciſionis ritum additæ* δευτερώσεις, *& inter eas abominabilis imprimis ſuctio perſtringuntur.* 23. *Circumciſionis myſterium explicatur. Cauſæ circumciſionis inſtitutæ, quas Judæi perhibent, ventilantur.* 24. *Verum circumciſionis myſterium ex Moſe & Paulo panditur.* 25. *Circumciſionis cum re ſua ſignificata analogia. Cur circumcidi debuerit caro præputii? Cur ſexus maſculinus? Cur octavo die? Effuſi in circumciſione ſanguinis myſterium.* 26. *Abrahami obſequium ejuſque promptitudo laudata. Hebræorum de Abrahamo tertio poſt circumciſionem die graviſſimè decumbente, à Deo & Angelis viſitato, delirium.* 27. *Herodoti aliorumque exoticorum de Origine Circumciſionis,*

Digitized by Google

ſionis, Colchorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Idumæorum rationes ad partes vocantur. Ordo circumciſionis ad gentes derivatæ exponitur. 28. *Circumciſio Muhammedanorum, ejusque origo. Eorundem figmentum de Muhammede ſine præputio nato.* 29. *ἐπισπασμὸν ſeu adductionem præputii olim ſignum fuiſſe apoſtaſiæ Judæorum, ſicut circumciſio fœderis. An de ea agatur Jerem.* IX. 25? *An* I. *Cor.* VII. 18? *Author Libri Aruch, Druſius, Hieronymus refelluntur. Epiphanii de Samaritanorum ἐπισπασμῷ narratio. Recutiti unde dicti? Baronius notatus.* 30. *Status circumciſionis quatuor, vigoris, languoris, mortis & ſepulturæ diſtinguuntur. Circumciſionis ἀφανισμός. De Timothei, Epiſcoporum & fidelium Hieroſolymitanorum, nec non Æthiopum ſeu Abyſſinorum circumciſione in regno Chriſti quid ſentiendum ſit, ediſſeritur.* 31.

I. MAxima Dei erga Abrahamum, omnesque fideles bonitas fuit, quòd hæreditatem non promittere duntaxat, ſed etiam fœdere expreſſo obſignare & confirmare dignatus eſt. Quamvis enim promiſſiones Dei gratioſiſſimæ per ſe ita comparatæ ſint, ut iis tutò acquieſcere homo poſſit: Deus tamen ſingulari gratia fœdus ſolenne ad promiſſiones ſubinde repetitas adjecit, ut eò ampliùs infirmitas hominum levaretur. Idque fœdus cum Abrahamo initum, unâ cum ejus fœderis ſigno circumciſione, delineatum nobis reliquit Moſes cap. XVII. cujus nunc expoſitionem ξὺν Θεῷ aggredimur. De fœdere ipſo agitur verſibus novem prioribus. De ſigno verò ejus, nec non fœderis illius conſequentibus reliquo capite.

II. Temporis, quo fœdus percuſſum cum Abrahamo, notatio apud Moſen præcedit his verbis: ויהי אברם בן תשעים שנה ותשע שנים *Et fuit Abrahamus nonaginta novem annorum.* verſ. 1. Non fruſtra ſanè temporis circumſtantia exprimitur, quæ plurimum ad ædificationem noſtram facit, tum ut dilationem in præſtandis promiſſionibus diſcamus oboriri à peccatis & infirmitate noſtra; tum ut veritatem Dei propter ſolam ipſius gratiam, nequicquam hominum infirmitate obſtante, ſibi egregiè conſtare cognoſcamus, & quamvis ſerò, tamen certò & infallibiliter diem promiſſionum repræſentare. Sed & modus communicationis exprimitur, nimirum *viſio.* Nam Deus וירא אל אברם *apparuit Abrahamo.* Qui quidem modus ſpectat ad conciliandam fœderi authoritatem.

III. Deus fœdus hoc percuſſurus ita præfatur: אני אל שדי *Ego ſum Deus Schaddai.*

Digitized by Google

Schaddai. Notat שדי Deum αὐτάρκη καὶ μηδενὸς προσδεόμενον *ſufficientem & nullius omninò rei indigum*, quippe per quem & propter quem ſunt omnia, qui omnibus dat vitam & halitum & omnia; ſive ita dictus ſit quaſi ש ſeu אשר די *qui ſufficiens:* ſive derivetur à שד *ubere*, eò quòd ex ejus ubere omnia ſive vivere, ſive moveri, ſive eſſe ſaltem trahant, quo ſubducto ſequitur שד ſive *vaſtitas* rerum & interitus. Notatur igitur hoc vocabulo ſufficientia Dei, inprimis ad opus miſericordiæ præſtandum. Clarum autem eſt, quam ob cauſam fœderi ſuo Deus præfari voluerit aperta mentione ſufficientiæ ſuæ: nempe ut agnoſceret Abrahamus, omnesque cum eo fideles, Deum qui ſufficit omni creaturæ ad conſervationem, & homini etiam peccatori ad ſalutem, poſſe ejusmodi fœdus cum homine etiam peccatore, adeóque planè indigno pangere, quippe qui propter ſummam ſufficientiam ſuam hominis peccatoris miſereri, ei peccatum remittere ſalva juſtitia, æternamque adeò gloriam paciſci poſſit. Deinde fœderi ſuo ſufficientiam ſuam præſtruere Deus voluit, ut innueret, diſparem longè rationem eſſe fœderum hominum inter ipſos & Dei cum homine. Homines nempe fœdus faciunt de mutuis beneficiis: Deus Schaddai ſolus ſufficiens & αὐτάρκης nonniſi de ſuis. Quid enim homo rerum omnium indigus Deo bonorum omnium fonti & Scaturigini ſpondere vel præſtare de ſuo poterit? Eſt nempe fœdus Dei cum homine nihil aliud quàm divina declaratio de ratione percipiendi amoris Dei, & unione ac communione ipſius potiundi. Denique patet etiam hinc, fœdus hoc etſi mutuo conſenſu, mutuisque conditionibus contractum ſit, unius tamen partis, nempe אל שדי *Dei Schaddai* authoritate poſitum eſſe. Unde ulteriùs liquet, quo ſenſu fœdus hoc, ſicut & alia quæ Deus pangit cum hominibus μονόπλευρον vel δίπλευρον fuerit. Quatenus enim fœdus hoc non Abrahami, ſed ſolius Dei voluntate, conſilio & authoritate ſubnixum & fundatum eſt, adeoque Deus cum Abrahamo pactus eſt non de mutuis, ſed de ſuis duntaxat beneficiis, déque ratione amoris ſui potiendi, eo ferè modo, quo victores de victis; Domini de ſervis ἀργυρωνήτοις; parentes de liberis diſponere ſolent: ſanè fœdus hoc μονόπλευρον fuit. Nihilominus δίπλευρον & mutuum etiam fuit, quatenus conſtabat mutua ſtipulatione, ſponſione & aſtipulatione, adeò ut Abrahamus Deo juxta fœderis legem adhæreſcens ipſum τῇ ὁμολογίᾳ *aſtipulatione*, vi divinæ diſpoſitionis, veluti ad præſtandum amorem & beneficia obligare potuerit, quamvis in eo fœdere ipſe nihil quicquam ex ſuis viribus contribueret, quo Deus obligari poſſet.

IV. Huic exordio, ante explicationem ipſius fœderis, ſubjicitur pro-

Digitized by Google

ximè ſtipulatio, ſponſio Dei, ac demum ſignum ὁμολογίας ſeu aſtipulationis Abrahami. Et ſtipulatur quidem Deus ab Abrahamo tum ſanctificationem tum ſinceritatem & bonæ conſcientiæ ſtudium. Sanctificatio mandatur his verbis: התהלך לפני *ambula coram me.* Quâ phraſi Deus poſtulat imitationem Dei, fiduciam in eo, miniſterium & obſequium integerrimum, adeoque ſanctificationis univerſa ſtudia, de qua phraſeos hujus vi diximus tomo priori Exercit. IX. 4. Græci interpretes pro more ſuo reddunt: *εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ, place in conſpectu meo.* Nempe quia ambulans cum Deo non poteſt non ei placere. Is enim cùm vias ſuas amet, etiam eos qui in viis ſuis ambulant, gratioſè non poteſt non amare. Thargum Onkeloſi vertit: פלח קדמי *ſervias coram me.* Hæc enim ambulatio coram Deo etiam miniſterium & obſequium, uti diximus, requirit. Syrus שפר קדמי *Benefacito coram me.* Sinceritatem & bonæ conſcientiæ ſtudium ſtipulatur his verbis: והיה תמים *& eſto integer.* תמים notat integrum, ſincerum, toto corde Deo adhæreſcentem, cui opponitur עקש *perverſus,* qui duo corda habet, & duabus viis incedit, de quibus vide Prov. XXVIII. v. 18. Eodem modo *τέλειος perfectus* ſive *ſincerus* opponitur διψύχῳ ei qui duplici corde eſt. Sponſus Cant. VI. 9. Sponſam ſuam vocat תמתי *integram meam,* quia nempe ſolus ab illa diligitur, in ſolum ipſum credit, ſolum reveretur. Quæ eſt Spiritualis matrimonii caſtitas, quâ amor externus abnegatur. Græci pro more reddunt: *καὶ γίνου ἄμεμπτος, & eſto inculpabilis.* Poſſunt enim fideles ἄμεμπτοι eſſe coram hominibus, quamvis coram Dei oculis nemo à labe omni ſit immunis. Vide Job. XV. 14. 15. 16. Ita Jobus cap. I. 1. vocatur איש תם *vir integer* alienus ab hypocriſi. Unde ſibi opponit חנף *hypocritam* cap. XIII. 16. Aſpernamur igitur meritò varia Hebræorum de hac Abrahami perfectione commenta. In Maſſeceth Nedarim cap. 3. variæ de hac perfectione ſententiæ referuntur. Alii enim ibi ajunt Abrahamum audientem hoc Dei præceptum, trepidum dixiſſe שמא דבר מגונה יש בי *fortè res turpis eſt in me.* Eam rem turpem nonnulli cenſent fuiſſe אצטגנינות *Aſtrologiam*, cui maximè deditus fuerit. Alii perfectionem hanc Abrahamo mandatam collocant in circumciſione. Neque enim Abrahamum antehac quamvis omnia Dei præcepta cuſtodiviſſet, perfectum fuiſſe, donec ſe circumcidiſſet. Omittimus etiam tum Pontificiorum de perfecta obſervantia legis, tum Photinianorum de perfectione habituali Abrahami figmenta. Quartò rectiùs ipſe Kimchius תמים opponi docet *aſtuto* שלא יעמיק במחשבתו בתחבולות העולם *qui ſe non miſcet cogitando aſtute de hoc mundo.* Poſt ſtipulationem hanc Deus promittit tum fœdus, tum multiplicationem ſeu incrementum ex fœdere: *Ponamque pactum*

meum

Digitized by Google

meum inter me & te, & multiplicabo te vehementiſſimè, v. 2. Sponſioni huic ſuccedit ſignum ſeu aſtipulatio Abrahami. Is enim יפול על פניו *cecidit ſuper faciem ſuam*. v. 3. nempe tanquam ultro cum Deo contrahens & beneficium oblati fœderis accipiens. Non puto enim teſtimonium fuiſſe hunc geſtum pavoris vel metus ob divinæ viſionis Majeſtatem, quo ſenſu eum interpretatus Jarchius in hæc verba: יפול על פניו מפני מורא השכינה שלא היה בו כח לעמוד *Cecidit ſuper faciem ſuam præ pavore majeſtatis præſentis, & quia ei non erat vis ad conſiſtendum*. Potiùs eſt ut dicamus, hunc geſtum fuiſſe humilitatis, reverenter ſe gerentis in acceptatione mandati & promiſſionum divinarum, ſimulque infirmitatem & indignitatem ſuam agnoſcentis.

V. Nunc fœdus ipſum ſequitur, in quo ὕστερον πρότερον exponitur. Nam primò ſponſio ſeu promiſſio Dei explicatur, deinde ſtipulatio. Et ſponſionis quidem ſeu promiſſionis partes tres diſtinguuntur, quarum *prima* eſt de benedictione divina in communicandis hæredibus; *ſecunda* de ſubſtantia ipſa æterni fœderis, unde aliæ omnes benedictiones velut ex fonte profluunt; *tertia* ordinis benedictionum & beneficiorum divinorum. Promiſſio hæredum facta eſt univerſe tum ſermone tum ſigno. *Sermone* his verbis: *Pactum meum tecum*, והיית לאב גוים *& eris pater multarum gentium*, hoc eſt, plurimarum gentium, uti hánc hypallagen interpretatus eſt Paulus. *Signo* autem, cùm nomen ipſius immutavit, addito ex המון litera ה ut impoſterum non אברם *Abram* amplius, ſed אברהם *Abraham* vocetur. Cujus mutationis rationem ſuperiùs expoſuimus. Modus jam poſteritatis ipſius exponitur, v. 6. his verbis: *Et multiplicabo te vehementiſſimè, ponamque te in gentes, & Reges ex te egredientur.* Intellige gentes & Reges Iſraëlitarum, Judæorum, Idumæorum, Iſmaëlitarum, aliorumque, qui ex Abrahamo per Iſacum, Iſmaëlem, & filios Cheturæ oriundi erant. Neque enim ab omni ævo quiſquam eſt, qui cum Abrahamo comparari poſſit multiplici progenie Regum. Ab illo quippe fuerunt Reges Hebræi; primò duodecim, deinde duarum, poſtremò decem tribuum. Ab illo Reges Idumæi veteres, & longo intervallo ab Herode geniti Reges. Ab illo in Africa Reges, Cethuræ genus. Ab illo Reges Saraceni in Arabia, Babylone, Ægypto, tot in Africa, tot in Hiſpania gentis ejuſmodi Reges. Ab illo denique Rex Regum, & Dominus dominantium Jeſus Chriſtus Rex omnium Regum Chriſtianorum.

VI. Subſtantia fœderis ad Abrahamum & certos hæredes ejus proventura exprimitur μάλα ἐμφατικῶς his verbis: והקימותי את בריתי ביני ובינך ובין זרעך אחריך לדורתם לברית עולם להיות לך לאלהים ולזרעך אחריך *Et ſtatuam fœdus meum inter me & te: interque ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere perpetuo; ut ſim*

ſim tibi in Deum, *& ſemini tuo poſt te.* v. 7. Partes igitur fœdus paciſcentes exprimuntur, *DEUS* nempe & *Abrahamus*, ejusque *ſemen poſt ipſum in generationibus ſuis*. Videndum hîc quid intellexerit Deus, quidque fide ſua apprehendere debuerit Abrahamus *per ſemen ejus poſt ipſum in generationibus ſuis?* Et clarum equidem eſt, non intelligi in univerſum eas gentes, eosque Reges ex Abrahami lumbis quolibet tempore naſcituros, quorum paulò antè meminerat Deus, neque adeò quodlibet ſemen carnale Abrahami. Etenim promiſſio palmaria in fœdere hoc comprehenſa, quòd Deus ſemini huic Abrahami ſit futurus in Deum, in quolibet carnali ſemine quocunque tempore naſcituro, non eſt impleta. *Secundò* Deus ipſe dicit ad Abrahamum: ביצחק יקרא לך זרע *In Iſaco tibi vocabitur ſemen*, Geneſ. XXI. v. 12. Non igitur in quolibet ſemine carnali quocunque tempore extituro: Nam & Iſmaelitæ cœterique ex Cethura oriundi poſtquam in fide Abrahami jam defecerunt, ſemen Abrahami carnale fuerunt. *Tertiò*, non quodvis ſemen carnale intelligi, oſtendit clarè Paulus Rom. IX. v. 7. *Non quia ſemen ſunt Abrahami, idcirco omnes filii ſunt Abrahami, ſed: in Iſaco vocabitur tibi ſemen. Hoc eſt: Non filii carnis ſunt filii Dei; ſed filii promiſſionis reputantur in ſemen.* Idque eo argumento probat Paulus, quòd ſermo ille, qui factus ad Abrahamum: *Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius;* ſit λόγος ἐπαγγελίας *ſermo promiſſionis.* Imò nec quodvis ſemen Iſaci eſſe illud ſemen promiſſionis, quod in fœdere hoc innuitur, probat inde, quod etiam Eſavus Iſaci ſemen odio Dei fuerit, adeóque non tale ſemen, quale filii Dei & fœderati eſſe debent. Quodnam ergò ſemen illud Abrahami fuit, quocum Deus fœdus hoc pepigit? Reſpondet Paulus Gal. III. 7. *Cognoſcitis igitur quòd qui ex fide ſunt, ii filii Abrahæ ſunt.* Sicut nempe Abrahamus credidit Deo poſt auditum ſermonem gratiæ & juſtificationis, idque ei imputatum eſt ad juſtitiam: ita quicunque credunt Deo promittenti juſtitiam, ii ſunt ſemen Abrahami, non carnis illud, ſed fidei, promiſſionis & electionis. Porro in definiendo fœderis hujus objecto multum valet diſtinctio tum promiſſionum, tum periodorum temporis. Et promiſſa quidem hoc fœdere comprehenſa alia ſunt *generalia*, qualia illa de multiplicandis hæredibus, & de gratia regenerationis ac adoptionis; alia *ſpecialia*, quale illud de poſſeſſione terræ Canaan, nec non Meſſia ſemine benedicto in ea naſcituro. Sed & temporum periodi tres diſtinguendæ ſunt; prima ab Abrahamo uſque ad ingreſſum in terram Canaan; ſecunda ab ingreſſu in terram Canaan ad Chriſtum uſque; tertia inde à Chriſto ad finem uſque mundi. Et in prima quidem illa temporis periodo fœdus illud quoad promiſſa generalia pertinuit ad poſteros Abrahami credentes

non

non tantùm per Iſacum, ſed etiam per Iſmaelem, & filios Cethuræ propagatos. Hinc etiam ad circumciſionem obligati fuerunt. In ſecunda periodo ad fœdus pertinebant ſoli Iſraëlitæ quoad promiſſa tum generalia tum ſpecialia. Etenim gentibus omnibus à fœdere excluſis ſolus tum populus Iſraël fuit Dei populus fœderis hujus particeps. In tertia denique periodo, ſublato gentium quoad promiſſa generalia diſcrimine quivis fideles, inſiſtentes veſtigiis fidei Abrahamicæ. De quo fuſiùs agemus inferiùs, ubi de ſubjecto circumciſionis.

VII. Res ſeu ſubſtantia in fœdere hoc Abrahamo ejusque ſemini promiſſa, quæ totius fœderis nucleus eſt, paucis verbis continetur: להיות לך לאלהים ולזרעך אחריך *ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te.* v. 7. Qua promiſſione nihil amplius illuſtriusve excogitari poteſt. Adeò ut meritò in ea S. Chryſoſtomus collocaverit τὸ κεφαλαίωμα τῶν ἀγαθῶν, *ſummam bonorum omnium.* Ad ejus verò intelligentiam quatuor potiſſimùm in anteceſſum notanda ſunt. Primum, quòd promiſſio hæc facta ſit Abrahamo ejusque ſemini, utrique peccatori, & ob peccatum naturâ iræ divinæ obnoxio. Idque puto eſſe ἀνεξαγώνων. Secundum, quòd peccatori Deus eſſe in Deum aliter non poſſit, quàm remittendo ei peccatum, adeóque eum juſtificando. Etenim Deus peccatori amicus eſſe nequit, niſi peccato priùs remiſſo, ne ipſi videatur ſimilis, Pſalm. L. 21. Tertium, remitti peccatum non poſſe, niſi præſtita ſatisfactione. Cujus quidem neceſſitas probari poſſet variis modis, à juſtitia Dei, lege operum, impotentia legis, ejusque maledictione, typis in V. T. futuram ſatisfactionem adumbrantibus, aliisque argumentis & teſtimoniis irrefragabilibus. Quartum denique, quòd vox אלהים *Deus* in hac locutione ſit relativa, uti ex multis Moſis & Prophetarum locis conſtat, nec non ex diſertis verbis Hoſeæ cap. 1. & 11. Ubi ejus promiſſionis relatio inprimis oſtenditur, ubi Deus populi ſui, & populus Dei ſui viciſſim appellantur. Ita Hoſ. 11. v. ult. *Dicam ei, qui non eſt populus meus, populus meus es, & ipſe dicturus eſt, DEUS mi!* Quibus in anteceſſum obſervatis, nullo negotio promiſsio in fœdere hoc facta intelligi poterit. Promittit nempe Deus Abrahamo ejusque ſemini gratiam remiſsionis peccatorum, adoptionis, in populum & hæreditatem ſuam, ac denique glorificationis. Nam cujus Deus Deus eſt, is illius eſt. Nemo autem poteſt eſſe Dei, quin remiſſo ei & expiato peccato. Cùmque niſi in Chriſto & vi meriti ipſius peccatum remitti & expiari nequeat, colligitur in ea promiſsione comprehendi Chriſtum λυτρωτὴν & meritum ac ſatisfactionem ipſius. Porro cui Deus in Deum eſt, is poteſt in Deo gloriari ut ſuo, quippe quem invenerit patrem, amicum, juſtitiam & vitam ſuam. Id ex

Digitized by Google

multis ſacrarum literarum teſtimoniis eſt clariſsimum, præcipuè ex Pſalm. XXXIII. 12. *Beata gens, cujus Deus eſt Jehova, populus, quem elegit ſibi hæreditatem.* Ita Levit. XXVI. 11. ea promiſsio declaratur: *Habitabo in eis, & ero ipſorum Deus, & ipſi mihi erunt populus.* Unde Paulus 2. Cor. VI. 16. probat, fideles eſſe *templum Dei viventis.* Ideóque quamdiu Jehova vocari voluit Deus Iſraëlis, non eſt vocatus Deus gentium: ſed gentes, quibus ſe futurum in Deum non promiſit, reliquit *ἀθέες ſine Deo in mundo* Eph. II. 12. Unde etiam quòd eſſet Deus, quid eſſet, & eum *eſſe Deum hominis*, nominatim peccatoris, non cognoverunt gentes, & non tam verum Deum coluerunt, quàm Satanam, qui Deus hujus mundi appellatur 2. Cor. IV. 4. Patet hinc ſupina oſcitantia Socini & gregalium ipſius, quibus etiam Bellarminus ipſe accenſeri poteſt, qui verbis fœderis Abrahamici promiſſam eſſe negant remiſsionem peccatorum per Chriſtum, vel vitam æternam. Et Schmalcius non veretur uti putido hoc argumento, *quòd Judæi hodierni fateantur, nullum vitæ æternæ apertum extare in lege ipſorum, vel in fœdere, quod Deus cum eis per Moſen pepigit, promiſſum.* Mirúmne eſt ergo, quòd Judæi, qui Chriſtum exhibitum ex lege ſua dignoſcere non potuerunt ſtupenda cœcitate, eundem in ea promiſſum agnoſcere nolunt? Quanquam nec verum eſt, quòd Judæi promiſſam in lege ſua vitam cœleſtem negent. Nam ut alios taceam, Author *Sepher Ikkarim* ex Deut. XXXII. 46. 47. apertè concludit, æternam vitam in lege promiſſam eſſe. Eadem quâ Bellarminus & Socinus notâ, inurendus etiam Grotius, qui paſsim vitæ cœleſtis promiſſa in V. T. extare negat.

VIII. Ordinem beneficiorum exponit Deus ſequenti verſu 8. *Dabóque tibi & ſemini tuo poſt te* ארץ מגריך *terram peregrinationum tuarum, totam terram Canaan in poſſeſſionem perpetuam: &* (tunc) *ero eis in Deum.* Duæ partes ejuſdem conſilii divini de filiis Abrahami diſtinctè hîc notantur. Prior eſt voluntas & propoſitum Dei, quo conſtituit certo ſemini Abrahami, quod vocaturus erat in Iſaco, dare hæreditatem terræ Canaan, velut terræ ſuæ. Porro terram hanc peregrinationum ſemini Abrahami promitti non ſimpliciter ut terreſtrem hæreditatem, ſed ut pignus ejuſmodi bonorum, quæ vitæ terreſtris ſpatiis non includuntur, apertum eſt. Neque enim aliâs electo ſemini Abrahami plus promiſiſſet quàm improbis, qui terram eam incoluerunt, & ejus bonis ſatiati ſunt magis quàm pii & fideles. Conſcientia autem dictabat fidelibus, amplius iis ſperandum à Deo, quàm quod ſperare poterant etiam impii. Neque rectum eſt, & naturæ Dei congruens, ut non ipſe habeatur melior omnibus, quæ in vita hac temporali homines delectare poſſunt. Non meretur etiam ulla terra abſolutè vocari hæreditas Dei,

Digitized by Google

Dei, habitaculum ſanctum Dei, terra Jehovæ, quibus nominibus venit terra Canaan Exod. xv. 13. Hoſ. ix. 3. Accedit, quòd Patres habuerint promiſsionem mercedis magnæ, quantam ſcilicet animo concipere poſſent. Et tamen ne veſtigium quidem ejus terræ poſſederunt. Cúmque Deus ſit Deus non corporis duntaxat, ſed etiam Spirituum, relinquitur, ut amplius quid ea promiſſione contineatur, quàm terreſtris hæreditas, ad voluptatem ſolius corporis pertinens. Quid verò promiſſum eſſet iis, qui periclitantes de hac vita & hæreditate terrena, propter amorem Dei animam ſuam libenter profuderunt, ſi ultra hæreditatem hanc terreſtrem nihil promiſſum eſt? Denique iniquum fuiſſet judicium, quando ſæpiùs amantes Deum propter peccata ſua in mortem corporis & graviſſimas afflictiones conjecti ſunt, ſi illi ob peccata ſua ita graviter puniti ſunt, ut fidei & ſpei ſuæ fructu carere coacti ſint: contrà oſores Dei abundarunt omne genus bonis ac terreſtribus deliciis. Quæ omnia clarè arguunt, promiſſionem hanc non terminatam eſſe in bonis terreſtris hujus vitæ, ſed aſcendiſſe altiùs, ad melioris nempe vitæ, cujus ſymbolum erat terreſtris hæreditas, poſſeſsionem.

IX. Poſterior conſilii divini pars ſequitur eodem verſu: והיתי להם לאלהים & (tunc) *ero eis in Deum.* Promiſsio hæc implenda erat, non ſtatim atque occupare cœperunt terram Canaan, ſed eâ jam in ſolidum occupatâ. Id quod factum eſt potiſsimùm ſub Haſſamonæis, quorum tempore Iſraëlitæ totam terram Canaan impleverunt. Tunc igitur erat eis Deus futurus in Deum, repræſentato nimirum Chriſto mundi Salvatore in eadem terra Canaan, quam Iſraëlitæ hactenus ut pignus ſuum inhabitaverant. Nam Chriſto exhibito Deus fecerat id, quod neceſſum erat fieri, ut fideles omnes Deum tanquam juſtificatorem & glorificatorem ſuum, cum gloria ipſius nominare poſſent. Erat ſanè Deus etiam Deus Abrahami, Iſaci & Jacobi ante exhibitum in carne Chriſtum, ſed nonniſi intuitu Chriſti Sponſoris, expiaturi in plenitudine temporum *προγεγονότα ἁμαρτήματα præcedentia peccata.*

X. Utraque pars illa fœderis hujus ſeu conſilii divini de ſemine Abrahami, in Scripturis venit nomine *Διαθήκης teſtamenti*, quod notat declarationem propoſiti divini à nulla conditione ſuſpenſi. Quod igitur Deus appellat ברית *συνθήκην fœdus*, id *διαθήκην teſtamentum* alibi appellat Scriptura, in ſignificatione metaphorica. Sicut enim qui pactum cum aliquo ratificat, alteri bonum aliquod addicit, non demum in ſtipulatione, ſed ex conditione tanquam præſtita: Ita Deus ſemini Abrahami aliquid promiſit, quod ipſi certò præſtiturus erat. Nam quæ Deus Abrahamo ejusque ſemini

Digitized by Google

ſemini promiſit, à nulla conditione ſuſpendit. Ita Paulus Gal. IV. 24. Αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. *Hæc enim ſunt duo illa teſtamenta.* Unum quidem eſt conſilium Dei. Sed quia in eo diſtinctus eſt modus regendi populum Dei, & filiorum Abrahami diſtincta forma & ſtatus, cum aſſignatione diſtinctæ hæreditatis eſt à Deo determinatus in diverſa tempora, ideo duo teſtamenta dicuntur, nempe quæ patefacta ſunt, & effectum habuerunt in filiis Abrahami. *Unum* hoc eſt, *prius*, quod & *παλαιὸν vetus* nuncupatur. Ibi nempe cœpit executioni dari teſtamentum prius, cùm Iſraëlitas in terram Canaan introducere incepiſſet Moſes, cúmque iis legem impoſuiſſet. *Poſterius*, quod & *novum* appellatur, executioni dari innuit Apoſtolus, quando ſunt in terra filii ſupernæ Hieroſolymæ: Chriſto nempe in carne exhibito. De quo vide præclara apud Celeberrimum Coccejum Commentario in caput quartum ad Galatas.

XI. Nec dubitari poſſe exiſtimo, quin Abrahamus, aliique fideles promiſsionem hanc audientes & ruminantes, certa fide illa *τίμια καὶ μέγιστα ἐπαγγέλματα* apprehenderint. Quid enim aliud in Abrahamo efficere potuit illam *ἀγαλλίασιν exultationem* & *χαρὰν lætitiam*, quam ipſi tribuit Chriſtus, quàm meditatio promiſſæ melioris vitæ & Chriſti? Inprimis cùm ibidem apertè teſtetur Chriſtus, Abrahamum diem ſuum vidiſſe. Neque Abrahamus ſagaci ingenio præditus credere potuit, præter terreſtrem hæreditatem nihil promitti amplius: imprimis cùm in ea terra uſque ad finem vitæ habitaret tanquam peregrinus. Accedit quod Paulus docet Hebr. XI. 10. exſpectâſſe Abrahâmum civitatem, quæ fundamenta habet, cujus artifex eſt Deus. Denique ipſa conſcientia dictabat, in terreſtri hæreditate non ſatis eſſe ad verum illud & ſolidum bonum, quo omnium fidelium vota & appetitus ingenitus ſuſpirant. Quæ autem fides Abrahami fuit, eadem fuit Iſaci, Jacobi, omniumque fidelium. Teſtatur quippe Paulus Rom. IV. quòd eadem fide Judæi juſtificati fuerint, quâ etiam Abrahamus. Verùm ea de re plura dicere ſuperſedemus, cùm prolixè ſatis id argumentum executi fuerimus prioris tomi exercitatione tertia, quâ Patriarcharum Theologiam expoſuimus.

XII. Sequitur nunc ſtipulatio verſ. 9. *Tu autem pactum meum cuſtodies, tu & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.* Appellat Abrahamum Deus, ut ipſe cum ſuis poſteris illud fœdus gratioſè à Deo initum ſervet, nempe obſequio fidei & veritate. Idem illud officium Deus ſtatim extendit ad obſervantiam ipſius ſigni nempe circumciſionis imperatæ. Neque tamen exiſtimandum, nihil hic amplius à Deo imperari, quàm circumciſionem. Nam primo jam verſu ſtipulatus fuerat Deus ab Abrahamo, ut cum ipſo ambu-

Digitized by Google

ambularet & integer eſſet. Neque minus nunc poſtulari putandum. Atqui mandatum illud non ſola circumciſione præputii impleri potuiſſe manifeſtum eſt. Deinde Deus requirit ab Abrahamo & ſemine ejus obſervantiam fœderis ſui. Atqui in fœdere ſuo promittens Deus, ſe fore Abrahamo & ſemini ejus in Deum, tacitè viciſſim poſtulavit ab Abrahamo, ut Deum haberet pro Deo ſuo. Quæ reciproca promiſsio egregie exprimitur loco illuſtri Deuteron. XXVI. 17. 18. 19.

XIII. Signum fœderis hujus Deus Abrahamo graviter commendat, *circumciſionem* nempe *præputii*. Expendemus autem primò mandatum generale circumciſionis; ſecundò ſingularia quædam circa circumciſionem; tertiò ejusdem myſterium & analogiam cum fœdere ipſo. Mandatum generale ita habet: *Hoc eſt fœdus meum quod obſervabitis inter me & vos, atque inter ſemen tuum poſt te* המול לכם כל זכר *ut circumcidatur vobis omnis maſculus. Circumcidetis autem* בשר ערלתכם *carnem præputii veſtri, eritque ſignum pacti inter me & vos.* verſ. 10. 11. ברית *fœdus* vocat Deus metonymicè, quod erat אות ברית *ſignum fœderis*, uti ſtatim explicatur. Neque enim ad fœderis ſubſtantiam pertinebat circumciſio, ſed ad ejus ſignificationem. Idque apparet vel eo argumento, quòd fœderis hujus ſubſtantia non ſemel in ſuperioribus jam expreſſa fuerit, inprimis cap. XV. ubi tamen præcepti circumciſionis nec vola nec veſtigium apparet. Bellarminus, qui ſe premi ſentit hoc argumento, quo locutionum Sacramentalium uſum probamus, contendit, circumciſionem eſſe & ipſum fœdus, & fœderis ſignum, utrumque ſenſu proprio. Nempe fœdus eſſe, *quatenus fœdus accipitur pro inſtrumento, quo promiſſio explicatur:* at ſignum fœderis, *quatenus fœdus accipitur pro ipſa promiſſione divina.* Alii Sophiſtæ dicunt, *non ipſam circumciſionem dici fœdus, ſed circumciſionis mandatum.* Volunt nempe, mandatum his verbis contineri: *Circumcidatur vobis omnis maſculus*; atque ad illud mandatum reſpicere pronomen *Hoc*, ut ſenſus ſit: *Hoc præceptum eſt fœdus meum.* Verùm errore manifeſto tenentur utrique. Neque enim vel fœdus ipſum inſtrumentum fœderis ſeu promiſſionis appellari, vel eodem loco una eademque vox ברית tam diverſo ſenſu uſurpari, propriè & ſine tropo poteſt. Mandatum porrò circumcidendi, non circumciſionem ipſam *fœdus* dictum eſſe, æquè falſum eſt, uti colligitur ex verſ. 13. ubi dicit Deus: *Fœdus meum erit in carne veſtra.* Non enim mandatum circumcidendi fuit in carne, ſed circumciſio ipſa: & mandatum cùm fuerit pars fœderis, non potuit eſſe ſignum ejusdem.

XIV. Singularia circa circumciſionem deinceps Deus mandat. Et primò quidem tempus determinatur his verbis: בן שמנת ימים ימול לכם כל

זכר לדרותיכם *Omnis maſculus octo dies natus circumcidetur vobis in generationes veſtras.* verſ. 12. Cauſa naturalis reddi ſolet, quòd uſque ad diem octavum partus non ſit omnino vitalis, & dubia ſit infantis ſalus, certior autem & ferè extra omne periculum poſt dies octo vitæ tranſactos: uti ex Galeno Medicorum Principe oſtendit Franciſcus Valeſius de S. Philoſophia cap. 18. Eandem cauſam perhibent etiam Maimonides, Ariſtoteles Hiſtor. Animal. lib. VII. 12. agens de infantibus τὰ πλεῖστα γὰρ ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης. Διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ. *Plurimi ante ſeptimum diem pereunt. Unde fit, ut nomina ſeptimo die imponantur, tanquam ſaluti jam pueri magis credamus.* Hæc etiam cauſa, cur pecudum partus ante octavum diem Deo non conſecrarentur Exod. XXII. 30. Alias temporis hujus determinati cauſas, quas aſſignant tum Thalmudici, tum Chriſtiani quidam, lubens prætereo. Rationem Aſtrologicam ex Planetis ſeptem, quorum ſingulorum favorem experiri debuerit infans antequam circumcideretur, commenti ſunt Judæi Genethliaci, quam adoptavit etiam Franciſcus Georgius, propterea notatus à Sixto Senenſi Biblioth. S. lib. V. Annot. 97. Circumciſio igitur cùm juxta hanc legem præciſè octavo die fieri debuerit, patet eam nec differri potuiſſe ultra eum diem, uti ſtatuere videtur Bonfrerius, Menochius, aliique: neque anteverti. Si tamen per errorem anteverteretur circumciſio, an eam repeti oportuerit, quæſitum eſt? Affirmat Gabriël Vaſquez, idque fieri potuiſſe ex Epiphanio oſtendit. Rectiùs negat Auguſtinus, ſiquidem nec infans duo præputia habet neque præputium arte medica procuratum Deo placuiſſet.

XV. Deinde quinam circumcidendi ſint, Deus oſtendit, nempe כל זכר *omnis maſculus*, adeóque tum ipſe Abrahamus, tum ſemen ejus in generationibus ſuis; etiam יליד ביתו מקנת כסף οἰκογενὴς τῆς οἰκογενείας καὶ ἀργυρώνητος *natus domi, & emptus argento à quocunque alienigena, qui non eſt de ſemine Abrahami*, verſ. 10--14. Primò quæſitum eſt, cùm mulieres nec circumcidi potuerint, nec juſſæ ſint circumcidi, an illis non opus fuerit ſigno fœderis, & quodnam remedium habuerint adverſus peccatum originale? Movet hoc dubium Becanus, & remedium illud contra peccatum originale non ſcriptum, ſed traditum duntaxat contendit, unde traditiones Moſaicas ſtabilire non veretur. Verùm etſi fœdus ipſum pertinuit ad fœminas æquè atque mares, quippe initum cum Abrahamo & omni ſemine ipſius, tamen iis opus non fuit ſpeciali applicatione ſigni. In maribus nempe circumciſæ cenſebantur fœminæ. Unde opponebantur incircumciſis non minùs quàm viri Geneſ. XXXIV. v. 14. & appellantur θυγατέρες

Ἀβραὰμ

Digitized by Google

Ἀβραὰμ filiæ Abrahami Luc. XIII. 16. Neque inſolens eſt, ut particeps ſit promiſsionis ſeu rei ſignatæ, cui non applicatur ſignum. Ita ſanguine agni conſpergebantur poſtes ædium, non homines ipſi rei ſignificatæ participes, Exod. XII. 7. 13. Filum dibaphi ſuſpenſum è feneſtra datum fuit Rahabæ meretrici in ſignum ſalutis. Neque tamen ſalvabatur ſola Rahab, ſed omnes qui in domo ejus erant, Joſ. II. 18. Præterea circumciſio non erat per ſe remedium contra peccatum originale, ſed ſignum ejus remedii gratiæ nimirum ſalutiferæ Chriſti. Non erat cauſa *phyſica* ſalutis eam operando, ſed *moralis* eam ſignificando. Cauſa autem, cur pro viris duntaxat inſtituerit Deus ſignum hoc circumciſionis, eorum carni applicandum, non item pro fœminis, hæc eſt, quia in viris activum eſt, ut loquuntur, generationis principium, quo corruptionem tranſmittunt in poſteros. Suberat & alia ratio typica, de qua inferiùs.

XVI. Deinde cùm Deus juſſerit circumcidi omnem maſculum, & pactum hoc obſervari voluerit ab Abrahamo & ſemine ipſius poſt ipſum, quodnam ipſius ſemen, ſeu qui ipſius poſteri præcepto circumciſionis obligati fuerint, ambigitur. Hebræi volunt, circumciſionem ſpectâſſe ad poſteros Abrahami ex Jacobo & Chetura oriundos, ita ut excipiantur poſteri Iſmaëlis & Eſavi. Maimonides tract. Melakim cap. 10. המילה
נצטוות בה אברהם וזרעו בלבד שנאמר אתה שביצחק יקרא לך זרע ויצא עשו
שהרי יצחק אמר ליעקב ויתן לך את ברכת אברהם לך ולזרעך מכלל שהוא לבדו זרעו של
אברהם המחזיק בדתו ובדרכו הישרה והם מחויבין *Imperata eſt Abrahæ & ſemini ſuo ſolùm circumciſio, juxta quod ſcriptum eſt; te & ſemen tuum poſt te. Excipitur autem Iſmaël, quoniam de Iſac ſcriptum eſt: In Iſac vocabitur tibi ſemen. Et excipitur Eſau. Nam Iſac dixit ad Jacob: Et det benedictionem Abrahæ tibi & ſemini tuo, adeò ut in univerſum ſemen Abrahæ tantùm diſciplinam ejus viamque rectam amplexans obligatum fuerit ad circumciſionem.* Et paulò poſt filios Kethuræ obligari ad circumciſionem ex mente Magiſtrorum aſſerit. Nihilominus vetuſtiores Hebræi in ea opinione fuiſſe videntur, quòd etiam Eſavi poſteritas præcepto circumciſionis obnoxia fuerit. Unde Idumæos ab Hircano ad circumciſionem coactos eſſe referunt Joſephus Antiq. XIII. 17. Ptolomæus apud Ammonium verb. Ἰδουμαῖοι; nec non Arabica verſio libri ſecundi Machabæorum in Bibliis Jajanis, citata apud Seldenum de Synedr. lib. II. cap. 3. Verùm quæſtio hæc decidi poteſt idonea diſtinctione temporum. Quamdiu enim Abrahami ſemen carnale ex Hagare & Cethura oriundum retinuit fidem Abrahami, & veri Numinis cultui adhæſit, adeóque in Abrahami fœdere comprehenſum fuit, tamdiu obligatum fuit ad ſignum fœderis, circumciſionem. Neque enim obligatio hæc pertinuit

Digitized by Google

nuit ad alios quàm fœderatos. Quamvis autem dubitari non poſſit, quin Abrahami ex Hagare & Cethura poſteri paulatim in fide Abrahami, & veri Numinis cultu deflexerint ad Deos gentium: tamen definito Dei judicio à fœdere Abrahamico excluſi non ſunt ante ea tempora, quibus Iſraëlitæ in populum peculiarem coaleſcentes, peculiarem etiam in terra Canaan politiam ſingulari Dei beneficio erexerunt. Eò usque igitur Abrahami poſteritas non ex Sara duntaxat, ſed etiam Hagara & Cethura circumcidi debuit. Hinc enim factum, ut non ſolùm Iſacum, ſed etiam Iſmaëlem circumciderit Abrahamus, quippe quem, quoad in familia ejus vixit, in vera religione inſtituit. Quòd enim Doctiſſimus Vogelſangius Exercit. Theol. p. 462. putat, Abrahamum nullo Dei mandato, ſed arbitrio ſuo & amore patrio Iſmaëlem circumcidiſſe, vix recipi poteſt. Numquid enim non mandatum eſt Abrahamo, ut circumcideret omnem maſculum, natum domi ſuæ & alienigenam. An igitur obligatus fuit circumcidere etiam alienigenas: at filium ex ſe ילִיד בַּיִת *domi ſuæ natum* circumcidere obligatus non eſt? Sed & Deus præcipit Iſraëlitis Deut. XXIV. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*, putà ejusdem hactenus ut ſanguinis, ita & fœderis, ſignique fœderis particeps. Obligatio autem illa poſterorum Abrahami ex Hagare & Cethura deſiit, poſtquam illis à fœdere Dei excluſis, Deus cœpit eſſe in Deum ſoli illi Abrahami ſemini, quod per Jacobum propagatum eſt, Iſraëlitico putà populo, Dei peculio. De eo vide doctiſſimam diſſertationem ſolidiſſimi Theologi Joh. Cloppenburgii *Synt. Sel. Exercit.* pag. 277. nec non Cl. Mareſium *in defenſione fidei Catholicæ* p. 650. ubi ſalutem adjudicat etiam filiis Abrahæ, quos ſuſtulit ex Cethura. Salvari autem non potuerunt niſi fœderis participes. Quòd verò Deus Geneſ. XVII. v. 21. declarat, ſe pactum ſuum confirmaturum in Iſaco, id reliquos Abrahamidas ante conſtitutam politiam Iſraëliticam, & aditam terræ Canaanéæ hæreditatem non excludit à fœdere, ſed Iſaci poſteros hæredes terræ Canaan & peculium Dei futuros, excluſis ſuo tempore reliquis tum Abrahamidis, tum gentilibus cœteris; & ex ejus lumbis per Jacobum procreatum iri benedictum illud ſemen, non vel ex Hagaris vel Cethuræ poſteris, duntaxat declarat.

XVII. Quòd verò Abrahamus jubetur circumcidere non tantùm omnem maſculum, putà ex ipſo oriundum, ſed etiam vernaculos & ἀργυρωνήτυς ſeu ſervos & alienigenas emptos; id ipſum quoque anſam præbuit quæſtioni: *An ejusmodi ſervi vernaculi vel ἀργυρώνητοι ex Abrahamo non oriundi etiam inviti & reluctantes circumcidi potuerint?* Cùm enim circumciſio obligaverit ad ſuſcipiendam legem & fidem Abrahami, & fides ipſa cogi-

non

Digitized by Google

non poſſit, non videntur illi, ſi renuerent, circumcidi potuiſſe. Verùm quoad eos ſervos, quos jam in ſua familia aluit Abrahamus, dubitari non poſſe puto, quin fideles fuerint, & proſelythi, uti vocant, juſtitiæ. In poſterum autem præceptum circumcidendi etiam non videtur obligâſſe alios, quàm proſelythorum liberos. Etenim alienigenæ, qui ſacra Judæorum non ſuſceperunt, etiamſi inter Judæos habitare ſeorſim potuerunt, in domum tamen Hebræi alicujus recipi non potuerunt, niſi ejerata impietate & ſuſceptis per proſelythiſmum Judæorum ſacris. Ineptiunt pro more Hebræi, ſtatuentes, ſervos Abrahami circumciſos non fuiſſe ipſius fœderis, & privilegiorum ejus participes, ſed tantùm in commodum dominorum ſuorum dolorificam hanc notam in ſe ſuſcepiſſe. Ita Eliezer Pirke cap. 29. *Cur autem circumcidit illos? Propter purificationem, ne contaminarent dominum ſuum cibo ac potu ſuo. Quicunque enim edit cum præputiato, is veluti cum cane edit.* Unde obiter liquet, quo loco Chriſtianos incircumciſos habeant Judæi, canum videlicet, plus quàm canina impudentiâ & rabie. Etenim id ſi verum eſt, talis etiam fuerit Abrahamus in præputio, omneſque ante ipſum ſancti. Sed hic mos eſt hominum illorum arrogantium, reliquos mortales præ ſe ſpernere omnes.

XVIII. Circumciſionem porro inſtitutum eſſe voluit Deus non temporarium, ſed perpetuum. Ita enim ad Abrahamum dicit: *Hoc pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, atque inter ſemen tuum poſt te* verſ. 10. Illa tamen perpetuitas reſtringenda ad ea tempora, quibus circumciſio fœdus, adeóque promiſſum in ea Chriſtum ſignificare potuit. Nam exhibito Chriſto tanquam corpore & eſſentia, quid neceſſum erat amplius vigere typum & figuram? Neque audiendi Judæi, qui ex verſ. 13. ubi Deus pactum illud in carne Abrahamidarum eſſe jubet לברית עולם *in fœdus perpetuum*; colligunt, inviolabilem quolibet tempore eſſe oportere circumciſionis religionem. Etenim non tam inde colligitur, quòd circumciſio tanquam fœdus æternum duratura ſit in æternum, quàm quòd circumciſio ſignum eſſe debeat æterni fœderis. Neque enim ipſa circumciſio fœdus eſſe debuit, ſed æterni fœderis ſigillum. Tum vocem עולם reſtrictam & determinatam aliquando durationem notare, probant loca plurima. Unde ipſe Jarchius ad locum 1. Sam. 1. 22. ubi Samuel dicitur manſurus in domo Dei לעולם *in ſeculum*, notat, ibi notari עולם של לוים חמשים שנה *ſeculum Levitarum, quod eſt 50. annorum* juxta Num. v. 25. Confer Deut. xv. 17. Exod. xxi. 6. Pſal. cxix. 93. Prov. xxii. 28. Jerem. ii. 20. Quin ipſe Kimchius in Radice כל allegat traditionem Magiſtrorum de domo R. Eleazer, quod omnis locus, in quo dicitur נצח vel סלה

vel

Digitized by Google

vel עד non habeat הפסק לעולם ולעולמי עולמים *intermiſſionem uſque in ſeculum & ſecula ſeculorum.* Cùm igitur nulla trium harum vocum hîc occurrat, ſed vox עולם apparet, æternitatem præciſè non denotatum iri, ſi referretur ad ſignum fœderis. Vide de eo plura egregia apud Raymundum Martinum in Pugione fidei p. 3. diſt. 3. cap. 11. Cùm igitur vox עולם nec neceſſariò referenda ſit ad ſignum fœderis, nec præciſè & ſemper notet æternitatem, ſed modò durationem *ἄπειρον infinitam*, modò *ἀόριστον indefinitam*, modò *πεπερασμένην καὶ ὡρισμένην finitam*, & ad certam periodum limitatam; patet perperam à Judæis immutabilitatem præcepti circumciſionis hinc aſtrui. Addo ab Hebræis ipſis quatuor præputiorum genera obſervari & conſtitui ערלת בשר *præputium carnis*, ערלת לב *præputium cordis*, ערלת שפתים *præputium labiorum* & ערלת אזנים *præputium aurium.* Ita diſtinguit R. Zehira apud Eliez. Pirke cap. 29. Semper autem neceſſaria eſt non tam circumciſio *carnis*, quàm *cordis*, *labiorum*, & *aurium*, quæ hodiéque in eccleſia poſt abolitam circumciſionem carnis remanet.

XIX. Circumciſionis præceptum Deus ſanxit graviſſima comminatione verſ. 14. *Incircumciſus maſculus, qui non circumcidet carnem præputii ſui,* ונכרתה הנפש ההוא מעמיה *utique exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia pactum meum irritum fecit.* De pœna illa כרת quam minatur hîc Deus incircumciſis, prolixè egimus tomo 1. Exercit. 11. 13. 14. Proinde hîc operam non ludimus. Cùm verò pœnam eam graviſſimam Deus comminetur, ערל זכר אשר לא ימול את בשר ערלתו *incircumciſo maſculo, qui non circumciderit carnem præputii ſui*, dubitatum eſt, an hæc denuntiatio pœnæ pertinuerit ad ipſos pueros poſt octavum diem adhuc incircumciſos, an potiùs ad eos qui jam adulti circumciſionem neglexerint? Prius placuit LXX. Interpretibus, qui ita habent: Ἀπερίτμητος ἄρσην, ὃς οὐ περιτμηθήσεται τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας αὐτοῦ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ γένους αὐτῆς. *Qui non fuerit circumciſus maſculus, qui non circumcidetur carnem præputii ſui octavo die, interibit anima illa de genere ſuo.* Hanc verſionem ſecuti quidam Veteres, fœdus, quod infantes non circumciſi irritum feciſſe credebantur, explicabant non de pacto circumciſionis, quippe quod non tam infans, qui diſcernere necdum voluerit, verùm majores ejus, qui id ſervare poterant & debuerant, irritum feciſſent: ſed de eo fœdere, quod cum primo homine iniviſſet Deus. Ita S. Auguſtinus de C. D. lib. XVI. 27. Verborum horum ſenſum eſſe ait: *Qui non fuerit regenitus, interibit anima illa, quia teſtamentum meum diſſipavit, quando in Adamo cum omnibus ipſe peccavit.* Ita Beda in cap. 2. Lucæ, cùm hunc Geneſeos locum citâſſet, addit: *Non pactum utique circumciſionis, (quod non infans qui diſcernere*

diſcernere nec dum voluit, verùm majores ejus, qui id ſervare noverant, poterant, debuerant, irritum fecerunt) ſed illud ſignificatur pactum, quod cum primo homine Deus iniit; quodque omnis qui vel unius diei vitam geſſit in terra prævaricatus eſſe convincitur, atque ideo remedio ſalutis aliquo opus habere non ignoratur. Cœterùm ut eò confugerent Sancti Patres, neceſſum minimè erat. Verè enim pœna excidii pertinebat ad eos, qui non fœdus ipſum duntaxat, ſed etiam ſignum fœderis, circumciſionem neglexerant. Cœterùm verba Græcæ verſionis ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *octavo die* in Hebraico textu non apparent, in quo ſimpliciter pœnæ excidii ſubjacere ſtatuitur *incircumciſus maſculus, qui non circumciderit præputii ſui carnem*, non, qui illud non fecerit *octavo die*, quæ verba ἀπὸ τοῦ κοινοῦ perperam repetierunt Interpretes Græci. Neque enim credibile eſt, voluiſſe Deum excidii pœnam decernere infanti octiduano incircumciſo, qui non ſua ſed parentum vel aliorum culpa circumciſus non eſt. Deinde exempla eorum, qui circumcidendi erant in familia Abrahami, ſatis arguunt non agi hîc de pœna infantum octiduanorum. Omnes enim adulti erant. Hinc reliqui Interpretes Orientales, Thargum Onkeloſi & Jonathanis, Syrus & Arabs. Solus Interpres Samaritanus Græcos imitatus ita legit: אשר לא יגול את בשר ערלתו ביום השמיני *Cui non fuerit circumciſa caro præputii ſui in die octavo*, &c. Verùm illud à Doſitheo, alióve Samaritani codicis interprete è Græcis transſumptum eſſe conjectat Seldenus. Alii parentibus ſeu Curatoribus filiorum recens natorum circumciſionem negligentibus pœnam hanc à Deo indictam eſſe exiſtimant. Ita Diodorus Tharſenſis in catena in Geneſin: *Quid infans incircumciſus peribit? Eſt enim parentum, ut octavo die circumſecentur. Codex igitur apud Syros ita habet: Quicunque non circumcidit, peribit.* Et Procopius Gazæus: *Quid peccat vel deliquit octo dierum infans, ſi non circumciſioni admoveatur? Aut relatio itaque ad parentes facienda eſt, aut hyperbolicè de infantibus hæc dicta ſunt, ut appareat, quàm indignè ferat, ſi infantes non circumcidantur; vel ut cognoſcamus, eum inexorabilem fore adultis, ſi circumciſionem aſpernati fuerint.* Eò propendent etiam Pererius, Lyranus, Dionyſius, Carthuſianus, alii, urgentes exemplum Moſis, quem Deus quæſivit ad necem ob filii ſive Gerſomi ſive Eleazari intermiſſam circumciſionem, Exod. IV. 24. Verum ſanè eſt, hac ſanctione reos etiam fieri graviſſimæ pœnæ parentes, alióſque qui liberorum circumciſionem ex mero contemptu neglexerunt. Hoc tamen loco pœna ſancitur diſertè adverſus ערל זכר *incircumciſum maſculum*. Quoad Moſen, res ea erat extraordinaria, non æſtimanda ex ordinaria lege divina, ſed ex divino tunc placito. Nec conſtat liquidò, an Moſen ipſum, an potiùs filium incircumci-

cumciſum ad necem Deus quæſiverit, de quo in loco agemus fuſiùs. Puto igitur ſimilimum vero, pœnam excidii Deum comminari non vel infanti octiduano incircumciſo, quamvis poſt LXX. Interpretes, Chryſoſtomum, alióſque id viſum fuerit etiam magnis viris Calvino & Chamiero, noſtratibus; vel parentibus ſeu curatoribus liberorum, circumciſionem die octavo intermittentibus; quamvis & illi maximum ſibi reatum contraxerint: ſed maſculis incircumciſis, cùm ad diſcretionis annos pervenerint, & circumciſionem hactenus intermiſſam ſuſque deque habuerint, & à parentibus neglectam approbaverint. Durum quippe nimis eſt, infantem omni culpa vacantem ſupplicio addicere. Et eum maſculum intelligit Deus, qui fœdus ſuum irritum facere poteſt. Talis autem non eſt maſculus octiduanus, ſed adultus & uſus rationis particeps. Quo argumento meritò hanc ſententiam tuetur Vir magnus Franciſcus Junius: *Actiones voluntatis*, inquit ille, *qualis eſt fœdus irritum facere, in pueris aut ignorantibus fœderis eodem loco haberi non poterant, atque in iis, qui voluntariè peccaverunt.* Sermo igitur eſt de profanis contemptoribus, qui circumcidi carnem ſuam in ſeſe certâ malitiâ neglexerunt. Eadem ſententia eſt Hebræorum. Sapiens Abenezra ſic ad eum locum commentatur: טעמו אם היה בר מצוה ולא ימול את בשר ערלתו יש עליו כרת כי מצוה הנער הקטן על האב ואם אביו לא מלהו ימול עצמו ברשותו וכרת ביד השמים *Senſus ejus eſt. Si fuerit filius præcepti* (hoc eſt, majorennis, quem tredecim annorum ætate definiunt) *& non circumciderit carnem præputii ſui, impendet ei exciſio. Quoniam præceptum quidem de parvulo datur Patri. Sed ſi Pater eum non circumciderit, ipſe ſe circumcidet. Et exciſionis pœna eſt ab ipſo Deo.* Et pergit ita: והטועים יחשבו כי אם מת הנער ולא נמול אין לו חלק לעולם הבא *Et errant, qui exiſtimant, adoleſcentem, qui mortuus fuerit, nec circumciſus, neutiquam habere ſortem in futuro ſeculo.* Ita etiam Maimonides tractat. מילה cap. I. ubi etiam ex mente Hebræorum parentes vel dominos ipſos circumciſionem intermittentes reos quidem fuiſſe *præcepti affirmativi violationis*, ſed non item excidii, quippe cujus reatus non pertinuerit niſi ad incircumciſum adultum. Eadem ſententia etiam placet Viro Doctiſſimo Gerardo Johanni Voſſio *Hiſt. Pelagianæ* lib. II. p. I. 43.2. Verùm argumento ille pugnat parùm idoneo. Verba ejus ſunt: *In Hebræo eſt* זכר *quod marem ſive virum notat, unde & ea voce utitur Moſes cap. I. 27. Maſculum & fœminam creavit eos. Quare videtur locus iſte ex Geneſi adductus potiùs accipi debere de adultis, qui circumciſionem negligunt, vel ejus à parentibus neglectum approbant: prout etiam eum locum unà cum Cajetano interpretatur Doctiſſimus Socer noſter Fr. Junius.* Eodem argumento pugnat etiam Pererius. Verùm cùm hoc ipſo capite verſ. 12.

Digitized by Google

verſ. 12. nomine זכר *maſculi* veniat etiam בן שמנת ימים *filius octo dies natus*, patet argumentum illud ſatis infirmum eſſe, cui proinde tutum non ſit inniti, cùm firmiora, quæ antea produximus, ſint in promptu. Ita Lev. XII. 2. 7. mentio eſt ילדת לזכר *parientis maſculum.* Proinde vox illa זכר non tam ætatem, quàm ſexum cujuslibet ætatis notat.

XX. Comminationi huic graviſſimæ opponi poſſe videtur Dei indulgentia, qui excidi non curavit tot millia Iſraëlitarum, qui in deſerto nati circumciſi non ſunt, antequam populus univerſus per Jordanem in terram Canaan traductus ſubſtitit Gilgale in colle præputiorum. Joſ. v. 4. 5. 6. &c. Verùm nullo negotio reſponderi poteſt. Sive enim intermiſſa eſt circumciſio ob aſſiduitatem itineris, & quia infantes, præciſe octavo die juxta præſcriptum legis circumcidi non potuerunt, ob incertitudinem itineris, & nubis præambulantis: apparet neceſſitatem fuiſſe intermittendi, cujus author fuit ipſe Deus, non contemptum circumciſionis. Intelligenda eſt autem hæc lex cum exceptione ſummæ neceſſitatis, cujus Deus ipſe author cenſeri poſſit. Sive in pœnam & maledictionem Deus ipſe Iſraëlitis ordinavit, ut tanquam indigni hoc ſacramento circumciſionis privarentur, ita tamen, ut innoxiis hæc privatio non noceret; quæ ſententia eſt Calvini: apparet, contra legem hanc non militare Judicium Dei, qui legem dixit non ſibi, ſed hominibus. Sive denique quod Doctiſsimo Junio placuit, Deus voluit, ut exciſis in deſerto rebellibus pœna pertineret ad plures, exemplum ad omnes; quomodo Magiſtratus ſolet in publico peccato parcere publico, neque omnia ſummo Jure, prout ſingularia peccata merita ſunt, cruentare; veluti cùm Romani ſolebant cohortes noxias centeſimare, viceſimare, decimare: liquet, neglectæ circumciſionis reos non tuliſſe impunè, ſed ab ipſo Deo exciſos eſſe juxta legem, quamvis non ad omnes ſeveritas, ad quos exemplum redundavit. Nos interim cauſam neglectæ tamdiu circumciſionis, ſuo loco uberiùs diſceptabimus. Sufficit hîc cognoſci, quòd quæcunque ex his ſententiis allatis recipiatur, nihil in fraudem legis hujus omnino deſignatum fuerit.

XXI. Circumciſionis primæ adminiſter fuit Abrahamus. An tamen ex inſtitutione divina circumcidere debuerit ut Paterfamiliâs, an ut Sacerdos vel προεςὼς eccleſiæ, non exprimitur. Dubium proinde, cui potiſſimùm incubuerit officium circumcidendi. Cùm fuerit publicum Eccleſiæ Sacramentum, videri poſſit, nonniſi à Sacerdotibus illud adminiſtrari potuiſſe. Nihilominùs Hebræi plerique ſtatuunt, pertinuiſſe eam curam ad Patremfamiliâs, & eo abſente ad domum judicii. Ita R. Levi Barzelonita: אין הנשים חיבות במילת בניהן אלא האב או בית דינה במקום שאין

Digitized by Google

לחן אב *Non debent mulieres circumcidere ſuos filios, ſed pater, aut domus judicii ubi pater non eſt.* Maimonides tamen à reliquis nonnihil recedens, circumcidendi curam nemini niſi gentili abjudicat; qui propterea marginali nota caſtigatur. Et ſanè proprius ejus miniſter non videtur fuiſſe Sacerdos. Cùm enim ſuum Sacerdotibus munus in lege accuratè præſcribatur, ſingulæque ejus partes explicentur, nulla tamen uſpiam circumciſionis ab iis ſolis adminiſtrandæ mentio eſt. Fuerit igitur hoc officium Patrumfamiliâs, vel eorum etiam, qui Patrumfamiliâs vice defuncti ſunt. Sequioribus tamen temporibus id negotii dari cœpit communi cuipiam artis hujus perito, quem מוהל *Mobel* ſeu circumciſorem nuncupant. Quem quidem morem non planè recentem, ſed jam Johannis Baptiſtæ tempore obſervatum eſſe, Cl. Gomarus in Luc. II. 21. inde conjectat, quòd Luc. I. 59. dicitur: *Et die octavo venerunt ut circumciderent eum, & vocabant nomen ejus Zachariam.* Quibus ſanè verbis & circumciſio & nominis impoſitio tribuitur advenientibus, non Zachariæ, quippe qui non advenerat, ſed domi erat, neque nomen illud impoſuerat, ſed impoſitum mutaverat.

XXII. Inſtrumentum circumciſionis in S. Scriptura vocatur צור Exod. IV. 25. & חרבות צרים Joſ. v. 2. Non conſentiunt omnes, cujusmodi ea voce inſtrumentum deſignetur. Cauſa dubitationis, quia צור & acutum gladium & petram ſignificat. Ita Pſal. LXXXIX. 44. Redire feciſti, hoc eſt, retudiſti, *Tzur aciem gladii.* In hoc tamen argumento notione petræ, lapidis & ſilicis eam vocem interpretantur Orientales plerique. Ita Exod. IV. v. 25. vocem צור quâ Zippora filium circumcidit, Græci reddunt ψῆφον *calculum*, ſeu Hieronymo interprete *lapidem duriſſimum, & omni duritate pleniſſimum.* Thargum Onkeloſi טינרא *petram*, Syrus טרנא *ſilicem*, Arabs צואנא *ſilicem.* Similiter Joſuæ v. 2. חרבות צרים quibus Joſue curare debuit circumcidi filios Iſraël, Græci interpretes reddunt *μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου cultros petrinos de petra acuta,* Syrus ספסירא דטרנא *gladiolum ſiliceum* כבאבין מן צררת צרא *cultros ex petra dura.* Et ſanè propriè צור notat *petram* ſeu *lapidem*, non *acutum gladium* vel *aciem*, niſi ſignificatione tralatitia à ſilicis duritie. Unde etiam veteres Hebræi in Bereſith rabba illos חרבות צרים in loco Joſuæ explicant גרבן דטינרי *novaculas ſaxeas.* Et Maimonides Mor. Nev. p. I. c. 16. *Joſuam uſum eſſe duris ſilicibus*, non acutis gladiolis aſſerit. Quam & ſententiam & notionem verbi צור tantò lubentiùs amplector, quantò concinnior & aptior eſt applicatio ad Chriſtum, qui petra vocatur. I. Cor. X. 3. Sed abſurdum nonnulli putant, lapide præputia circumcidi poſſe. Verùm falluntur illi oppidò. Nam paganos olim virilia vel ſilice vel Samia teſta reſecuiſſe, graviſſimi autores ſunt,

Digitized by Google

ſunt, qui ſcribant. Minutius Felix in Octavio de Gallis virilia ſibi amputantibus: *Cui teſtâ ſunt obſcœna demeſſa, quomodo Deum violat, qui hoc modo placet?* Et Arnobius lib. v. *Atys teſtulâ ſibi genitalia deſecat.* Juvenalis Satyra 6. *Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.* Sed & Laurentius Ranciretus, qui hac de re plurima diſſeruit, teſtatur, Occidentalis terræ incolas expolire ſilices, quibus ad circumciſionem, venæque ſectionem utantur, etſi magna nunc apud eos ſit copia ferri. Hodie Judæi utuntur novacula ex qualibet materia ad ſectionem apta, putà lapide, vitro vel ligno. Ita Maimonides Hil. Mil. cap. 2. ובכל מילין ואפי׳ בצור הזכוכית ובכל דבר שכורת ולא ימול בקרומית של קנה מפני הסכנה *Circumciſionem peragunt qualibet re, etiam ſilice, vitro acuto, & omni re alia quæ ſcindit. Non tamen circumcidunt fragmento cannæ propter periculum.*

XXIII. Præter ea quæ de circumciſionis ritu hactenus ex Scriptura attulimus, addiderunt non pauca Judæi deuterotæ. Idque manifeſtum eſt ex Hilcoth Milah R. Maimonidis, ubi requiſita circumciſionis fuſè ediſſerit, quæ omnia ad decem capita, & totidem requiſita revocare ſolent, ubi innuit etiam R. Eliezer Pirke cap. 19. Etenim ad circumciſionem ritè peragendum requirunt Magiſtri 1. Subjectum, nempe filium vel ſervum. 2. Tempus, puta diem octavum, niſi adverſa valetudo ultra diem octavum differre jubeat. 3. Inſtrumentum, quale eſt cultellus vel novacula. 4. Miniſtrum, puta *Mobel* qui circumciſionem peragit, quem expertum artis hujus, vigilantem & induſtrium eſſe oportere ajunt. 5. Ablutionem pueri, & involutionem. 6. Benedictionem circumciſioni præmittendam. 7. Locum, puta peculiarem, quale eſt cubiculum. 8. Modum, ad quem refertur fricatio præputii, abſciſſio, ſuctio ſanguinis, & glandis denudatio, impoſitio emplaſtri &c. 9. Benedictionem Patris & cœtûs inter abſciſſionem & denudationem glandis. 10. Benedictionem *hammobel* circumciſione finita ſuper cyathum vini rubri. Ex his ritibus imprimis abominabilis & ignominioſa eſt *ſuctio*, quam meritò Ragmundus Martinus Pug. fid. p. 3. diſt. 3. cap. 11. exſibilat his verbis: *Quanto vituperio inficitur ac ponitur os illud profaniſſimum, quod ſapiùs blaſphemavit Dominum Jeſum Chriſtum? Quotieſcunque enim parvulum vel magnum circumcidunt, ſuſceptum in os veretrum tamdiu ſugunt, quamdiu inde ſanguis egreditur: Rabbinorum ſuorum cupientes obedire mandato.*

XXIV. Supereſt ut circumciſionis ſignificationem & cum re ſignificata analogiam, quæ omnibus in Sacramentis utramque paginam facit, inveſtigemus. Neque enim circumciſio tale quid fuit, quod citra σχέσιν ſeu relationem ad aliud quidpiam placere Deo potuerit. Et illam per ſe

οὐδὲν *nihil* eſſe, docet Paulus 1.Cor. VII.19. Unde diſertè אות ברית *ſignum fœderis* appellat Deus Geneſ. XVII.11. Quæ cauſa eſt, quòd ipſimet Judæi agnoſcant, circumciſioni altius quid, & μυστηριῶδες ineſſe. Unde eam מסתורין μυστήριον ſeu *myſterium* uſitatè appellant. Verùm quod myſterium illud ſit, mira cœcitate & certiſſimo Dei judicio non aſſequuntur. Idque patebit, ſi cauſas circumciſionis inſtitutæ finales ex mente eorum ediſſeruerimus, quas reddunt varias, uti videre eſt apud Philonem Judæum, Joſephum, Maimonidem, R. Levi Barzelonitam, alióſque. *Prima* eſt χαρακτηριστική, ut populus Dei hâc veluti expreſſâ notâ diſtinguerentur à reliquis gentibus. Sicut enim forma animarum à gentibus diſtincti ſint, ita etiam formâ corporis ab iiſdem eos diſtingui oportuiſſe. *Secunda* eſt השלמת הגוף *perfectio corporis*. Quippe perfectionem figuræ humanæ in remotione eſſe præputii, quod in corpore redundare ſapientes ipſi doceant. *Tertia* eſt allegorica, quam ſic explicat R. Levi: *Voluit Deus eſſe perfectionem in manu hominis, neque creavit eum perfectum ab utero matris, ut ſignificaret ei, quòd quemadmodum perfectio figuræ corporis in manu hominis eſt, ſic in manu ejuſdem ſit perficere formam animæ, in rectè ordinandis operibus ſuis. Quarta*, ut ſerviat edomandæ libidini carnis. Cui rationi etiam ſubſcribit Toſtatus. *Quinta*, ut bonum fœcunditatis & numeroſioris ſobolis inde promoveretur. *Sexta*, ut pars hæc ſimilitudine quadam cor humanum referret; *ſiquidem* verba ſunt Philonis Judæi, *ab altera parte ſpiritus animales, ab altera genitales procreantur. Quocirca priſci homines æquum cenſuerunt, occultæ illi potiorique parti, ceu fonti ſenſuum animi, aſſimilare viſibilem hanc partem, unde craſſiorum ſenſuum corporis origo eſt.* Plures afferunt Philo Judæus aliique recentiores, quos tamen non æquè omnes probant. Cœterum infirmæ ſunt & futiles pleræque hæ rationes, neque omnino mentem & inſtitutionem Dei aſſequuntur. Et *prima* quidem, ut eſſet character gentis, quò diverſitate illa noſceretur, uti etiam loquitur Tacitus, etſi aliquid veri habet, proinde etiam à S. Patribus Chryſoſtomo, Theodoreto, Auguſtino aliiſque adoptata: at inſtitutionem minimè exhaurit. Neque enim credibile eſt, Deum hoc præcepto κυρίως intendiſſe ejuſmodi χαρακτηρισμὸν, qui centenis aliis modis longè clariùs adumbrari potuiſſet. *Secunda* ratio impia eſt, & in Deum Creatorem, qui corpus humanum creavit, ut reliqua omnia טוב מאד *bonum valde*, adeóque perfectione ſua minimè deſtitutum. Etenim ſi in ſtatu innocentiæ perſeverâſſet homo, utique nihil defuiſſet ad perfectionem corporis, quamvis in eo ſtatu circumciſio ne quidem locum habitura fuerit. *Tertia* favet viribus humani arbitrii, quas ubique S. Scriptura deprimit. Nec ſolidior eſt *quarta*. Etenim ea ſi obtinet, neceſſe eſt circum-

Digitized by Google

circumciſio fuerit remedium naturale, non ſignum ſupernaturale fœderis, uti S. Scriptura diſertè vocat. Eodem argumento impugnari poteſt etiam ratio *quinta*. Accedit, quòd & olim Judæi, Ægyptii, Saraceni, hodiéque Turcæ circumciſi non minùs, quàm cæteræ gentes non circumciſæ, & magis fortè intemperantes ſunt, & voluptatum appetentes. Denique & *ſexta* ratio putida & frivola eſt, cui nec ratio ſana, nec Scriptura aſtipulatur. Patet igitur Judæos mirâ cœcitate perculſos, cùm nulla re magis quàm circumciſione glorientur & lætentur, ejus tamen ſignificationem, & myſterium ſolidè ignorare. Neque mirum eſt, cùm ipſum fœdus, cujus ſignum eſſe circumciſionem Deus juſſit, innato ſtupore aſſequi minimè valeant.

XXV. Nos igitur ex ipſis S. Scripturarum penetralibus circumciſionis myſterium, & cum fœdere ipſo analogiam nullo negotio evolutam & explicatam dabimus. Voluit nempe Deus circumciſionem eſſe אות ברית *ſignum fœderis*. Fœdus autem continere promiſſionem gratiæ ſalvificæ Dei, puta remiſſionis peccatorum, adoptionis, regenerationis, glorificationis, & horum omnium beneficiorum authoris Jeſu Chriſti, ſuperiùs oſtendimus. Sequitur igitur beneficia hæc ampliſſima ſigno circumciſionis adumbrata & ſignificata eſſe. Atque hanc eſſe veram cauſam inſtitutæ circumciſionis, dubitare minimè ſinit Paulus illuſtri in loco Coloſſ. II. 11. ubi circumciſioni carnali tanquam ſigno, opponit rem ſignificatam *περιτομὴν ἀχειροποίητον circumciſionem non factam manibus*. Eam verò collocat primò in *ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν*, *depoſitione corporis peccatorum*. Nempe homini, quoad vivit, luctandum eſt cum *corpore peccatorum carnis*. Ab hoc certamine cùm liberantur fideles, quod fit in morte, qua exuitur illud corpus peccati, quodammodo circumciduntur. Atque hic primus eſt ingreſſus in gloriam, qui fit in conſummatione ſpiritûs, adeóque glorificationis perfectæ principium. Secundò *in reſurrectione corporis*, adeóque in circumſione à morte corporis & pulvere, nempe per reſuſcitationem carnis ad participationem gloriæ, quemadmodum & Chriſtus reſurrexit à mortuis, verſ. 12. Tertiò *in vivificatione ex morte in delictis & præputio carnis*. verſ. 13. Eſt autem illa vivificatio ex morte in delictis ipſum beneficium regenerationis. Quartò *in remiſſione peccatorum*, uti ſtatim ſequitur: *χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα*, *condonans vobis omnia peccata* verſ. 13. Nempe cum regeneratione & dono fidei etiam juſtitia & condonatio peccati accipitur. Quintò *in liberatione* ſeu *chirographo in placitis nobis contrario* verſ. 14. 15. Complectitur autem illa liberatio tum abolitionem reatus adhuc incumbentis per ſanguinem Chriſti: tum liberatio-

nem à jugo præcepti carnalis & ſervitute, adeóque etiam principibus & poteſtatem habentibus, qui ſemen Abrahami erant ſervituti ſubjecturi. Has partes circumciſionis ἀχειροποιήτου perſpicuè enumerat Paulus, quas omnes complectitur promiſſio illa, quâ dixit Deus: *Fiam tibi in Deum* q. d. Ego qui jam te regeneravi & ſanctificavi, etiam ſum juſtitia tua, & efficiam aliquando, ut etiam reatus adhuc incumbens humano generi per Chriſtum expietur, maledictio ceſſet, & onus legalis ſervitutis tollatur; denique te implebo, ut ſancta voluntate, ita ſumma lætitia & gloria in meliori vita. Atque hujus jam fœderis & circumciſionis ἀχειροποιήτου ſignum ſtatuitur circumciſio præputii. Id ipſum verò Judæis Pauli authoritatem aſpernantibus demonſtrari clariſſimè poteſt, tum ex eo, quòd circumciſio fœderis divini, in quo omnia ea beneficia promiſſa eſſe liquidò veritati dedimus, ſignum diſertè ſtatuitur: tum ex eo, quòd מילת הלב *circumciſionem cordis* legimus, tum mandatam Deut. x. 16. Jerem. IV. 4. tum promiſſam Deut. xxx. 6. quam proinde circumciſioni carnis, ut rem ſignatam ſigno opponi manifeſtum eſt. Quid enim convenientius excogitari poteſt, quàm circumciſionem carnis συστοιχεῖν & reſpondere circumciſioni cordis? Atqui cor ſanè circumcidi non poteſt, niſi regenerato & à reatu peccati abſoluto homine. Regenerari autem & juſtificari homo niſi per meritum Chriſti non poteſt.

XXVI. Jam & ſigni hujus cum re ſignata analogiam perſpicere nullo negotio dabitur. Etenim præputii ſeu carnis ipſius circumciſio perſpicuè repræſentat abolitionem vetuſti hominis, & amputationem concupiſcentiarum carnis, adeóque renovationem & regenerationem hominis. Mors præputii vetuſti hominis carnalis mortificationem exprimit. Eadem præputii depoſitio manifeſtè adumbrat depoſitionem corporis peccatorum per mortem, poſtquam Spiritus conſummatur, & in gloriam intrat. Effuſio ſanguinis in circumciſione carnis, à qua filius Tzipporæ dictus eſt חתן דמים *ſponſus ſanguinis.* Exod. IV. 25. repræſentat clarè admodum ſanguinem teſtamenti ad ſanctificandum ſemen promiſſionis olim à ſemine, in quo eſt benedictio, fundendum. Hinc in Sacramentis N. Teſtamenti ſublata eſt effuſio ſanguinis, eò quòd conſummata fuerit in Chriſto veritas. Maſculum cùm circumcidi juſſit Deus, in eo etiam typum fecit Chriſti Salvatoris. Quòd verò pueros inprimis circumcidi præcepit Deus, hoc ipſum etiam analogiam habet cum fœdere, cum Abrahamo & ſemine ipſius poſt ipſum inito. Hoc igitur oſtendit, quam ſpem habere de ſemine ſuo, & à quo benedictionem exſpectare oportuerit. Circumciſio puerorum fieri debuit octavo die. Spiritualis δήλωσις erat, ut notaretur dies

primus

Digitized by Google

primus ſequentis ſeptimanæ. Nempe circumſtantia illa diei typus fuit diei Solis, qui octavus, adeóque poſt exactam hebdomadam primus, quo contigit ea circumciſio, qua conſcientia peccatoris purificari, & à reatu abſolvi debuit. Eſt autem ea facta per reſuſcitationem Chriſti ex mortuis, teſte Paulo Gal. v. 25. *Reſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtri.*

XXVII. Supereſt obſequium Abrahami promptiſſimum, quo præceptum circumciſionis executus eſt. Etenim poſtquam Deus ſermonem cum ipſo finivit, *tulit Abraham Iſmaël filium ſuum, & omnes natos domus ſuæ, & omnem emptum argento ſuo, omnem maſculum ex domeſticis ſuis, & circumcidit carnem præputii eorum eo ipſo die, ſicut locutus fuerat cum eo Deus,* verſ. 23. Singulare hoc pietatis & fidei Abrahamicæ documentum eſt, quòd in re gravi, & cùm ipſi tum univerſæ poſteritati futura moleſtiſſima, non iniit cum carne & ſanguine conſilium, ſed eo ipſo ſtatim die, quo Dei mandata accepit, voluntati Dei morem geſſit. Et primò quidem Abraham ſe ipſum circumcidi curavit; natus annos nonaginta novem, cùm tamen illa ætas & huic actui ineptior, & ad curationem incommodior, & perſona in ſpeciem gravior fuerit, quàm ut coram domeſticis ſe denudari pateretur. Proinde illa circumſtantia temporis meritò obſervata eſt ad demonſtrandum obſequium fidei Abrahami. De quo ita S. Chryſoſtomus in Geneſin homil. 40. Μὴ νομίσῃς ἁπλῶς ἡμῖν τῶν ἐτῶν τὸν ἀριθμὸν τὴν γραφὴν ἐπισημήνασθαι, ἀλλ' ἵνα καὶ ἐκ τούτου μάθῃς τοῦ δικαίου τὴν πολλὴν ὑπακοὴν, ὅτι ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ ὢν πράως ἤνεγκε τὴν ὀδύνην διὰ τὸ τοῦ Θεοῦ ἐπίταγμα. *Ne putes omninò fruſtra annorum numerum Scripturam indigitare, ſed ut ex eo diſcas juſti hujus obedientiam multiplicem, quòd in extrema ſenectute æquo animo toleravit dolorem propter Dei mandatum. Neque enim parum eſt circumcidi carnem de cætero ſanam.* Ineptiunt tamen pro more Rabbini, qui Abrahamum circumciſum & tertio die poſt circumciſionem tantùm non infernali cruciatu divexatum, à Deo & Angelis ad ſublevandum dolorem ejus viſitatum eſſe comminiſcuntur. Quò referunt in Pirke Eliezer, Bereſith Rabba, Tanchuma, Baal Hathurim & alibi paſſim locum Geneſ. XVIII. 1. ubi Jehova Abrahamo dicitur apparuiſſe in Elon Mamre, ſedenti ad oſtium tabernaculi כחם היום *cùm calere inciperet dies*, quæ verba cùm eundem faciant numerum cum his ־פקר כחו־ה *ad viſitandum in morbo*, nempe 381. argutè hinc conficiunt, illam viſitationem divinam ægrotantis ex circumciſione Abrahami. Quaſi videlicet non aliam ob cauſam Abrahamum inviſerint Angeli, quàm ut dolorem circumciſionis levarent; cùm tamen ſequentia clarè indicent, hanc legationem ſuſceptam fuiſſe eo fine, ut Abrahamo nuntiarent uxoris conceptionem, & Sodomæ excidium. Deinde

& Iſmaë-

Digitized by Google

& Iſmaëlem circumcidit natum annos tredecim, reliquumque omne famulitium; non quòd ipſe circumcidendorum omnium miniſterium obiverit, ſed quòd ejus authoritate & nutu ea omnia geſta ſint.

XXVIII. Circumciſionis præceptum pertinuiſſe ad omne ſemen Abrahæ, etiam ex Hagare & Chetura propagatum, quoad illud fœderi divino adhæſit, & ab eo definito Dei judicio excluſum non eſt, ſuperiùs obſervavimus. Factum hinc eſt ut præter populum Judaicum multi alii etiam ex Abrahamo non procreati, imitati tamen hactenus Abrahamidas, circumciſionem admitterent. Meminerunt authores varii, quamvis de circumciſionis origine nec eadem nec vera aſſerant. De Colchis, Ægyptiis, Æthiopibus, Phœnicibus, Syris ita habet Herodotus in Euterpe: Μοῦνοι πάντων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ οὗτοι ὁμολογοῦσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες οἱ τούτοις γείτονες ὄντες, ἀπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι. Οὗτοι γάρ εἰσι οἱ περιταμνόμενοι ἀνθρώπων μοῦνοι. Καὶ οὗτοι Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποιεῦντες κατὰ ταὐτά. Αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων οὐκ ἔχω εἰπεῖν, ὁκότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἐξέμαθον. *Soli ab antiquo circumciſi ſunt Colchi & Ægyptii & Æthiopes. Phœnices autem, & qui in Palæſtina ſunt Syri fatentur, hunc ſe morem ab Ægyptiis accepiſſe. Syri verò qui ad Thermodontem & Parthenium ſunt amnem, & Macrones horum vicini, à Colchis ſe didiciſſe dicunt. Hi enim ſoli ſunt qui circumciduntur, faciuntque ea in re eadem quæ Ægyptii. De Æthiopibus autem & Ægyptiis, utri ab alteris acceperint, liquidò dicere non poſſum.* Similia habent Diodorus lib. I. de Colchis, Strabo lib. 17. de Troglodytis, Ammonius de Idumæis; Joſephus Antiq. lib. 12. de Iſmaëlitis, aliique plures. Verùm non uno errore plerorumque illorum & imprimis præcedens illa narratio Herodoti tenetur. Etenim primò is Colchos circumciſionem admiſiſſe ἀπ' ἀρχῆς *ab initio* fingit. Conſtat Colchos eſſe qui in Scriptura vocantur כסלוחים *Casluchi.* Ii ex Ægypto migrarunt in Colchidem. Ea migratio facta eſt ante tempora Abrahami, quia ex Casluchis orti Philiſtæi jam tum pulſis Avuæis Palæſtinâ potiebantur, & Reges ſuos habebant, quibuscum Abrahamus fœdera percuſſit. Cùm autem Philiſtæi, qui ex Colchis oriundi, circumciſionem tempore Abrahami non admiſerint, ſequitur eandem etiam Colchos ignorâſſe. Imò credibile eſt Colchos homines Ægyptiacæ originis aliquot poſt migrationem ſeculis hunc ritum ſuſcepiſſe Ægyptiorum æmulatione, ut hac etiam parte patriſſarent. Unde ab Ægyptiis potiùs circumciſionem habere Colchos, innuit etiam Diodorus. Secundò in eo etiam admodum Herodotus fallitur, quòd Syros, qui in Palæſtina ſunt, hoc eſt, Judæos fateri

fateri dicit, quòd circumciſionem ab Ægyptiis & Colchis didicerint. Id enim à vero remotiſſimum eſt, cùm Judæi contra pertendant, Ægyptios à Joſepho didiciſſe circumcidi. Vide Scriptorem Lexici Aruch, quem citat Druſius lib. 6. Præteritorum. Quin potiùs circumciſionis ritus ex Abrahamo ad Arabes, ex Arabibus ad Ægyptios manâſſe videtur. Neque omnibus ab antiquo Ægyptiis commune fuit circumcidi, ſicut Judæis, uti vel ſolius Apionis Ægyptii hominis exemplo Joſephus prodidit. Tertiò Phœnices Herodotus poſuit pro Idumæis, uti etiam Ariſtophanes Avibus, ubi Ægyptios & Phœnices Ψωλὺς vocat. Et Ammonius de verborum differentiis: Ἰδυμαῖοι ἢ τὸ μὲν ἀρχῆθεν ὐκ Ἰυδαῖοι, ἀλλὰ Φοίνικες καὶ Σύροι. *Idumæi ab origine non Judæi, ſed Phœnices & Syri.* Idumæi porro non utique ab Ægyptiis, ſed ab Eſavo circumciſionem ſuſceperunt. Quartò Æthiopes ex Cethuræ poſteris habuerint circumciſionem ſi vera ſunt, quæ de eorum ſedibus Cleodemus Propheta, Malchas dictus, narrat apud Alexandrum Polyhiſtorem, citantibus Joſepho Antiq. I. 16. & Euſebio Præparat. Euang. IX. 20. Nos potiùs ab Arabibus vel Ægyptiis hauſiſſe Æthiopes hunc ritum arbitramur. Rectiùs igitur nos quàm Herodotus, ordinem derivati hujus ad varias gentes ritus, eruimus hoc modo. Abrahamus primus omnium divino mandato circumciſionem ſuſcepit. Idque faſſus eſt etiam Theodorus carmine de Judæis, cujus verſus ea de re citantur apud Euſebium de Præparat. Euangel. IX. 22. Ab Abrahamo per Iſmaëlem circumciſionem acceperunt Arabes & Æthiopes. Ab Arabibus Ægyptii. Ab Ægyptiis Colchi. Ab Eſavo Idumæi.

XXIX. A vetuſtis Arabibus & Iſmaëlitis idem circumciſionis ritus manavit ad Saracenos. A Saracenis ad Turcas, qui hodieque eo utuntur. Neque enim circumciſionem ipſi Turcæ pro novo legis Iſlamiticæ præcepto, ſed pro veteri admodum ab Iſmaële aut Eſavo antiquitùs propagato habent. Parciùs de ea loqui Muhammedanorum Scriptores, obſervat Doctiſſimus Eduardus Pocokius in Notis ad Abulfarajum. Apud Algazalium tamen hæc leguntur: *Quod ad mundationem quæ fit per circumciſionem, mos eſt Judæis circumcidere pueros die poſt partum ſeptimo (diem partûs non computat) at mos illis contrarius differre illam, uſque dum dentibus plenè inſtructus ſit puer, qui mihi magis arridet, ac à periculo longiùs abeſſe videtur.* Ebnol Athir Arabum Muhammede antiquiorum morem ſic deſcribit: כאנן יכתנון לשן מעלומה פימאין עשר כנין וחמס עשר: *Solebant circumcidere ætate certa, decimum inter & decimum quintum ætatis annum.* Nempe Iſmaëlis exemplo non circumciduntur niſi poſt tertium & decimum annum, quò idonei ſint ad edendam confeſſionem Islamiſmi, quæ peragi ſolet his verbis: לא אלה

Non eſt Deus niſi unus & Muhammed ejus Propheta. Ipſe Muhammed de eo nihil certi conſtituit. Hoc duntaxat ab eo dictum laudatur: אלכתאן כנה ללרגאל ככרכה ללנסא *Circumciſio ritus eſt viris neceſſarius, fœminis honorabilis.* Hinc circumcidi dicuntur apud Muhammedanos non viri duntaxat, ſed etiam fœminæ. Sic ex Benſidi Gabriël Sionita, cap. 15. Deſcript. Arab. At Bartholomæus Georgievitz id negat lib. 2. de moribus Turcarum. *Fæminæ*, inquit, *non patiuntur circumciſionem, ſed tantummodo verba* jam dicta *confitentes Musluman efficiuntur.* Quoad ipſum Muhammedem, eum natum aſſerunt Muhammedani מכרורא מיערורא *umbilico & præputio præciſis.* Id nempe finxerunt Muhammedani, ut Moſi aliiſque Patriarchis, de quibus idem fingunt Judæi, ſimilis habeatur Muhammed.

XXX. Grande ſcelus, & profanatæ circumciſionis nefas olim habitus eſt meritò ἐπισπασμὸς, ſeu attractio præputii. Id qui attentarent, dicti ſunt משוכים & ἐπισπαστικοί. Tribuitur hoc Judæis quibuſdam 1. Machab. 1: 12. 16. qui coalituri cum gentibus vicinis ἐποίησαν αὐτοῖς ἀκροβυστίας, καὶ ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας, *fecerunt ſibi præputia, & à ſancto fœdere deſciverunt, & cum Gentibus conjuncti ad malum patrandum ſe emancipârunt.* Quæ verba quamvis Hieronymus lib. 14. Eſai. 52. ita interpretatur, ut Judæi illi feciſſe ſibi præputia dicantur, non in ſuis ipſorum corporibus, ſed in naſcentium filiorum, quorum circumciſionem neglexerint: tamen Joſephus teſtis ejus rei omni exceptione major Antiq. XII. 6. addubitare non ſinit, quin verum ἐπισπασμὸν homines illi attentaverint. Eodem author libri Aruch, & ex eo doctiſſimus Druſius referunt locum Jerem. IX. 25. *Ecce dies veniunt, dixit Jehova, & viſitabo* כל מול בערלה *omne circumciſum in præputio, Ægyptum & Jehudam & Edom & filios Ammon* &c. Circumciſos in præputio interpretatur eos, qui poſtquam circumciſi eſſent, præputium attraxerunt. Et tales fuiſſe Ægyptios, circumciſos quidem, quo tempore vivebat Joſephus: at illo mortuo præputia adducentes. Verùm meritò hanc interpretationem rejicit vir πολυμαθέστατος Petrus Curtæus de Rep. Hebr. III. 5. Etenim ſuo adhuc tempore recutitam eſſe eam gentem Herodotus & Strabo, & qui diu poſt illos vixerunt, Hieronymus & Ambroſius memorant. Cùmque Spiritus S. circumciſos cum præputio appellet primùm Ægyptios, dein Judæos, notum eſt, univerſum populum Judaicum, etſi ad impietatem identidem prolapſus eſt, & Deum negligere ſacra profanáque omnia polluere didicit, circumciſionis tamen ritum retinuiſſe conſtantiſſimè, eáque re ſemper gloriatum eſſe uſque ad ineptias & cum deriſu. Circumciſi igitur in præputio alii non ſunt, quàm qui carnem circumciſam, at cor præputiatum habent. Rectiùs igitur ad ἐπι-

σπασμὸν

Digitized by Google

σπασμὸν illum refertur locus Pauli 1.Cor. VII. v. 18. περιτετμημένος τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. *Circumciſus aliquis vocatus eſt, ne attrahat præputium.* Hieronymus quidem totum illum locum de cœlibatu & conjugio explicat. Verba ejus ſunt: *Eo tempore quo vocatus es, & credidiſti; ſi circumciſus, hoc eſt, cælebs eras, noli adducere præputium, ne circumciſionis & pudicitiæ libertatem oneres ſarcina nuptiarum.* Rationem cur à proprietate literæ diſcederet, affert hanc, quia *non ſit poteſtatis noſtræ, præputium adducere poſt circumciſionem.* Sed Hieronymum abripuit ultrà quàm ſatis erat, cœlibis vitæ amor. Neque ejus ratio ſolida eſt. Nam attractionem præputii arte medica procurâſſe Samaritanos quondam, teſtatur Epiphanius lib. de menſuris & ponderibus, cujus verba ſunt: *Severi temporibus Symmachus quidam Samarita ex numero ſapientum apud ipſos, cùm non reperiſſet fidem apud propriam gentem, principatûs ſtudio ægrotans, & contra propriam tribum indignatus, accedit ad Judæos, & fit proſelythus, & circumciditur ſecunda circumciſione. Et ne mireris de hoc, optime auditor; contingit enim hoc. Qui enim à Judæis ad Samaritanos profugiunt, rurſus circumciduntur. Similiter & qui à Samaritanis ad Judæos confugiunt. Adbuc gravius eſt, quòd etiam à circumciſione primùm præputiati fiunt, arte quadam medica, per inſtrumentum attractorium, quod* σπαθῆρα (lege σπασθῆρα à σπάω traho. Si enim à σπαθάω *texo* deſcenderet, dicendum σπαθητήρ) *vocant, internam membrorum cuticulam attrahentes, ſuturámque admittentes, & glutinatoriis circumdantes, præputium rurſum ſuperinducunt.* Et poſſe medicamentis præputium adduci, teſtatur etiam Celſus lib. VII. 27. Sicut autem circumciſio ſymbolum erat veræ religionis, ita hic ἐπισπασμὸς apoſtaſiæ. Perperam tamen Baronius Annal: Eccleſ. ad A. C. 34. eos qui ita adducebant præputia, Latinè dici *recutitos* à cute reſtaurata, ſcribit. Nam eam vocem communem fuiſſe omnium Judæorum, teſtari poſſunt Poëtæ Latini, Martialis, Perſius, Sidonius, alii. Recutitus nempe idem eſt quod cute nudatus, λιπόδερμος. Unde in Gloſſ. Recutiti ſunt ἀποτετυμμένοι, περίτομοι, ii nempe quibus cutis retroverſa. Relicta enim pellicula, poſt præputium ablatum, retro cogitur.

XXXI. Aptè admodum Theologi quatuor faciunt ſtatus circumciſionis, nimirum *vigoris*, *languoris*, *mortis* & *ſepulturæ*. Vigebat nempe quoad nexum obligationis uſque ad Chriſtum. Languebat Chriſto nato uſque ad mortem ejus. Moriebatur unâ cum Chriſto mortem oppetente. Denique ſepulta eſt unâ cum ſepultura Synagogæ, quæ poſt Chriſti aſcenſionem in cœlos paulatim honeſtè ſepeliri debuit uſque ad excidium urbis Hieroſolymitanæ. Nempè in regno Chriſti ceſſare debuit circumciſio, & cedere ut umbra præſenti veritati. Neque citra obſervantiam totius legis cere-

 monialis,

Digitized by Google

monialis, adeóque exinanitionem Chriſti circumciſionem retineri poſſe, clarè oſtendit Paulus Gal. v. 2, 3. *Ecce ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtum nihil vobis profuturum. Teſtor enim rurſus omni homini, qui circumciditur, eum eſſe* ὀφειλέτην ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι, *debitorem totius legis ſervandæ.* Quid ergò, inquias, fiet Timotheo circumciſo? Quid Epiſcopis illis Hieroſolymitanis, quos inde à Jacobo uſque ad Judam, adeóque ultra centum poſt Chriſtum annos circumciſos fuiſſe teſtatur Patricides Annal. Alexandrinis pag. m. 359. imò de omnibus Hieroſolymitanis, quos ad Hadriani uſque tempora admiſiſſe circumciſionem refert Sulpitius Severus Hiſt. S. lib. 10? Quid denique de Æthiopibus ſeu Abyſſinis, vel potiùs Hâbeſſinis Chriſtianis, quos unâ cum Baptiſmo conjungere circumciſionem maſculorum & fœmellarum, teſtatur Zaga Zabo Epiſcopus Æthiops, & ſui Regis in Luſitaniam Legatus, apud Damianum à Goes de moribus & fide Æthiopum pag. 221. An illis Chriſtus nihil proderit? An debitores fuerunt totius legis ſervandæ? Expediam paucis. Timotheum quod attinet, qui filius fuit Judaicæ mulieris, circumciſus is eſt Act. xvi. 1--3. Titum verò, Græcum origine, circumcidi Apoſtolus noluit Gal. ii. 3. In Timotheo nempe vitatum eſt ſcandalum Judæorum infirmorum in fide. In Tito ſcandalum Gentium & fidelium, atque etiam infirmorum ipſorum, ne ſupra infirmitatem ſuam & metum peccandi conjicerentur in ἀνθαδειαν, & temerè aliquid dicerent judicarentque ſine verbo Dei. Poterat enim Judæus neſcire, ſe liberum eſſe à ceremoniis legis, adeóque illis uti non in opinione juſtitiæ propriæ. At iidem Judæi præceptum Dei proferre non poterant, quo Gentes juberentur in regno Chriſti circumcidi; ideoque temerè hoc urgebant, & tantùm non Deum tentabant Act. xv. 10. Timotheus igitur circumciſus eſt ob metum ſcandali Judæorum infirmorum, non Religionis neceſſitate. Titus circumciſus non eſt ob metum ſcandali gentium & infirmorum ipſorum ex Judæis, qui noverant, præceptum non extare, ut circumciderentur gentes, adeoque gentibus imponendo præceptum circumciſionis gravi ſe peccato obnoxios reddituri erant. Quæ Timothei fuit ratio, eadem eſſe potuit Hieroſolymitanorum Epiſcoporum, reliquorumque fidelium. Quoad Æthiopes ſeu Habeſſinos Chriſtianos, eos tum ob conſervatum circumciſionis ritum, tum alias ob cauſas Ἰουδαΐζειν jam olim creditum eſt. Injuriam tamen iis fieri queritur Joſephus Scaliger de Emendat. Tempor. lib. vii. p. 682. ubi eos accepto Chriſtianiſmo ex veteri tamen conſuetudine, non ulla legis aut religionis neceſſitate, præputia ponere ait. Et Zaga Zabo Æthiops ipſe Confeſſ. p. 221. 222. teſtatur illos circumciſionem

nem

nem non retinere ut ſimpliciter neceſſariam, nec ob eam eos gloriari, tanquam propterea cæteris Chriſtianis ſint nobiliores vel Deo acceptiores. Idem originem circumciſionis in ſua gente acceptam fert Reginæ Schebæ, cui nomen fuiſſe *Maqueda* tradit. Eam nempe imprægnatam à Solomone reducem domum, enixam eſſe filium, nomine *Meilech*, quem adultum miſerit Hieroſolymas ad patrem, cujus authoritate in lege fuerit inſtitutus, circumciſus, & coram arca in Regem Æthiopiæ ſolenniter inunctus, priori ejus nomine commutato in nomen *Davidis*. Atque in hujus rei memoriam, & ut ſe Salomonis, adeóque etiam Abrahami progeniem eſſe conſtaret, circumciſionis ritum eos retinere. Eundem ritum excuſare conatur Rex Claudius in confeſſione, citatus à Cl. Hottingero *Topograph. Eccleſ.* p. 45. *Quod verò attinet*, inquit, *rationem circumciſionis, non utique circumcidimur ſicut Judæi, quia nos ſcimus verba doctrinæ Pauli, fontis Sapientiæ, qui dicit. Et circumcidi non prodeſt &c. Omnes libri doctrinæ Paulinæ ſunt apud nos, & docent nos de circumciſione & præputio. Verùm tamen circumciſio apud nos fit ſecundùm conſuetudinem regionis, ſicut inciſio faciei in Æthiopia & Nubia, & ſicut perforatio auris apud Indos. Id autem quod facimus, non fit ad obſervandas leges Moſaicas, ſed tantùm propter morem humanum.* Nihilominus Zaga Zabo inter alia ſic loquitur: *Id quod ſymbolo circumciſionis latenter oſtenditur, eximiè ſervamus, nempe ut corde circumciſi ſimus.* Unde meritò ſubſumit Cl. Rivetus in Geneſ. cap. XVII. eos circumciſionem uſurpare ut ceremoniam religioſam, utpote quâ adumbrari pertendunt circumciſionem cordis. Neque etiam, quòd ſe circumcidi profitentur non tam neceſſitate ſacramentali, quàm politico prætextu, ut hac nota diſcernantur tanquam filii credentis Abrahami à cæteris nationibus, prohibet, quò minùs circumciſio eorum habeatur pro ceremonia & ſuperſtitione ab Apoſtolo damnata. Reſpondet autem ad hanc πρόφασιν ipſe Paulus: *Eos qui ex fide ſunt, eſſe filios Abrahæ*, Gal. III. 7. Et genealogia illa ſecundum carnem ex Abrahamo, qua illi qui filii Abrahæ ſunt, cenſentur rami naturales in arbore conſanguinitatis Chriſti præ cæteris nationibus; olim quidem fuit aliquod περισσὸν τῦ Ἰουδαίου ſeu *prærogativa* aliqua populi *Judaici* Rom. IX. 3. 4. 5. Sed poſtquam rami illi naturales defracti ſunt, aliis nationibus præter naturam inſitis, jam gloriatio illa excluſa eſt, ut Chriſtianis nefas ſit illam quadam κακοζηλίᾳ affectare. Unde Paulus negat 2. Cor. v. verſ. 16. quenquam, ac vel ipſum Chriſtum ſub Euangelio cognoſci ſecundùm carnem: *Nos poſthac neminem novimus ſecundum carnem: quòd ſi etiam novimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc tamen non amplius novimus.* Ubi cognitio Chriſti & aliorum ſecundum carnem fidei in Chriſtum hoc

Digitized by Google

προσφυὲς, quo veteri more Judaico in carnali cognatione cum Meſſia & genealogia Patrum, prærogativa ſeu præeminentia collocatur. Cúmque diſcriminatio illa filiorum Abrahæ ſecundùm carnem à cœteris nationibus ſymbolum fuerit ſingularis electionis populi illius & Meſſiæ ex eo naſcituri, patet Chriſto exhibito, & Judæis propter infidelitatem à Chriſto defractis, circumciſionem illam graviſſimis erroribus annumerandam eſſe, néque aliter quàm aperta profeſſione nominis Chriſti, & reliquæ doctrinæ ſinceritate excuſari utcunque poſſe.

EXERCITATIO OCTAVA

DE

EXCIDIO SODOMÆ.

Breviarium.

Diſtributio argumenti 1. *Patefactio imminentis excidii illuſtri in apparitione trium virorum, Abrahamo facta. Hiſtoria apparitionis illius explicatur. Cur apparuerint tres viri? Jarchii, Authoris Baal Hathurim de eo aſſertio eliditur. An unus Angelus nonniſi una legatione defungi potuerit? An SS.Trinitatis myſterium hac apparitione inſinuatum fuerit?* 2. *An ex tribus viris duo veri Angeli fuerint? Tertium, qui Jehova appellatus, fuiſſe verum Deum, & quidem filium Dei* ἀνθρωποειδῆ, *ſex argumentis probatur. Solvuntur objectiones Enjedini & aliorum.* 3. *An Abrahamus Deum ſibi apparentem cognoverit? Grotius & Schlichtingius notati.* 4. *Tres viri ab Abrahamo excepti & tractati. Quid* פת לחם *bucella panis, an panis integer? Phraſis* סעד לב *fulcire cor, explicata.* Ἐγκρυφίαι. Ἀπανθεράκιδες. עגות. *Panes* κλιβανωτοί. 5. *Abrahamus perfectæ & numeris omnibus conſummatæ hoſpitalitatis exemplar proponitur.* 6. *Hoſpitalitatis ejus fructus.* Ἀπορία *& diſceptatio Jehovæ, an cum Abrahamo inſtans judicium Sodomæ communicare velit. Cauſæ communicationis quatuor.* ידע *ſæpe notionem habet amoris.*

Unde

Unde explicatur προγνώσεως *vox. Abrahami fides in publica inſtitutione prædicta. Kabala Patriarcharum.* 7. *Cauſa excidii Sodomæ. Quid* זעקת סדם *clamor Sodomæ? Rabbinorum de filia Lothi vivicomburio deſtinata commentum.* 8. *Divina exploratio clamoris & impietatis Sodomæ. Phraſis* עשו כלה *exponitur. Quo ſenſu hanc inquiſitionem ſibi Deus tribuat.* 9. *Angelorum duorum diſceſſus & deductio. Abrahami interceſſio opere ipſo tentata. Quid ſit ſtare coram Domino. Druſius notatus, antiquam lectionem ex Tikun Sopherim adoptans. De Tikun Sopherim judicium Buxtorfii laudatum.* 10. *Interceſſionis Abrahami pro Sodoma & Gomorrha argumentum proponitur & ventilatur. Quid* חלִלה לך*? An Abrahami ratio, quòd juſtum cum impio perdere Deo fas non ſit, fuerit efficax? Unde conjectaverit, juſtos adhuc nonnullos verſari Sodomæ?* 11. *Dei benevolum reſponſum ad interceſſionem Abrahami, & hujus inſtantiæ. Cur infra decimum non deſcenderit Abrahamus? An pro Lothi familia interceſſerit?* 12. *Angelorum adventus Sodomæ. Cur recuſaverint divertere apud Lothum, cùm poſtea id fecerint? Diſſimulatio quæ licita, quæve illicita ſit?* 13. *Sodomæorum præſens iniquitas, hoſpites Lothi ad implendam libidinem expoſcentium, nec non in Lothum ipſum.* 14. *Quale factum fuerit Lothi, filias ſuas abutendas offerentis? Ambroſii, Chryſoſtomi, Gregorii M. Cajetani de eo aſſertiones perſtringuntur.* 15. *Lothi liberatio à vi ipſi à Sodomæis intentata. Quid* סנורים*? Quale ſcotoma fuerit, quo Sodomæi ab Angelis percuſſi? Authoris ſapientiæ de eo narratio improbata. Pererii, Janſenii, & Bonfrerii exceptiones eliſæ.* 16. *Lothi eductio ex Sodoma. Generi Lothi an filias ejus jam duxerint, an deſponſi duntaxat fuerint? Interpretum Græcorum, Syri & Arabis, nec non Rabbinorum explicatio verborum* לוקחי בנותיו *rejicitur.* 17. *Singularia mandata Angelorum. Cur reſpicere prohibitus Lothus? Cur in montem aufugere renuerit Lothus?* מצער *quò referendum? Quid* נשא פנים*? Mos Orientalium ſupplicantium. Quomodo Deus urbem delere non potuerit, niſi Lotho in tutum evadente? Civitatis, in quam aufugit Lothus nomina, Bela, & Zoar.*

Digitized by Google

& Zoar. An Zoar apud Eſaiam XV. 5. *veniat nomine* עגלת שלשיה *vitulæ triennis? An* 1. *Reg.* IX. 4. *nomine* שלשה *Saliſſa?* 18. *Excidium Sodomæ delineatum. Ejus cauſa Jehova Deus non Angelus creatus. Menaſſe ben Iſraël & Grotius pulſati. Quo ſenſu Jehova dicatur pluiſſe* מיהוה *à Jehova? An SS. Trinitas myſterium hac locutione inſinuetur? Hacſpanii modeſtia laudata. Quomodo Deus dicatur perdidiſſe Sodomam, cùm verſ.* 13. *duo Angeli ſe perdituros minati fuerint? Conciliatio Menaſſis ben Iſraël examinatur.* 19. *Pluvia ſulphuris & ignis. Adjunctum fuiſſe ſal probatur. Pœnæ & peccati Sodomæorum analogia.* 20. *Vaſtatio civitatum quatuor, & planiciei totius, cum mari mortuo commutatæ. Ubi Jordanes ante exortum maris mortui ſe exoneraverit?* 21. *Excidium hominum. An quidam immunes evaſerint? An æterno ſupplicio omnes perierint? Hieronymi ſententia improbata.* 22. *Metamorphoſis uxoris Lothi. Quo ſenſu illa reſpexerit* מאחריו*? Quomodo facta ſtatua ſalis? Abenezræ, Paraphraſtæ Hieroſolymitani, Heinſii, aliorumque expoſitiones ad partes vocatæ. An perierit ὀπισθοτόνῳ? An facta ſit converſio ſubſtantiæ corporis in ſubſtantiam ſalis? Salis Africani firmitas. Uxor Lothi cur Hebræis veteribus veniat nomine* עדית *Adith? Cur hoc potiùs genere ſupplicii, quàm quocunque alio affecta ſit? Hebræorum figmenta. Sal hoſpitalitatis ſymbolum. Gravitas peccati uxoris, ſupplicio hoc digna, oſtenditur.* 24. *Abrahami religioſa obſervatio, & judicii ac gratiæ divinæ admiratio. Lothi ex Zoar in montem aſcendentis infirmitas fidei. Quid metuerit in civitate Zoar?* 25. *Infirmitas ejuſdem ſe inebriantis & inceſtu contaminantis. Puellarum de ipſo inebriando & abutendo conſilium quale? An ignorantia, qua neſciviſſe dicuntur, utrum vir adhuc exiſtat, fuerit invincibilis?* 26. *Factum Lothi & puellarum. Explicantur verba* לא ידע בשכבה ובקומה. *An ignoraverit Lothus totam rem geſtam, an dormientem rem cum puellis habuiſſe dicat Moſes?* 27. *De ebrietate & inceſtu Lothi quid ſentiendum?* 28. *Nativitas Moabi & Ammonis.* 29. *Memoria excidii Sodomæ apud Gentiles. Lothi uxoris hiſtoria in fabulam Niobes converſa.* 30.

Digitized by Google

I. DE excidio Sodomæ acturo occurrunt duo, tum judicii illius divinitus decreti prævia patefactio, tum ejusdem executio. De priori agitur Geneſ. XVIII. de poſteriori cap. XIX. Ac prius quod attinet, Deus illuſtri in apparitione trium Angelorum Abrahamo in Elon Mamre impertita, latentia Sodomæ fata aperuit. Et in anteceſſum quidem ipſa illa apparitio Angelorum & Abrahami hoſpitalitas memoratu digniſſima eſt.

II. Angeli qui Abrahamo apparuerunt vocantur שלשה אנשים *tres viri* verſ. 2. Nempe quia humana & virili ſpecie apparuerunt, quos proinde tanquam homines Abrahamus excepit & tractavit. Cur verò tres præciſè, non plures vel pauciores Angeli apparuerint, rationem reddunt Judæi, quòd totidem legationibus defungendum habuerint. Neque enim unum Angelum niſi una legatione, unóque negotio defungi ſolere. Ita R. Sol. Jarchi: שלשה אנשים אחד לבשר את שרה ואחד להפך את סדום ואחד לרפאת את אברהם שאין מלאך אחד עושה שתי שליחות *Tres Angeli adfuerunt; unus ad annunciandum Saræ* (nativitatem Iſaci) *alter ad evertendam Sodomam, tertius ad ſanandum Abrahamum* (nempe à dolore circumciſionis) *Neque enim ſolet Angelus unus tribus defungi legationibus.* Addit Author Baal Thurim per Gematriam conſtare, quòd tres hi Angeli fuerint Michaël, Gabriël & Raphaël. Et Michaëlem quidem inceſſiſſe medium, Gabriëlem ad dexteram, Raphaëlem ad ſiniſtram. Cæterùm quàm hæc frivola ſint, vel ex eo liquet, quòd negotium, quod ſecundo tribuitur, fuerit omnino nullum. Neque enim Angelica ejuſmodi ſanatione Abrahamus indiguit. Hoc cùm ſuboleret fortè Abenezræ, ſtatuit, unum quidem veniſſe ad ſignificandum Saræ partum, duos verò diſceſſiſſe Sodomam, unum ad evertendam urbem, alterum ad eripiendum Lothum. Verùm & hæc futilis eſt ariolatio. Nam Geneſ. XIX. duo Angeli apparentes indifferenter & communi opera authores fuiſſe dicuntur everſæ Sodomæ & Lothi liberati. Unde tardante Lotho, ויחזיקו האנשים *apprehenderunt viri* nempe duo Angeli, Lothum ejúſque uxorem &c. verſ. 16. Alii ex eo quòd tres Angeli apparuerunt Abrahamo, quos inter unum adoravit, myſterium SS. Trinitatis adumbratum judicant. Unde tritum illud: *Tres vidit, & unum adoravit,* quaſi ſibi repræſentâſſet Abrahamus Trinitatem in unitate, & in Trinitate unitatem. Hanc ſententiam acerbè traducunt & ſugillant tum Judæi tum Sociniani S. Trinitatis hoſtes. Et Abenezra quidem in Geneſ. XVIII. I. ita ſcribit: הטועים ברוח אמרו כי השם ג' אנשים הוא אחד והוא ג' ולא יתפרדו *Errantes ſpiritu vel Hæretici dicunt, quòd indigitetur Deus trinus perſonis, quòd ſit unus & trinus, neque ſint diſtincti.* Eodem modo R. Lipman in Nizachon

Chriſtianorum hanc expoſitionem refellit, ajens, ותעות הוא בידם *errorem eſſe in manibus eorum*. Sed & Enjedinus Chryſippino acumine multa hîc abſurda colligit, quibus expoſitionem oneret. Nos quidem, qui proviſum nobis putamus longè ſolidioribus pro SS. Trinitate argumentis, etſi ſecuti Calvinum, Muſculum, alióſque genuinam non eſſe hanc expoſitionem, niſi quatenus non tam in veritate illa, quàm in typo quodam ſpectatur, agnoſcimus: tamen cùm fidei analoga ſit, probroſè traducendam non exiſtimamus. Neque etiam curioſiùs ſciſcitandum putamus, cur tres præciſè Angeli, non vel plures vel pauciores apparuerint. Non eſt modeſti ſervi in negotia heri ſui ita inquirentis, ut percontari audeat, quare tres legatos mittat, cùm ſufficiat unus. Hoc libertati heri relictum eſſe cogitat. Quantò minùs in legationes Dei inquirere ſuſtinebimus.

III. Cùm inter viros illos tres qui Abrahamo apparuerunt, unus diſertè appelletur אדני *Dominus* verſ. 3. & octies יהוה *Jehova* verſ. 13. 17. 20. &c. quæſitum eſt: an & ille in Angelorum creatorum numero cenſendus? Supponimus, ſecus quàm faciunt viri quidam doctiſſimi, duos ex trium illorum virorum numero veros Angelos fuiſſe. Quamvis enim nomine Angelorum cap. XVIII. non veniant, tamen cap. XIX. v. 1. apertè vocantur שני מלאכים *duo Angeli*, quos eoſdem eſſe cum duobus illis viris, qui ab Abrahamo manente tertio, nempe *Jehova*, digreſſi Sodomam contendiſſe dicuntur cap. XVIII. 22. ipſa *συνάφεια* eorum quæ narrantur evincit. An verò etiam tertius fuit in numero Angelorum creatorum? Negamus meritò. Etenim *primò* diſertè narratur verſ. 1. Abrahamo *apparuiſſe Jehovam*, dum is vidit *tres viros*. *Secundò* unum ex tribus viris adoravit ſub nomine אדני *Adonai*, quod argumentum eſt non civilis ſed religioſi cultus. *Tertiò* nomen Jehovæ eſt שם העצם המיוחד *nomen eſſentiæ & ſoli Deo proprium*, ùti rectè appellant Hebræi. Vide Eſai. XLII. Jerem. XVI. 21. Amos. v. 8. Hoſ. XII. 5. Ita docet prolixè etiam Maimonides More Nev. p. 1. cap. 61. *Quartò* Angelus ille Jehova vocatur etiam חשפט כל הארץ *Judex totius mundi* verſ. 25. *Quintò* reliquis Angelis, qui poſtea venerunt Sodomam, nihil tribuitur, niſi ſervile munus, videlicet miſſio ad eductionem Lothi, uxoris & filiarum ejus ex Sodoma, à quo ſervili miniſterio conſultò tertius abſtinuiſſe legitur. Idem ſenſit olim Euſebius Hiſt. Eccleſ. l. 2. magnique Theologi plures, quibus viſum, ipſum hîc Abrahamo Chriſtum *ἀνθρωποειδῆ* humana ſpecie ac forma præditum apparuiſſe. Quibus favet aſſertio Chriſti Joh. VIII. 56. Neque ſolidum eſt, quod in contrarium urget Enjedinus, Socini pullus, minimè fuiſſe Angelum increatum, qui vocatur Jehova, eò quòd Paulus Hebr. XIII. 2. non urgeat

hanc

Digitized by Google

hanc exceptionem Dei, quod tamen maximè ad commendationem faceret hoſpitalitatis. Etenim eo in loco Paulus reſpicit non hiſtoriam Abrahami cap. XVIII. ſed potiùs Lothi cap. XIX. In eo autem capite Angeli, qui apparuiſſe dicuntur, creati fuerunt. Schlichtingius Jehovam vocari pertendit, *quia ſe pro Jehova geſſit Dei juſſu & voluntate, quò tantò major apud homines ei conciliaretur authoritas.* Verùm Deus gloriam ſuam non dat alteri. Neque etiam deceptus fuit Abrahamus, qui eum adoravit. Sed & Auguſtini ratio, quam lib. XVI. 29. de C. D. opponit iis, qui Chriſtum Abrahamo apparuiſſe pertendunt, infirma admodum eſt. *Si*, inquit, *propterea horum trium aliquem fuiſſe Chriſtum confirmant, quia cùm tres vidiſſet, ad Dominum ſingulariter eſt locutus: cur non etiam illud advertunt, duos Angelos ſic ſuſcepiſſe Lothum, ut etiam ipſe in colloquio ſuo cum illis ſingulariter Dominum appellaret.* Verùm ſi Hebraici idiomatis gnarus fuiſſet S. Pater, facilè obſervâſſet, neutrum ex Angelis, qui Lotho apparuerunt, vocari vel יהוה *Jehovam* vel in ſingulari numero אֲדֹנָי *Dominum.* Aliud enim eſſe אֲדֹנָי cum ſingulari conſtructum, aliud אֲדֹנָי & quidem junctum cum plurali, nemo paulò callentior Linguæ ſanctæ ignorat.

IV. Cùm verò unum ex Angelis illis Jehovam fuiſſe certis argumentis conſtet, an eum ilicò Abrahamus agnoverit, quæritur. Neque nos de eo dubitari poſſe putamus. Etenim disertè legitur ei apparuiſſe Jehovam, dum videret tres viros. Proinde eum ſub nomine אדני. adoravit. Et in toto proceſſu non aliter cum uno ex his tribus viris, quàm cum Deo agnito agit. Agnovit autem quem videbat, vel aſſuetus viſioni, vel à Spiritu S. admonitus. Objicit Grotius, & cum eo Schlichtingius: *Si ſcivit, ſibi rem eſſe cum Deo, quare omnes tres invitat ad cibum capiendum ut homines?* Nempe, quia ſciebat, Deum fore hominem in omnibus, ſimiliter tentandum ut nos. Oeconomiæ divinæ obſequium accommodavit. *Cur etiam*, inquiunt, *Apoſtolus dicit* Hebr. XIII. 2. ἔλαθον *ignari hoſpitio exceperunt Angelos?* Verùm hoc in Lotho, non in Abrahamo verificari monuimus antea.

V. Tres hoſce viros ſeu Angelos virili ſpecie indutos Abrahamus, quàm primum eos conſpexit, honorificè humaniterque partim demiſſo humilique corporis geſtu, partim verbis hujusmodi non modò ſalutavit, ſed etiam in ædes ſuas invitavit: *Domine, ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne quæſo transeas à ſervo tuo. Capiatur obſecro parùm aquæ, & lavate pedes veſtros, & innitimini ſub arbore. Interim accipiam* פת לחם *bucellam panis,* וסעדו לבכם *& fulcite cor veſtrum, poſtea tranſibitis. Idcirco enim tranſiſtis ad ſervum veſtrum.* verſ. 3. 4. 5. Ubi פת לחם *fruſtulum* ſeu *bucellam panis* interpretantur plerique, Chaldæus, Syrus, Arabs, Vulgatus, alii. Unde etiam

Digitized by Google

Kimchius in Radicibus vertit חתיכת לחם *ſectionem* & *ſegmentum panis*. Sed L X X. Seniores ſimpliciter habent: καὶ λήψομαι ἄρτον & *accipiam panem*. Quod rectum eſſe, docet nos Doctiſſ. L. de Dieu in Geneſ. xviii. 5. ubi oſtendit per פת non fruſtum intelligi, qualis eſt buccella, ſed panem integrum, qui aliâs ככר לחם *tracta panis* vocatur, & פת dicitur ratione totius maſſæ ſubactæ, quæ in varias partes diſcerpta & diſpertita, varios panes reddit, quorum quisque פת dicatur. Ita Maimonides in *Berachoth* cap. 2. פת vocari docet triticum, hordeum, ſpeltham, panicum, avenam, poſtquam molitæ ſunt, farináque earum ſubacta & piſta. Et apud eundem פת רוחן אופרת שאר כיני קטנית *panis ex milio*, *aut panis è reliquis ſpeciebus leguminum*. Ita quod jubet Abrahamus hoſpites ſuos סעד לב *fulcire cor*, formula eſt familiaris Hebræis, uti liquet ex Jud. xix. 5. Pſal. civ. 15. 1.Reg. xiii. 7. Unde etiam cibus vocatur סעודה Ruth. ii. 14. Neque aliter tum Latini tum Græci Authores, apud quos cibus appellatur *ſtomachi fultura ruentis*, ventris ſtabilimentum, ἔρεισμα καὶ στήριγμα, uti ex Flacco, Columella, Lucretio, Vincentio, Victore, Gregorio Nyſſeno, aliisque pulchrè obſervavit Vir doctiſſimus Thomas Gattakerus Cinni cap. 16. Neque blandis duntaxat verbis viros hoſce invitavit S. Patriarcha, verùm etiam, cùm precibus illius ſatisfaceret, ipſe confeſtim ſumma cum celeritate ſe ad uxorem in tabernaculum recepit, illamque feſtinanter ex tribus ſatis farinæ placentas ſeu panes ſubcineritios, quos ἐγκρυφίας vocant Græci nec non Galenus, Hippocrates, Athenæus, quaſi *abditios* nempe ſub cinere, dicas; alii ἀπανθρακίδας, quaſi *ſub prunis coctas*, cui voci reſpondet עג עגות *ſub prunis coquere*; ſicut κλιβανωτοὶ ſeu *clibanacii*, authore Iſidoro, dicuntur in clibano cocti; conficere juſſit. Ipſe interim ad armenta cucurrit, indéque vitulum tenerum & optimum accipiens, illum puero ſeu famulo mactandum coquendumque tradidit. Deinde butyrum, lac, vitulumque quem parari curârat, illis appoſuit, ſtansque ſub arbore illis cibum capientibus miniſtravit.

VI. Ex his liquet Abrahamum, tanquam perfectæ omnibusque numeris conſummatæ φιλοξενίας ſeu hoſpitalitatis exemplar proponi poſſe. Etenim Sanctus ille vir quaſi occaſionem omnem peregrinos excipiendi captans, potiſſimùm circa meridianum tempus כחם היום *cùm calere inciperet dies*, quo tempore præſertim calidis illis regionibus, viatores divertere ſolent; non intra domeſticos tabernaculi parietes latitans, ſed ſtans foris, quaſi hoſpites venandi aucupandique gratia, uti Baſilius ſcitè loquitur, quaſi ſpeculabatur, ne fortè viator aliquis tranſiret, & diligenter, uti loquitur Ambroſius, *prætendebat excubias*, ut occurreret, & rogando

Digitized by Google

gando præveniret. Quomodo Tegesdelti oppidi Africæ incolæ cuſtodibus portarum mandant, ſimul ac peregrinus quiſpiam appulerit, inquirant ab eo, habeátne certum in civitate amicum: quòd ſi habere ſe neget, ab iis ad hoſpitium deducitur, teſte Cœl. Aug. Curione in Marochenſis regni deſcriptione. Deinde cùm tres illos viros conſpexiſſet Abrahamus, non exſpectavit, donec illi ad ſe veniant, multò minùs fugam arripuit in tabernaculum ſuum, ſed potiùs ultro & ſponte ſua illis alacriter obviam proceſſit, illosque tum geſtibus tum verbis humaniter & honorificè invitavit. Tum cibos illos coctos & paratos illis appoſuit, ipſéque abundans cæteroquin famulorum copia, ſolus ſtans dapiferi & pincernæ munia gnaviter obivit. Poſtremò ut amicè, benevolè & liberaliter eos tum exceperat, tum tractaverat, ita abeuntes honorificè deduxit, juxta præceptum Homeri: Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα ἢ πέμπειν. *Hoſpitem oportet præſentem diligere, & deducere comiter abeuntem.*

VII. Hoſpitalitatis hujus fructum uberrimum percepit S. Patriarcha. Etenim primò lætiſſimum accepit nuntium de futura ſobole, ſive, ut Ambroſii verbis de offic. lib. 2. utar, *pro hoſpitalitatis mercede fructum poſteritatis recepit.* Deinde, quod magis ad rem præſentem facit, deducens præclaros hos hoſpites, ab uno ex iis, nempe Jehova, ipſo Dei filio imminentia Sodomæ fata didicit. De quo nunc paucis agendum. Et primò quidem verſ. 17.-20. conſpicere eſt quandam ἀπορίαν Jehovæ, qua diſceptare videtur, utrum hoc inſtitutum ſit cum Abrahamo communicaturus nec ne? Ipſa ἀπορίας propoſitio eſt in his verbis: *Num quid celabo ego Abraham, quod ego facturus ſum?* Deinde cauſæ quatuor adferuntur, cur omnino Deus communicandam rem cum Abrahamo ſtatuat. Prima inde deſumpta eſt, quòd promiſſiones ſuas temporales & æternas, corporales & ſpirituales cum eo jam communicaverit. verſ. 18. Secunda, quòd eum Deus agnoſcat, qui fons omnium bonorum eſt, & gratuito amore proſequatur verſ. 18. ידעתיו *novi eum.* Ubi notitia notat non tam ſcientiam boni alicujus ex viribus Abrahami pendentis, quàm agnitionem ſeu affectum benevolentiæ & amoris, à quo omnis gratia pendet. Proinde etiam Jarchius agnoſcit hic ישון רבה *notionem amoris.* Confer Pſal. CI. 4. Jerem. IX. 23. Amoſ. III. 2. Eodem ſenſu ſumitur הכיר Pſal. CXLII. 5. Deut. XXXIII. 9. Unde obiter liquet, qualis ſit πρόγνωσις *præcognitio* illa memorata Rom. VIII. 29. Tertia, quòd hac via futurum ſit, ut Abraham magis ac magis informetur ad docendam in eccleſia Dei pietatem verſ. 19. *Novi enim eum. Propterea præcipiet filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Jehovæ, faciantque juſtitiam & judicium.* Quibus verbis Deus Abra-

 hamum

hamum conſtituit eccleſiæ domeſticæ doctorem, & cœleſtem doctrinam datatim propagari cupit. Hæc nempe doctrina & inſtitutio Abrahami viva voce tradita, vera fuit Kabala Patriarcharum. Unde ſuam etiam Kabalam ab hoc principio repetunt Judæi, nominatim R. Bechai, quamvis nullo jure, cum ea quam jactant Kabala, poſt ſcriptum Dei verbum, eccleſia minimè indiguerit. Quarta denique, quòd hac eadem via Deus promiſſiones ſuas ſit comple-urus verſ. 19. Has igitur ob cauſas Deus conſtituit non celare Abrahamum judicia ſua adverſus Sodomam jamjam exequenda.

VIII. Ante omnia Deus Abrahamo aperit cauſam, ob quam in Sodomam & Gomorrham tam graviter animadverſurus erat verſ. 20. *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt valde.* Clamorem Sodomæ S. Auguſtinus Locut. lib. 1. interpretatur *impudentiam & libertatem iniquitatis tantam, ut nec verecundia nec timore abſcondatur.* Eodem ferè modo Gregorius Moral. verſ. 7. *Omnis,* inquit, *iniquitas apud ſecreta Dei judicia habet voces ſuas. Peccatum namque cum voce eſt culpa in actione. Peccatum autem cum clamore eſt culpa cum libertate.* Non dubitem ſanè eam peccandi, & atrociſſima quæque patrandi ſceleratam & apertam licentiam deſignari, quæ ita aſſiduè & inſatiabiliter divinam vindictam flagitet, ut tolerari amplius nequeant. Talia peccata in Sacra Scriptura notantur cædes innocentium Geneſ. IV. 10. oppreſſio tenuiorum & infirmorum Exod. III. 7. defraudatio mercedis operariorum Jac. III. 4. Et hoc quidem loco, tum ea ipſa peccata, tum inprimis horrendæ & nefandæ libidines, quæ ſequenti capite exponuntur, quaſque prolixè deſcribit Philo libro de Abrahamo, intelligi poſſunt. Eſt autem peccatum clamans quodvis, quod gravitate & atrocitate ſua præſentem Dei vindictam provocat. S. Chryſoſtomus homil. 42. notari ſcribit Τοσαύτην τῆς κακίας φορὰν, ὡς ἅπαντας τῆς λύμης ἀναπλησθῆναι πάσης, καὶ μηδεμίαν λοιπὴν διόρθωσιν αὐτοὺς ἐπιδέχεσθαι, ἀλλ' ἀφανισμοῦ δεῖσθαι παντελοῦς, *ejuſmodi malitiæ impetum, ut omnes ejus peſte correpti & impleti fuerint, adeò ut correctionem nullam admiſerint, eòque excidio plenario indiguerint.* Salvianus Maſſilienſis de Provid. lib. 1. *Quare peccata hominum quaſi clamore teſtatur? ſcilicet, quia cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Oſtendit ergo Dominus, quàm invitus puniat etiam graviſſimos peccatores, dicens, quòd clamor Sodomæorum ad ſe aſcenderit: hoc eſt dicere, miſericordia quidem mea ſuadet ut parcam; ſed tamen peccatorum clamor cogit, ut puniam.* Ineptiunt verò pro more Rabbini, qui clamorem hunc Sodomæ interpretantur clamorem

Digitized by Google

rem filiæ Lothi, פלטית *Pelothit* dictæ, & uni ex magnatibus Sodomæ nuptæ, ad vivicomburium deſtinatæ, quòd pauperem quendam Sodomiticum ſuſtentaverit ex primitiis alimentorum domûs ſuæ. Ita R. Jehuda apud Eliezerem Pirke cap. 25. nugatur.

IX. Talis ergo cum fuerit clamor Sodomæ & nequitiæ exceſſus, declarat Deus, quòd velit cognoſcere, & re cognita, quid facto opus ſit, diſpicere verſ. 21. *Deſcendam nunc, & videbo an juxta clamorem ejus qui pervenit ad me, fecerint* כלה *conſummationem, & ſi non cognoſcam.* Ubi כלה *cœtum univerſum eorum vertit* Arabs, cum aliis punctis legens dictionem; alii, ut Chaldæus, & cum eo Abenezra, ad conſummationem pœnæ referunt. Ad conſummationem peccati pertinere judicant Vulgatus, LXX. Seniores & Syrus Interpretes. Quaſi profiteretur Deus, ſe penitiùs exploraturum, an omninò perpetraverint flagitia ſumma, & extrema animadverſione digna, qualia clamor ille cœlum pulſans ipſum retulit. Rectiùs forte L. de Dieu כלה interpretatur de conſummato & certò deliberato puniendi conſilio, ita ut explorare inſtituerit; an plenè & omninò apud ſe ſtatuerint, eo quo hactenus fecerunt, pede pergere. Idque dicitur ἀνθρωποπαθῶς ſeu humanitus, ut & ſtudium ſuum erga homines, quorum morte non delectatur, teſtetur Deus, & noſtrum etiam informet, inprimis autem judicum, quibus mandata eſt juris dicendi authoritas, ne quid temerè faciant, ſtatuántque. *Si non*, inquit Dominus, *fecerint* nempe conſummationem, ארעה *cognoſcam*, hoc eſt, uti etiam Abenezra explicat ארחם אותם *miſerebor eorum.* Eadem eſt notio verbi ידע quæ ſuperiùs fuit verſ. 19. Ex hac judicandi forma, quæ hoc loco alibique deſcribitur, videntur ſumpta, quæ Jovi ſuo tribuit Ovidius Metamorphoſ. lib. 1. ubi concludit his verbis Jupiter: *Minor fuit ipſa infamia vero.*

X. Poſtquam conſilium ſuum Abrahamo Deus communicavit, ויפנו משם האנשים וילכו סדמה *diverterunt inde viri, & perrexerunt Sodomam;* Viri, nempe duo Angeli ſtipatores Dei, qui eâ ipſa veſpera veniſſe Sodomam dicuntur cap. XIX. 1. Nempe audito peremptorio Angeli illius tertii Jehovæ decreto & conſilio, illi velut executores judiciorum Dei Sodomam pergunt. Ipſe verò Abrahamus ſubſiſtente adhuc cum ipſo Jehova, interceſſione pro miſeris hominibus ſibi defungendum putavit, & opere quidem ipſo interceſſit, dum עודנו עמד לפני יהוה *adhuc ſtabat coram Jehova.* Ubi Thargum Onkeloſi habet ואברהם עד כען משמש בצלו קדם יי *Et Abraham adhuc ſtabat in oratione cum Jehova.* עמידה enim *eſt aliquando oratio,* inquit Maimonides. ſtantes nempe orabant. Nempe *ſtare coram Jehova* eſt miniſtrare ipſi ex officio noſtro, aut pro aliis intercedere, quemadmodum Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes hac phraſi potiſſimùm denotantur Levit. IV. Deut. X. alibique. Cœterùm notant Hebræi, verba illa עודנו עומד לפני יי esse inter loca octodecim primum, quem תקון ספרים *correctio ſcribarum* olim emendaverit; Scriptum eſſe antiquitùs: יהוה עודנו עומד לפני אברהם *Et Dominus adhuc ſtabat coram Abrahamo*. Et hanc lectionem præ illa, quæ hodie apparet in codicibus, adoptat & commendat Druſius. *Eam*, inquit, *firmant ſequentia*: Acceſſit *nempe Abraham ad Dominum, juxta quem poſtea ſtabat*. Quaſi videlicet non jam aſtiterit Abrahamus Domino, ſi coram eo jam ſtetit Dominus juxta veterem lectionem. Abrahamus igitur acceſſit ad Dominum, coram quo jam ſtabat, nempe propriùs ſicut ſolent, qui ſeriò rem agunt. Annon igitur, inquias, corruptus fuit hic locus olim, ſi *Thikun Sopherim* ſeu emendatione Scribarum indiguit? Non deſunt ſanè viri docti, qui iſtas epanorthoſes Scribarum ad Thalmudica commenta amandent: aliis ſcribas illos Ezram & viros Synagogæ magnæ, authores ſacros facientibus. Nobis myſterium totum ſolidè explicat magnus Buxtorfius in epiſtola ad Glaſſium, ubi docet, Sopherim hoſce fuiſſe ipſos authores ſacros Moſen & Prophetas, qui nunquam aliter ſcripſerint, quàm hodie ſcriptum legitur. At Sapientes Hebræorum naſutiores, animadvertentes inconvenientiam quandam in illis locis, ſcripſiſſe, *aliter authores ſacros loqui debuiſſe, & ſecundum cohærentiam propoſiti textus, ſic vel ſic ſcribere*. Ita hoc ipſo loco, quem tractamus, arguebant naſuti, Moſen ſcribere debuiſſe; *& Dominus ſtabat coram Abrahamo*, quia Dominus dicitur veniſſe ad Abrahamum, & eum allocutus eſt. Cùm verò ita ſerviliter de Deo loqui non decuerit Moſen, hinc Thikun Sopherim correxit veterum Hebræorum criſin, & ſtylum mutavit majoris honoris cauſa. Nihil igitur in ipſo textu unquam mutatum, uti perperam credidit Druſius, ſed tantùm Veterum Hebræorum in contextum Hebræum aliquot cenſuræ à Scribis reprehenſæ & jugulatæ ſunt. Aliâs non genuinam tantùm eſſe lectionem, quæ hodie extat, ſed etiam antiquiſsimam, arguit evidenter locus Geneſ. XIX. v. 27. ubi Abrahamus coram Domino, non Dominus coram Abrahamo ſtetiſſe dicitur.

XI. Interceſsionis argumentum petiit S. Patriarcha à Sanctis, quos in cœtu illo ſceleratorum vir bonus, qui ex charitate judicabat, adhuc latere exiſtimavit. Etenim ſic ratiocinabatur; juſtitiæ Dei conſentaneum non eſſe, ut eodem exitio communi & univerſali, quale denuntiatum erat, involvantur juſti æque ac impii. Atqui hoc facturum Deum, ſi univerſalem πανολεθρίαν moliatur. Neque enim dubitandum eſſe, quin in tanta hominum multitudine ſuperſint vel quinquaginta, quorum in gratiam omnino

Digitized by Google

omnino parcendum ſit ſontibus, nî juſtum cum injuſto perdere induxerit animum. Et ſubjicit verſ. 25. חללה לך *Abſit à te, ut facias rem talem, ut mori facias juſtum cum impio, ſitque juſtus ſicut impius.* חללה לך *abſit*, inquam, *à te* השפט כל הארץ לא יעשה משפט *numquid judex univerſæ terræ non faciet judicium?* Ubi pro חללה לך Thargum Onkeloſi habet, קושטא אנון דינך *vera ſunt judicia tua*; Græci Interpretes, μηδαμῶς ποιήσεις *Nequaquam facies*; reliqui Orientales, *Abſit*; ſenſu eodem omnes. Nempe hac formula tanquam abſurdum quid à Deo rejicit, ut inſontes unâ cum ſontibus puniat. Habet enim חלילה rationem rei abſurdæ & profanæ. Unde etiam Abenezra exponit דבר שלא יתכן *ſermonem inconvenientem.* Cœterùm quæri hîc poſſit non immeritò: *An efficax fuerit ratio hæc Abrahami, non oportere Deum perdere juſtos cum impiis?* Si de perditione æterna ageretur, dubium nullum eſſet. Neque enim juſtitia Dei patitur, ut juſti & innocentes æterno exitio devoveantur. Hîc autem agitur de pœnis & judiciis temporalibus, quibus ſine diſcrimine bonos & malos aliquando ſubjacere conſtat. Ita enim duo Sanctiſſimi Vates Ezechiel & Daniel unâ cum aliis pluribus viris piis in ſervitutem duriſſimam abſtracti, communem cum impiis & præfractis infortunii aleam ſubierunt. Ita in diluvio perierunt, quorum Spiritus ſervati ſunt. Neque id juſtitiæ divinæ omninò repugnavit. Proinde argumentum Abrahami in ſua hypotheſi, hoc eſt, relatum ad hujus vitæ miſerias & calamitates neceſſarium non fuit. Nihilominùs quia videbat, Deum præparare extraordinarium vindictæ genus, quo etiam æterna ignominia notaret perditos illos, potuit in tali caſu judicare, Deum juſtos impiorum ſupplicio non impliciturum. Interim ea in deprecatione humanitus aliquid paſſum eſſe virum Sanctum, qui abreptus nimio erga Sodomæos ſtudio conatus fuerit Divinos agendi modos & vias coarctare, & totius terræ judici figere limites juſtitiæ, non diffitemur. Vide ea de re præclarè diſſerentem Doctiſſimum Vogelſangium Exercit. Theol. pag. 751. 752. &c. Quomodo verò, inquias, conjectare Abrahamus potuit, in hoc impiorum cœtu juſtos adhuc nonnullos morari, cùm ab uno Lotho ſi diſceſſeris, agnoverit neminem? Nempe ita judicavit ex affectu charitatis, quæ ſemper bene ſperat. Conſtat hinc obiter, *etſi Deus Abrahamum tunc ſpeciali vocatione à reliquis ſeparâſſet, inito cum eo fœdere, id non impediviſſe, quò minùs etiam tunc fuerint inter reliquas nationes pii nonnulli à Deo conſervati in communi hominum depravatione.*

XII. Poterat ſanè Deus, huic interceſſioni Abrahami multa reponere. Verùm qua eſt benignitate erga ſuos, indulſit ea in re ſervo ſuo, & ſolicitudinem eam pro vicinis, quos inter cognatus Lothus domicilium me-

Digitized by Google

tatus fuerat, non improbavit. Quinimò petitionem hanc calculo ſuo probavit, benigniſſimè promittens, ſe parciturum toti loco propter quinquaginta juſtos. Imò urgenti & humiliter inſtanti promittit, ſe parciturum civitati propter *quadraginta quinque* verſ. 28. propter *quadraginta* verſ. 29. propter *triginta* verſ. 30. propter *viginti* verſ. 31. imò propter *decem* verſ. 32. Sic enim Abrahamus gradatim de inſtituta hypotheſi minuit, ut gratiæ divinæ documenta augeret. Cur Abrahamus in flagrantiſsima hac ſupplicatione neque aſcenderit ſupra quinquaginta, neque infra decem deſcenderit, noſtrum non eſt inquirere, quamvis id æquo curioſiùs faciat Thomas Anglicus apud Pererium, qui & ipſe rationem myſticam, cur Abrahamus infra decem non deſcenderit, commentus eſt hanc, quòd infra Decalogi obſervationem, quæ numero denario deſignatur, juſtitiæ locus non ſit. Sufficiat, quòd tota hæc inquiſitio non ſine ſpeciali Dei providentia directa fuerit, permiſſumque ex ſingulari Dei συγκαταβάσει, ad decimum usque Abrahamus deſcenderet. Hoc enim faciebat ad exaggerandam tum hominum impietatem, tum Dei miſericordiam, tum denique ſupplicii ipſius juſtitiam & æquitatem. Cur verò, inquias, pro Lotho ejusque familia non interceſsit Abrahamus? Probabile eſt, ejus liberationem jam antea promiſſam eſſe Abrahamo, vel interceſsiſſe etiam, etſi id narrare omiſerit Moſes, ſolicitus de eo, quod majus erat.

XIII. Poſtquam fruſtra pro ſontibus interceſsit Abrahamus, digreſſo jam ab eo Jehova, eadem interim veſpera duo Angeli, qui conſiſtente Jehova, paulò ante diſceſſerant Sodomam venerunt, ſententiam Dei adverſus ſceleratos executuri. Ibi Lothus eâdem humanitate eos, quâ antea Abrahamus, ad ſe invitavit. Cúmque illi renuerent, & ſe in plateis pernoctaturos præ ſe ferrent, Lothus יפצר בם מאד κατεβιάσατο αὐτοὺς *urſit eos vehementer*, donec apud ipſum diverterent, & teſſeram hoſpitalem exciperent. Incidit hic quæſtio, cur Angeli recuſaverint negaverintque id, quod feciſſe poſtea dicuntur? In eo enim cùm manifeſta fuerit diſsimulatio Angelorum, videntur non ſatis piè & pro dignitate Angelorum feciſſe. Verùm cùm diſsimulatio per ſe ſit res media, quæ tum demum mala ſit, cùm malis mediis ad malam intentionem contenditur, patet, hîc nec intentionem ipſam, nec media & modum agendi ullo vitio laboraſſe. Finis nempe Angelorum erat, ut tum Lothi ſtudium acuerent, tum occaſionem darent ſciſcitandæ cauſæ, cur in platea pernoctare ipſos oporteret. Sed & prudentiæ fuit illud, ne qua Sodomitis exardeſcendi in Lothum peregrinum occaſio præberetur. Modum autem agendi quod attinet, etiam ille culpâ vacat. Neque enim ſimpliciter negabant, ſe hoc facturos eſſe:

ſed

Digitized by Google

ſed tantùm negabant, ſe ea de cauſa adveniſſe, quin potiùs eum in finem, ut in platea pernoctarent. Aliud autem eſt, ſi quis ſimpliciter facturum negaverit, quod tamen conſtituit facere: aliud ſi non ſimpliciter negaverit, ſed reſpectu certi conſilii, cujus cauſa advenerit. Certum & conſtitutum illis erat in plateis pernoctare, niſi moverentur precibus Lothi, ut ipſius tectum ſubirent. Poſtquam igitur domum Lothi intrarunt, Lothus ſimili uſus hoſpitalitate, qua ante Abrahamus, *fecit eis convivium, infermentata quoque coxit, & comederunt.* verſ. 3.

XIV. Cùm in civitate jam eſſent Angeli, Sodomæorum præſens impietas, inhumanitas & injuſtitia, ob quam Deus exequutus eſt judicii in eos pronuntiata, maximè apparuit. Etenim primò hoſpites Lothi cincta gyro domo ejus, lymphati & furibundi ad nefariam libidinem explendam petiverunt, & quidem מנער ועד זקן כל העם מקצה *à puero uſque ad ſenem, omnis populus ab extremo uſque* verſ. 4. Hoc enim Moſes indicare voluit, ut paſſivam hanc & omnes pervagatam nequitiam fuiſſe, ſecus quàm initio crediderat Abrahamus, conſtet; ac ſimul, *ut præſtrueretur his verbis* (ita loquitur Ambroſius de Abrahamo Patriarcha lib. 1. cap. 6.) *divini judicii æquitas, ne quis diceret forte: Quid peccaverunt pueri, ut omnes exitio involverentur.* Deinde in ipſum etiam Lothum hoſpitalitatis jura colentem, inſtituunt furere. Cùm enim Lothus ad eos, clauſis poſt ſe foribus, egreſſus injuriam novis hoſpitibus paratam deprecaretur, & filias duas virgines ſponderet inſano populo & quidem abutendas, illi maxima protervia tum Lothum à domo abductum juſſerunt ſecedere, ut ſceleratè inter ſe conſultarent; tum graviora Lotho, tanquam homini peregrino & advenæ, qui cùm in hoc facto, tum in aliis fermè omnibus præter officium ſibi judicis partes arrogaret, perinde ac ſi hominis inquilini officium eſſet omnibus aſſentari, adverſari nemini, & æquum bonum habere promercale; denuntiant, ni à deprecando deſtiterit; tum denique & in perſonam Lothi, & in domum ejus vi publica inſiſtunt.

XV. De facto Lothi, filias ſuas Sodomitis abutendas ſpondentis, quæri ſolet, quale illud fuerit? Non deſunt ſanè, qui illi colorem juſtitiæ quærant eo argumento, quod majoris mali metu minus patrare fas piumque ſit. Ita Ambroſius de Abrah. lib. 1. c. 6. *Offerebat Sanctus Loth filiarum pudorem. Nam etſi illa quoque flagitioſa impuritas erat, tamen minus erat ſecundum naturam coire, quam adverſus naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inviolabilem.* Chryſoſtomus pro more ſuo factum hoc Lothi prædicat homil. 23. in Geneſin exclamans: Πόση τοῦ δικαίου ἡ ἀρετή; οὐδὲ τῶν θυγατέρων φείσασθαι ἠνέχετο, ἵνα τὴν εἰς

 τοὺς

τοὺς ξένους τιμὴν ἐπιδείξηται, καὶ ἐλευθερώσῃ τῆς παρανομίας τῶν Σοδομιτῶν; *Quanta fuit hæc juſti virtus? qui ne ſuis quidem filiabus pepercit, ut ſervaret hoſpitibus honorem, & liberaret eos à perverſitate Sodomitarum?* Verùm reſpondeat Sanctis his Patribus Auguſtinus non minùs pietate & eruditione conſpicuus: *Si hanc peccatis aperuimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant; lato limite, imò nullo limite, ſed convulſis & remotis omnibus terminis, infinito ſpatio cuncta intrabunt, atque regnabunt peccata*, lib. contra mendacium cap. 9. Et cap. 7. ait, *periculoſiſſimè admitti omnem hanc peccati compenſationem.* Imò reſpondeat ipſe Paulus, negans diſertè, mala facere licere, ut eveniant bona Rom. III. 8. Cajetanus in ſecundam ſecundæ Thomæ q. 78. art. 4. pertendit, Lothum offerendo filias ſuas Sodomitis, obtuliſſe eis materiam minoris mali faciendi, non autem induxiſſe eos ad minus malum, quo vitetur majus. Aliud porro eſſe, offerre materiam minoris mali; aliud inducere ad minus malum ad evitandum majus. Hoc, non illud illicitum eſſe. Verùm cùm non tantùm materiam minoris mali obtulerit, ſed author etiam fuerit his verbis: *Facite eis, ſicut viſum fuerit*; & conſenſerit ſecuturo ſceleri, vano ejusmodi prætextu excuſari ſanè nequit. Alii putant, licitum eſſe è duobus malis eligere minus, ſi alterutrum certo commiſſum iri prævideatur. Ita Gregorius M. in Job. cap. 40. ubi ejusmodi utitur ſimilitudine: *Qui murorum undique ambitu ne fugiat clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur. Cùm igitur in dubiis conſtringimur, utiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus.* Verùm in naturalibus quidem & civilibus id locum habere poteſt, in moralibus non item, in quibus vitandum id omne, quod legi Dei repugnat. Nam electio quidem minoris mali in rebus naturalibus & civilibus ad bonum finem ſæpe ordinari poteſt. At peccatum nec eligi, nec ad bonum finem ordinari per ſe poteſt. Nos calculum adjicimus S. Auguſtino, qui ingenuè peccâſſe Lothum agnoſcit, & peccatum non imitandum docet, elevari tamen noxam utcunque poſſe exiſtimat, quia profecta non tam ex certo animi propoſito, quàm perturbatione judicii, & ſtudio erga hoſpites, quorum hac ratione injuriam depellere conatus eſt. Verba ejus ſunt contra mendacium lib. 1. 9. *Aliena quippe vir ille juſtus timendo peccata, quæ nonniſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum.* Interim fatemur, errori huic Lothi admixta fuiſſe fidei & probitatis imitandæ argumenta. Huc pertinet inprimis propenſus ille animus Lothi in protectione hoſpitum ſuorum etſi ignotorum. Cujus ſancti officii obſervatorem ſe nobis ſiſtit Jobus cap. XXIX. 12. 13. *Oculus*, inquit, *videns teſtificabatur mihi, me eripere pauperem vociferantem, pupillumque, & cui adjutor non eſt.*

XVI. Cùm

Digitized by Google

XVI. Cùm ita Lothus incolumitati hoſpitum ſuorum intentus periclitaretur, Angeli hoſpites eum potenter aſſertum iverunt. Nam protenſa manu Lothum intra domum receperunt, & foribus occluſis, ipſos impuros & ſceleratos oſtio incubantes, הכו בסנורים מקטן ועד גדול וילאו למצא הפתח *percuſſerunt cæcitatibus à minimo uſque ad maximum, adeò ut defatigati oſtium non ampliùs reperirent* verſ. 11. Ubi בסנורים à Græcis Interpretibus redditur ἀορασία, quæ vox non tam privationem potentiæ viſivæ, quàm privationem actus circa certum objectum notat. Thargum Onkeloſi reddidit בשבריריא quæ vox radios ſeu irradiationes denotat, cùm quis immodica luce obfuſcatur, ut ejus oculis velut radii objiciantur, qui ejus oculorum aciem præpediant. Syrus habet שרגרגיא, Arabs עמי quæ utraque vox *caliginem* notat. Doctiſſimus Abenezra interpretatur cæcitatem העין והלב *oculi & cordis*, ſeu *animi*, cùm quis externè videns, non tamen percipit aut diſcernit quod videt, nec agnoſcit aut ſcit quod videat. Tali ſcotomate percuſſi ſunt illi, qui vino madent, qui ſæpe fatigantur proprium oſtium quærendo. Ejusmodi omnino cœcitas fuiſſe videtur Sodomæorum, non potentiæ ipſius privatio. Si enim *ea cæcitas fuiſſet, quâ fit ut nihil poſſit videri; non oſtium quod ingrederentur, ſed duces itineris à quibus inde abducerentur requiſiviſſent*, inquit Auguſtinus de C. D. XXII. 19. Author Sapientiæ cap. XIX. 16. nonam Ægyptiorum plagam comparat cum hac cæcitate Sodomæorum his verbis: Ἐπλήγησαν δὲ καὶ ἀορασίᾳ, ὥσπερ ἐκεῖνοι ἐπὶ ταῖς τοῦ δικαίου θύραις, ὅτε ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει, ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ θυρῶν τὴν δίοδον ἐζήτει. *Cæcitate etiam percuſſi fuerunt, ut quondam ad juſti fores illi, qui vaſtis circumſcpti tenebris, ſuarum quiſque forium aditum quærebant.* Ubi primò cæcitatem referre videtur non tam ad mutationem aliquam in perſonis ipſis, quàm ad aërem circumjacentem. Fieri ſanè poteſt, ut Angelorum operâ aër circumjacens fuerit obſcuratus. Cùm verò dicantur percuſſi ſcotomate ipſi illi, qui Lotho vim inferre paraverant, dubitari non poteſt, quin in ipſis etiam illorum corporibus & animo immutatum aliquid ſit. Deinde errat, in eo etiam Author libri illius, quòd ſuarum quemque forium aditum quæſiviſſe ſcribit. Nam ex antecedentibus patet, de aliis foribus id intelligi non poſſe, quàm de iis, quas paulò antè conabantur effringere, & quæ ab Angelis, Lotho recepto, occluſæ fuerunt. Accedit quòd ubique in ſingulari vocatur פתח *oſtium*, ſine ullius affixi relativi adjunctione. Papiſtæ nonnulli, putà Benedictus Pererius, Janſenius, aliique, ut libri Sapientiæ authoritatem vindicarent, ad Ægyptios referunt, non Sodomæos, quod ibi dicit Author coopertos fuiſſe tenebris, & oſtii ſui januam reperire non potuiſſe. Sed diſplicet hoc ipſi Bonfrerio,

frerio, tum quòd Sixtina Biblia aliter interpungant, tum quòd Ægyptii non videantur quæſiviſſe tranſitum oſtii ſui, ſiquidem Exod. x. dicuntur tam ſpiſſæ tenebræ fuiſſe, ut nullus ſe de loco ſuo movere poſſet. Ipſe verò Bonfrerius putat, utrumque verum fuiſſe, nempe Sodomæos nec Lothi, nec ſuam januam reperire potuiſſe. Verùm cùm id Moſes non dicat, unde liquere potuit, vel Authori Sapientiæ vel ipſi Jeſuitæ? Deinde manet error quòd tenebræ non fuerint in perſonis, ſed in circumpoſito duntaxat aëre. Unde obiter, quid de libri illius authoritate ſentiendum ſit, conſtare poteſt.

XVII. Antea quàm ſententia excidii exequutioni daretur, Angeli, ſingulari Dei erga Lothum ejusque familiam gratiâ, eum ab imminente civitati malo liberant. Et primò quidem conſilium ipſi impertiunt, ut omnem familiam ſuam, generum, filios, filias & omnia, quæ in civitate habebat, ex loco eo educeret, eò quòd tum propter gravitatem peccatorum, quibus Sodomæi tenebantur, tum propter decretum Dei exardeſcentis in peccata illorum, proximè inſtet perditio illius loci. Ubi Angeli generos intelligunt non jam nuptos filiabus ſuis extra familiam paternam locatis, uti LXX. Interpretes, Syrus, Arabs aliique etiam Rabbini accipiunt, quaſi filias habuerit extra familiam in communi excidio relictas: ſed לקחי בנתיו *accipientes filias ejus*, eos, quibus jam filias deſponderat, ſed nuptiis nondum conſummatis. Quomodo etiam Thargum Onkeloſi חתנוהי נסבי בנתיה *generos ſuos, qui ducturi erant filias ſuas.* Neque enim probabile eſt, Deum, cui adeò curæ erat Lothus, eum hac triſtitiâ afficere voluiſſe, ut in communi interitu cogeretur filias à ſe prognatas deſerere. Neque in Scripturis ullum veſtigium eſt, quòd alias habuerit Lothus filias, quàm eas ipſas, quæ eum exeuntem proſecutæ ſunt. Deinde generos hos ad ſalutis participationem Lothus vocavit ex mandato illo Dei & charitatis officio. Verùm ſurdis hominibus, eodem quo reliqui, furore faſcinatis, & ſoceri piam ſolicitudinem ludibrium interpretantibus, fabulam cecinit. Cúmque cunctaretur Lothus, illuceſcente aurora, Angeli ſaluti ejus conſulentes, eum, tum *ſermone* ſeriò urgebant, caperet uxorem & filias, ac civitatem desereret: tum *opere* ipſo compellebant, tardante Lotho ejusque familiâ manu prehenſâ, & extra urbem deductâ.

XVIII. Inter diſcedendum Angeli Lotho ſingularia nonnulla imperant, nempe ne retro reſpiciat, vel ſtet in tota ea planitie, ſed potiùs in montem ſe feſtinanter proripiat verſ. 17. אל תביט אחריך ואל תעמד בכל הככר ההרה המלט פן תספה *Ne reſpicias poſt te, neque ſtes in tota hac planitie: in montem erue te, ne forte pereas.* Quòd jubetur non reſpicere, vel conſiſtere

ſtere in planitie, eò pertinet, partim ut obedientia Lothi exploraretur, partim ut regionis illius indignæ quæ vel aſpiciatur amplius, vel calcetur pedibus, deteſtanda iniquitas amplius declararetur, partim denique ut ipſum Lothum cohiberet Deus, ne indignè ferret aut loci, quem deſerebat, aut rerum quæ in loco eo erant, jacturam, quin potiùs alacri animo beneficium divinæ hujus liberationis admitteret, & priſtina habitatione, omnibusque in ea bonis potius haberet. Hæ veræ mandati hujus cauſæ ſunt. Nam quòd alii alias cauſas comminiſcuntur, quales ſunt, quòd aëre à tergo Lothi infecto periculum vitæ incubuerit; quòd aliâs viſurus ſit שכינה *Majeſtatem* Dei deſcendentis ad perdendum Sodomam, uti fingit Eliezer, &c. meritò contemnimus. Cæterùm quoad mandatum illud, quo jubebatur Lothus fugam arripere in montem, illud humiliter deprecatus eſt Lothus, metuens, ne ſi gradum ita accelerare oporteat, imminente Dei judicio, in ipſo itinere prægravatus infirmitate occumberet. Poſtulabat igitur, ut commoditate urbis מצער *μικρᾶς exigua* (ad urbem enim hanc refero cum Interpretibus Orientalibus omnibus, non ad petitionem ipſam cum Tremellio & Riveto,) quæ in proximo erat, uti poſſet. Cui petitioni Lothi annuit clementer unus ex Angelis, qui idem haud dubiè fuit cum Jehova, cum quo antea contulerat Abrahamus. Verba ejus ſunt: *En ſuſcepi faciem tuam hac in re, ut non ſubvertam urbem hanc de qua locutus es*, verſ. 21. נשא פנים *ſuſcipere faciem* exauditionem gratioſam denotat. Hieronymus: *Ecce ſuſcepi faciem tuam, hoc eſt, acquieſco precibus tuis.* Confer Geneſ. XXXII. 20. Job. XLII. 8. 9. Arabs Interpres explicatè reddit שפעתך *admiſi ſupplicationem tuam.* Moris erat apud Orientales ſupplicare demiſſa facie in terram, quam levari jubebant, qui petitionem ratam haberent. Et qui ita levari jubebant, dicti ſunt *ſuſcipere faciem.* Symmachus vertit; *ὁρᾶς ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σου.* Ubi Druſius meritò illud *ὁρᾶς* de mendo ſuſpicit, & legendum conjectat *ὁρᾶ σοι*, quod pro הנה poſitum. Deinceps mandat Lotho, ut feſtinet, & in civitatem eam ſe proripiat, addita ratione: כי לא אוכל לעשות דבר עד באך שמה *quia non potero facere quicquam, donec perveneris illuc*, verſ. 21. Id quod referendum ad decretum & divinam ordinationem. Decreverat nempe Deus & ordinaverat non prius delere Sodomam, quàm Lothus & ejus familia conſiſteret in tuto. Hoc obſtante decreto, *non poterat Deus ipſe, ſeu filius Dei quicquam facere* donec Lothus in civitatem eam evaſiſſet. Cæterùm civitati illi prius nomen erat בלע *Bela*, uti innuitur Geneſ. XIV. 2. Notat autem בלע *devorationem*, uti obſervavit Hieronymus in traditionibus Hebraicis. Nunc à Lotho, qui eam nuncupavit מצער *μικρὰν parvam* verſ. 20. novum nomen

Digitized by Google

men ſortita eſt, nempe צוער *Tzoar*, v. 22. Quod nomen perperam cum *Bela*, antiquo civitatis ejus nomine comparavit Theodoretus quæſt. 65. in Geneſin, ubi ait: κατάπωσις καὶ ἡ Σηγὼρ ἑρμηνεύεται. *Hiatum etiam Segor ſignificat.* Hoc enim falſum eſſe liquet abundè ex Etymologia, quæ perſpicuè verſ. 20. redditur. Græci & eos ſecutus Vulgatus eam vocem reddunt Σηγώρ *Segor*. Thargum Onkeloſi צוער *Sugar*. Syrus & Arabs צוער *Zagar*. Erat autem una è quinque Pentapoleos civitatibus, quæ in gratiam Lothi ab incendio ſervata eſt. Eſai. xv. 5. inquit Propheta: *Cor meum ad Moab vociferabitur*, בריחיה עד צוער עגלת שלשיה *profugi ejus uſque ad Zoar vitulum triennem.* Græci: ἡ καρδία τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ ἐν αὐτῇ ἕως Σηγώρ. Δάμαλις γάρ ἐστι τριετής. *Cor Moab clamat in ea uſque ad Segor. Vacca enim eſt triennis.* Unde docti quidam viri, & inter eos Bonfrerius, aliique urbem Zoar vocari עגלה שלשיה *vitulam triennem*, eò quòd motu terræ ter abſorpta ſit, & quaſi vitulus triennis ter in altum ſilierit arbitrantur. Et eandem ob cauſam, 1. Sam. IX. 4. terram שלשה *Saliſſam* Hebræi veteres, & eos ſecutus Hieronymus in Geneſ. XIX. interpretantur urbem hanc Zoar. Verùm in loco Eſaiæ עגלה שלשיה non conſtruenda eſt cum צוער *Zoar*, ſed potiùs cum initio verſus: *Cor meum clamat.* Idque probat locus parallelus Jerem. XLVIII. 34. *Edent vocem ſuam à Zoar uſque ad Horanajim* עגלת שלשיה *ſicut vitula triennis.* Eſt nempe bos, ut eum Homerus vocat, ἐρίμυκος, hoc eſt, μεγαλόφωνος *magnæ & contentæ vocis.* Et Propheta fœminæ potiùs quàm maris meminit, quia in ſolo hoc genere fœmina eſt vocalior. Quòd in poſteriori loco *Saliſſam* eſſe urbem Zoar pertenderunt veteres Hebræi, ex hoc ipſo errore malæ conſtructionis ortum habet.

XIX. Poſtquam Sole ſuper terram egreſſo Lothus tuto in receptu collocatus eſt, narratur à Moſe ipſum Sodomæ excidium verſ. 24, 25. his verbis ויהוה המטיר על סדם ועל עמרה גפרית ואש מאת יהוה מן השמים: ויהפך את הערים האל ואת כל הככר ואת כל ישבי הערים וצמח האדמה: *Et Jehova pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Jehova è cœlis. Subvertitque urbes illas, & omnem planitiem illam, omnes quoque habitatores urbium illarum, & germen terræ.* Cauſa igitur excidium inferens fuit *Jehova*, qui *à Jehova pluit.* Ubi nec Hebræos Menaſſen Ben Iſraël, R. Aelbo, R. Simeonem, nec Grotium Judaizantem moramur, qui per prius nomen יהוה intelligunt Gabriëlem, tanquam miniſtrum, per poſterius Deum tanquam cauſam principalem. Nam nomen Jehovæ nonniſi ſoli Deo convenire aſſeruimus. Cur verò dicatur יהוה *Jehova* pluiſſe מאת יהוה *à Jehova* alii alias cauſas afferunt. Myſterii cauſa ita loqui Moſen plerique veteres putant, ut Deum filium pluiſſe à Deo Patre ſenſus ſit, adeóque SS. Tri-

SS. Trinitatis inſinuetur myſterium. Ita Ignatius in Epiſt. ad Antiochenos, Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, Athanaſius in Oratione contra gregales Sabellii, Hilarius, Tertullianus, Cyprianus, Marcus Arethuſus apud Socratem Hiſt. Eccl. II. 30. Epiphanius, Concilium etiam Sirmienſe, quod diſſentientes anathemate percutit. Et favere videtur iis etiam Paraphraſis Hieroſolymitana, quæ habet pro primo יהוה *Domino* מימריה דיי *verbum Domini*, & in ſecundo מן קדם יי *à præſentia*, ſeu *à Domino*. Nihilominus myſterium ejusmodi ſubeſſe non obſervârunt alii, nominatim Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Eucherius aliique recentiores tum Euangelici, Pellicanus, Mercerus, Calvinus, Druſius, Piſcator, Sixtinus Amama, Paræus, alii, tum Pontificii Interpretes, quibus viſum firmioribus inſiſtere munimentis, non verò iis, à quibus depelli nullo negotio à Judæis poſſint. Notant nempe illi his in verbis Hebraiſmum, & לשון צחות *linguæ* hujus peculiarem *elegantiam*, uti vocat Abenezra, juxta quam ſæpiſſime antecedens loco relativi ponitur, & nomen pronominis vice uſurpatur. Confer Num. x. 29. Pſal. LXXXII. I. I. Reg. VIII. I. Luc. III. 19. Cùm igitur Jehova dicitur pluiſſe מאת יהוה *à Jehova*, perinde eſt, ac ſi dictum foret מאתו *à ſe ipſo*. Ita habet etiam Arabs ואללה אמטר מן עברו *Et pluit Dominus à ſe ipſo*. Eſt tamen poſterius nomen יהוה *Jehova*, ἐπιτατικῶς intenſionem & vehementiam ſignificans, vel certè notans actionem ſupernaturalem & miraculoſam. Laudanda hîc eſt modeſtia doctiſſimi Hacſpanii. Cùm enim Hunnius aliique noſtros, qui hoc loco adverſus Judæos utendum non putant, accuſent graviter, objecto etiam per atrocem calumniam Judaiſmo & Turciſmo, ille ita judicat in h. l. *Poſſumus hîc, imò debemus ferre alios Chriſtianos modeſtè vel ambigentes, vel diſſentientes, neque Judaiſmus aut Turciſmus in re adeò perplexa, aliis objici debet, ceu queritur Pareus. Abundet potiùs quilibet ſuo ſenſu. Vix in manifeſtis aliquid obtinemus contra præfractos Judæos, quid fiet in re tam obſcura, & ubi non ſine Exemplis Hebraiſmum jactare poſſint.* Cœterùm cùm verſ. 13. Angeli duo ſe perdituros Sodomam minentur, quæſitum eſt, quomodo Jehova ipſe cœlitus demiſſo igne eam perdidiſſe dicatur? Dubium hoc movet Menaſſe Ben Iſraël Concil. quæſt. 44. atque illud ſic reſolvit, ut Angeli tanquam inſtrumenta, & cauſa remota, Deus tanquam cauſa proxima & principalis deleviſſe civitates iſtas dicantur. Atque hoc inſinuari putat, cùm Jehova dicitur pluiſſe à Jehova, hoc eſt, Jehova Angelus, ut inſtrumentum, à Jehova Deo, ut cauſa principali. Verùm illam detorſionem jam antea perſtrinximus. Nos eum nodum ſic ſolvimus: vel actio Dei pluentis à ſe ipſo fuit immediata & miraculoſa, vel mediata. Si prius, quod veriſimile eſt, cùm

Digitized by Google

dicatur *à ſe ipſo*, hoc eſt, non adhibitis ullis cauſis ſecundis pluiſſe; jam Angeli perdidiſſe civitates eas dici poſſunt, quia inſtrumenta fuerunt moralia, hoc eſt, talia, ad quorum præſentiam miraculum illud patravit Deus. Quomodo in Ægypto Moſes, & Apoſtoli multa feciſſe dicuntur, quæ ad ſolius tamen Dei operationem referenda. Sin poſterius, jam illi fuerint cauſæ ſecundæ, Deo cauſæ primæ in exequendo judicio hoc inſervientes.

XX. Pluit autem Dominus גפרית ואש *ſulphur & ignem.* Quibus etiam מלח ſalem, qui & aduſtionis cruciatum auget, & terræ alioqui fertiliſſimæ pinguedinem exſugit, admixtum fuiſſe docet locus Deut. XXIX. 23. ubi Deus Iſraëlitis prævaricantibus minatur, ſulphure & ſale exuſtum iri totam terram, ſicut factum in ſubverſione Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ & Seboim. Unde factum, ut tota terra illa ſalſuginoſa redderetur. Ipſa notio המטיר *pluendi* vel ſummam copiam & abundantiam arguit ſulphuris & ignis, ſi impropriè ſumatur; vel, ſi propriè capienda ea vox, notabitur, aquam ſulphuream & igneam ſupernè magna copia, & vehementi impetu cadentem, & obvia quæque exurentem decidiſſe. Jarchius primò pluiſſe ait, ac poſtea ex pluvia ſulphur & ignem factum בתחלה inquit, מטר ונעשה גפרית ואש *primo pluit, ac deinceps factum ſulphur & ignis.* Rectè Gregorius M. Moral. lib. XIV. 10. notat, ſulphur & ignem aptiſſimè reſpondere peccato ejus gentis. *Quòd enim,* inquit, *per ſulphur fœtor carnis ſignetur, ipſa ſacri eloquii teſtatur hiſtoria, quæ contra Sodomam pluiſſe ſulphur & ignem Dominum narrat: qui cum carnis ejus ſcelera punire decreviſſet, in ipſa qualitate ultionis, notavit maculam criminis: ſulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igne ac ſulphure perirent: quatenus ex juſta pœna diſcerent, quid ex injuſto deſiderio feciſſent.* Sed & Apoſtolus Judas verſ. 7. non obſcurè pœnam hanc facit *δεῖγμα exemplum* pœnæ æternæ, quam in ſtagno ignis & ſulphuris patientur impii, & hanc ipſam temporalem pœnam præludium fuiſſe æternæ innuit. Quin & Chriſtus ipſe cum hoc incendio comparat ultimam *ἐκπύρωσιν* ſeu *conflagrationem* mundi Luc. XVII. 29. 30.

XXI. Pluvia hæc cœleſtis dicitur decidiſſe על סדם ועל עמרה *ſuper Sodomam & Gomorrham* eaſque ſubvertiſſe, unâ cum tota planitie illa, verſ. 24. 25. Quamvis autem hîc alibique duarum duntaxat civitatum mentio ſit, & ipſe Solinus Polyhiſtor duarum duntaxat meminerit; tamen quatuor civitates, nimirum Sodomam & Gomorrham, Adamam & Seboim hocce incendio deflagrâſſe apertè habetur Deut. XXIX. 23. Malè autem Author Sapientiæ Pentapolin, Stephanus urbes decem, Strabo tredecim conflagrâſſe tradunt. Porro planities ea, quam ſubverſam ait Moſes,

juxta

Digitized by Google

juxta planitiem maris mortui in locum ejus ſuccedentis, fuit, ſi Joſepho credimus, longa ſtadia 580. lata 150. Juxta Plinium lib. v. cap. 16. longa 100. millia paſſum, lata 25 millia. Fuiſſe nempe eam planitiem quæ antehac fuit כגן יהוה כארץ מצרים ſicut *hortus Jehovæ, & ſicut terra Ægypti* Geneſ. XIII. 10. commutatam in mare mortuum, quod aliâs *mare Salis*, & *lacus Aſphaltites* appellatur, innuit Moſes Geneſ. XIV. 3. De qua re fuſè à nobis actum Exercit. v. Sect. 8. Authores exoticos ea de re paulò pòſt in teſtimonium citabimus. Cœterùm cùm Jordanes ſe exoneret in mare illud mortuum, ſeu lacum Alphaltitem, quo planities ea contecta eſt, quæri non immeritò poſſit, quò ante everſionem Sodomorum, cùm nondum hic lacus exiſteret, Jordanes ſe exoneraverit? Res incerta & obſcura eſt. In mare rubrum ſe exoneràſſe, & poſtquam hic lacus erupit, Jordanem ab eo abſorptum non fluxiſſe ulterius, atque temporis progreſſu alveum iſtum per deſertum fuiſſe oppletum quidam exiſtimant. Aliis tamen veriſimilius videtur, alicubi in ipſa Pentapoli terra ſolitum abſorberi, & per meatus ſubterraneos alicubi in mare ſe exoneràſſe. Idem ſanè dicendum de ipſo lacu Aſphaltites, in quem cùm continuè influat Jordanes, neceſſe eſſet ipſum creſcere, & exuberare, niſi ſe alicubi exonéraret.

XXII. Quoad homines teſtatur Moſes, deletos eſſe כל יושבי הערים *omnes habitatores urbium illarum* verſ. 25. Et ne quidem שריד *ullas reliquias* ſuperſtites manſiſſe, teſtatur Eſaias 1.9. *Niſi Deus exercituum reliquiſſet nobis ſuperſtites paucos, ſicut Sodoma fuiſſemus, Gomorrhæ ſimiles fuiſſemus.* Malè igitur Strabo quoſdam fuga arrepta ab incendio immunes evaſiſſe tradidit. An verò qui temporali hoc & graviſſimo ſupplicio defuncti ſunt, damnati æternùm perierint, quæſitum eſt. Negat Hieronymus in Nah. cap. I. *Quòd ſi*, inquit, *vobis videtur crudelis, rigidus & cruentus, eò quòd in diluvio genus delevit hominum, & ſuper Sodomam ignem pluit & ſulphur, Ægyptiosque ſubmerſit fluctibus: ſcitote eum ideò ad præſens reddidiſſe ſupplicia, ne in æternum perirent. Receperunt igitur & qui in diluvio perierunt, & Sodomitæ & Ægyptii & Iſraëlitæ mala ſua in hac vita ſua.* Ipſe tamen Hieronymus paulò pòſt, quaſi nimiam ſententiæ lenitatem caſtigans, id quod dixerat ad minora & leviora crimina reſtringit, & majoribus ſufficere levia præſentis vitæ ſupplicia negat. Sed quicquid fiat de Hieronymi ſententia, quam Pererius Diſp. 7. in Geneſ. c. XIX. prolixè in meliorem ſenſum interpretatur; Apoſtolus Judas haud obſcurè eos, qui incendio hoc perierunt, æternis pœnis adjudicat. Verba ejûs ſunt verſ. 7. Quemadmodum Sodoma & Gomorrha, & iis vicinæ civitates, quæ ſimili modo atque hi in fornicationem ſe

Digitized by Google

effuderunt, & abiverunt poſt carnem aliam, πρόκειντα δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι, *proſtant exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Ubi civitates adeóque etiam homines in iis civitatibus ſubſiſtentes dicuntur æterni ignis pœnam ſuſtinere. Sed aliter civitates, aliter homines in civitatibus. Et civitates quidem illæ ignis æterni pœnam ſuſtinent, quatenus nec reſtitutæ ſunt, nec reſtitui poſſunt. Sic enim etiamnum ardere videtur is ignis. Homines verò communiter, inprimis adulti, rationis juxta atque ſcelerum participes, quia per hunc veluti gradum temporalis ſupplicii in ignem æternum inciderunt, & ſpiritus illorum in æternum βασανισμὸν tanquam uno momento præcipitati ſunt. Sed & Divus Petrus 2. Ep. II. 6. ait, civitates Sodomam & Gomorrham in cinerem redactas eſſe ὑπόδειγμα τῶν μελλόντων ἀσεβεῖν *exemplar eorum, qui impiè acturi ſunt.* Cúmque Sodomæi oppreſſi fuerint ſubito impetu, vix tempus pœnitentiæ ullum relictum fuit. Unde etiam Chriſtus Matth. XI. 24. ita comparat Sodomæos cum Euangelii contemptoribus, ut pronuntiet quidem tolerabiliorem fore conditionem Sodomæorum in die judicii, at ſubituros illos judicium & pœnam æternam non neget, ſed potiùs ſupponat. Idem Hebræi veteres aſſerunt in codice Sanhedrin cap. II. אנשי סדום אין להם חלק לעולם הבא *Viris Sodomæ nulla erit pars in vita æterna.* Ratio tamen, quæ ibi ſubjicitur, longiùs petita videtur. Neque hic inquirendum in judicii divini æquitatem, quæ ſumma eſt, ſed potiùs in divinæ voluntatis & ſapientiæ portu acquieſcendum.

XXIII. Huic adverſus Sodomam & Gomorrham judicio conjungit Moſes alterum, metamorphoſin nempe uxoris Lothi, ob infidele & immorigerum ejus factum. Verba ſunt verſ. 26. ותבט אשתו מאחריו ותהי נציב מלח *Et reſpexit uxor ejus retro eum, & effecta eſt ſtatua ſalis.* Culpa igitur ejus fuit, quòd reſpexit מאחריו quam vocem alii aliter reddunt. Græci εἰς τὰ ὀπίσω *retrorſum.* Ita etiam Syrus. Thargum בתרהא *poſt ſe*, quomodo etiam Vulgatus. Thargum Hieroſolymitanum hoc ita exponit, quòd uxor Lothi ex gente Sodomæorum reſpexerit, ut videret, quid futurum eſſet cum domo patris ſui. R. Eliezer Pirke cap. 25. peccatum mulieris fuiſſe tradit, quòd ſe convertens propter filias ſuas Sodomæ deſponſatas, viderit שכינה *Majeſtatem Dei.* Senſus verus haud dubiè eſt, ipſam Lotho jam civitatem Zoar ingreſſo, manſiſſe adhuc in itinere, & contra mandatum ſuperiùs datum reſpectâſſe Sodomam tum, cùm jam pluvia cœleſtis decideret. Ita ut מאחריו ſit *poſt ipſum*, Lothum nempe, in civitatem jam ingreſſum. Neque enim in itinere Lothi hæc accidiſſe arguit, quòd Angelus ſe quicquam facere poſſe negaverit, priusquam Lothus civitatem ingreſſus fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Hinc enim evenit, ut ſingulari Dei judicio efficeretur נציב מלח ϛήλη ἁλὸς, *ſtatua ſalis*. Abenezra id ita interpretatur, ac ſi periiſſet combuſta à Sulphure, atque ſic in ſalis ſtatuam redacta. Verba ejus ſunt: נשרפו בגפרית עצמיה והיתה מלח כי כן כתוב גפרית ומלח וגו' *Combuſta ſunt ſulphure oſſa ejus & facta eſt in ſalis ſtatuam. Sic enim ſcriptum eſt: Sulphur & ſal* &c. Alii vocem מלח accipiunt notione metaphorica, juxta quam ſal eſt perpetuitatis ſymbolum. Statuam igitur ſalis dici putant pro ſtatua incorruptibili & in ſeculum permanſura. Atque ſic videtur accepiſſe Thargum Hieroſolymitanum, cujus verba ſunt: והיא היא קימא עמוד דמלח עד זמן תחייה דייחון מיתיא *Atque ita factum eſt, ut facta ſit columna ſalis duratura uſque ad tempus reſurrectionis, quo mortui reviviſcent*. Ita Num. XVIII. 19. ברית מלח *pactum ſalis* idem eſt, *quod pactum perpetuum, & nunquam deſiturum*. Hinc orta fabula, quòd adhucdum extet, & ad finem uſque mundi extitura ſit ea ſtatua, in monimentum infidelitatis & inobedientiæ hujus uxoris. Sanè Joſephus eam ſuo tempore extitiſſe docet: Ἱϛόρηκα δὲ, inquit, αὐτὴν, ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. *Inſpexi enim eam, namque etiamnum extat.* Tertullianus carmine de Sodoma aſſerit, adhuc ſuo tempore extantem formam retinere, non tantùm externam, ſed etiam ſexûs differentiam; imò etiam muliebria pati. Et Irenæus nimia credulitate deceptus lib. IV. 51. *Uxor remanſit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, ſed ſtatua ſalis ſemper manens: & per naturalia, ea quæ ſunt hominis conſuetudinis, oſtendens.* Ita R. Eliezer Pirke cap. 25. *Facta eſt ſtatua ſalis, ac etiamnum hodie perſiſtit. Lambunt eam boves, & deſcendens vel ſtans ſuper pedes ſuos manè effloreſcit.* Ex quo authore potiùs quàm per αὐτοψίαν effictum obſervavit. R. Bergamin Tudelenſis in Itin. pag. 44. שהצאן לוחכות ממנה ואחר כך חוזרת וגדלה כבראשונה *greges lingere de ea, poſteaque redire, & ad priſtinam quantitatem excreſcere.* Hodiéque fama eſt, illam extare. Brochardus in deſcriptione terræ ſanctæ p. 1. cap. 7. num. 24. refert, ingentes ſe ſubiiſſe labores itinerum, ut ſtatuam illam videre poſſet, neque tamen deſiderium explere potuiſſe, ſiquidem incolæ retulerint ipſi, locum illum eſſe inacceſſibilem, vel certè non ſine mortis periculo adiri poſſe, propter feras immanes & ſerpentes, præcipuè autem propter Beduinos ejus loci habitatores homines perquam inhumanos. Quæ ſatis arguunt, fallacem eſſe, quæ fertur, famam. Neque aliunde, opinor, exorta eſt ea traditio, quàm ex hac interpretatione, quæ *ſtatuam ſalis* pro ſtatua perpetua & incorruptibili ponit. Quamvis enim ſtatuam illam utpote duriſſimam, extitiſſe diutiſſimè, fortè negari non poſſit, tamen adhuc extare, & extituram perpetim, quia id Scriptura non dicit, aſſerere non audemus. Verùm cauſa ſanè nulla eſt, cur à proprietate literæ ad figuratam locutio-

Digitized by Google

nem confugiamus. Aliud autem eſt quòd pactum Num. XVIII. 19. vocatur *fœdus ſalis* ob perpetuitatem & firmitatem. Hanc enim locutionem figuratam eſſe liquet, quia pactum, cùm ſit actio relativa inter duos, non poteſt in ſalem converti, ſicut potuit uxor Lothi; poteſt tamen ſale adhibito ſanciri, quemadmodum olim ſacrificia fuerunt ſale condita. Doctiſſimus Heinſius Exercit. in N.T. in Luc. XVII. 32. ellipſin ſubeſſe putavit, ut נציב מלח στήλη ἁλὸς ſcriptum ſit pro כנציב מלח ὡς στήλη ἁλὸς, *ſicut ſtatua ſalis.* Quemadmodum in Cantico dicitur: *Oculi tui ſunt columbæ*, hoc eſt, *ſicut columbæ.* Putat igitur, nihil aliud hìc ſignificari, quàm quòd diriguerit, inſtar ſtatuæ ſalis. Quibus argutiis, inquit, ipſa ἑτεροίωσις ſeu μετεμόρφωσις tollitur. Et videtur ſanè argutior hæc quàm verior expoſitio, quæ à proprietate literæ ſine urgente cauſa diſcedit. Hieronymus fruſtrà eam in ſententiam à Viro docto citatur. *Tale aliquid fortaſſis*, inquit, *B. Hieronymo in mentem venit, cùm hanc ipſam, quòd reſpiceret ὀπισθοτόνῳ affectam ad Ezech. cap. 1. ſignificat.* Non enim uxori Lothi tribuit Hieronymus, quòd ὀπισθοτόνῳ inſanabili, hoc eſt, uti Heinſius interpretatur, raptu poſterganeo, ſeu involuntaria colli infractione perierit; ſed potius Pontifici Eli. De uxore autem Lothi dici non poteſt, quæ tali raptu non periit, ſed judice viro docto diriguit. Nos igitur inhærentes proprietati literæ, factam uxorem Lothi ſtatuam ſalis arbitramur huncce in modum, ut corpus uxoris concreverit in ſtatuam ſalis duriſſimam intus & foris: non quòd ſubſtantia corporis uxoris converſa ſit in ſubſtantiam ſalis, cùm id credere vetet articulus de reſurrectione corporum; ſed quòd totum uxoris corpus intus & foris ſale oppletum & concretum diriguerit, & in ſalis ſtatuam mutatum fuerit, non tam annihilatione ſubſtantiæ, quàm heterogenei appoſitione. Cui rei plurimum inſervivit Sal iis in locis uſitatus. Teſtatur nempe Plinius lib. XXXI. 7. in Africa circa Uticam conſtrui acervos ſalis, ad collium ſpeciem; qui ubi ſole lunáque induruerit, nullo humore liqueſcat, vimque etiam cædentis ferri ſuperet. Porro Utica Tyro & Sodomæ vicina eſt. Et Ariſtoteles ejuſmodi lapidem ex ſale induratum cum lapide Pario comparat: Similium metamorphoſeon exempla colligi poſſent, ſiquidem res hæc ſupra fidem exiſtimaretur. In Bavaria Anno 1348. ruſticos cum vaccis ſuis, terræ motu & peſtilenti aura correptos in ſtatuas ſalarias diriguiſſe, narrat Aventinus in Annalibus Bojorum. Alia ejus generis vide apud Marcellum Donatum Hiſtor. Med. Mirab. p. 264. & Jac. Mokium de Cauſ. Concret. nec non Biſſelium Argonocet. American. lib. XIV. 2. Ex hac pœna quæ extare debuit in perpetuum juſtitiæ divinæ monimentum, factum videtur, quòd Hebræi ve-

teres

Digitized by Google

teres uxori Lothi nomen impoſuerint עדית Adith, *à teſtando*, ut divinæ ſeveritatis teſtimonium hoc apud omnem poſteritatem extaret.

XXIV. Cur verò in ſalis ſtatuam potiùs converſa fuerit uxor Lothi, quàm quocunque alio ſupplicio affecta, requiri etiam poſſet. Mittimus nugamenta Hebræorum quorundam, quos inter eſt R. Salomon Jarchi, qui fingit punitam eſſe in ſale fœminam, quia במלח חטאה *in ſale peccavit.* Nempe in pridiano hoſpitum convivio, eam Lotho petenti ſal in condimentum ciborum, gentilitio hoſpitalitatis odio dare noluiſſe. Hinc factum, ut eo genere ſupplicii puniretur, quò pœna delicto reſponderet. Alii quod de ſale ab iſtis dictum, trahunt in aliam ſententiam, quòd videlicet hoſpites illos non affabiliter, ſed triſti ac tetrico vultu exceperit, adeóque hoſpitalitatem, cujus ſymbolum ſal eſt, violaverit. Scriptor Pentateuchi Ibn Sina ex mente Orientalium quorundam Interpretum, aſſerit uxorem Lothi in ſalis ſtatuam potiùs, quàm quodvis aliud mutatam eſſe, quia ea potiſſimùm contra maritum ſuum peccaverit. Poſtquam enim divertere apud Lothum advenæ, notum illud feciſſe civibus ſigno utrique parti poſito, pulſato videlicet pariete dixiſſe איתוני מלחא *Date mihi ſal.* Sal nempe hoſpitalitatis ſymbolum eſt, uti ex Euſtathio probat vir doctiſſimus Guilielmus Stuckius noſter, Antiq. conviv. lib. I. cap. 27. Quantò rectiùs Auguſtinus de C. D. lib. XVI. 30. *Uxor*, inquit, *Lothi ubi reſpexit, remanſit. Et in ſalem converſa hominibus fidelibus quoddam præſtitit condimentum, quo ſapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum.* Quid autem ſit illud, quod nobis hoc exemplo monitis cavendum, explicat Chriſtus Luc. IX. 62. *Nemo qui manu ſua admota aratro reſpexerit ad ea quæ retro ſunt,* εὔθετός ἐστιν εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ *diſpoſitus eſt ad regnum Dei.* Unde Luc. XVII. verſ. 32. idem Salvator noſter jubet nos μνημονεύειν τῆς γυναικὸς Λώθ *meminiſſe uxoris Lothi.* Alii rationem moralem hanc reddunt, ut ex hac pœna uxoris Lothi colligant ii, qui ſemel arrepto rectæ vitæ propoſito reſiliunt, & fidei & conſcientiæ bonæ naufragium faciunt, quæ pœna ipſos maneat, induratio nempe cordis & æternus ignis, quo illi tanquam victimæ piaculares ἁλισθήσονται *ſalientur*, Marc. IX. 49. Interim fatemur, ſolidiſſimam rationem eſſe ſanctam & juſtam Dei voluntatem, qui hoc potiùs quàm quocunque alio genere pœnæ immorigeram plectere voluit. Neque etiam mirari quiſquam poteſt, cur adeò graviter punita ſit hæc uxor. Quamvis enim externa actio levis admodum videatur, tamen ſi ex circumſtantiis fiat judicium, apparebit peccatum fuiſſe graviſſimum. Etenim præceſſerat divina prohibitio, cujus vel ſolius præfracta transgreſſio reatum contraxit. Deinde palam eſt, uxorem hanc reſpiciendo divinæ liberationis

bene-

Digitized by Google

beneficium adeò non æſtimâſſe, ut maluerit redire ad illam voluptatum ac ſcelerum cloacam. Apparent igitur in hoc facto incredulitatis, rebellionis, & ſolicitudinum hujus vitæ, quibus exiguus admodum junctus fuit guſtus divinæ erga eam & ſuos gratiæ, argumenta. Neque ſemper ex actione externa divina judicia æſtimari oportere, abundè demonſtrant exempla Protoplaſtorum, Moſis & Aharonis, Zachariæ aliorumque, qui puniti ſunt graviter, quamvis in externa actione eorum tam gravis noxa non apparuerit. Nempe ex ipſa pœna de culpa, & ex actionibus de animo judicandum, quia in Deo nulla eſt iniquitas, cui intimi cordis receſſus & latebræ ſunt notiſſimæ.

XXV. Reſtant duo ad colophonem hujus hiſtoriæ. Unum eſt religioſa obſervatio Abrahami, qui pridie illius judicii præmonitus eum ipſum in locum, ubi coram Jehova ſteterat, contendit, & obſervavit diligentiſſimè quid factum eſſet, & tum juſtitiam Dei admiratus eſt adverſus Sodomæos, tum gratiam Dei erga Lothum propter fœdus gratiæ & promiſſiones ſibi factas. Alterum eſt infirmitas Lothi, & filiarum ejus, quæ unâ cum parente ex incendio inſtar titionum liberatæ ſunt, ingratitudo. Et infirmitatem Lothi quod attinet, ea cùm in fide, tum in moribus conſpicua fuit. Et fidei infirmitas ex eo colligitur, quòd timore plenus civitatem Zoar deſeruit, & cum filiabus ſuis vicinum in montem feſtinavit, ibidemque cum iis in ſpelunca habitavit, verſ. 30. Cùm enim paulò antè Deus in civitate Zoar refugium ipſi conceſſiſſet, eam præ timore deſerendo haud dubiè diffidentiâ peccavit. Timuit autem haud dubiè לפי שהיתה קרובה לסדום *quòd eſſet Zoar vicina Sodomæ*, uti Jarchius conjectat, non quòd civitatem eam terræ motu concuſſam ſæpiùs nôſſet, & fortè etiam tum ex vicina clade terræ motu contremuerit, uti Hieronymus ex veterum fortaſſe Hebræorum traditione, conjectat. Atque hanc diffidentiam principium fuiſſe gravioris peccati, videlicet inceſtus, rectè monet idem Hieronymus.

XXVI. Infirmitatem vitæ copioſiùs narrat Moſes inde à verſ. 31. uſque ad finem. Occaſio fuit, à filiabus, quæ contra pietatem, naturam, honeſtatem & humanitatem, conſilium fine & modo damnabile iniverunt. Finis fuit, ut ſuſcitarent ſemen patri ex inceſto cum eo concubitu, verſ. 31. 32. ubi primogenita, quam ex eventu פלטית *pelothit* vocant Hebræi, ad minorem natu hæc verba facit: *Pater noſter ſenuit neque vir in terra ullus eſt, qui ingrediatur ad nos* כדרך כל הארץ *ſecundum morem univerſæ terræ. Veni dormiamus cum eo, & ſuſcitemus de patre noſtro ſemen.* Non deſunt ex veteribus, qui conſilium hoc filiarum Lothi adeò non culpent, ut etiam

ipſam

Digitized by Google

ipſam Scripturam ei patrocinantem inducant. Ita Chryſoſtomus Hom. 34. in Geneſin: Σκόπει, ὅπως ὑπὲρ τῶν θυγατέρων ἀπολογεῖται ἡ ἁγία γραφή. πῶς οὖν ὑπὲρ τῶν θυγατέρων τοῦ δικαίου ἀπολογεῖται; εἶπε, φησιν, ἡ πρεσβυτέρα πρὸς τὴν νεωτέραν &c. Ὅρα τὸν σκοπὸν μετὰ ἀκριβείας, καὶ παντὸς αὐτὰς ἀπαλλάξεις ἐγκλήματος. Ἐνόμισαν πανωλεθρίαν γεγενῆσθαι, καὶ μηδένα ἔτι καταλειφθῆναι. *Vide, quomodo puellarum harum patrocinium ſuſcipiat S. Scriptura. Quomodo igitur defenſionem ſuſcipit harum puellarum? Dixit, inquit, primogenita ad minorem natu* &c. *Vide accuratè ſcopum earum, & facilè ab omni criminatione eas liberabis. Putârunt univerſale excidium contigiſſe, & neminem ſupereſſe amplius.* Eodem ferè modo filias has purgant Joſephus, Irenæus lib. IV. 51. Ambroſius de Abrahamo lib. I. 6. Theodoretus in Geneſin q. 69. Cenſent nempe, omnino eas filias ignorâſſe, quòd quiſquam ſupereſſet in mundo, & ignorantiam hanc fuiſſe, ut loquuntur in ſcholis, invincibilem. Ac proinde veniam mereri piam ſolicitudinem pro generis humani propagatione. Verùm ſi maximè talis fuiſſet ignorantia, non tamen à crimine liberaret. Neque enim propterea vim inferre naturæ debuerunt, ſed Dei potiùs voluntatem operiri. Quinimo ignorantiam illam vincere & depellere potuiſſent, ſi rectè omnia cum animo ſuo expendiſſent. Etenim paulò antè habitaverunt in Zoar, cui Deum pepercîſſe, ignorare non debuerunt. Deinde ex monte eo, in quem ſe proripuerunt, percipere potuerunt, non omnes regiones conflagrâſſe. Præterea colligere potuerunt, judicium hoc particulare fuiſſe, cùm audiverint antea, gentes illas ob iniquitatem & fœdiſſima ſcelera fuiſſe exitio deſtinatas. Neque etiam ignorare debuerunt, Abrahamum utpote virum ſanctum, & Deo amiciſſimum ſupereſſe adhuc, & excidio huic involutum non eſſe. Denique cùm verſ. 31. diſtinguunt *terram* nempe ſuam, *ab univerſa terra* reliqua, ſatis arguunt ipſæ, quòd reliquas terras ſupereſſe crediderint omninò, & hac demum opinione imbutæ fuerint, quòd cùm parens eorum ſolitudinem hanc elegiſſet, quaſi à reliquo hominum genere ſe ſeparare obfirmâſſet, etiam ipſæ, in alium tantùm non orbem relegatæ, deinceps privatæ victuræ ſint, niſi hanc ſocietatis ſuæ augendæ rationem iniverint. Et ſanè vel ſolus hîc ſcopus demonſtrat apertè, fruſtra hunc innocentiæ earum prætextum obduci, quando non tam de tota terra, quàm de regione ſua eas loqui palam eſt. Accedit *modus* ipſe, quo conſilium ſuum dare effectum conſtituerunt. Dicit enim primogenita: לכה נשקה את אבינו יין *Veni potum demus patri noſtro vinum*, verſ. 32. Intellexerunt ipſæ, propter atrocitatem ſceleris parentem ſobrium minimè conſenſurum, neq; conſenſurum aliter, quàm ſi mentem ejus de ſanitate prius deturbâſſent. Interim

Digitized by Google

agnoſcimus non libidinis ardorem, & impudicitiam puellis his ad rem malam fuiſſe illices, quippe quæ imprægnatæ concubitum non repetierunt, ſed ſtultum tantùm propagandæ prolis, & ſolitudinis vitandæ deſiderium. Neque etiam à culpa liberat puellas, quòd hac actione ſua magno myſterio præluſerint, & duas ſynagogas figuraverint. Hunc enim prætextum fruſtra urgent aliqui, qui eam præfigurationem excogitârunt ipſi extra Scripturam, neque aptam, neque rei ſatis reſpondentem. Rectè igitur Auguſtinus lib. XXII. 43. contra Fauſtum: *Potiùs nunquam eſſe matres, quàm ſic uti patre debuerunt.*

XXVII. Conſilio huic puellarum ſucceſſit factum ipſum verſ. 33, 34, 35. Primò enim filia primogènita; poſtera nocte etiam natu minor inebriato parenti ſe conjunxit. Et quidem Lothus לא ידע בשכבה ובקומה *non percepit, ſive cùm accubaret, ſive cùm ſurgeret utraque.* verſ. 33. 35. Quæ verba ſic reddunt Græci: Καὶ οὐκ ᾔδει ἐν τῷ κοιμηθῆναι αὐτὸν, καὶ ἐν τῷ ἀναστῆναι. *Et neſcivit cùm ipſe dormivit, & cùm ſurrexit.* Eodem modo Thargum Onkeloſi: ולא ידע במשכבה ובמקימה *Et neſcivit quando cubuit, nec quando ſurrexit.* Verùm juxta Hebræum textum reliquoſque Orientales interpretes non ignorâſſe dicitur quando ipſe cubitum iverit, & quando ſurrexerit, ſed potiùs quando cubitum iverint puellæ, & quando ſurrexerint. Neque enim probabile eſt Lothum edormita jam crapula, quando ſurrexerit, neſciviſſe. An verò præter accubitum & reſurrectionem filiarum ſuarum etiam cætera ignoraverit, quæ cum iis peracta ſunt, dubium eſt. Chryſoſtomus tamen, & eum ſecutus Cajetanus affirmant, Lothum univerſam rem geſtam ignorâſſe. Quibus ſecundas facit Pererius, qui Scripturam extrema nominantem, totum negotium geſtum intelligere aſſerit. Atque ita etiam veteres Hebræi lectionem modernam acceperunt, qui, quòd incredibile ducerent, quenquam ignorantem rem cum altera habere poſſe, Hieronymo dicuntur pro במקומה ſubſtituiſſe במקומו ut ſenſus ſit, ignorâſſe, quando ipſe cubitum iverit, & ſurrexerit, non quando puellæ, quomodo etiam Græci & Onkeloſus reddiderunt. Ego aſſentior eruditiſſimó Muſculo, cujus verba ſunt: *Non dicit Moſes, non cognoviſſe Loth, quòd cum muliere congrederetur, ſed non cognoviſſe, hoc eſt, non ſenſiſſe, cùm filiæ ipſius ſibi accumberent, neque cùm ex ſtrato ipſius ſurgerent. Siquidem ita erat obſoporatus, ut neutrum horum ſentiret. Nam illæ inter dormiendum ſeſe illi adjungebant, & rurſus peracto concubitu, cùm more bene poti hominis iterum obſoporaretur, cautè ſurgentes deſcendebant. Hinc ineptum fuerit colligere, quòd cognoverit dormiens &* ἀναίσθητος. *Cognovit quidem eas vigilans, ſed quemadmodum ſolent bene poti, putabat ſe rem habere cum uxore, oblitus eorum quæ acciderant.*

XXVIII. De

Digitized by Google

XXVIII. De ebrietate & inceſtu Lothi videndum, quo haberi loco debeat? Excuſant ſanè tum ebrietatem tum inceſtum ejus nonnulli. Et ebrietatem quod attinet, aſſerunt, propinatum eſſe ei à filiabus vinum medicatum, artificioſa conditura paratum. Id ſi verum eſſet, facilis via eſſet ad parandam defenſionem viri cæteroquin juſti. Verùm cùm ejus rei in Scriptura teſtimonium appareat nullum, cúmque de vino loquatur eadem, de vini mixtura non item, fidem aſſertioni huic habere equidem non poſſumus. Veriſimilius eſt, non fuiſſe hoc inſolitum & vetus Lothi, qui cognomen habet *juſti*, vitium, ut temperantia in hauriendo vino limites egrederetur: ſed potiùs inductum eum ad bibendum largiùs ſolicitatione & precibus filiarum, abſtergendæ triſtitiæ neceſſitatem præferentium: quin & vinum vires ſuas in homine mœſtitia pœne confecto ſolito magis exeruiſſe. Neque tamen propterea ab omni culpa immunis eſt. Nam ſolitudinem eam, quæ mœrorem auxit, ex præpoſtero metu delegit & negligentia quadam & incuria filiarum cogitationibus & deliberationibus locum fecit, atque denique tali occaſione ad pœnitentiam invitante, aliæ omnia peragere debuit. Quid quòd non contentus ſemel ſe vini deriſoris & doloſi luctatoris ludibrio expoſuiſſe, ſequenti die ejuſdem periculi aleam ſubit? Prudenter igitur ea de re ſic Auguſtinus judicat lib. XXII. 44. *Culpandus eſt quidem, non tamen quantum ille inceſtus, ſed quantum meretur illa ebrietas. Nam & hanc lex æterna condemnat, quia cibum & potum ad ordinem naturalem, nonniſi gratia conſervandæ ſalutis admittit. Quamvis autem inter ebrioſum & ebrium plurimùm interſit, nam nec ebrioſus ſemper eſt ebrius &c. tamen in homine juſto hujus ipſius etſi non ebrioſitatis, at certè ebrietatis cauſa quærenda eſt. Quid enim tantum cogebat, ut filiabus ſuis crebra vina miſcentibus, aut fortè nec mixta crebrò porrigentibus, conſentiret aut crederet? An ad hoc filias nimiam triſtitiam fingentes, voluit conſolari, ut illius deſtitutionis & materni luctus dolor, de cogitatione mentis ebriæ fugaretur, etiam ipſas tantundem bibere exiſtimans, & aliqua fraude agentes, ne biberent? ſed etiam talem triſtibus ſuis adhibere conſolationem, quomodo virum juſtum decuerit, non videmus.* Sed de inceſtu gravior quæſtio eſt, quæ eò incidit: An & quatenus quæ in ebrietate committuntur peccata, ebrio imputari debeant? Et communiter quidem recepta, eáque vero conſentanea ſententia eſt, facinora, quæ in ebrietate committuntur, eatenus imputanda eſſe ebrio, quatenus ebrietas ipſa voluntaria fuerit. Et maximè quidem illa cenſeri voluntaria & imputanda, ſi fuerint præviſa, & eventus illi, qui ebrietatem ſequuntur ſint ex iis, qui frequenter accidunt: præſertim ſi eis aliquando fuit obnoxius, qui ſe inebriat. Ex quibus id colligi poſſit, non omninò à culpa inceſtus vacâſſe

Digitized by Google

virum cæteroquin juſtum, & qui hactenus in populo tam impuro ſuam integritatem, tanquam piſcis in mari ſalſo dulcedinem conſervavit. Nam ebrietatem quidem quod attinet, eam haud dubiè cavere poterat. Neque planè involuntariam fuiſſe, ſed cum intemperie quadam conjunctam jam probavimus. Quamvis autem non fuerit antea obnoxius vel ebrietatis, vel inceſtûs peccato, neque etiam ſecuturum illud peccatum cogitaverit, mœroris & perturbationis plenus: tamen ſcire debuit; deriſorem ſeu rem luxurioſam eſſe vinum, & qui ſe eo oblectat, non eſſe ſapientem, uti loquitur Solomon Prov. xx. 1. ac proinde abſtinendum eſſe à potu, ne ex eo oriantur incentiva ad libidinem. Interim Deo relinquimus, quouſque in Lotho ſe extenderit gradus ſequentium ebrietatem eventuum, & quibus rationibus aggravatum ejus peccatum fuerit. Neque enim ejuſmodi virorum Sanctorum ἁμαρτήματα Scriptura proponit, ut rigidiùs inquirantur, vel traducantur ſeveriùs, ſed potiùs ut valeant ad tollendam ſuperſtitionem, deſperationem præcavendam, & ſecuritatem carnalem fugiendam.

XXIX. Eventus malarum actionum fuit quod ותהרין שתי בנות לוט מאביהן *conceperunt duæ filiæ Lothi de patre ſuo.* verſ. 36. Et primogenita quidem filium peperit, quem vocavit מואב *Moab* quaſi *de patre* genitum dicas, nomine ipſo turpitudinem nativitatis referente. Minor natu autem filium etiam genuit, cui nomen indidit בן עמי *Ben ammi*, quod ipſum quoque notans filium de conſanguinitate ortum, nativitatis labem prodidit. Ille Pater fuit Moabitarum, hic Ammonitarum.

XXX. Excidii Sodomæ & rerum hactenus traditarum veſtigia quædam reperire eſt in exoticorum etiam Scriptorum monumentis. Diodorus Siculus lib. xix. poſt lacus Aſphaltitæ deſcriptionem ſubjungit: Ὁ δὲ πλησίος τόπος ἔμπυρος ὢν καὶ δυσώδης τὰ σώματα τῶν περιοικούντων ἐπίνοσα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια. *Vicina regio cùm igni ſubardeat, ſævumque odorem exhalet, in cauſa eſt, cur accolarum corpora morbida ſint, miniméque vivacia.* Strabo lib. xvi. p. 526. edit. Caſaub. itidem poſt Aſphaltitæ cum quo Sirbonim paludem malè confundit, uti annotavit doctiſſimus Caſaubonus, deſcriptionem: Τοῦ δ᾽ ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλὰ καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι, τραχείας περὶ Μοσσάδα καὶ φάραγγας πολλαχοῦ, καὶ γῆν τεφρώδη, σταγόνας τε πίσσης ἐκ λισσάδων λειβομένας καὶ δυσώδεις πόῤῥωθεν ποταμοὺς ζέοντας, κατοικίας τε ἀνατετραμμένας σποράδην. ὥστε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ᾠκοῦντό ποτε τρισκαίδεκα πόλεις ἐνταῦθα, ὧν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων σώζοιντο κύκλος ἑξήκοντά που σταδίων. ὑπὸ σεισμῶν τε καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε καὶ

τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι, καὶ πέτραι πυρόληπτοι γένοιντο. Αἵ τε πόλεις αἳ μὲν καταπυθεῖεν, ἃς δ᾽ ἐκλείποιεν οἱ δυνάμενοι φυγεῖν. *Eſſe in hoc ſolo ignem, multa indicia aſſerunt. Nam & petras oſtendunt aſperas & exuſtas circa Moaſada: tum multis in locis exeſas cavernas, terram cineroſam, picis guttas de petris ſtillantes, ferventia non ſine fœdo odore flumina: quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas vulgatæ,* XIII. *olim in ea regione habitatas urbes, quarum princeps Sodoma fuerit, cujus ambitus etiamnum oſtenditur in* LX *ſtadia patens: terræ autem motibus, erumpente igne, aquisque calidis & bituminoſis, extitiſſe, qui nunc eſt locum, ſaxa concepiſſe ignem, urbium abſorptas alias, alias ab iis qui fugere potuerunt, relictas.* Veris falſa miſcet Strabo, & nonnulla ad ſummam hiſtoriæ pertinentia utpote incomperta omittit. Idem facit Tacitus, qui campos olim magnis urbibus habitatos fulminum ictu arſiſſe tradit. Verba ejus ſunt Hiſt. verſ. 7: 1. *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arſiſſe, & manere veſtigia, terramque ipſam ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe.* Plinius Aſphaltiten lacum deſcribit lib. v. 16. & xxxv. 15. Aſphaltiten ait præter bitumen nihil gignere, nullum corpus animalium recipere, tauros, camelosque fluitare; atque inde famam eſſe, *nihil eo mergi.* Solinus Polyhiſtor cap. 35. editionis Salmaſianæ: *Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, Sodoma nominatum alterum, alterum Gommorrha, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet ſpeciem maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fulliginem intrinſecus favillaceam ambitus tantùm extima cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat & fatiſcit in vagum pulverem.* Et paulò ſupra de Aſphaltite: *Jordanes regiones præterfluit amœniſſimas, mox in Aſphaltitem lacum merſus, ſtagno corrumpitur: qui Aſphaltites gignit bitumen, animal non habet, nihil in eum mergi poteſt.* Quæ ex Plinio corrigentem & virgulâ cenſoria perſtringentem vide Cl. Salmaſium Exercit. Plin. p. 577. Quòd verò Plinius & Solinus nihil mergi in Aſphaltite lacu ſcribunt, intelligendum eſſe de corporibus animalium vivis, non vita carentibus, docere poteſt Juſtinus lib. xxxvi. 3: 6. 7. *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem & aquæ immobilitatem mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur, neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur.* Addam hoc unum, quod hiſtoriam uxoris Lothi in ſtatuam ſalis converſæ, Poëtæ ſuis de *Niobe*, quæ ex nimio ob filios ſuos amiſſos dolore in ſaxum obriguiſſe fertur, commentis contaminaverint. Neque abludit fabula de *Orpheo*, qui Euridi-

 cem

Digitized by Google

cem uxorem ex inferno, ſi credere fas eſt, obtinuit ea lege, ut ejus conſpiciendæ gratiâ non prius reſpectaret, quàm redux domum ſuam, cúmque ille haud fidens voluiſſet in eam oculos ſuos obvertere, quam obtinuerat, amiſiſſe fertur.

EXERCITATIO NONA

DE

TENTATIONE ABRAHAMI

ET

LIGATIONE ISACI.

Breviarium.

Hebræorum de decem tentationibus Abrahami ſententia exponitur & ventilatur. Argumentum & ordo tractationis. 1. Circumſtantia temporis notata. Qua ætate fuerit Iſacus holocauſto deſtinatus? Abenezræ, Patricidis, Harvillæi, Joſephi, R. David Ganz, Chronici Alexandrini de eo ſententiæ diſcutiuntur. Quo ſenſu Iſacus vocetur נער*? Thalmudicorum de occaſione tentationis hujus commentum. 2. Conſilium Dei de tentando Abrahamo quale? Explicatur verbum* נסה*. Quomodo tentaverit Abrahamum Deus, qui tentat neminem? Quomodo tentaverit ſeu exploraverit Abrahamum Deus omniſcius? Sententia R. Abraham Selom refellitur. Maimonidis de eo ſententia contra Abenezram vindicata. Quo ſenſu Deus verſ. 12. dicat* עתה ידעתי*? 3. Mandati divini ſumma. Iſacus quo ſenſu vocetur Abrahami* יחיד*? An Deus mandato ſuo Abrahamum obligaverit ad id quod falſum eſt? Fidei falſum ſubeſſe non poſſe oſtenditur. An idem mandatum Dei de mactando in holocauſtum homine juſtum fuerit? Ἀνθρωποθυσία gentium abominabilis. Deum victimis humanis*

Digitized by Google

manis nunquam fuiſſe delectatum oſtenditur. 4. *Circumſtantia loci, in quo offerre filium jubetur Abraham.* ארץ המריה *terra Moriah quæ fuerit? Unde mons ille dictus* המריה *Moriah? Pagnini, Barradii, Oleaſtri, Interpretis Syri, Thargum Jonathanis, Onkeloſi, Arabis, Kimchii expoſitiones eliſæ. Moriah eſt* Θεος Φανερωθεὶς. *An terra ea per anticipationem ita dicta?* 5. *Abrahami obſequium, quomodo conſiſtere potuerit cum fide promiſſionis præcedentis? Verba* יחבש את חמרו *explicata. De aſino Abrahami nugæ Rabbinorum. Aſinorum apud Orientales uſus & pretium. Pueri duo comites quinam fuerint? Jarchii inverecundia pulſatur. Quo viæ duce Abraham uſus fuerit? Cur integro triduo in itinere hæſerit?* 6. *Locus, ad quem perfecto tridui itinere pervenerunt, an fuerit* צופים Tzophim? *Quo indicio eminus cognoverit Abraham, locum procul à ſe viſum eſſe ſacrificio deſtinatum? Frivola de eo Hebræorum nugamenta. Quo ſenſu Abrahamus à pueris digreſſus dixerit:* Revertemur ad vos; *cùm ad montem iverit oblaturus filium? Ambroſii, Origenis, Calvini, Jarchii, Cani ſolutiones expenſæ.* 7. *Abrahami cum Iſaco ſolo progreſſio ad montem. Thalmudiſtarum de comite altero, nimirum Sathana commentum. Abrahami & Iſaci blandum de ſacrificio futuro colloquium. Quid* השה? 8. *Altaris in monte ſtructura. An locum ejus ſuo digito Deus deſignaverit? An Abrahamus reſtauraverit altare priſcorum patrum antea ibidem extructum? An apud altare illud Occidentem verſus oraverit, & hac ratione futurum eo loco templum dedicaverit? Templi & Synagogarum Judaicarum ſitus.* 9. *Ligatio Iſaci. Quam vim ei tribuant Judæi?* 10. *Strictura gladii, & intentatio ictus. An Iſaci anima jam exſpiraverit? R. Jehuda perſtringitur.* 11. *Abrahami & Iſaci obedientia ac patientia ex Chryſoſtomo, & Zenone graphicè depicta.* 12. *Eadem defenſa à criminationibus malevolorum. Diſcrimen indicatur inter hanc Abrahami obedientiam, & ſimilia exoticorum facta.* 13. *Fides Abrahami filium immolaturi ex Hebr.* XI. 17. 18. 19. *aſſeritur.* 14. *Eventus tentationis ſingularis. Angelus Jehovæ intercedens ictui intentato quis fuerit? Origenes notatur. Filium Dei fuiße verè*

Digitized by Google

verè non repræſentativè duntaxat, demonſtratur. Hacſpanius refellitur. 15. An Deus primò mandans immolationem Iſaci, poſtea eandem prohibens, ſibi contrarius fuerit? Conceptuum divinorum cum ſignis externis harmonia panditur. 15. Arietis in locum Iſaci ſubſtitutio. Quid איל אחר? *Bocharti de ea lectione judicium ad partes vocatum. Quid* נאחז בסבך? *An Sabec ſit nomen proprium virgulti? Interpretum Græcorum, & Iſ. Voſſii error. Procopii, Euſebii Emiſeni, Scholiaſtæ Græci, Ambroſii, Leonis Caſtrii de Sabec figmenta eliduntur. 16. Aries ille unde Abrahamo obvenerit? Hebræorum de ejus creatione aſſertio rejicitur. An arietem repertum mactare ad ſacrificium potuerit Abrahamus, cùm quiſque de ſuo non alieno ſacrificare debuerit? In publico loco reperta ſunt reperientis, donec pateat dominus. 17. Quomodo arietem obtulerit Abrahamus* תחת בנו *loco filii? Hebræorum de hac ſubſtitutione aſſertio. 18. Nomen* יהוה יראה *impoſitum loco ſacrificii. Explicantur verba* אשר יאמר בהר יהוה יראה *Jarchii explicatio improbata. 19. Eventus communis tentationis. An benedictio Abrahamo obtigerit ex merito obedientiæ? Pererius pulſatur. Quomodo ex operibus juſtificatus Abrahamus, & ejus fides ex operibus perfecta fuerit? Deus quomodo* κατ' ἑαυτοῦ *per ſe ipſum juraverit? Benedictionis divinæ partes. 20. Hiſtoriæ hujus veſtigia apud Gentes & Muhammedanos. Feſtum Muhammedanorum in memoriam arietis mactati. Iphigeniæ à Calchante mactandæ nec non Saturni filium unigenitum ſacrificio devoventis hiſtoria ex hac* υἱοθυσία *originem habuit.* Ἰεοὺδ *Saturni idem eſt quod* יחיד *Abrahami. Euſebii lectio* Ἰσραὴλ *adverſus G. J. Voſſium defenſa & explicata.* Ἀνθρωποθυσία *Phœnicum aliarumque Gentium, ex hac hiſtoria manavit. Quo fine eam Sathanas gentibus perſuaſerit? 21. Iſaci nec non arietis mactati cum Chriſto analogia & comparatio inſtituitur. 22.*

I. ABrahami erga Deum fidem & obedientiam decem tentationibus divinis, velut totidem arietibus impetitam eſſe tradiderunt Hebræi Veteres. Et *primò* quidem tentatum eum eſſe ajunt, cùm evocatus eſt è patria natali ſolo & cognatione ſua. *Secundò* cùm urgente

Digitized by Google

urgente & impellente fame ei migrandum in Ægyptum fuit. *Tertiò* cùm auferretur ei uxor Sara, & ad aulam Regis Pharaonis abriperetur. *Quartò* cùm ei belli contra Reges exteros gerendi impoſita neceſſitas eſt. *Quintò* cùm ob deſperatam ex uxore prolem, matrimonium inire cum ancilla neceſſum habuit. *Sextò* cùm circumciſionem admiſit in proprio corpore. *Septimò* cùm ejus uxorem rapuit & abduxit Abimelechus Rex Geraris. *Octavò* cùm expellere Hagarem juſſus eſt. *Nonò* cùm Iſmaëlem ablegare coactus eſt. *Decimò* denique cùm filium dilectiſſimnm Iſacum divinitus immolare juſſus eſt. Ita R. Levi in Tanchuma ordinem tentationum texit. Aliter tamen R. Eliezer in Pirke cap. 26, 27. &c. earum ordinem enumerat. *Prima* quippe ei eſt, quòd eum, quamprimum natus eſt ad necem quæſiverint omnes magnates mundi. *Secunda* quòd in carcere detentus ſit decem annis, & in fornacem ignis conjectus. *Tertia*, quòd è domo Patris ſui, & conſanguinitatis migrare juſſus. Baal Thurim eas exterebrare conatur ex Geneſ. XXVI. 5. Cùm enim eo in verſu extent decem voces, totidem Abrahami tentationes miro acumine elicere conatur. Verùm ſi ritè hæc expendantur, excepta ultima, quæ veri nominis tentatio fuit, reliquæ fuerunt vel fabuloſæ, vel nonniſi impropriè dictæ tentationes, quatenus videlicet ſub iis omnes calamitates, dolores & ærumnæ comprehenduntur. Nos igitur miſſis reliquis de vera illa & admirabili tentatione divina, quâ juſſus eſt Sanctus Patriarcha filium unigenitum in holocauſtum mactare, inpræſentiarum agimus. In qua ingens paradoxum Theologicum ante omnia agnoſcimus & veneramur, quòd Deus *veraciſſimus* ſalva fide ſua jubet è medio tolli eum, ſine quo promiſſiones ſuas implere non potuit: idemque *juſtiſſimus* illibata juſtitia ſanguinem fundi jubet innocentis juxta atque obedientis pueri. Sed ut ordinis aliquam rationem ineamus, tria potiſſimùm ſummatim exponemus, primò *cauſam*, conſilium nempe & mandatum Dei; deinde *factum*, puta obſequium Abrahami; denique *eventum*, qui Domino ita ſapienter diſponente contigit.

II. Cauſæ tentationis, puta tum conſilio tum mandato divino præfigit Moſes circumſtantiam obſervatu digniſſimam, his verbis ויהי אחר הדברים האלה *Et fuit poſt hæc*, poſt multiplicem nempe declarationem promiſſionum fœderisque divini, poſt Iſacum natum & in familia Abrahami educatum, & Hagarem & Iſmaëlem ejectum: Quo tempore, tot difficultatibus jam ſuperatis in vado tandem navigare videbatur. Qua quidem circumſtantia notata Moſes augere plurimùm voluit gravitatem tum mandati divini, tum obſequii præſtiti ab Abrahamo, quippe qui æquè poſt Iſacum natum contra ſpem ſub ſpe credidit, atque præcedente tempore non-

Digitized by Google

dum nato illo crediderat. Interim definitus temporis articu[illegible]s, quo illa tentatio contigit, incertus eſt. Abenezra cenſet contigiſſe anno Iſaci decimo tertio. Verùm quomodo ea ætate aptus fuerit geſtando non mediocri lignorum in locum diſſitum faſciculo, non video. Alii quibus etiam Patricides & Harvillæus aſſentitur, ad annum Iſaci 37. referunt. Quam ſententiam perſtringit his verbis, idem Abenezra: ואם דברי קבלה נקבל ובדין כביא אין זה נכון *Si hæc ſunt verba traditionis, tum recipiemus: ſed per rationem non eſt hoc congruum.* Nempe totidem annos egit Iſacus, cùm moreretur Sara, quam ſive conſciam hujus rei, uti exiſtimant Nyſſenus & Auguſtinus, ſive ignaram, uti Chryſoſtomus, ſuperſtitem fuiſſe, poſtquam hæc contigerunt, indicat ſeries hiſtoriæ. Nam poſt tentationem Abrahamus rediit *Beerſebam*, ibique וישב *habitavit*, Geneſ. XXII. 19. adeóque tempus aliquod notabile adhuc exegit. Inde contendit Hebronem, ubi Sara mortua dicitur Geneſ. XXIII. 2. Joſephus Antiquitat. Jud. II. 22. vult Iſacum ſacrificio fuiſſe deſtinatum anno 25. R. David Ganz in Zæmach David, anno 26, alii, quibus aſtipulantur Chronicon Alexandrinum & Boulducus anno 35 ætatis. Imò menſem etiam & diem aſſignare audent Judæi, nempe primum diem Tiſri, quo poſtea in memoriam erepti ex nece Patris ſui Iſaci inſtitutum fuerit feſtum tubarum ſeu monimentum clangoris. Verùm cùm ſacra hiſtoria nihil hic ſubminiſtret, præſtat nec annum, nec menſem, nec diem definire. Vocatur quidem נער *παιδάριον*, *puer* verſ. 5. Sed ex ea voce præciſè colligi non poteſt, fueritne puer, adoleſcens an juvenis, nedum ut annus inde elici poſſit. Opponitur enim hæc vox, uti rectè Mercerus & Cevalerius ſentiunt, in univerſum ſeni, & tum pueritiam, tum adoleſcentiam, tum juventutem ſignificat. Sufficiat igitur ea fuiſſe ætate Iſacum, qua lignis non paucis ad holocauſtum portandis par fuit. Interim ad fabulas etiam relegamus Thalmudiſtarum traditionem, quæ habetur in libro Sanhedrim, quod tentatio hæc contigerit אחר הדברים האלה *poſt verba illa*, nempe Sathanæ. Cùm enim Abrahamus Geneſ. XXI. 8. legatur inſtruxiſſe convivium, Satanam accuſâſſe Abrahamum his verbis: זקן זה חננתה למאה שנה פרי בטן מכל סעודה שעשה לא היה לו תור וגוזל להקריב לפניך *Senex iſte, cujus miſertus es, dando ipſi anno centeſimo fructum ventris, de toto convivio ſuo quod fecit non habuit turturem vel pullum columbæ, quem ſacrificaret tibi?* Deum reſpondiſſe, nihil feciſſe ipſum, niſi propter filium ſuum, לכן אם אני אומר לו זבח את בנך לפני מיד זובחו *Sed ſi dixero illi, decolla filium tuum coram me, ſtatim decollabit eum.* Et urgente id Sathana, mox Deum hoc modo Abrahamum tentâſſe. Sed mittamus hæc φλυαρολογήματα verborum magis frivola, quàm teſtulæ confractæ.

III. Con-

Digitized by Google

III. Conſilium Dei exponitur his verbis: האלהים נסה את אברהם *Deus tentavit Abrahamum*, verſ. 1. Hebræi quidam, nominatim R. Joſe Galilæus in Jalcut, R. Samuel Japhe, R. Bahye, R. Salomon Lebeth Halevi, citati omnes à Menaſſe ben Iſraël Concil. in Geneſin quæſt. 46. vocem נסה interpretantur non *tentavit*, ſed *ſuſtulit*, aut in ſublime evexit, à נס *vexillum*. Quaſi diceret Scriptura, Abrahamum hac animi conſtantia phari inſtar & vexilli erectum, ad cujus lucem tanquam ſpeculum virtutis omnes facta ſua dirigere teneantur. Res ipſa plana eſt. Sed ſignificatus hîc vocis neſcio an admitti poſſit, cùm ſubinde in malam partem uſurpetur de iis, qui Deum tentant. Igitur Helleniſtæ hoc loco habent ἐπείρασε *tentavit*. Unus Arabs vertit אמתחן *probavit, exploravit*, ſpeciem ponens pro genere. Nempe tentandi vox in genere eſt μέσον *media*, quæ pro varia determinatione accipitur modò in bonam, modò in malam partem. Eſt enim alia tentatio δοκιμασίας ſeu *probationis*, alia *ſeductionis*. Prior bonam in partem accipi poteſt. Et uſus hic vocis etiam apud claſſicos authores receptus eſt, ut in eo:

> *Cuncta prius tentanda, ſed immedicabile vulnus*
> *Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.*

Atque hoc ſenſu Deus *tentavit* Abrahamum, cujus obedientiam illuſtri ſpecimine exploratam voluit. Aliâs Deus πειράζει οὐδένα *tentat neminem*, nempe *tentatione ſeductionis* & ad malum, Jac. 1. 13. Sed tentat ſanctos, quando eos ſanctè exercet, aliiſque notam facere vult eorum fidem, charitatem, ſpem, patientiam. Quam quidem tentationem ſibi optant fideles cum Davide Pſal. XXVI. 2. נסני ובחנני *Tenta me, & explora me, conſla renes meos, & cor meum.* Verùm cùm ille, qui alterum probat & explorat, ignoret vulgò, quid reconditum in animo habeat, Deus autem ſit omniſcius, quem ne abditiſſimi cordis receſſus latere poſſunt, quæſitum eſt: *Quomodo Deus omniſcius tentare Abrahamum, alióſque fideles dicatur?* Movent quæſtionem hanc etiam Hebræi. R. Abraham Salom in opere ſuo Neve Salom reſpondet, verbum נסה cùm ſit conjugationis Pihel, non transferendum eſſe *tentavit*, aut *probavit*, ſed *probari, experiri fecit.* Nempe cùm Abrahamus ab initio non alia admitteret, quàm quæ petitis à natura rationibus adſtrui poſſent: Deum, ut hanc ei opinionem eximeret, & quædam ſimpliciter credenda, non ſcienda eſſe doceret, duo ipſi imperâſſe contra naturam, alterum ut ſe circumcideret, alterum ut filium ſua manu perimeret. Per hæc enim duo, quamvis rationi contraria & indigna homine viderentur, conſummatam fuiſſe fidem Abrahami. Qui enim divino mandato adeò addictè paret, ut tam generoſa facta audeat, eum facilè inductum iri, ut

 quidvis

quidvis Deo credat. Itaque Deum ipſum נִסָּה *experiri feciſſe* Abrahamum talia, quæ omnem intellectum ſuperarent, ne in poſterum negaret quæ rationi adverſantur, ſed nonnulla ſola fide aſſequeretur, veluti reſurrectionem mortuorum, & talia. Verùm hæc Rabbini expoſitio non tantùm inſolitum voci ſignificatum affingit, verùm etiam Abrahamum, cui jam pridem fides imputata erat ad juſtitiam, quique multa contra ſpem ſub ſpe credidit, adhuc infidelitatis inſimulat. R. Maimonides in More Nevach. lib. III. 24. rectiùs judicat, Deum neminem tentare, ut quæ antea ignoraverat, cognoſcat, cùm omnia ei ab æterno cognita ſint, ſed ad exemplum hominum, ut ipſi quid faciendum aut credendum ſit, inde intelligant. Ita eſt. Tentatio Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, & θεοπρεπῶς intelligi debet. Non tentat Deus, ut aliquid diſcat, cùm nihil ejus ſcientiam fugiat, ſed ut monſtret, ſive diſcendum proponat aliis, quod ipſi penitiſſimè cognitum eſt: aliis, puta tum iis ipſis qui tentantur, quorum intereſt plurimum ut probent & pernoſcant ſeipſos: tum iis quorum intereſt, & exempla fidei & patientiæ ſanctorum videant, atque in iis Deum glorificent, & ad eorum ſeſe imitationem comparent. Hoc nempe inſtitutum, hic finis fuit divinæ tentationis. Neque obſtat, quòd huic veriſſimæ Maimonidis expoſitioni objicit Abenezra his verbis: והלא ידע זה הגאון כי בשעה שעקד בנו לא היו שם אפילו נעריו *Nonne vidit excellens ille, quòd tum quando ligavit filium ſuum, nemo ibi fuerit præter pueros ſuos.* Etenim quamvis immolationi, ſeu potiùs ligationi Iſaci exceptis ſervis Abrahami, arbitri nulli adfuerint: tamen, quia ejus rei teſtimonium habet Abrahamus ab ipſo Deo in S. literis, quod extabit in omnes generationes, utique toti Abrahami poſteritati, omnibusque fidelibus innoteſcere poteſt haud ſecus, quàm ſi oculis ſuis totum Abrahami factum uſurpâſſent. Quòd verò verſ. 12. Deus dicit עתה ידעתי *nunc cognovi, quòd timens Dêi es* &c. neque illud arguit, Deum explorâſſe in Abrahamo quidquam ſibi antehac minùs exploratum & cognitum. Non dicam cum Abenezra, hoc loco ידע idem eſſe quod *miſereri*, quo ſenſu etiam Geneſ. XVIII. 21. accipi oſtendimus. Rectiùs fortè Maimonides verba עתה ידעתי *nunc novi*, tantundem valere ait, ac ſi dixiſſet, עתה הודעתי *nunc indicavi* mundo, te mei reverentem eſſe. Vel certè iis verbis Deus profitetur, ſe quod ante intus in mente viderat, nunc foris in opere ipſo cernere. Id quod non tam mutationem ſcientiæ divinæ in Deo, quàm in rebus ipſis, ſeu objecto arguit.

IV. Mandati divini ſumma eſt, ut ſacrificet Deo filium ſuum Iſacum. *Cape nunc*, inquit Deus, *filium tuum* יחידך אשר אהבתה *unicum illum tuum quem diligis*, Iſacum, & vade אל ארץ המריה *ad terram Moriah & offer eum illic*

Digitized by Google

illic in holocauſtum, ſuper unum è montibus quem dixero tibi, verſ. 2. Iſacum Deus vocat Abrahami יחיד unicum, quod *ἀγαπητὸν dilectum* Helleniſtæ non ſatis bene reddiderunt, quamvis etiam Grotius ita interpretetur, aliique δυλδόντες τῇ ἀποθέσει ἰδίᾳ. Etenim manifeſta ſic foret tautologia. Potiùs Deus יחיד appellavit eum qui eſt *μονογενὴς unigenitus*, uti vulgatus & Aquila reddunt, adeóque unicus *naturâ*, non *affectu* duntaxat, qualem Samaritanus Geneſ. v. 12. 16. appellat לביב *corculum*. Etenim revera unigenitus fuit Iſacus nempe ex Sara matre, legitimóque adeò thoro ſolus oriundus. Unde Prov. IV. 3. יחיד Aquila, Symmachus & Theodotio *μονογενῆ unigenitum*; eodem modo Helleniſtæ Pſal. XXII. 21. יחידתי *μονογενῆ μου unigenitam meam* convertunt. Atque ſic typus antitypo, terreſtris Iſacus cœleſti reſpondet aptiùs. Sed de ipſo hoc mandato divino, quo hominem ſibi offerri in holocauſtum Deus juſſit, quæri nonnulla poſſunt. Et primò quidem, cùm Deus Iſacum mactari noluerit, quæritur: *An non hoc mandato Abrahamum obligaverit ad credendum id, quod falſum eſt, adeóque inde concludi queat, fidei falſum ſubeſſe poſſe?* Ita ſanè colligunt nonnulli, contendentes præpoſterè, non ſtatim verum eſſe, quod credere jubemur, adeóque fieri poſſe, ut fidei falſum ſubſit. Qui ſanè parum expendunt, Deum ipſum mendacii authorem vel fautorem ſtatui, ſi id quod fidei proponit apprehendendum, falſum eſſe poſſit. Sanè fides obſignat, quòd Deus ſit verax Joh. III. 33. Atqui ſi falſum fidei ſubeſſet, non ſemper verè & infallibiliter confirmaret verum eſſe id, quod Deus teſtatur. Quòd verò mandatum hoc Dei ad Abrahamum afferunt, planè illud eſt ἀπροσδιόνυσον. Neque enim imperatum ipſi eſt, ut crederet, eventurum eſſe, ut omnino mactaretur Iſacus, & manibus ipſius moreretur, neque adeò interceſſione Angeli liberaretur. Non enim Deus illo præcepto obligavit Abrahamum ad amplius credendum, quàm ipſi revelaverat. Atqui quid eventurum eſſet, ipſi non revelaverant. Si igitur Abrahamus putavit, ſe id effecturum, ad quod ſe præparaverat, opinio fuit, non fides. Et ad obedientiam præcepti non requirebatur, ut id effectum daret, quod præceptum erat: ſed ut conaretur, & ad executionem mandati ſe accingeret. Deinde circa idem mandatum quæritur: Annon juſtitia quodammodo vacaverit? Etenim ἀνθρωποθυσία ſeu conſuetudo immolandorum hominum, omni propemodum ætate habitâ fuit immanis ac barbara, quippe quâ non Deus, ſed humani generis hoſtis Sathanas διαρεστεῖται. Huic enim non Deo ſacrificatum eſt, non ſolùm apud Veteres Gallos, de quibus Cicero in Oratione pro Fontejo: verùm etiam apud Africanos, Siculos, Italos, Græcos, Scythas, Thraces, Brittannos, alióſque plures, qui homines immolârunt Saturno, Jovi, Apollini, Diti, Marti, Herculi &c. Hinc

Digitized by Google

inter Canaanitarum abominationes numeratur etiam, quòd parentes liberos ſuos transmitterent per ignem, vel igne luſtrarent, atque ſic idolis ſacrificarent Lev. XVIII. 21. Et ad æternam deteſtationem idolomaniæ illius, ipſe locus vallis nempe Tophet, in qua immolatio illa contigit, & quæ ab illius domini filiis Hinnon dicta eſt ג׳ בני הנם *vallis filiorum Hinnon*, denominationem ſortitus eſt infernus, quippe Gehenna inde dictus. Hanc autem ἀνθρωποθυσίαν à Cananæis ad reliquas gentes, & à fama de Abrahamo juſſo divinitus filium Iſacum offerre in holocauſtum ad Cananæos dimanâſſe, inter eruditos ſunt qui exiſtiment probabile. Quid ergo? Annon hoc ipſo mandato ſignificavit Deus, humanis ſe placari poſſe victimis? Minimè verò: fuit enim mandatum hoc non abſolutũm, ſed δοκιμαστικὸν, quo Deus tentare voluit Abrahamum, & fidem ejus explorare, qua explorata noluit mortem Iſaci, ſed per ſubrogatam perſonæ ipſius hoſtiam, tanquam λύτρον redemptionis ipſius, typum exhibuit redemptionis per Chriſtum verum λυτρωτὴν animarum, agnum Dei peccata mundi tollentem. Non poteſt ſanè cuiquam eſſe ambiguum, quin Deus ſecutus ὑπεροχὴν abſoluti & illimitati ſui in creaturas, inprimis peccato contaminatas, juris atque dominii, potuerit ſibi Iſacum deſtinare in holocauſtum citra noxam omnem. Verùm, quâ eſt inſigni φιλανθρωπίᾳ, non obſcurè innuit, ſe humano ſanguine delectari minimè. Etenim cùm in lege ſibi reſervâſſet omnia primogenita tam hominum quàm beſtiarum; voluit tamen, ut redimerentur hominum primogeniti, nec paſſus omnino eſt, ut immolarentur, Exod. III. 11. XIII. 2. XXII. 29. 30.

V. Ad mandati gravitatem facit circumſtantia loci, quo Abrahamus juſſus eſt immolare filium. Eſt is ארץ מריה *terra Moriah* verſ. 3. Conſtat ſatis ex 2. Paralip. III. 1. montem illum, in quo ædificatum eſt à Salomone templum, olim הר מריה *montem Moriah* dictum eſſe. A quo tota vicina regio montoſa dicta eſt *terra Moriah*. Diſſita fuit ab eo loco, in quo habitabat Abrahamus cum familia, nimirum Gerare Palæſtinorum, itinere ſatis longo. Id ſanè ad excruciandum fidelis Patriarchæ animum plurimum valuit, quòd qui in via longa & præſente quidem filio id meditari tamdiu debuit. Quò illuſtrius eſt obedientiæ ipſius ſpecimen. Cæterùm nominis מריה *Moriah* interpretationes & rationes afferri ſolent diverſiſſimæ. Pagninus, Barradius, aliique derivant à מור quod *myrrham* ſignificat, quaſi terram myrrhiferam dicas: nixi loco Cant. IV. 6. ubi Hieroſolymam הר מור *montem myrrhæ* inſigniri exiſtimant. Verùm Hieroſolymam eo loco parabolico intelligi minimè liquet. Quòd ſi tamen eam intelligi liqueret, per uſitatam apocopen המור *Mor* ſcribi potuiſſet pro המריה *Moriah*. A מור *amarus*

rus fuit, eò quòd amarorem excitaverit tum Abrahamo immolaturo, tum Iſaco immolando, derivant Oleaſter & Cornelius à Lapide. Syrus reddit ארעא אמוריא *terram Amorrhæorum*; Arabs M. S. Seldeni ארץ אל מואבין *terram Moabitarum*; Samaritanus מורה *terram Morah.* Kimchius univerſam terram Iſraëliticam vocatam eſſe ארץ מריה *terram Moriah* putat שהיתה ארץ רוה אחר ששכן בה הכבוד *quòd terra irrigua eſſet poſtquam in ea habitavit gloria Dei.* Derivat igitur à רוה *irrigari*, *inebriari*, *abundare.* Verùm ante omnem revelationem divinæ in ea terra gloriæ irriguam terram fuiſſe, abundè liquet. A ירא *timuit* deducunt alii, eò quòd in hoc monte coli Deus poſthac voluerit. Ita Thargum Onkeloſi convertit ארעא פולחנא *terram cultus Divini.* Eodem reſpexit Arabs, cui terra Moriah eſt בלד אלעבאר *regio adorationis.* Conſonum eſt Thargum Jonathanis, & Hieroſolymitanum, quod utrumque ita dictum hunc montem exiſtimat, quia in eo aliquando dedicandum Domino Templum, in quo divinus cultus celebretur. Verè quidem fuit is locus cultus divini & adorationis. Sed nomine *Moriah* id indicari non poteſt. Neque enim à ירא *timuit*, ſed potiùs à ראה *vidit*, deſcendere ferè videtur. Quòd etymon fortè in animo habuit etiam Aquila, qui terram eam vocat *καταφανῆ lucidam*, uti interpretatur Hieronymus, vel potiùs *conſpicuam.* LXX. *ὑψηλὴν excelſam*, eodem reſpicientes. Quod enim longè latéque conſpicuum eſt, idem excelſum quoque ſit oportet. Errant tamen in eo utrique, quòd vocem מריה pro adjectiva accipiunt, quam ſubſtantivam eſſe ipſa conſtructio ſatis indicat. Rectiùs igitur Symmachus verba illa tranſtulit: *εἰς τὴν γῆν ὀπτασίας, in terram viſionis.* Et ſanè Tzephan. III. 1. voce מוראה *viſionis* eam terram inſigniri viri etiam doctiſſimi exiſtimant. Neque aliam ob cauſam, etiam ישורון *Jeſchurun* appellatur Deut. XXXII. 15. nempe à שור *videre.* Aſſentior tamen eruditiſſimo Fullero, qui Miſcell. II. 14. vocem compoſitam eſſe exiſtimat à participio Hiphil מראה *viſus* & יה J[illegible] quod idem cum nomine tetragrammato Jehova, ut ita מריה perinde valeat, ac מראה יה hoc eſt, *φανερωθεὶς Θεὸς* vel *κύριος*, *Deus* aut *Dominus conſpicuus factus*, uno verbo *θεοφάνεια apparitio Dei.* Id quod ſignum & monimentum fuit perquam illuſtre Chriſti tum ab Abrahamo & Iſraële ibi in manifeſtis præſentiæ ſymbolis ac typis conſpecti, tum in plenitudine temporum etiam *in carne* magna cum gloria, multisque comitantibus eum ſignis patefaciendum. Unde de eo Johannes cap. 1. 14. *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ & vidimus gloriam ipſius.* Abrahamus, uti ex verſ. 14. colligitur, idem montis hujus etymon inſinuat, providentiæ divinæ ſignificationem in memoriam hujus hiſtoriæ ei adaptans, & ei, quam diximus adjungens. An verò

ante

Digitized by Google

ante hanc tentationis Abrahamicæ hiſtoriam dicta ſit terra hæc מריה *Moriah*, an per anticipationem ita nuncupata, parum liquet. Neque etiam compertum ſatis eſt, quod tradunt Hebræi, in eo monte Habelem & Cainum, & poſt diluvium etiam Noam Deo ſacrificium obtuliſſe.

VI. Accepto graviſſimo hoc mandato, Abrahamus obſecutus eſt religioſiſſimè. Acceperat quidem promiſſionem de ſemine ipſi in Iſaco ſuſcitando, quo ſane ab exequendo hocce mandato quippe promiſſioni in ſpeciem contrario abſterreri poterat. Sed λογισάμενος, ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν δυνατὸς ὁ Θεὸς, *ratiocinatus, quòd etiam ex mortuis reſuſcitare poſſit Deus*, uti loquitur Paulus Hebr. XI. 19. ſimpliciter mandato Dei obſequutus eſt, fidem ſalvam & illibatam retinens. Non tenebatur credere, futurum, ut occidatur filius: ſed ad cædem ejus omnia accingere, & eventum rei Deo committere. Sive autem is filium ſuum ſalvum vellet, promiſſioni nihil decedere potuit: ſive occidi omnino permitteret, cogitabat Patriarcha fideliſſimus ac ſapientiſſimus, neque hoc derogaturum promiſſioni, eò quòd Deus etiam mortuum reſuſcitare, & in eo ſemen ipſi promiſſum præſtare poſſit. Itaque nequicquam diſtulit facere imperata, ſed ישכם בבקר *bene mane ſurrexit*, uti eleganti pleonaſmo dicitur. Nam quòd Vulgatus habet: *de nocte ſurgens*: vitioſum eſt, niſi forte in iis verbis eſt metalepſis antecedentis pro conſequenti, ut prima lux dubia & obfuſca ſignificetur. Summo itaque mane ſtrato aſino, adjunctis duobus pueris, & accepto Iſaco primò quidem ligna ad holocauſtum cæcidit: ac deinde cæſis iis perrexit ad locum à Deo ipſi præfinitum. De ſtrato aſino intelligenda ſunt verba Moſis ויחבש ארת חמרו quæ varii variè explicant. Syrus, ארמי על חמרה *injecit ſe in aſinum*. LXX. Interpretes, ἐπέσαξε τὸν ὄνον αὐτοῦ *epiſagma impoſuit aſino ſuo*. Thargum Onkeloſi זריז *accinxit*, vel *ephippo inſtruxit*. Propriè חבש eſt *ligare, cuſtodire, includere*; impropriè *frænum, capiſtrum injicere*, adeoque etiam *ſternere, inſtruere* equum vel aſinum. Quæ poſterior notio huic loco accommodata eſt. De aſino illo, ejusque genealogia putidiſſima Rabbinorum ἀναφορβαῶν deliramenta videſis apud R. Eliezer in Pirke cap. 31. parentem ejus faciunt aſinum Bileami, quem crepuſculo Sabbathi conditum tradunt. Pudet ineptiarum. Cœterùm varia fuiſſe vecturarum apud Orientales genera ſatis conſtat. Modo enim adhibebantur *equi*; modo præſertim in Syria & Arabia *Cameli*; modo denique, ut in Babylonia alibique, *elephanti*. Abrahamos cum cœteros plurimis, variiſque jumentis eſſet inſtructiſſimus, placuit vehi aſino potiùs, quàm quocunque alio jumento. Nam aſinis vehi atque geſtari ſolebant olim non tam plebeji & deſpicabiles, quàm præcipuæ dignitatis homines & nobiliſſimi quique.

Ita

Digitized by Google

Ita *Moſes* Exod. IV. 20. *Bileamus* Num. XXII. 21. Prophetæ duo, unus è *Bethele*, alter è *Juda* 1. Reg. XIII. 13. 23. *Aſca* Calebi filia, principis tribus Judæ Joſ. XV. 18. *Abigail* antea Nabalis, poſtea Davidis uxor, 1. Sam. XXV. 20. *Achitophel* Senator Regius 2. Sam. XVII. 23. *Mephiboſeth* Regis Saulis nepos 2. Sam. XIX. 26. aſinis vehi minimè dedignati ſunt. Et è judicibus Iſraëlis *Jair* triginta Jud. X. 4. *Abdon* Jud. XII. 14. quadraginta filios & triginta nepotes habuit aſinis inſidentes. In cantico Deboræ cantat illa. *O qui aſinas albas equitatis & judiciis præſidetis!* Jud. V. 10. Quin Chriſtus ipſe Rex Regum aſino vectore uſus eſt Matth. XXI. 2. Juxta vaticinium Geneſ. XLIX. 11. Zachar. IX. 9. Unde Chryſoſtomus homil. 1. in Titum, ſibi objici ſcribit, tanquam argumentum nimii faſtus quòd οἰκέτας ἔχει τοὺς διακονουμένους αὐτῷ, καὶ ἐπὶ ὄνου ὀχεῖται, *ſervos habet, qui illi miniſtrent, & aſino vehitur.* Ex Orientalibus plura vide apud τὸν πάνυ Bochartum Hieroz. p. 1. lib. II. cap. 13. Pueri duo, quos aſcivit Abrahamus, quinam fuerint, Scriptura non exprimit. Audet tamen R. Salomon Jarchi eorum nomina edere his verbis: את שני נעריו ישמעאל ואליעזר *Duo pueri ejus fuerunt Iſmaël & Eliezer.* Additque duos potiſſimùm delectos comites, quia honorato viro fas non ſit exire, niſi duobus aſcitis comitibus. Cujus rei cauſam impurus ille adducit ſordidiſſimam, quam adſcribere vetat pudor. Talis nempe eſt Rabbinus ille, nugator non ſimplex, ſed putidiſſimus & frontis perfrictæ. Nobis probabile fit, נערים *pueros* dici ſervos ſeu miniſtros, qui ſervilem operam navare hero debuerint. Hoc comitatu inſtructus perrexit ad locum ipſi divinitus indicatum. Neque opus eſt inquirere, quo viæ incognitæ duce, Angelóne, an alio quopiam uſus fuerit itineris illius forte minùs gnarus. Tacente Scriptura noſtrum etiam eſt religioſam ἐχεμυθίαν profiteri. In hoc itinere hæſit integro triduo. Quamvis enim Beerſeba à monte Moriah unius diei duntaxat itinere diſtet: tamen Abrahamus impedimentis onuſtus iter lentiùs confecit.

VII. Perfecto tridui itinere Abrahamus וישא את עיניו וירא את המקום מרחוק *levavit oculos ſuos & vidit locum procul* verſ. 4. Locus, ad quem tertio die pervenerunt, vocatur in Pirke Eliezer cap. 31. צופים *Tzophim*, ubi viderit gloriam Majeſtatis divinæ ſuper montem. Verùm de nomine illius loci ſilet hiſtoria. Fit quidem mentio Tzophim Num. XXIII. 14. ubi Bileam ſacrificâſſe dicitur. Verùm cùm in terra Moabi ſitus fuerit diverſus omnino eſt ab hoc loco. Quo verò indicio viderit & agnoverit inde eminus locum ſacrificio deſtinatum Abrahamus, non ſatis compertum habemus. Hebræi contendunt, cognoviſſe ipſum locum viſâ in monte columnâ igneâ. Ita Jarchius: ראה ענן קשור על ההר *vidit fumum denſum ſuper*

 montem.

Digitized by Google

montem. Ita etiam Abulenſis. Neque aliter R. Eliezer in Pirke cap. 31. *Quid vidit? vidit columnam ignis è terra uſque ad cœlum. Dixit Abrahamus Iſaco: vidésne omnia iſta in uno illorum montium? Reſpondit illi, Ita. Atque ſic intellexit, voluntarium eſſe puerum ad holocauſtum. Interrogavit quoque Iſmaëlem & Eliezarem: Videtisne omnia in uno iſtorum montium? Reſponderunt. Non. Habuit illos Abraham inſtar aſini, dixitque illis: Conſiſtite vos hîc cum aſino.* Ita nugantur homines frivoli. Id certum, Deum demonſtrâſſe Abrahamo montem, ſicut promiſerat. Sed qua id ratione fecerit, inſpiratione tantùm interna, an indicio & ſigno externo, incertum. Neque multum id cognoſcere refert. Vidit autem מרחוק *eminus*, ut paulatim, non ſimul & ſemel ad certamen præpararetur. Quamprimum autem definitum ſacrificii locum cognovit, ſervos infra montem ſubſiſtere unâ cum aſino juſſit: *Ego verò*, inquit, *& puer pergemus illuc uſque, & adorabimus ac revertemur ad vos*, verſ. 5. Cùm verò Abrahamus ad montem illum contenderit eo animo, ut filium in holocauſtum Deo offerret, quomodo cum tali intentione promittere potuerit ſuum juxta atque filii, quem ibi moriturum crediderat, reditum, quæritur. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 8. putat, Abrahamum locutum eſſe captioſè, ne ſervorum quiſpiam à propoſito ipſum averteret. Origenes in Geneſin homil. 8. ita locutum eſſe ait, quia noverit, Deum reſuſcitaturum eſſe Iſacum à mortùis. Atqui, uti rectè hanc ſententiam urget Calvinus, ſi certus fuiſſet Abrahamus de tam ſubita reſurrectione filii ſui, non tanta fidei & obedientiæ ejus laus fuiſſet, quantam & Patres & divinæ literæ prædicant. Ipſe Calvinus nodum hunc ſolvit: *Quia certum eſt, quod de ſemine in Iſaco ſuſcitando promiſſum erat, nunquam illi fuiſſe elapſum, fieri poteſt, ut in Dei providentiam recumbens, ſuperſtitem filium in morte ipſa ſibi propoſuerit: ac ſicut clauſis oculis ad occidendum filium pergebat, ita nihil abſurdi eſt, ſi confuſè in re obſcura locutum fuiſſe dicamus.* Sanè Abrahamus nixus Dei potentia & promiſſione, credidit, Deum ex mortuis Iſacum reſuſcitare poſſe, uti Apoſtolus loquitur. Modum autem implendæ promiſsionis quippe verbo Dei non revelatum, cùm non cognoverit, non potuit præcedente de immolando filio mandato, certò ſperare ſe rediturum ad eos, quos infra montem reliquerat. Alii in his verbis agnoſcunt prædictionem rei Abrahamo incognitæ, ita ut more Cajaphæ prophetaverit quod ignoravit. Hæc ſententia placet etiam Hebræis. Ita enim Jarchius נתנבא שישובו שניהם *prophetavit redituros eſſe utroſque*. Neque deſunt, qui mendacii ipſum & ſimulationis reum peragere tentent. Ita Melchior Canus Loc. Comm. lib. 11. ſic ſatis inverecundè & temerè. Rectiùs Doctiſsimus Rivetus in Geneſ. Exerc. 107. tribui putat pluribus, quod

Digitized by Google

quod in uno impletum, vel ab uno factum ex pluribus. Ita enim ſolet Scriptura id quod ab uno eorum, qui in comitatu ſunt, factum eſt, tribuere cœteris etiam, qui in comitatu fuerunt. Exempla ſunt Joh. XII. verſ. 4. coll. cum Matth. XXVI. 8. Marc. XIV. 3. nec non Luc. XXIII. 39. coll. cum Matth. XXVII. 44. & Marc. XV. 38. ubi quod unus latro fecerat, tribuitur utrique, qui cum Chriſto crucifixus erat. Ita moris toti Collegio tribuere, quod plures ex collegio fecerunt quomodo 1. Cor. XV. 5. duodecim Apoſtolis, adeóque toti collegio Apoſtolico dicitur poſt reſurrectionem ſuam apparuiſſe Chriſtus, qui tamen Juda in locum ſuum digreſſo apparere non potuit niſi Apoſtolis undecim. Exempla etiam apud profanos authores paſsim ſunt in promptu.

VIII. Abrahamus cum rebus ad holocauſtum neceſſariis, lignis nimirum Iſaco impoſitis, nec non igne & cultro, quem ipſe tulit, ſemotis famulis, uno comitatus filio ſuo Iſaco ad locum ſibi demonſtratum atque eminus jam viſum properavit, verſ. 6. Nam quod Hebræi in Tanchuma fol. 2. nec non in Bereſith rabba ſect. 53. Iſaco ad montem ſuccedenti tribuunt alium comitem, nimirum Sathanam, qui ipſi dextrum clauſerit latus, & à propoſito eum abſterrere conatus fuerit, aſſumentum eſt otioſorum Magiſtellorum. Neque enim ejus meminit Scriptura. Quin potiùs illa verſ. 7. & 8. nobis deſcribit blandum Abrahami atque Iſaci in reſiduo illo itinere colloquium. Cùm enim Iſacus omnia quidem parata cerneret ad ſacrificium, ipſam verò hactenus ignoraret victimam, quæſivit ex parente ואיה השה לעולה *Pater mi, ſed ubi victima eſt holocauſti?* Ita V. I. qui vocem השה in genere accepit pro qualibet *victima.* Reliqui Orientales Interpretes, LXX. Seniores, Onkeloſus, Syrus & Arabs reddunt *agnum.* Abrahamus filium totam hanc rem adhuc celare volens, Iſacum remittit ad divinæ providentiæ aſylum, inquiens: אלהים יראה לו השה לעולה בני *Dominus providebit ſibi agnum in holocauſtum, mi fili.* Ubi ita diſsimulavit apud Iſacum inſtitutum ſuum, ut ejus linguam ſingulariter Deus dirigeret. Nam appellando השה *agnum* nihil vel contra *mentem* ſuam locutus eſt, quia etiam Iſacus ſimili ſenſu, quo Chriſtus, appellari potuit agnus, vel contra *eventum* totius rei, quia præter intentionem ejus aries in locum Iſaci immolandi ſucceſsit. De hoc patrem inter & filium colloquio ſcitè admodum Ambroſius de Abrahamo lib. 1. 8. *Pulſatur pietatis patris affectus, & fluctibus quibusdam hinc atque hinc tunditur: filius vocat patrem, pater nominat filium, ut ipſo verborum ſono ſe recognoſcat pater. Quam impoſſibile eſt, ut ferire poſſit, cujus ſe vulneri ſubjicere optaret? Nomina vitæ ſolent operari gratiam, non miniſterium necis: hæc vocabula incitare ad patrem, non ad mor-*

Digitized by Google

tem ſolent. Sed vide incredibilem animi magnitudinem & conſtantiam: Deus providebit ſibi, reſpondit Abraham, victimam holocauſti, fili mi.

IX. Sic perventum ad locum ſacrificio divinitus deſtinatum, & Abrahamo antea demonſtratum. In eo ante omnia Abrahamus ויבן את המזבח *ædificavit altare*, verſ. 9. Locum altaris extruendi Dei digito Abrahamo deſignatum eſſe, tradunt Hebræi. Ita R. Eliezer in Pirke cap. 31. *Statim atque devenerunt ad illum locum, monſtravit Sanctus benedictus Abrahamo digito, dixitque illi: Hoc eſt altare, hoc, inquam eſt altare, in quo primus homo olim obtulit. Hoc eſt altare illud, in quo ſacrificium obtulerunt Cain & Abel. Hoc quoque eſt, in quo Noach & filii ejus ſacrificârunt, prout dicitur: Et extruxit Noah* מזבח *altare Domino, non ſic ſcriptum eſt, ſed: Extruxit Noah* את המזבח *illud altare, in quo ſcilicet primi ſeu priſci obtulerunt.* Vult igitur Abrahamum rudera prioris altaris reſtaurâſſe, idque indicari particulis διακριτικαῖς את המזבח *illud ipſum altare.* Sed particulas has nullam ſæpiſſime habere emphaſin, innumeris ferme conſtat exemplis. Vox quidem בנה aliquando notionem habet *reſtaurandi*, vel *innovandi*, ut Pſal. CII. 17. Sed hoc loco eodem venire ſignificatu, adeóque jam ante altare hîc fuiſſe extructum, vaniſſimum Traditionis figmentum eſt. Probabilius eſt, Abrahamum ex ceſpitibus terræ & rudibus ac impoſitis lapidibus hoc altare ædificâſſe. Ad traditiones etiam Judaicas referendum, quòd Abrahamum in monte hoc Moriah apud altare ab ſe extructum Occidentem verſus orâſſe, atque hac ratione futurum eo loco Templum, & in eo Sanctum Sanctorum dedicâſſe ſcribunt. Ita Maimonides More Nebochim p. 3. cap. 46. *Et ſecundum hoc uſus eſt Abrahamus monte Moriah, utpote præ cæteris illic montibus eminentiore. Et revelata ibi dedicationis ratione, & manifeſtatâ plagâ verſus quam orandum, dedicavit eum, id eſt, occidentem verſus, quoniam Sanctum Sanctorum eſt in Occidente, uti & Rabbini noſtri p. m. tradunt in Gemara Jama, Abrahamum ſcilicet dedicâſſe locum quem verſus eſt orandum, nimirum Sanctum Sanctorum etiam tunc in monte illo.* Ita locum Maimonidis ex MS. Arabico convertit Seldenus de Synedriis lib. III. 16. Cauſam autem, cur ſic Abrahamus, & poſt ipſum Iſraëlitæ in Templo Occidentem verſus precari debuerint, ibidem oſtendit Maimonides, ſanctificationem nempe Neomeniarum Menſtruam. Quia enim Lunæ phaſis, juxta quam Neomenias ſanctificabant, Occidentem verſus reſpiciendo obſervari debuerit, factum inde, ut Occidentem etiam verſus altaria & Templum ædificari, ac preces ipſæ fundi debuerint. Atque eandem ob rationem, & ſtudio imitandi veteres hodiéque Judæi Synagogas, & proſeuchas ſuas extruunt Occidentem verſus, ita ut introitus ab Oriente pateat. De eo videſis plura apud

Doctiſ-

Digitized by Google

Doctiſsimum Seldenum loco laudato. Quicquid verò fiat de Iſraëlitarum in Templo precantium, nec non Templi Hieroſolymitani ipſius poſitura, id ſanè idonea ratione probari non poteſt, præiviſſe exemplo ſuo Abrahamum, atque altare hoc verſus Occidentem extruendo, & eandem verſus plagam orando Sanctum Sanctorum dedicâſſe. Probabile eſt, nihil tale omnino ſpectâſſe Abrahamum, ſed in monte, quem Deus ipſi demonſtraverat, altare extruxiſſe, nulla omnino habita ratione religioſa cœleſtis plagæ. Neque enim rem ſatis memorabilem Spiritus S. ſilentio præteriviſſet.

X. In hoc altari, comportatis & digeſtis in eo lignis, Abrahamus ויעקד את יצחק בנו וישם אותו ממעל לעצים *ligavit Iſac filium ſuum, & impoſuit eum ſuper ligna*, verſ. 9. Obtuliſſe ſe ad hanc ligationem Iſacum tradunt Hebræi, eò quòd violaverit præceptum de honorandis parentibus. Vide R. Eliezer in Pirke cap. 31. Equidem neceſſum omnino fuit, Iſacum jamjam ligandum ad obedientiam præparari à parente: quod fieri potuit expoſitione oraculi divini præcedentis, neceſſitatis obedientiæ, conſtantiæ promiſſionum divinarum, aliorumque ejusmodi argumentorum. Cæterùm ultro ſe obtuliſſe Iſacum, ut fingunt Hebræi, nec Scriptura dicit, nec probabile omnino eſt. Ab hac porro actione ligandi totam hanc hiſtoriam Hebræi vocant עקידת יצחק *ligationem Iſaci*, nec non מעשה עקידה *hiſtoriam ligationis*. Cui quidem tantam vim tribuunt, ut etiam ad expianda populi peccata, præſertim anniverſaria die expiationis, qua Deum moveri ajunt non tantùm ſanguine circumciſionis, & agni Paſchalis, ſed etiam Iſaci victima, ut populi ſui iniquitates deleat. Unde hodiéque in precatione novi anni rogant, ut Deus recordari velit העקידה שעקד את יצחק בנו על גבי המזבח *ligationis, quâ ligavit Abraham Iſacum filium ſuum ſuper altare*, in Sepher Thephileth pag. 113. Et ibidem precantur: תראה לפניך עקידת יחיד *aſpiciatur coram te conſtrictio unigeniti.* Utinam verò miſeris illis, qui repudiatâ verâ expiatoriâ victimâ ſolatium in umbris venantur, tandem ita precari detur: תראה לפניך עקידת וצליבת ומיתת היחיד אדנינו ישוע המשיח *Aſpiciatur coram te conſtrictio & crucifixio & mors unigeniti Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

XI. Poſt ligatum Iſacum & lignis impoſitum, non aliud jam quàm ictus ipſe reſtabat. Itaquè Abrahamus *miſit manum ſuam, & accepit gladium, ut filium ſuum jugularet*, verſ. 10. In eo igitur erat, ut ſtringeret gladium, & victimam ſubjectam mactaret. Nam quòd apud R. Eliezer in Pirke cap. 31. R. Jehuda aſſerit, animam Iſaci attingente jam cervicem gladio exiviſſe, & Angelo vociferante, ne immittat Abrahamus manum ſuam in

Digitized by Google

pucrum, in corpus ejus rediiſſe, merum eſt Magiſtri illius figmentum. Quomodo enim Abrahamus Iſaco non fecit מאומה *quicquam*, uti ſtatim ipſi præcipitur, ſi jam gladium cervici admovit, & Iſacus veram mortem oppetiit? Neſcio an aliam hiſtoriam magis ſuis commentis collutulaverint, & incruſtaverint Hebræi, quàm hanc ipſam de immolatione Iſaci. Adeò fabuloſis aſſumentis omnia referta ſunt.

XII. Mirari hîc ſubit ad ſtuporem uſque tantam tum Abrahami obedientiam, tum patientiam Iſaci. Nam & ille ad extremum uſque proceſſerat jamjam jugulaturus filium, niſi impediviſſet Angelus; adeò ut quantum in eo ſitum erat, & quantum *ad defunctionem cordis*, uti ſcitè Salvianus ſeu τὴν γνώμην *ſententiam* cordis, uti Chryſoſtomus loquitur, Iſacus jam immolatus fuerit: & hic nullum indicium præbuit animi obluctantis. Meritò hic S. Chryſoſtomus exclamat homilia 46. in Geneſin: Ὦ φιλοθέου ψυχῆς, ὢ γνώμης ἀνδρείας, ὢ πόθου ἐπιτεταγμένου, ὢ λογισμοῦ νικῶντος ἀνθρωπίνην φύσιν. Ἔλαβε, φησί, τὴν μάχαιραν σφάξαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Τίνα θαυμάσω καὶ ἐκπλαγῶ; τοῦ Πατριάρχου τὸ ἀνδρεῖον φρόνημα, ἢ τοῦ παιδὸς τὴν ὑπακοήν, ὅτι οὐκ ἀπεσκίρτησεν, οὐδὲ ἐδυσχέρανε πρὸς τὸ γενόμενον, ἀλλ' ἐπείθετο, καὶ εἶκε τοῖς ὑπὸ τοῦ πατρὸς γινομένοις. Καθάπερ ἀρνίον μεθ' ἡσυχίας τῷ βωμῷ ἐπέκειτο, ἀναμένων τοῦ πατρὸς τὴν δεξιάν. *O religioſam animam! ô fortem mentem! ô ingens robur animi! ô rationem omnem humanæ naturæ affectum vincentem! Utrum admirer & obſtupeſcam juſtiùs? fortemne ſpiritum Patriarchæ, an tam conſtantem pueri obedientiam: quòd nec reluctatus eſt, nec factum ægrè tulit, ſed ceſſit & obtemperavit iis, quæ à Patre fiebant: & ſicut agnus cum ſilentio ſuper altare decubuit, exſpectans patris dexteram.* Idem Oratione περὶ τῶν κεκοιμένων de Abrahamo verba faciens, ejus tanquam generoſi athletæ promptitudinem alacritatemque maximam obtemperandi Deo, nec non magnitudinem animi in ipſa natura cum ſuis armis dejicienda, imò & Angelorum approbationem ac Dei ipſius præconium luculenter oculis ſubjicit. Ita etiam ejus diſcipulus Iſidorus Peluſiota, qui ubique Chryſoſtomum ſequitur, uti apparet ex Epiſtola 178. cujus de eo particulam allegat & emaculat Doctiſſimus Rittershuſius S. Obſervat. lib. IV. 17. Concinne admodum utuntur ſimilitudine δορυφόρων *ſatellitum* Regem ſtipantium, quos ipſe ſolo nutu ita compeſcit, ut ne mutire quidem aut hiſcere audeant. Sic etiam Abrahamum omnes rationes & cogitationes naturales, & omnes affectus imperio ſuo cohibuiſſe effeciſſéque, ut non tam ab ipſis timeri, quàm ornari videretur. Graviter etiam & μάλα ἐμφατικῶς hoc utriusque factum nobis delineat Zeno, Veronenſis Epiſcopus, uti refert Lipomannus in Catena in Geneſin. *Mira*, inquit, *Patriarchæ tentatio, quæ eum aut ſacrilegum faceret*,

Digitized by Google

ceret, ſi contemneret Deum; aut crudelem, ſi occideret filium: niſi quadam ſingulari & verè divina patientia inter religionem pietatemque negotium temperâſſet, in ſpe non denegans Deo, quod contra ſpem acceperat à Deo. Ideò Iſac ſibi dulciſſimum filium Deo victimam dulciorem, contemnit ut ſervet: deſtinat jugulare, ne juguet: ſecurus illo ſe non poſſe diſplicere facinore, quod Deo gerebatur authore. O novum ſpectaculum ac verè Deo dignum! In quo definire difficile eſt, utrum ſit patientior Sacerdos an victima. Non percuſſoris, non percutiendi variat color: non membra tremore vibrantur, non demiſſi, non torvi ſunt oculi. Nemo rogat, nemo trepidat, nemo ſe excuſat, nemo turbatur. Ille erexit gladium, iſte cervicem obtulit: uno voto, una devotione, ne quid profanum ſit, diligenter ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Ille lignum, quo exurâtur ſibi portat: iſte aram conſtruit: ſub tanto non dicam humanitatis, ſed ipſius naturæ metu læti ſunt. Soli cedit affectus pietati, pietas religioni favet, utrique religio. Medius ſtupet gladius, nullo impedimento ſuſpenſus, mactationi terribili gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen. Quid hoc eſt? Ecce immunitas in fidem, & ſcelus tranſit in Sacramentum: parricida redit incruentus, & qui immolatus eſt, vivit. Ambo igitur gloriæ caritatis exemplum: ambo Dei cultus admirabile ſeculi teſtimonium. Felix orbis foret, ſi omnes ſic parricidæ fierent! Nihil ſanè his omnibus ſignificantius aut ἐνεργέστερον dici potuiſſe arbitror. Et ſanè quantò altiùs expenditur Abrahami hæc & Iſaci obedientia, tantò eniteſcit clarius. Ille nempe cui promiſſa erat in filio unigenito hæreditas mundi, jubetur tollere filium. Jubetur ire in locum remotum, ut vel ipſa mora, & itineris ambagibus excruciaretur. Non revocat in dubium, an fuerit vox divina, quæ id ut faceret, præcepit. Non oggannit, nec λογισμοὺς cæcæ rationis opponit. Nihil ſibi niſi obſequii gloriam vindicat. Amore Dei ſubactus fortiter vincit omnia *συγγενείας ὀνόματα καὶ φίλτρα cognationis nomina & illecebras,* uti Philo loquitur. Contendit ad locum ſacrificii alacriter, relictis poſt tergum famulis, ne ab hominibus laudem captare videretur.. Cúmque filius victimam requirebat, ille ne quicquam turbatus, & nihil vel animo vel corpore mutatus, conſtanti vultu, ratione conſtantiori ad interrogationem reſpondet: *Fili Deus ſibi providebit de victima.* Cum dicto celeriter filium aræ imponit, ſimul ſtrictum gladium librat, noviſſima intentaturus filio. Sic Vir Sanctus, Dei timentiſſimus, propter Deum filio ſuo non parcit. Vide totum hoc obedientiæ ſpecimen illuſtrantem egregiè, Philonem de Abrahamo, pag. 373, 374. necnon Auguſtinum de Civ. D. XVI. 32. aliosque paſſim.

XIII. Non defuerunt tamen, teſte eodem Philone, jam olim φιλαπεχθήμονες καὶ διαβάλλοντες, οἷς ψόγοι πρὸ ἐπαίνου τιμᾶν ἐθίζονται *malitioſi calumnia-*

lumniatores, noſtra vituperare potiùs quàm laudare ſoliti, quibus non tam magnum & mirificum hoc facinus viſum eſt. Quorſum enim, inquiebant, Abrahamum laudare, ὡς ἐγχειρητὴν κεκαινουργημένης πράξεως, ἣν καὶ ἰδιῶται καὶ βασιλεῖς, καὶ ὅλα ἔθνη δρῶσιν ἐν καιροῖς, *quaſi novum aliquod facinus aggreſſum, quod non ſemel fando auditum eſt de privatis civibus, de Regibus, de integris gentibus?* Ita enim & alios multos ſuis affectibus devinctos, & amantes liberorum, immolandos exhibuiſſe filios, vel pro incolumitate patriæ, vel ut averterent bella, ſiccitates, inundationes, peſtilentias. Alios domeſticæ quamvis falſæ religionis gratia, Græcorum certè clariſſimos, non ſolùm privatos cives, ſed & Reges, non magna ratione ex ſe natorum habita, his mactatis maximas deleviſſe hoſtium copias primo impetu, ſociorum verò ſervâſſe maximos exercitus. Barbaras etiam gentes per multas ætates litaſſe mactatis filiis, cujus ſceleris etiam Sacroſanctum Moſen meminiſſe, dum accuſans eos ut pollutos ait, qui filios & filias Diis ſuis adoleant. Quin & Indorum Gymnoſophiſtas accenſo rogo ſeipſos exurere, quamvis ad tempus diuturnum poſſent reſiſtere. Imò & mulierculas eorum defunctis maritis in rogo eorum cum gaudio ſe mittere, atque ita cum adamatis cadaveribus vivas concremari. Ad hanc invidorum, Abrahami obedientiam canino dente arrodentium βασκανίαν καὶ πικρίαν fuſè reſpondet Philo Judæus loco laudato. Summa huc redit. Qui liberos olim mactârunt, eos partim ex more id feciſſe, partim quia magna mala & adverſus humanam opem contumacia à ſuis civitatibus aliter arcere nequiverunt. Et ex his quoſdam invitos ſuos exhibuiſſe, coactos à potentioribus: alios compulſos metu hominum, alios cupidine gloriæ famæque, in præſens gloriæ, famæ verò ad poſteros. Atqui Abrahamum neque aliqua modò dicta neceſſitate coactum, filium mactare voluiſſe, nec more, vel honore, vel timore. Non *more*, quia mos immolandi liberos, nec Babylone, nec in Meſopotamia, nec apud Chaldæos, aqud quos educatus eſt, receptus fuerit. Non *timore*, quia metus nullus imminuerit ab hominibus, neque Oraculi juſſum quiſquam noverit alius. Non *honoris* cupiditate, quia in ſolitudine, ubi nemo erat applauſurus, ſemotis etiam & à tergo relictis duobus famulis, ne ſe coram teſtibus oſtentare videretur, nulla omnino laus humana captari potuerit. Cæteros, qui pro ſalute patriæ aut exercitus conceſſere ſuos mactandos, tamen aut domi manſiſſe interea, aut procul abſtitiſſe ab altaribus, aut ſi contigit eos ſacris intereſſe, avertiſſe oculos, ne ſpectare quidem ſuſtinentes, vel alienum necis miniſterium. Hunc verò tanquam Sacerdotem, patrem amantiſſimum, aggreſſum eſſe mactationem egregii filii, quem fortaſſis etiam ſacrifico ritu membratim conciſurus fuerit,

fuerit, adolendum altaris ignibus. Quid verò horum cum cæteris commune? Quid non eximium, quod nulla poſſit æquari facundia? Hunc in ſenſum meritò inſectationem hanc obedientiæ Abrahamicæ contudit Philo. Et ſanè, cùm Abrahamus filium obtulerit unicum & ſummè dilectum ea ætate, quæ alios gignendos non promitteret: cùm ſummam in hoc facto adhibuerit alacritatem, magnanimitatem & conſtantiam, non lucro, non famæ, ſed unicæ Dei gloriæ intentus, & ejus amore ardentiſſimus; nullo negotio, quid diſtent æra lupinis, conſpici poteſt.

XIII. Neque obedientia tantùm, ſed & fides Abrahami ex hoc ipſius facto eluceſcit. Eam ſic deſcribit Apoſtolus Hebr. XI. 18. 19. *Fide obtulit Abraham Iſacum, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat is, qui promiſſiones acceperat. Ad quem dictum erat: In Iſac vocabitur tibi ſemen. Reputans, quòd etiam ex mortuis excitare potens eſt Deus. Unde etiam illum ἐν παραβολῇ in ſimilitudine recepit.* Et *primò* quidem oblaturus filium ſuum credidit reſurrectionem mortuorum. Nam reputabat, *quòd etiam ex mortuis excitare potens eſt Deus.* Unde filium ſuum recepit ἐν παραβολῇ *in ſimilitudine*, nempe ex mortuis, hoc eſt, tanquam ex mortuo vivum, exemplar reſurgentium ex mortuis. Sic enim Iſacus fuit typus reſurrectionis. Et fuit hæc fides de reſurrectione mortuorum Abrahamo, omnibusque fidelibus adjumentum obedientiæ & ſpei in Deo contra ſpeciem impoſſibilitatis. Proclive enim erat ſic ratiocinari: ſi Deus excitabit mortuos, multò magis ea faciet, quæ minoris ſunt momenti, præſtabit promiſſiones: imò potiùs excitabit mortuos, ut impleat promiſſionem benedictionis & vitæ. *Secundò* confeſſus eſt hac obedientia reatum ſuum, & veluti contra ſe ſcripſit chirographum. Quòd cùm in omnibus ſacrificiis crediderunt veteres, tum inprimis in ſacrificio filii unigeniti Abrahamus. *Tertiò* credidit Chriſtum, filium Dei unigenitum, ſemen illud benedictum, quod eſt *caput & primitiæ ex mortuis* in plenitudine temporis futurum pro nobis victimam, & authorem benedictionis omnibus gentibus, moriturum ſimul atque ex mortuis glorioſè revicturum. Nam in ſacrificio humano hactenus inſolito & υἱοθεσίας ſibi imperata quid aliud meditari potuit, quàm Chriſtum tradendum & ſanguinem fuſurum propter peccata,& reſuſcitandum propter juſtificationem fidelium. *Quartò* Abrahamus credens in Iſaco ſibi vocatum iri ſemen, atque id ſemen fore ex multis gentilibus, credidit etiam regenerationem, & novam creationem gentium per efficaciam mortis Chriſti & ſpiritum ejus.

XIV. Poſtquam divinam tentationem, nec non Abrahami obedientiam atque fidem oculis ſubjecimus, nunc ἡ τοῦ πειρασμοῦ ἔκβασις *tentationis*

hujus *exitus*, isque lætiſſimus ſequitur. Ejus partes duæ ſunt. Narratur enim eventus tum *ſingularis* verſ. 11, 12, 13, 14. tum *Communis* verſ. 15--19. In eventu ſingulari ante omnia id poſitum eſt, quòd Abrahamus jamjam filio ictum intentans revocatus eſt ab *Angelo Jehovæ*, ne jugularet filium, addita cauſa, quòd Deus jam probaverit ejus fidem, & foris opere cognoverit, quod prius in mente viderat. *Nunc enim*, inquiebat Angelus Jehovæ, *cognovi quòd timens Dei es, quòd non peperceris filio tuo unico propter me*, verſ. 12. Angelum hunc Jehovæ fuiſſe filium Dei, in V. T. factum Angelum, ſicut in N. T. factus eſt homo, videtur ſenſiſſe olim Origenes homilia in Geneſin octava. Verba ejus ſunt: *Conſiderandum eſt, quia Angelus hic fertur ad Abraham locutus, & quod in conſequentibus evidenter hic Angelus Domini oſtenditur. Unde puto, quòd ſicut inter homines habitu repertus eſt ut homo, ita inter Angelos habitus eſt & repertus ut Angelus.* Sententiam hanc emollire conatur Sixtus Senenſis Biblioth. S. Annot. 102. nec non Pererius in h. l. Putant nempe *habitum* ſignificare non *naturam*, ſed *officium* Angeli. Verùm cùm Origenes alludat ad locum Phil. II. 9. ubi σχῆμα *habitus* non tam *officium* quàm *naturam ſervi* notat, vix eſt, ut excuſari queat. Inprimis cùm tract. 26. in Matth. aſſerat, *non ſolùm in præſentia, verùm etiam ſubſtantialiter ſemper Chriſtum præſentem fuiſſe & in Moſe, & in Prophetis, magis autem & in Angelis miniſtrantibus ſaluti humanæ.* Plura loca allegat vir eruditiſſimus, qui nuper nobis Origenem dedit, Petrus Daniel Huetius, Origenianorum lib. II. q. 3. ubi in mitiorem etiam partem interpretatur Origenem. Sed de eo quicquid fiat, *Angelum* hunc *Jehovæ* fuiſſe Chriſtum, magni conſilii, non tam *naturâ* quàm *officio* Angelum, in carne aſſumpta apparere ſolitum Patribus, ut præludium quoddam humanitatis in tempore aſſumendo præberet, liquet eo argumento, quòd ſibi tribuat, quæ ſunt Dei. Dicit enim verſ. 12. *Non peperciſti filio tuo unico* ממני *propter me.* Atqui non propter Angelum creatum, ſed propter Deum non pepercerat filio. Neque enim Angelo ſacrificium offerebatur: neque Angelus tentârat Abrahamum, aut filii oblationem imperaverat Abrahamo. Deinde Angelus ille שנית *ſecunda vice* è cœlo clamavit: *Per memet juravi, dicit Dominus, benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum.* verſ. 16. Atqui Angelus λειτουργικὸς neque jurare poteſt per ſe ipſum, neque loquitur ut Jehova, neque benedicere potuit Abrahamo, ejusque ſemen multiplicare. Nam quòd doctiſſimus Hacſpanius ex verſ. 16. colligit, Angelum fuiſſe creatum, qui verba aliena, nempe Dei retulerit, ſatis refutatur ex præcedentibus, ubi Angelus non aliena ſanè verba recitavit, ſed propriè & de ſe locutus eſt. Neque etiam admittendum eſt, quòd alii Auguſtini authorita-

thoritatem fruſtra prætexentes, ſtatuunt, eum qui locutus eſt hîc Abrahamo, Angelum verè fuiſſe, Deum autem repræſentativè. Quid enim opus fuit corpore aſſumpto ſimul & Angelo, ſi Deus ipſe in corpore illo ſe exhibere præſentem voluit? Et quam latam januam ejusmodi aſſertio aperiat Samoſatenianorum corruptelis, qui hac ratione eludere poſſent, quæcunque divina ſive nomina ſive opera filio Dei tribuuntur, manifeſtum eſt.

XV. Cùm Deus primò juſſerit Abrahamum offerre filium, ac poſtea id facere prohibuerit, quæſitum eſt, annon in divinis dictis & voluntate *ἀσυστατόν τι* ſeu repugnantia quædam admittenda ſit? Verùm dubitatio hæc tolli poteſt diſtinctione voluntatis *divini præcepti* & *decreti*, nec non *revelatæ* & *occultæ*. Fieri enim poteſt, ut præcipiat Deus quod fieri decrevit nunquam, quódque adeò effectum non ſortitur, neque aliquando ſortiri debet. Præcipit etiam Deus quædam fieri ſimpliciter, ita tamen ut delectetur tantùm propoſito faciendi, non autem ipſo eventu: vel quædam præcipit, ita ut delectetur ea re quam præcipit, ſi executioni mandetur. Voluit igitur Deus offerri Iſacum, hoc eſt, præcepit ut offerretur, & ut ad offerendum eum omnia componerentur: voluitque ut eam Abrahamus exequi vellet: re tamen ipſa non fuit delectatus, neque voluit omnino, ut effectus ſequeretur, uti eventus ipſe docet. Voluit obedientiam, eventum verò ipſum, ſeu executionem præcepti noluit. Duplex fuit in mente Dei conceptus & cogitatio, & utrique cogitationi reſpondens idoneum ſignum. Prior erat voluntas Dei de Abrahamo ad filium mactandum per præceptum obligando, quo motus accingeret ſe ad obſequium & illuſtre obedientiæ ſuæ ſpecimen ederet. Conceptui huic apprimè reſpondit ſignum, præceptum nempe Dei *δοκιμαστικὸν*: *offer filium tuum in holocauſtum* verſ. 2. Hoc ſignum atque præceptum cum mente Dei apprimè conveniebat, quamvis primo intuitu non obſervaret Abrahamus. Neque enim tentari & explorari ſe duntaxat obſervavit. Poſterior conceptus erat voluntas Dei de Iſaco conſervando, & Abrahamo à cæde filii revocando. Ei reſpondebat ſignum externum: *Ne immittas manum tuam in puerum hunc, ut facias ei quicquam*, verſ. 12. Apparet igitur, nullam omnino hîc fuiſſe vel *ἐναντιότητα* ſeu *contrarietatem* veram, vel mutationem voluntatis divinæ, ſed harmoniam cum verbo externo exactiſſimam. Semper quidem Deus per verbum ſignificat, ſe aliquid velle, quod verè vult: non tamen ſemper, quæ anſa eſt humani erroris, ſignificat ſe id præciſè velle, quod nos eum velle prima fronte concipimus.

XVI. Ne verò Abrahamus rediret domum nullo ſacrificio peracto, Deus ſingulari providentiâ ſuâ etiam præparavit victimam. *Cùm* enim

Digitized by Google

elevâſſet Abrahamus oculos ſuos vidit איל אחר נאחז בסבך בקרניו *poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus.* Ita V. I. Cœterùm pro איל אחר uti Hebræi Codices, & eos ſecutus Hieronymus legunt, plerique Orientales legerunt איל אחד *arietem unum* Daleth nempe pro Res. Ita Samaritanus איל אחד Onkeloſi Thargum דכרא חדא Syrus דכרא חד LXX. Interpretes *κριὸς εἷς aries unus.* Arabes quatuor planè omiſerunt. Lectionem Samaritani & reliquorum Orientalium tuetur Cl. Bochartus Hieroz. p. 1. lib. II. 49. Putat enim in hac notione potiùs אחור quàm אחר ſcribendum fuiſſe: & אחר ita ſolitarium non tam loci, quàm temporis Adverbium eſſe. Tum Abraham arietem à tergo *ſublatis oculis* vidiſſe non diceretur, inquit, ſed in poſteriora reflexis. Præterea ſi legas אחד per Daleth, parallelum hunc fore locum cum altero Daniel. VIII. 3. *Et ſuſtuli oculos meos, & vidi, & ecce* איל אחד *aries unus.* Sed militat contra hanc lectionem conſtantia codicum Hebræorum, quos ſequuntur Hieronymo antiquiores Aquila, Symmachus, Theodotio. Neque Orientales aliter legiſſe in Hebræo id argumento eſt, quòd ipſi אחר *converterunt.* Nempe quia אחר ambiguè & obſcurè poſitum eſt, dubitârunt, quò referenda potiſſimùm vox eſſet. Hanc verò difficultatem ut evitarent, pro אחר tranſtulerunt אחד *unus* levi mutatione. Onkeloſus ſanè cum hac difficultate conflictatus utramque lectionem expreſſit. Sic enim habet וזקף אברהם ית עינוהי בתר אילן וחזא והא דכרא חדא *Et ſuſtulit Abraham oculos ſuos poſthæc, & vidit, & ecce aries unus.* Cœterùm difficultas tota eſt in expoſitione vocis אחר quam alii aliter reddunt, uti videre in Bereſith rabbah, ac imprimis apud Cl. Buxtorfium Crit. S. p. II. cap. 8. p. 666. Fateor ſanè meliùs quadrare notionem *temporis* quàm *loci*, idque propter rationem à Bocharto allatam. Senſus autem eſſe poteſt idoneus, quem hoc modo expreſſit doctiſſimus Hebræorum Abarbanel: *Et ſuſtulit Abraham oculos, & vidit, & ecce arietem,* h. e. arietem euntem, & paſcentem illic: *poſtea* vidit ſcilicet eundem arietem *detentum in vepreto cornibus ſuis.* Ut ita duo viderit Abrahamus, primò arietem in eo loco, cùm aliâs nullæ eſſent in ea terra pecudes; ſecundò eundem arietem antea oberrantem, nunc in perplexitate vepreti detentum: adeóque ut paucis complectar, primò liberum, deinde ligatum & conſtrictum. Sed quicquid fiat de voce אחר dicitur aries ille נאחז בסבך quæ verba ſine ratione ſontica, variè etiam reddiderunt Interpretes. Planus enim ſenſus eſt, arietem illum, quem vidit Abrahamus, fuiſſe detentum ſeu implicitum cornibus ſuis בסבך *in perplexitate*, ſubintellige, ſylvæ, vel arborum vel fruticum. Ita enim ſupplendum eſſe patet tum ex ipſa textus ſerie, tum ex locis ſimilibus Pſal. LXXIV. 5. Eſai. IX. 18. X. 34. 2. Sam. XVIII. 9. Senſum igitur ipſum

plerique

plerique retinent Interpretes. Ita Jonathan Paraphraſtes detentum fuiſſe ait בהרי שותא ἐν ὑλήμαλι *inter frutices*; Onkeloſus באילנא *in arbore*; Syrus בסוכתא *in ramis*, Arabs פי אלסיך *in ſpinis*, Aquila ἐν συχνῷ *in condenſo* puta *arborum*; Symmachus ἐν δικτύῳ *in reti*, quod eſſet בשבכה: Cyrillus & Phavorinus vertunt χρυσολάχανον, pro quo Bochartus, legit χρυσόγονον. Sic enim vocatur à Dioſcoride ὁ θαμνὸς πυκνὸς *frutex denſus*, cui folia quercus ſimilia. At L X X. Interpretes retinuerunt nomen proprium סבך *Sabec*. Sic enim reddunt: Κριὸς κατεχόμενος ἐν φυτῷ Σαβὲκ; *aries, qui tenebatur in virgulto Sabec cornibus ſuis*, quaſi videlicet Σαβὲκ nomen proprium eſſet virgulti vel arboris. Quomodo etiam Theodotio, Eucherius, Procopius, Athanaſius, Ambroſius. Sed & Heſychius explicat tanquam nomen proprium. Σαβὲκ, inquit βάθος. Sed legendum βάτος, *rubus*, uti poſt Bochartum rectè obſervatum in nova editione Cl. Screvelii. Non video ſanè unde huic expoſitioni patrocinari conatus fuerit Vir Doctiſſimus Iſacus Voſſius *de Translat. L X X. Interpretum* p. 38. *Deſinant*, inquit, *hodierni Interpretes veteribus inſcitiam affingere, quin potiùs exiſtiment, eos complura vocabula Hebraica verſioni ſuæ inſeruiſſe, quod illa Græcè exprimi commodè non poſſent. Sabec ſpinoſæ alicujus plantæ nomen eſſe, minimè dubitamus.* Sed verò, quæ ratio minimè dubitandi? Inprimis cùm ratio vocis סבך ſit ſatis manifeſta. Mitto ineptias Græci Scholiaſtis, qui Σαβὲκ vertit ὄρθιος *erectus*, ut idem valeat, ac ſi diceretur, *hircus erectus, qui in virgultum aſcenderat*. Quod commentum placuit etiam Euſebio Emiſeno, quem propterea caſtigat obiter Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis. Finxerunt nempe inter veteres nonnulli, arietem hunc cornibus implicatis erectum & ſublatum quaſi hærentem vel pendentem, typum fuiſſe ipſius Chriſti in cruce pendentis. Quò trahit etiam vocem נאחז Melito his verbis: ὁ Σύρος καὶ Ἑβραῖος κρεμάμενος φησὶ, ὡς σαφέστερον τυπῶν τὸν σταυρόν. *Syrus & Hebræus dicunt pendens* (ita interpretatur vocem נאחז) *tanquam manifeſtiùs effingens crucem.* Pſeudo-Athanaſius in Interpretatione Parabolarum quæſt. 66. Φυτὸς Σαβὲκ ὁ τιμιός ἐστι σταυρός. *Planta Sabec eſt veneranda crux.* Et arietem ibi detentum idem aſſerit figurâſſe Chriſtum ἐν τῷ σταυρῷ θάνατον ὑποστάντα ἕνεκεν ἡμῶν, *qui pro nobis in cruce mortem ſubiit.* Ita etiam Procopius: *Sabec ſpecies fruticis eſt, ex quo pendebat aries. Nam cùm fruticetum anterioribus pedibus conſcendiſſet, fruticeto implicitus, crucis formam pendens præ ſe ferebat extentione pedum.* Eodem modo Ambroſius de Abrahamo cap. 8. Ex quibus miro acumine ita colligit Leo Caſtrius Apolog. lib. 6. non improbante, ſed laudante potius Cornelio à Lapide. *Chriſtum verbis iſtis* Ἐλὶ Ἐλὶ λαμὰ σαβαχθάνι, *ad eandem plantam Sabec alluſiſſe, ut indicaret ſe eſſe illum arietem pendentem atque*

 ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpenſum ex arbore Sabec, quam Dominus ſub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec Abrahæ, olim oſtenderat. Verbum enim Sabachtani à nomine Sabec inflexum videri. Sed quid opus eſt verbis Hebræis vim facere, & ἅπαξ ejusmodi in medium proferre, ut pateat, arietem hunc fuiſſe figuram Chriſti pro nobis crucifigendi, cùm res per ſe pateat ſatis, uti infra probabimus.

XVII. Arietem hunc Dei providentia ita moderante, aberrâſſe à vicino grege, & in Abrahamum incidiſſe, veriſimile eſt. Quomodo ovium à grege aberrantium Scriptura paſſim meminit. Neque adeò opus eſt audire Hebræos nugaciſſimos, qui creatum hunc arietem volunt ante annos bis mille & amplius, nempe ſub veſperam diei ſextæ creationis. Ita Jonathan in Paraphraſi: Et *Abraham ſuſtulit oculos ſuos, & aſpexit* והא דכרא חד דאתבארי ביני שמשתא דשכליל עלמא אחיד בחרישות דאילנא בקרנוי *& ecce arietem unum, qui creatus fuerat inter duas veſperas perfectionis mundi, detentum in perplexitate arborum cornibus ſuis.* Quod figmentum etiam affert R. Salomon Jarchi, Tanchuma, nec non R. Zacharia apud Eliezerem Pirke cap. XXXI. Sed parum ſibi conſtant iidem illi authores. Nam in Jonathanis paraphraſi Num. XXII. v. 28. & in Pirke Aboth. fol. 30. & in tractatu Thalmudico Peſachim fol. 54. denique in capitulis R. Eliezer cap. XIX. enumerantur res illæ decem, quas ſub veſperam ſextæ diei creatas fuiſſe fingunt, ubi tamen arietis mentio nulla. Neque ſanè Deum creâſſe hunc arietem dicit Moſes: Iſaco enim de holocauſto inquirente reſponderat Abrahamus, fore ut Deus provideret, verſ. 8. Non igitur Deus creavit arietem, quod potentiæ fuiſſet opus, ſed providit, hoc eſt, Abrahamo obtulit, & fecit, ut commodum occurreret, quod fuit providentiæ. Cùm verò quisquis ſacrificat de ſuo, non de alieno ſacrificare debeat, quæſitum eſt: *An arietem ita fortè repertum, quique adeò non Abrahami erat, ſed ejus, à cujus aberraverat grege, Deo offerre debuerit vel potuerit Abrahamus?* Sed proclivis eſt reſponſio ex eo, quòd noſtra ſint, quæ in loco publico inveniuntur, quamdiu verus ignoratur dominus. Ita crumenam aut pecuniam qui reperit in via, eâ tanquam ſuâ utitur, ſi cujus fuerit, neſciat. Ita in lege Deut. XXII. 8. bovem aut ovem, cujus dominus ignotus eſt, ſervare jubetur, qui reperit, donec à Domino repetatur. Si itaque Dominus nunquam repetat, ſemper ſervabit. Non poteſt enim eſſe dominus, quamdiu non apparet. *Ex dominio*, inquit Grotius de Jure Belli & Pacis lib. II. 10. I I. *nemo jus habet præter dominum. Non eſſe autem, & non apparere, tantundem valent quoad eum, cui non apparet.* Quod igitur reperit Abrahamus, ignorato Domino, illo pro ſuo ad ſacrificium uti poterat. Accedit, quòd cum arietem in deſerto loco, & in tali

caſu

Digitized by Google

caſu oblatum, velut ex manu Dei, cujus eſt terra & plenitudo ejus, acceptum eidem reddere non dubitavit, de alio domino minimè ſolicitus. Quomodo Elias carnes à corvo in deſerto allatas comedit, minimè ſolicitus, unde allatæ eſſent, 1. Reg. XVII. 4. 6. & populus Samariæ à Deo liberatus, oblatum ſibi hoſtium commeatum ſine ſcrupulo in ſuos uſus vindicavit 2. Reg. VII. 1.–16. Præterea minimè dubitandum eſt, quin peculiari inſtinctu divino ſancti viri conſcientia fuerit confirmata.

XVIII. Divinitus ſic oblatum arietem Abrahamus obtulit תחת בנו *pro filio ſuo*, verſ. 13. Quemadmodum enim filium ſuum in holocauſtum offerre ſtatuerat, ita nunc à Deo prohibitus, ne ulteriùs in jugulando filio procederet, arietem hunc filii ſui vicem ſubire jubet. Poteſt etiam ſenſus eſſe, obtuliſſe Abrahamum hunc arietem, eodem planè modo, quo filium ſuum immolare voluit. Quomodo Hebræi volunt, quicquid in ariete faciebat Abrahamus, Deum precatum eſſe his verbis: *Id benevolè accipe* tanquam factum in filio meo כאלו בני שחוט כאלו דמו זרוק כאלו דמו מופשט כאלו הוא נקטר ונעשה דשן *ac ſi filius meus jugularetur, ac ſi ſanguis ejus funderetur, ac ſi filius meus pelle nudaretur, ac ſi is adoleretur, & in cinerem redigeretur.* Ita R. Salomon Jarchi, quibus ſimilia habent R. Benajah, & R. Phinees in Bereſith Rabba ſectione 56. Addunt alii hunc etiam ſenſum, ut obtulerit Abrahamus hunc arietem *pro filio*, hoc eſt, pro liberatione filii, agens nimirum gratias Deo, quod filium à morte liberaſſet. Id quanquam verum eſt, tamen ſignificari non videtur his verbis, ubi תחת *ſubſtitutionem* tantùm notat.

XIX. Ad eventum ſingularem tentationis Abrahamicæ pertinet, quòd Vir ſanctus perpetuum rei monumentum extare voluit, impoſita loco appellatione, quæ in proverbium deinceps abiit. Nam *vocavit Abraham nomen loci illius* יהוה יראה *Dominus videbit* אשר יאמר *Idcirco dicitur hodie* בהר יהוה יראה *In monte Jehova videbitur*, verſ. 15. Occaſio nominis יהוה יראה petita eſt ex reſponſione data Iſaco verſ. 8. Cogitavit nempe Vir ſanctus, quòd reſpondit in genere Iſaco de victima interroganti, impletum eſſe hoc ipſo loco, in quo Dominus ipſe de victima providit. Verba illa אשר יאמר variè reddunt interpretes. LXX. *ἵνα εἴπωσι σήμερον, ut dicant hodie.* Thargum Onkeloſi, בכן יתאמר ביומא הדין *Propterea dicebatur in die hac.* Alii aliter. Nihil obeſt autem, quò minùs propria ſignificatio retineatur, & totus verſus ſic reddatur: *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus providebit, quod dici ſolet hodie: In monte Domini providebitur.* Significat Moſes à temporibus Abrahami ad ſua tempora nonnihil mutatum fuiſſe loci iſtius nomen, & quod ante dici ſolebat, *Dominus providebit*, id jam dici: *In monte*

Digitized by Google

ſuſpenſum ex arbore Sabec, quam Dominus ſub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec Abrahæ, olim oſtenderat. Verbum enim Sabachtani à nomine Sabec inflexum videri. Sed quid opus eſt verbis Hebræis vim facere, & ἄτοπα ejusmodi in medium proferre, ut pateat, arietem hunc fuiſſe figuram Chriſti pro nobis crucifigendi, cùm res per ſe pateat ſatis, uti infra probabimus.

XVII. Arietem hunc Dei providentia ita moderante, aberrâſſe à vicino grege, & in Abrahamum incidiſſe, veriſimile eſt. Quomodo ovium à grege aberrantium Scriptura paſſim meminit. Neque adeò opus eſt audire Hebræos nugaciſſimos, qui creatum hunc arietem volunt ante annos bis mille & amplius, nempe ſub veſperam diei ſextæ creationis. Ita Jonathan in Paraphraſi: Et *Abraham ſuſtulit oculos ſuos, & aſpexit* והא דכרא חד דאתבארי בני שמשתא דשכליל עלמא אחיד בחורשת דאילנא בקרנוי *& ecce arietem unum, qui creatus fuerat inter duas veſperas perfectionis mundi, detentum in perplexitate arborum cornibus ſuis.* Quod figmentum etiam affert R. Salomon Jarchi, Tanchuma, nec non R. Zacharia apud Eliezerem Pirke cap. XXXI. Sed parum ſibi conſtant iidem illi authores. Nam in Jonathanis paraphraſi Num. XXII. v. 28. & in Pirke Aboth. fol. 30. & in tractatu Thalmudico Peſachim fol. 54. denique in capitulis R. Eliezer cap. XIX. enumerantur res illæ decem, quas ſub veſperam ſextæ diei creatas fuiſſe fingunt, ubi tamen arietis mentio nulla. Neque ſanè Deum creâſſe hunc arietem dicit Moſes: Iſaco enim de holocauſto inquirente reſponderat Abrahamus, fore ut Deus provideret, verſ. 8. Non igitur Deus creavit arietem, quod potentiæ fuiſſet opus, ſed providit, hoc eſt, Abrahamo obtulit, & fecit, ut commodum occurreret, quod fuit providentiæ. Cùm verò quisquis ſacrificat de ſuo, non de alieno ſacrificare debeat, quæſitum eſt: *An arietem ita fortè repertum, quique adeò non Abrahami erat, ſed ejus, à cujus aberraverat grege, Deo offerre debuerit vel potuerit Abrahamus?* Sed proclivis eſt reſponſio ex eo, quòd noſtra ſint, quæ in loco publico inveniuntur, quamdiu verus ignoratur dominus. Ita crumenam aut pecuniam qui reperit in via, eâ tanquam ſuâ utitur, ſi cujus fuerit, neſciat. Ita in lege Deut. XXII. 8. bovem aut ovem, cujus dominus ignotus eſt, ſervare jubetur, qui reperit, donec à Domino repetatur. Si itaque Dominus nunquam repetat, ſemper ſervabit. Non poteſt enim eſſe dominus, quamdiu non apparet. *Ex dominio*, inquit Grotius de Jure Belli & Pacis lib. II. 10. 1 I. *nemo jus habet præter dominum. Non eſſe autem, & non apparere, tantundem valent quoad eum, cui non apparet.* Quod igitur reperit Abrahamus, ignorato Domino, illo pro ſuo ad ſacrificium uti poterat. Accedit, quòd cum arietem in deſerto loco, & in tali caſu

caſu oblatum, velut ex manu Dei, cujus eſt terra & plenitudo ejus, acceptum eidem reddere non dubitavit, de alio domino minimè ſolicitus. Quomodo Elias carnes à corvo in deſerto allatas comedit, minimè ſolicitus, unde allatæ eſſent, 1. Reg. XVII. 4. 6. & populus Samariæ à Deo liberatus, oblatum ſibi hoſtium commeatum ſine ſcrupulo in ſuos uſus vindicavit 2. Reg. VII. 1.-- 16. Præterea minimè dubitandum eſt, quin peculiari inſtinctu divino ſancti viri conſcientia fuerit confirmata.

XVIII. Divinitus ſic oblatum arietem Abrahamus obtulit תחת בנו *pro filio ſuo*, verſ. 13. Quemadmodum enim filium ſuum in holocauſtum offerre ſtatuerat, ita nunc à Deo prohibitus, ne ulteriùs in jugulando filio procederet, arietem hunc filii ſui vicem ſubire jubet. Poteſt etiam ſenſus eſſe, obtuliſſe Abrahamum hunc arietem, eodem planè modo, quo filium ſuum immolare voluit. Quomodo Hebræi volunt, quicquid in ariete faciebat Abrahamus, Deum precatum eſſe his verbis: *Id benevolè accipe* tanquam factum in filio meo כאלו בני שחוט כאלו דמו זרוק כאלו מופשט כאלו הוא נקטר ונעשה דשן *ac ſi filius meus jugularetur, ac ſi ſanguis ejus funderetur, ac ſi filius meus pelle nudaretur, ac ſi is adoleretur, & in cinerem redigeretur.* Ita R. Salomon Jarchi, quibus ſimilia habent R. Benajah, & R. Phinees in Bereſith Rabba ſectione 56. Addunt alii hunc etiam ſenſum, ut obtulerit Abrahamus hunc arietem *pro filio*, hoc eſt, pro liberatione filii, agens nimirum gratias Deo, quod filium à morte liberaſſet. Id quanquam verum eſt, tamen ſignificari non videtur his verbis, ubi תחת *ſubſtitutionem* tantùm notat.

XIX. Ad eventum ſingularem tentationis Abrahamicæ pertinet, quòd Vir ſanctus perpetuum rei monumentum extare voluit, impoſita loco appellatione, quæ in proverbium deinceps abiit. Nam *vocavit Abraham nomen loci illius* יהוה יראה *Dominus videbit* אשר יאמר *Idcirco dicitur hodie* בהר יהוה יראה *In monte Jehova videbitur*, verſ. 15. Occaſio nominis יהוה יראה petita eſt ex reſponſione data Iſaco verſ. 8. Cogitavit nempe Vir ſanctus, quòd reſpondit in genere Iſaco de victima interroganti, impletum eſſe hoc ipſo loco, in quo Dominus ipſe de victima providit. Verba illa אשר יאמר variè reddunt interpretes. LXX. *ἵνα εἴπωσι σήμερον, ut dicant hodie.* Thargum Onkeloſi, בכן יתאמר ביומא הדין *Propterea dicebatur in die hac.* Alii aliter. Nihil obeſt autem, quò minùs propria ſignificatio retineatur, & totus verſus ſic reddatur: *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus providebit, quod dici ſolet hodie: In monte Domini providebitur.* Significat Moſes à temporibus Abrahami ad ſua tempora nonnihil mutatum fuiſſe loci iſtius nomen, & quod ante dici ſolebat, *Dominus providebit*, id jam dici: *In*

monte

Digitized by Google

monte Domini providebitur. Ita vertit Arabs Erpenianus. Nam quòd Græci vertunt: ἐν τῷ ὄρει κύριος ὤφθη *in monte Dominus apparuit*, minùs conveniens, quia non tam ab apparitione Dei præcedente, quàm à promiſſione providentiæ locus ille nomen ſortitus eſt. Neque melius eſt, quòd illis verbis alii contineri putant vaticinium de templo, in quo Deus ſe videndum præbiturus eſſet. Ita Jarchius: פשוטו י׳ יבחר ויראה לו את המקום הזה להשרות בו שכינתו ולהקריב כאן קרבנות *ſimplex ſenſus eſt, Dominum elegiſſe, & providiſſe ſibi hunc locum, in quo Majeſtati ejus miniſtretur, & ſacrificia offerantur.* Verùm ſimplicior & rectior haud dubiè ſenſus eſt, adagium hocce בהר יהוה יראה *in monte Jehova providebitur*, apud Hebræos poſt Abrahami tempora teri cœpiſſe in rebus perplexis, quo monebantur ii, qui in anceps adducti fuerunt, ut exemplo Abrahami animum attollerent, & auxiliatricem Dei manum operirentur. Ita Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis: *Hoc apud Hebræos exivit in proverbium, ut ſi quando in anguſtia conſtituti ſunt, & Domini optant auxilio ſublevari, dicant: In monte Dominus videbit; hoc eſt: Sicut Abrahami miſertus eſt, ita miſerebitur noſtri.* Sed & R.Sal. Jarchi ex Midras Agadah citat ſequentia: ומדרש אגדה יהוה יראה עקידה זו לסלוח לישראל בכל שנה ולהצילם מן הפורענות כדי שיאמר היום הזה בכל דורות הבאים בהר יהוה יראה *Et Midras Agadah*; יהוה יראה *Ligatio hæc valebit Iſraëli, ut Deus ſi propitius ſit ſingulis annis & liberet eos ab afflictionibus. Proinde dicitur ſeculis & ætatibus venturis: In monte Domini videbitur.*

XX. Nunc ad eventum communem tentationis Abrahami. Is autem in eo conſiſtit, quòd promiſſiones antecedentes Abrahamo factas, Angelus ſecunda vice clamans è cœlo, repetivit & prolixiùs, etiam jurejurando interpoſito, explicavit. Occaſio promiſſionis deſcribitur his verbis: *Quandoquidem feciſti rem hanc, quòd non peperceris filio, unico tuo*, verſ. 16. Ex quibus verbis Pererius conficere ſatagit, Abrahamum obedientiâ ſuâ promiſſiones háſce divinas promeritum eſſe. Verba ejus ſunt: *Cùm illud* quia ſit cauſale, *& denotet cauſam meritoriam, ex parte Abrahæ, non obſcurè ſignificatur, Abrahamum egregio illo facto ſuo meruiſſe, ut ſibi tales promiſſiones à Deo darentur, quæ mox ſubduntur.* Verùm, quàm ſit præpoſtera hæc concluſio, arguit Apoſtolus ipſe Rom. IV. 3. 4. ubi Abrahamo fidem fuiſſe imputatam ad juſtitiam, non opera, docet. Arguit & hoc, quòd eadem promiſſio facta eſt Abrahamo ante exploratam per mandatum ὑποθυσίας obedientiam. Vide Geneſ. XII. XIII. XV. XVII. XVIII. Arguit denique, quòd promiſſionis iſtud veluti fundamentum & baſis ſtatuitur *Semen benedictum*, ipſius nempe Meſſiæ ex ſemine Abrahami ortus & incarnatio, quam nullis omnino provocari meritis potuiſſe certum eſt. Igitur Deus obedientiam

hanc

Digitized by Google

hanc novis promiſſionibus coronavit, ut demonſtraret, illorum, qui per fidem juſtificantur, eſſe inpietate creſcere. Proinde particula quia eſt non tam *cauſalis*, uti in Scholis loquuntur, quàm *rationalis*, quæ non cauſam meritoriam indicat, vel promiſſionis iteratæ, vel rei promiſſæ, ſed conditionem & qualitatem ejus, cui promittitur, & cui eam Deus poſt obedientiam exploratam dare decrevit. Quòd verò Jacobus cap. II. 24. eum poſt exploratam obedientiam juſtificatum *ἐξ ἔργων ex operibus*, & fidem ejus perfectam eſſe *ex operibus* docet, non intelligit de juſtificatione coram Deo, ſed de illa, quæ fit coram hominibus; vel certè non de cauſa juſtificationis, ſed de ejus declaratione & manifeſtatione coram hominibus: neque etiam de cauſa perfectionis fidei, ſed de teſtimonio perfectionis illius; cui tamen teſtimonio & manifeſtationi tribuitur rei efficientia, uſitata in Scripturis loquendi ratione, qua res dicuntur fieri, cùm manifeſtantur. Forma porro proponendæ promiſſionis talis eſt בי נשבעתי נאם יהוה *Juravi, inquit Dominus, per me ipſum.* Chaldæus במימרי *per verbum meum juravi.* Arabs בסמי *per nomen meum juravi.* Apoſtolus cum Interpretibus Græcis: *κατ' ἐμαυτȣ̃ per me ipſum.* Hebr. VI. 13. Dicitur jurare per ſe ipſum Deus, quando, ut fidem nobis faciat, & fiduciam erigat, etiam nomen ſuum interponit, & *vitæ ſuæ* mentionem facit, ut firmiter credamus, æquè æternum & immutabile eſſe id quod dicit & promittit, quàm ipſius vita eſt æterna, & immutabilis, & Deum ea, quæ jurat, facere velle, ſive ad virtutes ſuas manifeſtandas, ſive, quia ſe ipſum abnegare non poteſt. Promiſſio denique ipſa duas habet partes: alteram de multiplicatione poſteritatis illuſtratam comparatione numeri ſtellarum Cœli & arenæ maris; alteram de ſemine, in quo omnes gentes terræ benedicentur. Utramque partem promiſſionis ſuperiùs fuſè expoſuimus. Proinde hic operam non ludimus. Poſt acceptam hanc promiſſionem, adeóque peracta omnia Abrahamus rediiſſe ad pueros ſuos, atque unà cum iis in Beerſebam ſcribitur verſ. 19.

XXI. Hiſtoriæ hujus obvia ſunt paſſim in ſcriptis exoticorum veſtigia. Nam ut de Muhammedanis nihil dicam, qui Iſacum vulgò vocant דביח אללה *ſacrificatum* ſeu *ſacrificandum Deo*, quique in rei hujus memoriam quotannis ſolennitatem, Paſchali Judæorum haud abſimilem, Abrahami exemplum præferentes, decimo die ultimæ menſis, quem diem vocant יום אלאצחא *diem ſacrificiorum*, quo magno numero oves, arietes & capras mactare & pauperibus diſtribuere ſolent, inſtituunt: ſanè etiam Græci hujus hiſtoriæ lacinias, ſed de more ſuo interpolatas fabulis ſuis immiſcuerunt. Ita Iphigeniam à Patre Agamemnone Dianæ fuiſſe oblatam commemorant: & cùm Calchantis miniſterio jamjam mactanda eſſet, ajunt vocem

Digitized by Google

quandam luco emiſſam clamâſſe, aſpernari Numen ſacrificii genus, & ob id abſtinendum eſſe à corpore Virginis. Itaque curarent id, quod in vicem virginis oblatum animadverterent, immolari. Interim deliberantibus cunctis, quidnam & ubi eſſet, quod immolari juberetur, cervam formâ corporis admirandâ, ante ipſam aram conſtitiſſe. Eam prædictam hoſtiam ratos, oblatámque divinitus comprehendiſſe, moxque immolaviſſe. Ita Dictys Cretenſis libro primo ſub finem, Tzezes in Lycophronem pag. 40. aliud animal, puta taurum, aut urſum, aut cervum, mandato vatis pro Iphigenia mactatum fingit. Alii tamen, ut Lucretius lib. 1. Propertius de Calchante libri quarti eclogâ primâ, & ipſe Calchas ad Græcos libro 2. Æneidos, ipſam Iphigeniam immolatam eſſe aſſerunt: non tamen verè, ſed, ut videbatur, explicante Servio. Cùm enim putaret Calchas, virginem ſe mactâſſe, deceptum eum eſſe tradunt, eò quòd *ἔλαφος ἀσπαίρουσ' ἔκειτ' ἐπὶ χθονὶ cerva palpitans jacebat in terra.* Vide etiam Hygini fab. 98. Similia exempla recitat Plutarchus in Parallelis cap. 35. Sed & in Saturni hiſtoria tacitè implicari hanc *υἱοθυσίας* Abrahamicæ hiſtoriam, viri docti ariolantur. Euſebius lib. 1. præparat. Euang. ex Porphyrio adducit ſequentia: *Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων μονογενῆ. Ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι, καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι. Κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσε. Saturnus igitur, quem Phœnices Iſraël nominant, quemque poſt obitum in aſtrum ejuſdem nominis conſecrârunt; cùm iis in locis regnaret, ac filium unigenam ex nympha quadam indigena nomine Anobret, haberet, quem propterea Jeoud dixére vocabulo hodiéque unigenam notante lingua Phœnicia. Cúmque in graviſſimum belli periculum regio incidiſſet, illum ipſum Regio ornatum habitu in ara ad hoc extructa immolavit.* Ubi Saturno tribui videmus quatuor; eum à Phœniciis nuncupari Iſraël: eſſe eum Regem Phœniciæ vetuſtiſſimum: fuiſſe Iſraëli filium *μονογενῆ*, unde Ἰεοὺδ *Jeoud* dictus ſit Phœnicibus: illum filium *Jeoud* eſſe à patre immolatum. Nempe confuderunt Græci nepotem cum avo, Iſraëlem ſeu Jacobum cum Abrahamo, cui mandatum, ut immolaret filium יחיד *μονογενῆ* ſeu *unigenitum.* Ubi יחיד *Jehid* manifeſtè convenit cum *Jeoud* Phœniciorum. Hæ enim linguæ ſola differebant dialecto. In Orphaicis etiam, ſive Onomocriticis Abraham vocatur *μονογενὴς unigenitus:* ubi confunditur is cum Iſaco. Ita apud Sanchoniathonem idem ille Saturnus, qui *τὸν ἑαυτοῦ μονογενῆ υἱὸν ὁλοκαρποῖ, filium ſuum unigenitum in holocauſtum offert, καὶ τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται,*

ταὐτὸ

Digitized by Google

ταυτὸ ποιῆσαι καὶ τοὺς ἅμ' αὐτῷ συμμάχους καταναγκάσας, *etiam pudenda circumciditur, & commilitones ſuos eò adegit, ut idem præſtet.* Qui ſanè locus evidenter docet, Saturnum illum ipſum Abrahamum fuiſſe, ut cauſa non fuerit doctiſsimo Voſſio de Idololat. Orig. ac Progreſſu lib. I. cap. 19. Solicitandi lectionem Euſebii, quem pro Ἰλ *Il*, *El* ſeu *Elohim* Saturni cognomento ſcripſiſſe Ἰσραὴλ malè conjectat. Neque efficax eſt ejus ratio, inde petita, quòd parum credibile ſit, Phœnices pro ſummo Deo, hoc eſt, Saturno habituros Iſraëlem, parentem gentis vicinæ maximéque exoſæ. Nam Cananæi iidem cum Phœnicibus quo loco habuerint Abrahamum, vel inde liquet, quòd eum נשיא אלהים *Principem Dei* appellant Geneſ. XXIII. 6. Neque mirum eſt illos *ex Principe Dei* feciſſe *Principem Deum*. Neque etiam obſtat, quòd Saturnum filios ſuos verè mactâſſe referunt Sanctoniathon & Porphyrius, cùm tamen Deus Abrahami fidem & obſequium abundè expertus, eum à filii mactatione cohibuerit. Nempe verè mactatum eſſe credi voluit Diabolus, ut res cederet in exemplum. Etenim nec hoc caret probabilitate, ἀνθρωποθυσίαν gentium, ſive efferatam homines mactandi conſuetudinem manâſſe ex hoc ipſo ψ'οθυσίας Abrahamicæ principio, Diabolo omnibus modis adnitente, ut prava facti illius æmulatione gentes ſeduceret. Ea quippe à Cananæis & Phœnicibus cœpta, Græciam, Africam, ac totum terrarum orbem pervagata eſt. Quam rem fuſè admodum tractat Porphyrius *De abſtinentia ab animalibus* lib. II. 54, 55, 56. &c. ubi inter alia Phœnices ait in magnis infortuniis ſive bellorum ſive peſtium ſacrificâſſe τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντας *aliquem ex chariſſimis ad hoc ſuffragiis deſignatum*; quod redolet ψ'οθυσίαν Abrahami. E noſtris vide Clementem Alexandrinum adhortatione ad Gentes, & Euſebium de Præp. Euangel. lib. IV. 16. G. J. Voſsius de Ortu & Progr. Idolol. lib. I. 35. Ita olim Jupiter, Apollo & Cabiri hoſtias exegerunt humanas. de quo ex Myrſilo Lesbio Dionyſius Antiquitat. Rom. lib. I. *Quàm igitur admiranda eſt Abrahami fides & obedientia, tam deteſtabilis eſt Ethnicorum immanitas, qui cæca Abrahami cacozelia filios ſuos quantumvis injuſſi ſacrificarent*, verba ſunt Viri Doctiſſimi, Jacobi Capelli *Hiſtor. S. & exoticæ* pag. 59. Et κακοζηλίαν hanc procul dubio fovit Diabolus, ad eradicandam fidem, & exſpectationem unici illius ſacrificii, quo Chriſtus promiſſus redemptor Spiritualis, ſe ipſum oblaturus erat victimam pro peccatis, idem hoſtia & Sacerdos ſuper omnia benedictus.

XXII. Hiſtoriam hanc Iſaci in ſacrificium deſtinati, & ſubſtituto ariete liberati allegoricè explicant Patres, qui figuratum in ea Chriſti ſacrificium pretioſiſſimum pro redemptione humani generis nulli dubitant. Et

 Chri-

Digitized by Google

Chriſtum quidem in Iſaco præfiguratum fuiſſe communiter ſentiunt. Ita Auguſtinus de Civ. D. XVI. 32. *Proinde addidit; Pro hoc etiam eum, & in ſimilitudinem adduxit. Cujus ſimilitudinem, niſi illius, de quo dicit idem Apoſtolus: Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? Propterea & Iſac, ſicut Dominus crucem ſuam, ita ſibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipſe portavit.* Et ſanè quin Deus intenderit in hoc tam illuſtri typo ſacrificium Chriſti figurare, vix ambigi poteſt. Adeò accuratè conveniunt omnia. Abrahamus filium יחיד μονογενῆ *unigenitum* ſacrificio deſtinavit, adeò ut ei non parceret propter Dei gloriam. Ita Deus Pater Chriſtum filium unigenitum, in quo εὐδόκησε, pro genere humano expoſuit victimam, ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, *qui filio proprio non pepercit.* Rom. VIII. 32. cum Geneſ. XXII. 12. Iſacus ligna ſacrificii ipſe portavit ad aram. Ita Chriſtus crucem ad montem Calvariæ. Iſacus ſolus ab Abrahamo adductus eſt ad locum ſacrificii. Ita Chriſtus ſolus torcular iræ divinæ calcavit. Iſacus æquiſſimo animo, & nequicquam repugnans ſecutus eſt Patrem, & jamjam ligandus, & occidendus os ſuum ne quidem aperuiſſe legitur. Ita Chriſtus, agnus ille portans peccata mundi, cùm ad mactationem duceretur, velut ovis coram tondente ſe obmutuit, nec os ſuum omnino aperuit, Eſai. LIII. 7. Act. VIII. 32. Johan. I. 29. Iſacus ſacrificandus ligatus eſt. Ita Chriſtum ξυλοκτόνοι alligârunt maledicto ligno crucis. Iſacus unigenitus Abrahami occidendus non fuit. Ita nec filius Dei unigenitus, quâ Deus, quippe ἀπαθὴς καὶ μακάριος. Ne ſine ſacrificio diſcederet Abrahamus, Deus ei obtulit hoſtiam, arietem fortè intervenientem. Ita Deus filio ſuo unigenito adaptavit corpus, quo fieri poſſit Deo ſacrificium εὐωδίας ſeu *grati odoris.* Aries animal eſt innocens, humile, lene, patiens. Etiam Chriſtus fuit innocentiâ, lenitate, humilitate, patientiâ nemini ſecundus, Act. VIII. 32. 1. Petr. II. 22. 23. Aries carne ſua alit, & lana veſtit homines. Chriſtus etiam carne ſua nos alit, Joh. VI. v. 53. & lanâ veſtit. Unde Chriſtum induere dicimur Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. & alba veſtimenta ab eo jubemur nobis comparare, Apoc. III. 18. Aries hic ex Abrahami ovilibus non prodiit, ſed tanquam à Deo illi datus, & à non quærente inventus eſt. Eodem modo Chriſtus *parvulus nobis natus, & à non quærentibus inventus eſt* Eſai. IX. 6. Johan. III. 16. Rom. X. 20. Abraham Deo loquente ſuſtulit oculos, & vidit arietem antea non obſervatum. Chriſtus antea ignotus per verbum Dei nobis patefactus eſt, Matth. XVI. 17. Aries cornibus ſuis hærebat in perplexitate ſpinarum & fruticum. Sed & Chriſtus cum perpetuis vitæ incommodis & tentationibus toto vitæ ſuæ tempore conflictatus, tandémque corona ex ſpinis contexta caput redi-

Digitized by Google

redimitus mortem adivit. Aries mactatus eſt pro Iſaco. Ita Chriſtus pro toto genere humano, populo Dei Joh. x. 11. xi. 50. Act. xx. 28. Eſai. LIII. 4, 5. Iſacus tertio poſt diſceſſum ex Beerſeba die jam deſtinatus ſacrificio ἐν παραβολῇ receptus eſt, & reſurrectionis ex mortuis typus effectus eſt. Ita Chriſtus tertio poſt mortem die reſurrexit ex mortuis, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, *primitiæ eorum, qui obdormiverunt* 1. Cor. xv. 20.

EXERCITATIO X.

DE

SINU ABRAHAMI.

Breviarium.

Recenſio Chriſti de Epulone & Lazaro. Lazarus idem quod אלעזר *Eleazar. Ejus miſera in his terris conditio, & commutatæ poſt hanc vitam vices. Narrationem Chriſti Luc.* XVI. *de utroque nec fuiſſe merè* ἱστορικῶς *nec* παραβολικῶς, *ſed ex utraque mixtam.* 1. *Sinus Abrahæ non fuit locus corporeus. Non etiam Paradiſus terrenus.* 2. *Pontificiorum de ſinu Abrahæ hoc eſt, limbo Patrum ſententia ex Sixto Senenſi, Thoma, Raymundo Martino exponitur. An idem fuerit quod* שאול, אוצר, צרור? 3. *Sinum Abrahæ in cœlo fuiſſe probatur ſex argumentis.* 4. *Patrum Latinorum & Græcorum, Auguſtini, Baſilii, Gregor. Nyſſeni, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Cyrilli, Aretæ, Ambroſii, Euthymii, Dionyſii Areopagitæ, Tertulliani conſenſus.* 5. *Maldonati & Janſenii contra eum exceptio retunditur.* 6. *Pontificiæ Eccleſiæ in Oratione publica ad Martinum & pro defunctis ſuffragatio.* 7. *Bellarmini & Fevardentii objectiones ſolvuntur. An in eadem voragine fuerint Lazarus & epulo? An* χάσμα *&* χάος *deſcendant ab eadem radice* χαίνω? *Budæus, Eraſmus, Zegerus notantur. Quid* חהו? χάσμα μέγα, *idem eſt quod* תהום רבא. *De verbo* ἐστήρικται *Pricæi & Bezæ conjecturæ. Verbum* στηρίζειν *hoc loco*

conve-

Digitized by Google

convenire cum רקיע & στερέωμα *cum* רקיע. *Allegorica interpretatio* χάσματος, *qua illud notat cæleſtis conditionis firmitatem.* 8. *Quomodo Abrahamus in cœlo & dives in inferno locuti mutuò videri, audirique potuerint?* 9. *Gregorii Nyſſeni & Theophylacti de ſinu Abrahami expoſitio.* 10. *Sinu Abrahæ notari eminentiorem in cœlo dignitatem aſſeritur. Cæleſtis beatitudinis & terreſtris convivii analogia. Poëtarum, Thalmudiſtarum & Muhammedanorum de cœleſti convivio fabulæ. Paradiſi & camporum Elyſiorum cum cæleſti beatitudine comparatio.* 11. *Mos diſcumbendi in conviviis veterum latè exponitur. Vocibus*, סמך, סבב, כסב *illum ritum apud Hebræos indigitari. Lecti accumbentium* הכסיות κλιντῆρα, στιβάδες. *Trium lectorum ſummi, medii, imi, apud varias gentes uſus. Mos ſtibadio accumbentium ediſſeritur. Stibadium hexaclinon, heptaclinon, octaclinon. In ſinu alterius diſcumbere, qui dicerentur? Johannes* ἐγκόλπιος, ἐπιστήθιος. 12. *Metaphora eminentioris in cœlo dignitatis circumlocutione ſinus Abrahamici indigitatæ concluditur, & ſimilis locutio in Thalmude oſtenditur.* 13.

I. ABrahami vitam, fidem, obedientiam, & res geſtas omni exceptione majores, executi hactenus ſumus. Una nobis reſtat cura minimè indigna, inquirendi nimirum in κόλπον τοῦ Ἀβραὰμ *Sinum Abrahæ*, qui poſt mortem ipſi tribuitur in narratione hiſtorico-Parabolica de Lazaro & Epulone Luc. XVI. 22, 23. Narratur enim ibi Lazarus hoc eſt אליעזר *Eleazarus*, uti interpretantur Paulinus epiſtola ad Alethium, Tertullianus de Idololatria, nec non Prudentius in hymno de Sanctorum exequiis (quippe Dialecto Hieroſolymitana & in Thalmude Hieroſolymitano pro Eleazar ſcribi ליעזר *Lazar*, teſtis eſt Author libri Juchaſin pag. 91.) poſt vitam in extrema paupertate transactam, quippe cui nec domus erat, nec veſtis, nec cibus, ac ne corporis quidem, ulceribus referti, proſpera valetudo, & oppetitam beatam mortem, ab Angelis translatus εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραὰμ, *in ſinum Abrahami*, in quo expertus eſt rerum vices juſtè commutatas. Cùm enim dives ille, quoad vixit, ſua bona receperit, Lazarus contra ſuis malis defunctus ſit in vita, nunc inverſis vicibus hic poſt afflictiones patienter toleratas refocillabatur in complexibus & ſinu Abrahæ, iſte verò poſt delicias, quibus ſe malè oblectaverat, meritò in flamma inferni diſcruciabatur. Non attinet hic diſputare

tare prolixè, quale genus ſit narrationis Chriſti, ἱστορικὸν ne, ſeu *hiſtoricum*, uti vocat Ambroſius, an παραβολικὸν ſeu *parabolicum*, uti appellant Eucherius, Chryſoſtomus, Theophylactus, alii. Mixtum fortè fuit ex utroque, ita ut quatuor primis verſibus hiſtoria, ſequentibus, ubi colloquium cum Abrahamo recenſetur, parabola contineatur. Sed ut reliqua omittam de *Sinu Abrahami*, quid eo ſignificaverit Spiritus S. inpræſentiarum quæritur. Nos paucis rem totam expediemus.

II. Qui *ſinum Abrahæ* locum eſſe corporeum dicat, adeóque ad corpus Abrahami referat, repertus eſt, niſi fallor, nemo. Neque enim eo tempore, quo Lazarus transportatus dicitur in ſinum Abrahæ, ſinus ejus corporeus extiterat, ſed unâ cum corpore ejus in pulverem terræ communi omnium hominum morientium lege redactus eſt. Rectè igitur Gregorius Nyſſenus lib. de anima & reſurrectione, negat fuiſſe locum corporeum. Ex veteribus nonnulli terrenum Paradiſum, in quo protoplaſti collocati olim ſunt, interpretantur. Quorum ſententia vel hoc uno argumento refellitur, quòd Paradiſus aquis diluvii ſubmerſus, vel ante diluvium ſubrutus, tempore Abrahami amplius in flore ſuo non extiterit. Qua de re à nobis actum eſt tomi prioris Exercit. XVIII. 31.

III. Pontificii plerique Sinum hunc collocant ἐν τοῖς καταχθονίοις *in locis ſubterraneis*, Limbo Patrum, quem fuiſſe ſupra purgatorium & infernum, ita tamen, ut non ambiverit circum circa infernum, ſed per medium ſemicirculi vel circuli imperfecti, ut os inferni relinqueretur liberum & apertum, Suarezius & alii nugantur. Sententiam hanc proponit Sixtus Senenſis, Biblioth. S. lib. V. Annot. 261. his verbis: *Scholares Theologi docent, ſinum Abrahæ & infernum eſſe idem ſitu, qualitate differre. Eodem etiam ſubterranei loci clauſtro uterque concluditur, ſic tamen ut in ſupremam & infimam regionem aliquo interſtitio diſtinguantur. Qualitas autem utriusque regionis ita diverſa eſt, ut illic olim fuerint piarum animarum refrigeria, hîc verò ſint perpetua impiorum ſupplicia. Illud verò* χάσμα *hoc eſt, ingens hiatus utrique regioni interjacens, veluti quadam impermeabili voragine horum & illorum commiſſionem prohibente, nihil prohibet, quin ſinus Abrahæ, & infernus eodem terrenæ concavitatis ambitu comprehendantur.* Thomas Aquinas quarto ſententiarum volumine diſt. 45. quæſt. 1. *Locus* inquit, *& ſtatus ſanctorum Patrum, quantum ad id quod habebat de bono, ſinus Abrahæ dicebatur: ſed quantum ad id, quod habebat de defectu, dicebatur infernus, quamvis quodammodo ſint unum.* Eandem ſententiam tribuit Hebræis Raymundus Martinus. Quo jure viderit ipſe. Verba ejus ſunt Pag. Fid. p. 111. diſt. 2. cap. 8. Quod nos vocamus *limbum inferni*, id eſt, locum requiei *ſinum Abrahami* &c. id vocabant

Digitized by Google

bant ipſi שאול vel צרור *ligatorium vel conſervatorium*, & אוצר *theſaurum vel apothecam*, *ſive infernum quendam ſuperiorem vel portas inferni.* Quæ verba ferè totidem, uti alia omnia ex Raymundo deſcripſit Galatinus de Arc. Cathol. ver. lib. VI. 9.

IV. Nos igitur, ut errori huic peſtifero, & in meritum Chriſti injurio nervos, quod ajunt, & poplites ſuccidamus, ante omnia demonſtrabimus, Sinum Abrahami eſſe locum æternæ beatitudinis, in quem admittuntur omnes Sancti, etiam poſt Chriſtum, præmiis ſuis fruituri. Etenim primò Abrahamus tempore Chriſti fuit in cœlo unâ cum omnibus ſanctis, non in limbo ſeu inferno ſuperiori. Teſtem habemus omni exceptione majorem Chriſtum Matth. VIII. 11. *Dico autem vobis, multos venturos ab Oriente & Occidente, & accubituros unâ cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo* ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν *in regno cœlorum*, non in limbo vel inferno. Non diſtinguit Chriſtus tempora, quibus Abrahamus, Iſacus & Jacobus in Regno cœlorum exiſtant, vel extituri ſint, ſed ſimpliciter accubituros cum ipſis fideles aſſerit, adeóque eos jam in Regno cœlorum exiſtere ſupponit. Id autem fruſtra vel certè captioſe aſſereret, ſi eo quo locutus eſt tempore in Regno cœlorum non extitiſſent. Hoc argumento rectè pugnat Beda in h.l. *Quid*, inquit, *Abrahæ ſinus, niſi ſecretam requiem ſignificat Patris? De qua veritas: Multi, inquit, venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſac, & Jacob in Regno cœlorum.* Secundò in ipſa narratione hiſtorico-parabolica Chriſti Sinus Abrahami opponitur τῷ ᾅδῃ *inferno* verſ. 23. Quomodo ei opponi poteſt, ſi ſinus Abrahæ eſt *infernus*, uti exponunt ipſi Pontificii, quibus ᾅδης eſt nomen commune tum inferni ſuperioris, hoc eſt, uti volunt ſinus Abrahami, tum inferioris, hoc eſt, loci damnatorum? Quòd ſi ſinus Abrahami eſt inferni pars aliqua, in qua limbum collocant, perperam dicitur Lazarus ἀπενεχθεὶς *aſportatus* in ſinum Abrahami, at dives fuiſſe in inferis. Uterque enim aſportatus fuerit εἰς ᾅδη, ille in ſuperiorem, hic in inferiorem ejus partem. Tertiò Sinus Abrahæ in bonam partem utique accipitur, infernus in malam ſemper. Non igitur ſinus Abrahæ eſt infernus, vel inferni pars aliqua, puta ſuperior. Argumentum hoc urget S. Auguſtinus Epiſt. 99. *Ne ipſos quidem inferos uſpiam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quòd ſi nuſquam in Divinis authoritatibus legitur: non utique ſinus ille Abrahæ, id eſt, ſecretæ cujusdam quietis habitatio, aliqua pars inferorum eſſe credenda eſt.* Quartò in ſinu Abrahæ Lazarus recepit bona. Quippe ſicut dives in flamma excruciatus eſt, ita Lazarus in ſinu Abrahæ παράκλησιν *conſolationem* accepit, verſ. 25. Manifeſtè alludunt ad verba Chriſti Matth. v. 4. Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθή-

κληθήσονται. *Beati ſunt lugentes, quia conſolationem accipient.* Ubi vitæ æternæ felicitatem denotari haud dubium eſt. At in limbo bona ſeu conſolationem reperire non potuerunt Patres, juxta adverſariorum hypotheſin. Illi enim patribus in limbo conſidentibus decreverunt pœnam damni, hoc eſt, viſionis Dei carentiam. Quum autem Lazarus in ſinu Abrahæ conſolationem acceperit, utique pœnam illam, ſeu carentiam viſionis Dei non ſuſtinuit. Quæ ratio efficax viſa eſt etiam S. Auguſtino, eadem epiſtola ita ſcribenti: *Satis, ut opinor, apparet non eſſe quandam partem, & quaſi membrum inferorum, tantæ illius felicitatis ſinum.* Quintò inter ſinum Abrahæ & infernum ponit Abrahamus μέγα χάσμα *immane interſtitium*, quale non eſt inter limbum fictitium & infernum. Argumentum hoc preſſius infrà urgebimus. Sextò Pontificii in hoc dogmate cum Marcionitis veteribus colludunt. De quo ita Tertullianus libro contra Marcionem cap. 34. *Marcion aliorſum cogit, ſcilicet ut utramque mercedem, tormenti & refrigerii apud inferos determinet, eis poſitam, qui Legi & Prophetis obedierint: Chriſti verò & Dei ſui cœleſtem definiat ſitum & portum, ex quo ſequantur Patriarcham.* Non movebo nunc argumenta communia, quibus omnes V. T. fideles Cœlo tranſcriptos, non in limbum detruſos firmiſſimè noſtri demonſtratum iverunt.

V. Concinunt inter Patres huic ſententiæ nec pauci, nec obſcuri ii vel contemnendi. Auguſtinum jam adduximus. Et Exercit. 111. 68. ejus ſententiam ab inſtantiis Burgenſis Epiſcopi vindicavimus. Apud Baſilium, oratione in quadraginta martyres, hi ipſi hunc in modum inducuntur ſe ipſos animantes ad conſtantiam: Δριμὺς ὁ χειμὼν, ἀλλὰ γλυκὺς ὁ παράδεισος. Ἀλγεινὴ ἡ πῆξις, ἀλλ' ἡδεῖα ἡ ἀπόλαυσις. Μικρὸν ἀναμείνωμεν, καὶ ὁ κόλπος ἡμᾶς θάλψει τοῦ πατριάρχου. *Dura hyemis, ſed dulcis Paradiſus. Doloris plenum gelu, ſed grata fruitio. Paululum exſpectemus, & ſinus nos refovebit Patriarchæ.* En veteribus Chriſtianis ſinus Abrahæ eſt locus ἀπολαύσεως *fruitionis*, Paradiſus. Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, inter cætera, quibus vitam æternam ſanctis deſtinatam denotari ait, εὐφροσύνην ἐπιτραπέζιον καὶ Πατριάρχου κόλπον, *hilaritatem menſæ, & Patriarchæ ſinum* ponit. Gregorius Nazianzenus Orat. 10. in laudem mortui fratris Cæſarii: Σὺ δὲ ἡμῖν οὐρανοὺς ἐμβατεύοις, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ καὶ ἐν κόλποις Ἀβραὰμ, οἵτινες δή ποτε εἰσιν, ἀναπαύσαιο, καὶ Ἀγγέλων ἐποπτεύοις χορείαν, καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε καὶ λαμπρότητας. *At tu divinum & ſacrum caput, utinam cœlos penetres, atque in Abrahæ ſinu, quicunque tandem ille eſt, conquieſcas, & Angelorum choream, ac beatorum virorum gloriam & ſplendorem ſpectes!* Chryſoſtomus in Geneſin homilia 40. Πάντες οἱ δίκαιοι ἐξ ἐκείνου μέχρι νῦν καὶ μέχρι τῆς συντελείας αὐτῆς,

Digitized by Google

εὐχῆς ἔργον ποιοῦντας εἰς τοὺς κόλπους τοῦ Πατριάρχου καταντῆσαι: *Omnes juſti ab illo tempore uſque nunc, & usque ad conſummationem temporum, id maximè in votis habent, ut ad ſinum Patriarchæ perveniant.* Clariùs in Matth. homil. 27. Κόλπους Ἀβραὰμ ἀντὶ τῆς βασιλείας εἶπεν. *Cœleſte regnum pro ſinu Abrahami appellavit.* In 2. Cor. homil. 13. Lazarum dicit ingreſſum εἰς τὴν βασιλείαν *in regnum Cœlorum*, & ſuaviſſimè requieviſſe ἐν κόλποις τοῦ Ἀβραὰμ *in ſinu Abrahami.* Cyrillus Paſchalium undecima Lazarum fuiſſe dicit ἐν ἀδοκήτοις τρυφαῖς *in deliciis inexſpectatis.* Aretas in 6. Apoc. de Sanctis cœlitibus: Εἰκότως εὐφραίνονται τοῖς κόλποις Ἀβραὰμ ἀναπαυόμενοι: *Meritò gaudent in ſinu Abrahæ quieſcentes.* Ambroſius in Oratione de obitu Valentiniani: *Sinus Patriarcharum receſſus quidam eſt quietis æternæ.* Si æternæ, non igitur ſub terra. Ibi enim non eſt quies æterna. Euthymius in Matth. 8. *Sinum Abrahæ dixit tanquam requiem ac fruitionem juſtorum.* Et paulò poſt: *Quia credebant Abraham in bonis ineffabilibus degere, pro regno Cœlorum ſinum Abrahæ poſuit, tanquam rem notam.* Nihil dicam de Dionyſio Areopagita, quem quanti faciant adverſarii, in vulgus notum eſt. Is Hierarchiæ Eccl. cap. 2. ita ſinum Abrahami definit: Κόλποι δέ εἰσιν ὡς οἶμαι, τῶν μακαρίων Πατριαρχῶν καὶ τῶν λοιπῶν ἁγίων ἁπάντων αἱ θειοτάται καὶ μακαριόται λήξεις, αἱ τοὺς θεοειδεῖς ὑποδεχόμεναι πάντας, εἰς τὴν ἐν αὐταῖς ἀγήρω καὶ μακαριωτάτην τελείωσιν. *Sinus enim, opinor, beatorum Patriarcharum, reliquorumque Sanctorum omnium, ſunt diviniſſimæ Sanctiſſimaque quietes, quæ divinos excipiunt omnes in eam, quam habent ſenii expertem, beatiſſimamque conſummationem.* Tertullianus quidem ſinum Abrahæ de cœleſti regione non accipit, ſecutus vulgarem errorem eorum, ex vetuſtiſſimis Chriſtianis, qui piorum ſanctorumque omnium animas extra cœlum uſque ad carnis reſurrectionem degere putarunt, de quo errore vide Cl. Dallæum, adverſus Latinorum Traditionem de Religioſi cultus objecto, lib. III. cap. 22. Nihilominus limbum non facit ſubterraneum. Is enim lib. de An. cap. 55. ſinum Abrahæ intelligit *regionem etſi non cœleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.*

VI. Teſtimoniis hiſce Patrum elidendis oppoſuerunt σοφὸν φάρμακον adverſarii. Maldonatus enim, Janſenius, alii pertendunt, Patres ſinum Abrahæ in cœlo locantes loqui de ſuo tempore, quo Abrahamus jam pridem à Chriſto victore limbi in cœlum translatus fuerit. Quaſi videlicet Limbis devictis, ſicut olim Carthaginenſibus Romani, urbem abſtulerit, civitatem reliquerit. Sed verò, ſi Abrahæ ſinus primò limbum denotavit, quare Abrahæ ſinus nomen retentum, non etiam Limbi, ſicut olim Carthaginis?

thaginis ? Ante ingreſſum Abrahami in Regnum Cœlorum ipſis ſinus Abrahæ definitus erat *locus quietis extra cœlum.* At poſt ingreſſum mutant eam definitionem, ut jam ſinus Abrahæ ſit *locus quietis in ipſo cælo.* Nempe etiam hîc, ut in Moralibus, mutandarum definitionum ſunt artifices periti ſſimi. Patres verò quod attinet, illi ſinum Abrahæ ſic conceperunt animo, non pro diverſitate temporum, ſed pro rei natura. Nam ipſum Lazarum, ſtatim poſt mortem collocant in cœlo, non loco ſubterraneo.

VII. Cæterùm Maldonatus non diſſimulat, Scholaſticorum illam de ſinu Abrahami expoſitionem eſſe recentem. *Probabiliſſimum*, inquit, *quod poſteriorum Theologorum obtinuit opinio, fuiſſe ſub terra.* Quin & Janſenius appellat *ſententiam jam receptam*, id eſt, non olim & primùm, ſed tandem & poſtremò excogitatam, & in orcheſtram productam. Quid quòd Eccleſia Pontificia hodiéque accinit Martino: *Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, Cælum dives ingreditur; hymnis cæleſtibus adoratur.* Et pro defunctis eadem orat Deum, ut eos transferat in ſinum Abrahæ, ac det illis requiem ſempiternam, *quam olim* inquit, *Abrahæ promiſiſti & ſemini ejus.* Suffragatur nobis etiam Sadoletus libri tertii epiſtola quintâ: *Tertium cælum eſt Deo & beatis illis mentibus attributum. Sed non tam locum, quàm rem notare voluit Paulus. Summum enim profectò cælum illud eſt, ex quo hauſta illi fuit divina ſapientia. Quod item de ſinu Abrahæ, in quo recumbebat Lazarus intelligendum eſt. Nusquam enim ibi locus, ſed res tantùm eſt deſcripta: cùm is qui jacebat in miſeriis, Lazarum vidit in beatitudine recumbentem. Aut ſi in eo locus quærendus eſt, ſinus Abrahæ regnum Cælorum eſt.*

VIII. Sed obducunt nobis Bellarminus Fevardentius, aliique amborum, tum Lazari, tum divitis animas fuiſſe in eadem voragine. Id quod duobus argumentis comprobare ſatagunt. Prius petitum eſt ex verbis Abrahami: Μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται: *Inter nos & vos magnus hiatus conſtitutus eſt*, verſ. 26. Poſterius ex eo, quòd utrinque videri, & lamentationes precéſque & ad eas reſponſum Abrahami percipi potuerint. Verùm prius argumentum quod attinet, nihil eo magis frivolum & delirum excogitari potuit. Etenim ſi μέγα χάσμα *magnus hiatus* interceſſit inter infernum & ſinum Abrahæ, potiùs manifeſtè ſequitur, eadem in voragine utrumque non fuiſſe. Sed exponamus paucis verba Abrahami ſuperiùs poſita. Χάσμα μέγα Vulgatus interpretatur *chaos magnum.* Id reprehendit Eraſmus, χάσμα enim eſſe *hiatum terræ*, qualis ſolet exiſtere nonnunquam in motu terræ, quem Ariſtoteles propterea χασμάτιον appellat lib. de mundo, ut χάος notare *confuſionem.* Et χάσμα quidem deſcendere à χάινω *hio*, at χάος à χέω *fundo.* Eodem modo Budæus Annot. in Pand.

Digitized by Google

p. 608. nec non Zogerus ad h. l. Sed pace virorum doctorum dixerim, non ita res habet. *Χάσμα* enim & *χάος* eandem habent originem, nimirum *χαίνω hiſco.* Ita diſertè Feſtus *Chaos* dicit *Heſiodum appellare confuſam quandam ab initio unitatem, hiantem, patentemque in profundum*; & mox adjicit etymon *χαίνω. Cavum* etiam à *chao* & ex *inanitate* dictum ait. Hinc *chaos* veteribus notat aërem. Euripides Cadmo: *Οὐρανὸς ὑπὲρ ἡμᾶς κενὸς, φώτων ἕδος δαιμόνιον. Τὸ δ' ἐν μέσῳ οὐρανοῦ καὶ χθονὸς οἱ μὲν ὀνομάζουσι χάος.* Loca ſimilia ex Ariſtophane & Theocrito citata vide apud Scaligerum Conject. in Varr. p. m. 86. Idem in Catalect. Virg. p. 97. ad verba illa Com. Severi, *chaos ac ſine fine ruinæ* annotat: *Χάος vocat τὸ χάσμα.* Hinc etiam montis fiſſi hiatus *χάος* vocatur in Græco Zach. XIV. 4. Sed & Ariſtoteles Acroamatum 4. *χάος* apud Heſiodum locum interpretatur, nimirum non à *χάειν*, ut alii, ſed à *χαίνειν*, unde & *χάσμα* eam vocem derivans. Quam ejus interpretationem & Philo recitat *περὶ ἀφθαρσίας κόσμου*, & probat vetus Scriptor Chriſtianus *Adverſus Ariſtotelis dogmata*, qui ſub Juſtini nomine legitur. Hoc igitur loco *χάσμα* ſignificat ſicut & *χάος* vaſtum aëris intervallum, uti rectè doctiſſimus Pricæus obſervat. Unde etiam *ἀεροδὲν μέγα* exponitur à Suida. Et pro *χάσμα* Syrus habet הותא רבתא Arabs הות quod per methatheſin eſt ipſum תהו quo in hiſtoria mundi utitur Moſes. Notat autem תהו *κενὸν* juxta Theodotionem, vel *κένωμα* juxta Aquilam. Eſt igitur *μέγα χάσμα* vaſtus hiatus, immenſa & ſtupenda vacuitas, immane interſtitium, quale eſt, quod inter Cœlum & infernum intercedit. Euripides vocat *ἄβυσσα χάσματα.* Ita 2. Sam. XVIII. 17. pro הפחת גדול Græci habent *χάσμα μέγα*, ſeu *ὄρυγμα cavitas magna.* Claudianus Mamertus de ſtatu animæ lib. III. *Inter ſalvatos & perditos intransmeabile dicitur chaos, ſtatus indemutabilis.* Photius epiſt. 52. *Μέγα χάσμα ἐστήρικται μεταξὺ γεέννης καὶ βασιλείας*: *Magnum interſtitium intercedit gehennam inter & Regnum.* Alcimus Avitus Græcam vocem *χάσματος* ſervavit: *Tunc cùm ſincerus paſtor diſcrevit agnos, hædis diſparibus diverſa in parte locatis, chaſmate diviſa medio.* Origenes Dialogo cum Marcionianis, Marcionitam ex eo, quòd Abrahamus inducitur colloqui cum divite in inferno concludentem, quòd Abrahamus ipſe apud inferos eſſet, ita confutat: *Colloquium commune audiſti, chaos autem magnum, quod dicebatur non audiſti? Quod enim interjectum inter cœlum & terram, chaos appellat.* Rectè igitur etiam Daniel Heinſius Exercit. ad h. l. comparat *χάσμα μέγα* cum תהום רבא *abyſſo profunda*, cujus mentio eſt in hiſtoria creationis. Talis nempe profunda abyſſus intercedit Cœlum inter beatorum & infernum. Quòd verò ad verbum ſequens *ἐστήρικται*, vult Pricæus, nihil aliud eo ſignificari quàm *ἐστι, κεῖται*, vel *ſtat*, ut in illo Flacci:

Stat

Digitized by Google

Stat chaos denſum, tenebræque turpes.

Et in altero illo Virgilii Æneid. 6.

Stat ferrea turris ad auras.

Doctiſſimus Beza mavult illud στηρίζειν conferre cum Hebræorum כון *conſtituere & collocare:* Unde מכון *ſedem firmam ac ſtabilem* notat. Sed probabilius mihi eſt ejuſdem conjectura, uſum eſſe Dominum voce רקע expandere, extendere, extenuare, quomodo bracteæ auri, aliorumque metallorum extenuari, expandi, deduci ſolent. Ita רקיע Græci reddiderunt *στερέωμα firmamentum*, à στερεῖν, quod à στηρίζειν parum admodum abludit. Adeóque tota illa cavitas cœlum inter & terram rectè vocatur רקיע *expanſum* ſeu *firmamentum*. Quamvis enim materia interjecta ſolida non ſit, ſed fluida, eſt tamen firma & hactenus ſolida, quatenus omninò nihil inane, hoc eſt, expers corporis interjacet. Rectè igitur ἐστήρικται Vulgatus & Eraſmus tranſtulerunt: *Firmatum eſt*. Atque hinc jam manifeſtum eſt, Chriſtum alluſiſſe ad illud expanſum & immenſum chaos, quod cœlum inter & infernum interjacet, non quòd in eadem voragine, uti fingunt adverſarii, poſitum eſt inter fictitium limbum & infernum, ſeu uti vocant, infernum ſuperiorem & inferiorem. Et quæſo quis hactenus audivit, in eadem voragine eſſe eos, quos inter eſt *μέγα χάσμα, magna vorago?* Maldonatus abſurditatem aſſertionis diſſimulare non potuit hiſce verbis: *Quin valde ſuſpicor ſummum hic cœlum deſignari: inter quod & infernum damnatorum locum, ubi dives erat, magnus utique erat hiatus totum ſcilicet ſpatium aëris, quod, quaſi hiatus quidam, vacuum & impenetrabile videtur eſſe.* Ne verò cauſam prodidiſſe videatur, ſubjicit: *Non quòd Abraham in cœlo eſſet, ſed quòd ita loqui fingatur, quaſi eſſet in cœlo.* Ego verò malo credere, finxiſſe Jeſuitam, quàm Dominum. Ille enim ejuſque contribules, quoties fingunt, ſolemnia faciunt. At hic eſt ἀψευδής. Quid quòd plerique Patres chaſma illud interpretantur, non ad literam, ut locorum intervallum deſignetur, ſed potiùs allegoricè, ut indigitetur divina ordinatio, à qua ſit firmitas conditionis. Quod ſanè vero eſt ſimilimum. Nullum enim quantumvis immenſum chaos animarum commeatui obſtare poterat. Itaque Maldonatus ipſe eam expoſitionem probabilem ducit: *Plerique*, inquit, *non loci intervallum, ſed conditionis immutabilem firmitatem ſignificari putant. Ita Ambroſius, Auguſtinus, Beda, Theophylactus, Euthymius. Probabilis opinio. Nam, ſiquidem de loci diſtantia ageretur, nullus tam procul locus eſt, ex quo non poſſet anima, præſertim quæ ſpiritus eſt, ad locum ubi dives erat, permeare.* Jam ſtabilitas conditionis, omnibus conſentientibus, in cœlis eſt, non in inferno. Itaque hujuſmodi χάσμα non poteſt unum eundémque locum concludere.

IX. Quòd verò Abrahamus & dives in inferno mutuò videri, audirique potuerunt, nec illud arguit, apud inferos, eadémque voragine concluſum fuiſſe utrumque, uti argutatur Fevardentius. Facilis quippe reſponſio eſt, quòd colloquium illud cum Abrahamo ſit parabola hiſtoriæ adjuncta, in qua ſtatus alterius vitæ depingitur figuris expreſſis ad exemplum vitæ mortalis. Hoc ipſe agnovit Maldonatus, cujus verba ſunt: *Quòd oculos dives ille levaverit, quòd cum Abraham locutus fuerit, quòd guttam aquæ, quâ linguam ſuam refrigeraret, poſtulaverit, parabola eſt ſumpta non ex iis, quæ modò fiunt, ſed ex iis, quæ poſt reſurrectionem fiunt, & ad noſtrum captum accommodata.* Eidem argumento paulò aliter reſpondet Origenes contra Marcionianos: *Corporei oculi illa ſolùm, quæ in proximo ſunt, ſolent cernere. Animi autem oculi procul aciem ſuam intendunt. Atque perſpicuum eſt, eos, qui corpore hinc disjuncti ſunt, ſe inter ſe animi oculis videre. Attende enim quomodo dicant Evangelium: Elevans oculos ſuos in Cælum, quòd naturæ vi poſſit tollere non in terram.*

X. Satis igitur probatum dedimus, *Sinum Abrahæ*, non alibi, quàm in cælo, beatitudinis domicilio collocandum eſſe. Porro cœlum vocari κόλπον ſeu *ſinum*, quomodo maris, ſeu terræ *ſinum* dicimus, veteribus nonnullis viſum eſt. Ita Gregorius Nyſſenus libello de anima & reſurrectione, à marino ſinu dici hunc ſinum voluit, in quem beatorum animæ non ſecus ac in portum deferantur. Sed & Theophylactus in h. l. ſinum vocari cenſet *continentiam bonorum, quæ repoſita ſunt juſtis, qui à tempeſtate hujus maris ingrediuntur in portus cæleſtes; quoniam & in mari ſinus appellamus loca portubus & quieti apta.* Sed metaphoram eam ſubtiliorem, & minùs appoſitam cenſemus.

XI. Nos igitur nulli dubitamus, quin *Sinus Abrahæ* notet locum in Cœlo honoratiſſimum & eminentiſſimum. Hoc ut appareat manifeſtiùs, meminerimus ante omnia, cœleſtem beatitudinem frequenter typo convivii adumbrari. Solent enim paſſim τὰ νοητὰ deſcribi imaginibus τῶν αἰσθητῶν. Ita Matth. VIII. 11. *Dico autem vobis, quòd venturi ſint multi ab Oriente & Occidente, & accubituri cum Abrahamo, Iſaco, & Jacobo in Regno Cælorum.* Et Apoſtolis promittitur Luc. XXII. 30. à Chriſto, fore, ut edant & bibant in menſa ſua, in Regno ſuo. Stoici ſapientem ſuum dicunt μετὰ Θεῶν ἑστιᾶσθαι *cum Diis convivari.* Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis, inter cætera nonnulla, quibus vitam ſanctis deſtinatam ait, εὐφροσύνην τραπέζιον καὶ Πατριάρχου κόλπον, *hilaritatem menſæ, & Patriarchæ ſinum* ponit. Et in cœlo pias mentes ἀπορρήτως καρυκευμάτων μεταχόντας καὶ ἀκηράτων πνευματικῶν σπονδῶν διάγειν aſſerit Chryſoſtomus. Qui quidem mos à vetu-

vetuſtiſſima ætate deductus, Poëtis, Thalmudiſtis & Muhameti uberrimam fabulandi materiam præbuit. De Poëtis notum, qui de cœlitum voluptatibus, eorundémque cibo & potu, nectare & ambroſia multa paſſim nugantur. Thalmudici verò tradunt, animas in cœleſti convivio diſcubituras eſſe ad lautiſſimum convivium, cujus apparatum conſtare volunt dapibus tam portentoſis, ut vix ullius allegoriæ prætextu ſatis emolliri poſſint. Ea de re conſuli poſſunt Magiſtri in Bava Bathra cap. v. pag. 74. Huc referunt illud Prophetæ Eſaiæ cap. xxv. 6. *Præbebit Dominus exercituum omnibus populis hoc ipſo in monte* משתה שמנים משתה שמרים שמנים ממחים שמרים מזקקים *convivium pinguium, convivium defæcatorum pinguium & medullatorum, & defæcatorum purgatorum.* Cujus quidem fore principem ipſum Abrahamum credunt. Muhammedis ejusque aſſeclarum de cœlitum ferculis & conviviis lautiſſimis ſententias ex Alcorano & Scriptoribus Arabicis refert ille Arabizantium phœnix, Eduardus Pocokius Not. Miſcell. capite ſeptimo. Ita cœleſtis beatitudo in ſacris adumbratur *nomine Paradiſi*, in ſcriptis Rabbinicis גן עדן *horti Eden*, apud profanos *Eliſiorum camporum*, aliisque nominibus, de quibus fuſè agit doctiſſimus Windetus *de vita functorum ſtatu.* pag. 49. 50. &c.

XII. Jam & quæ fuerit apud veteres in conviviis diſcumbendi ratio, pandemus paucis, ut metaphora clariùs pateat. Solebant nempe veteres non Græci tantùm, Romani, aliique, ſed etiam Hebræi in conviviis ſuis non tam *καθίζεσθαι ſedere*, quàm accumbere. Qui quidem corporis ſitus à Chaldæis verbo סמך ab Hebræis verò verbo סבב exprimitur: illo quidem, quod cubito ſuſtentari ſolerent: hoc verò, quòd accumberent in circulum. Ita 1. Sam. xvi. 11. לא נסב *non accumbemus*. Et סבב Cant. 1. v. 2. notat accubitum. Confer Pſal. cxl. 10. Græci vocant *ἀναπίπτειν, ἀναπεσεῖν, ἀνακεῖσθαι*. Jarchius in Tract. Thalm. Sucah fol. 2. veterum convivia fieri ſolita ait במסבה *cum decubitu*, decumbentibus nimirum iis in lectis ſuper latus ſiniſtrum. In cœnaculo ponebatur menſa, & circa illam lecti triclinares, quos Hebræi vocant המטות ut 2. Reg. iv. 10. Græci *κλίνας, ἀνακλιντήρια, ἀνάκλιντρα, ϛιβάδας* & *ϛιβάδια* vocant. De quibus vide Pollucem lib. vi. cap. 1. Cœlium Rhodig. lib xxvii. 25. Tribus porro in lectis cœnare ſolebant veteres, unde triclinii nomen. Singulis in lectis accumbebant terni, aut ad extremum quaterni apud lautiores. Si plures accumberent, ſordidum id habebatur. Unde Cicero in Piſonem de Græcis ait, nihil apud eos lautum, nihil elegans, eò quòd quini, imò ſæpe plures ſtipentur in lectulis. Apud Macrobium in cœnæ Pontificiæ deſcriptione, in duobus tricliniis decem modo convivæ nominantur, ut appareat, in magni-

Digitized by Google

magnifico convivio vix binos lectum unum tenuiſſe. Accumbebant autem reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum porrecta, ac jacentes capite leviter erecto, dorſo à pulvillis modicè ſuffulto. Et ex lectis ipſis, qui ad ſiniſtrum erat, dicebatur *ſummus*, qui ad dextrum, *imus*, qui inter utrumque, *medius*. Et qui ordo lectorum, idem etiam erat in lectis accubantium. Summus quippe locus in unoquoque lecto, qui nullum ſupra ſe habebat; imus verò, quem infra medium accumbens occupabat: Medius enim infra primum & ſummum, ut imus infra medium. Cæterùm de loco in convivio honoratiore non idem gentium omnium ſenſus fuit. Apud Perſas medius locus erat honoratiſſimus. In eo quippe Rex ipſe accumbere ſolitus. Apud Græcos verò primum locum fuiſſe honoratiſſimum tradit Plutarchus. Primus locus in ſummo ac primo lecto ſummus. Idem refert apud Heracleotas Ponticos medii lecti primum, id eſt ſummum locum, qui nempe ad ſiniſtrum, honeſtiſſimum exiſtimatum eſſe. Romanis verò præcipuus locus erat medii lecti ultimus, is nempe, qui infra medium ad dextram lecti triclinaris. Is enim locus dabatur convivarum honeſtiſſimo & digniſſimo. Unde etiam *conſularis* conſuevit dici. Porro ex tribus lectis duo, medius & ſummus cedebant convivis. Dominus convivii cum uxore & liberis lectum imum occupârunt. Suetonius in Auguſto cap. 64. *Neque cænarit niſi in imo lecto aſſideret.* Sic fiebat ut Dominus in primo loco accumbens tertii lecti, & honeſtiſſimus convivarin ultimo medii ſeſe prorſus contingerent. Aliud tamen erat, cùm ſtibadio accumbebant, hoc eſt toro continuo ac ſemirotundo, quod in ſigmatis literæ figuram factum erat. Id enim pro numero accumbentium, quos caperet Hexaclinon, Heptaclinon vocabant. Quorum mentio eſt apud Martialem in Apoph.

Accipe lunatum ſcriptum teſtudine ſigma
Octo capit veniat quisquis amicus erit.

Quibus verbis deſcribit ϛιβάδιον ἑπτάκλινον. In his cùm una ſerie diſcumberent, is primum locum tenere cenſebatur, qui omnium ſummus erat, hoc eſt in ſiniſtro cornu ſtibadii primus accumbebat, ultimus qui infra cæteros, hoc eſt poſtremus in dextro cornu. Cæterùm apud Romanos uxores vel amaſiæ ſemper in ſinu mariti vel amici, hoc eſt, infra ipſum diſcumbere ſolitæ erant. Nec enim aliter fieri potuit ex ratione diſcumbendi, quâ in ſiniſtrum latus jacuere. Hinc Juvenalis: *Et gremio jacuit nova nupta mariti.* Plinius: *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento recumbebat propius, atque etiam in ſinu.* Nempe infra Cæſarem. Hunc etiam locum Chriſtus diſcipulo ſuo Johanni, quem maximè diligebat, dabat Joh. XIII. 23. ubi dicitur ἀνακείμενος

μενος εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, *recubuiſſe quidam ex diſcipulis Jeſu, quem ipſe diligebat in ſinu ejus.* Unde à Patribus ἐπιστήθιος & ἐγκόλπιος vocatur. Sic Filius Dei fuiſſe dicitur εἰς κόλπον τοῦ πατρὸς *in ſinu Dei Patris.* Joh. 1. 18. quia nimirum Patri eſt intimus, & non amoris modo, ſed ipſius etiam eſſentiæ identitate unitiſsimus. Qui plura de conviviis veterum & in iis accumbendi ratione deſiderat, conſulet viros de Republica literaria meritiſsimos Guil. Stuckium Antiquit. Conviv. lib. II. cap. 34. 38. Juſtum Lipſium Antiq. Rom. lib. 3. 96.

XIII. Ex his perſpicuum, niſi fallor, eſt, qua translatione & circumlocutione Chriſtus uſus fuerit ad ſignificandum Lazari conditionem beatiſsimam. Sicut enim in humano convivio is, qui occupabat ſinum magni alicujus & honoratiſsimi convivæ, magnus & ipſe ac beatus habebatur meritò: Ita in cœleſti epulo Lazarus accumbens ἐν κόλπῳ *in ſinu* Abrahami fidelium Patris & ἐθνοπάτορος cui facta promiſsio, quòd in ipſo, hoc eſt, ipſius ſemine benedicendæ ſint omnes gentes, qui proinde facile principem cœleſti in epulo locum tuetur poſt dominum ipſum convivii, meritò beatiſsimus & feliciſsimus haberi debuit. Ac proinde *ſinus Abrahami* non quemvis in cœleſti convivio locum, ſed inſignem quendam atque eminentiorem denotat. Ea loquendi ratio videtur Hebræis jam tempore Chriſti recepta fuiſſe. In codice קדושין fol. 72. pag. 2. primis verbis ita habetur: היום יושב בחיקו של אברהם *hodie diſcumbit in ſinu Abrahæ.* Ubi gloſſa ait י״א נח היום *Sunt qui dicunt: Hodie mortuus eſt.* Ibidem alii ita exponunt: יושב בחיקו של אברהם אבינו שנכנס לברית מילה *Sedet in ſinu Abrahæ patris noſtri,* eò quòd *aggregatus ſit fœderi circumciſionis.* Sed neutri ſanè rem acu tetigére. Quid enim impediat, quò minùs antiquo loquendi more jam Chriſti tempore recepto intellexerint Magiſtri beatam requiem in cœlo illius Rab Ada, de quo in præcedentibus actum. Niſi forte magis arridet conjectura doctiſsimi Cameronis, qui putat Chriſtum hac Regni cœlorum periphraſi tacitè perſtrinxiſſe Phariſæos, qui teſte Joſepho, ea fuerunt in hæreſi, ut crederent, animam vita in corpore functam vocari in jus, atque in locis ſubterraneis, vel requie & honore frui, vel æternis pœnis, pro eo atque vixit in corpore, affici. Hoc dogma ſive errorem potiùs hîc obliquè à Chriſto refutari cenſet, cùm animam Lazari ait translatum fuiſſe ab Angelis in ſinum Abrahæ. Nam Angeli certè è cœlo in terram, & viciſsim è terra in cœlum aſcendunt: at ad inferos non leguntur commeâſſe.

Digitized by Google

EXERCITATIO XI.

DE

ISACO.

Breviarium.

Iſaci nomen à riſu. Abrahami & Saræ riſus diſſimilis. Kabaliſtarum in nomine Iſaci luſus. 1. *Conceptio & nativitas Iſaci miraculoſa.* 2. *Parentum erga Iſacum ſtudia. Ejus circumciſio & lactatio. Cur in tanta ſenectute ipſa Sara lactaverit filium?* 3. *Ablactatio Iſaci & convivium à parentibus apparatum. Auguſtini & Ambroſii de eo convivio ſententiæ. Judæorum cacozelia. Eorundem de tempore & hoſpitibus convivii illius aſſertio perſtringitur.* 4. *Iſaci adhuc pueri afflictiones.* 5. *Ejusdem conjugium. Eliezeris pronubi in Meſopotamiam ablegati negotiatio exponitur. Ejus apud fontem aquæ prope civitatem Nachor fuſæ preces. An ritè à Deo petierit omen? Quatuor cauſæ quæſiti à Deo ominis.* 6. *Rebeccæ occurſus apud eum fontem. Cur illa vocetur* בתולה ואיש לא ידעה *virgo, quæ virum non cognovit? Rebeccæ mores.* 7. *Servus impletum omen obſervans adhuc hæſitat. Dona virgini oblata.* נזם. *LXX Interpretum error notatus, à Bonfrerio nequicquam defenſus.* נזם *monile narium notat.* בקע משקלו *Interpretum* παρερμηνεία. בקע *idem quod* חצי. 8. *An rectè fecerit Eliezer pretioſa ornamenta offerens, vel Rebecca eadem admittens.* 9. *An Bethuel pater Rebeccæ, cùm ea ambiretur, in vivis fuerit? Conſenſus Labanis & Bethuelis in matrimonium Rebeccæ. Munera denuò offeruntur ſponſæ. Rebeccæ dimiſſio & benedictio. Quænam fuerit* מנקתה? *LXX. Interpretum error.* 10. *Iſaci egreſſus* לשוח? Ἀδολεσχεῖν *in ſacris meliorem in partem capitur. Chaldæi paraphraſtæ, Interpretis Syri, Jarchii, Abenezræ interpretationes verbi* שוח. *Fevardentius ex Iſaci meditatione colligens*

Digitized by Google

ligens ſuffragia pro defunctis pulſatur. 11. *Rebecca conſpecta Iſaco obnubitur.* צניף. *Nuptiæ unde dictæ? Tertulliani de velandis virginibus ſententia examinatur.* 12. *Rebecca excipitur, & in tentorium Saræ introducitur. Conjugii Iſacum inter & Rebeccam ratihabitio & conſummatio. Ætas Rebeccæ Iſaco nubentis. Rabbinorum de ea traditiones. Quo ſenſu Iſacus ducta Rebecca conſolationem acceperit à morte Saræ? An per tres annos aſſiduè luxerit Saram?* 13. *Iſaci luctus ob mortem Abrahami. Ejusdem divina benedictio.* 14. *Rebeccæ ſterilitas. Cur Deus Iſaco, reliquisque Patriarchis junxerit uxores ſteriles?* 15. *Iſaci & Rebeccæ temperantia. An pietate præſtiterit Abrahamo, qui ob ſterilitatem Saræ concubinam admiſit?* 16. *Iſaci preces pro fœcunditate uxoris impetranda* עתר. *Quomodo oraverit* לנכח אשתו*? An preces Iſaci arguant ejus diffidentiam erga promiſſionem divinam? Quo ſenſu precibus ſanctorum juvetur prædeſtinatio.* 17. *Precum Iſaci efficacia. Jarchii ratio, cur Deus Iſaci potiùs quàm Rebeccæ preces exaudiviſſe dicatur, improbata.* 18. *Fœtus Rebeccæ in utero ejus colliduntur. Quid* התרצץ*? Fueritne motus ille embryonum naturalis? Luctæ fratrum in utero materno exempla ſimilia, ex Euſtathio, Lycophronte, Appollodoro narrantur. Johannis Baptiſtæ in utero matris ſubſultatio qualis?* 19. *Rebeccæ luctam filiorum ſentientis querela. An impatientiam ejus arguat? Quo pacto conſuluerit Jehovam? An aram Iſaci mariti, vel alterius Patriarchæ adiverit? Paraphraſtæ Hieroſolymitani, Abenezræ, Maimonidis de eo ſententiæ. Auguſtini prudentia & modeſtia. Comeſtoris & Boulduci opinio, quòd Rebecca dormiens ſuper ramuſculos arborum Deum conſuluerit, rejecti. Quid* שעפים *Job.* IV. 13? 20. *Oraculum Dei reſpondentis Rebeccæ. Eventus Oraculi. An Edom Romanum Imperium deſignet?* 21. *Iſacus, fame oborta jubetur manere in terra Canaan, addita promiſſione benedictionis. An benedictio Iſaci fluxerit ex meritis Abrahami? Quo ſenſu Auguſtino Abrahami merita dicantur potiora, quàm Iſaci? Mereri apud Latinos aliquando notat conſequi. Judæorum de Abrahamo ceremonias à Moſe præſcriptas anticipante ſententiâ refutatur.*

Digitized by Google

tur. חקות *notat quælibet Dei præcepta.* 22. *Iſacus pergit ad Abimelechum in Gerar. Fueritne Abimelechus ille ipſe, quo cum egerat Abrahamus? Iſacus diſſimulat Rebeccam uxorem eſſe. Luſus ejus cum Rebecca ab Abimelecho obſervatus qualis? Hebræorum, Cajetani, Lyrani expoſitio retunditur.* 23. *Incrementa Iſaci in terra Canaan. Quid* שערים*? Philiſtæorum erga Iſacum invidia. Ejus ſeceſſus* בנחל גרר *ad vallem ſeu torrentem Gerar. Quid* באר חיים*? Multiplex Philiſtæorum cum Iſaco contentio ob puteos obſtructos. Nomina puteorum* שטנה, רחבות, עשק*. Iſaci habitatio in Beerſcheba.* 25. *Abimelechi, Ochozathi & Phicol fædus cum Iſaco initum. Sitne nomen* אחזת *nomen proprium an appellativum? Loco fæderis initi imponitur nomen* שבע*. Vulgati & Syri* παρερμηνεία *ejus vocis. Quomodo civitati Beerſcheba impoſitum dicatur illud nomen ab Iſaco, quod antehac ei impoſuerat Abrahamus?* 26. *Iſaci ſenectus. Caligo oculorum ejus qualis? Teſtamentum ejus, ſeu benedictio filiorum.* 27. *Jacobi cum Iſaco cohabitatio in civitate Hebron. Iſaci mors & ſepultura.* 28.

I. ISACO nomen inditum eſt à riſu utriusque parentis, & Abrahami & Saræ, ipſo Angelo Domini illud ante nativitatem ejus definiente Geneſ. XVII. 19. *Riſerat*, inquit Auguſtinus de Civit. D. XVI. 31. *& pater, quando ei promiſſus eſt, admirans in gaudio. Riſerat & mater, quando per illos tres viros iterum promiſſus eſt, dubitans in gaudio: quamvis exprobrante Angelo, quod riſus ille etiamſi gaudii fuit, tamen plenæ fidei non fuit. Poſt ab eodem Angelo in fide etiam confirmata eſt.* Quibus paucis verbis ratio redditur, cur Sara ridens ab Angelo reprehenſa fuerit, non itidem ridens Abrahamus. Aliam ὀνομοθεσίας hujus rationem reddunt Kabaliſtæ, pro more ſuo ludentes in nominibus. R. Eliezer *Pirke* cap. 32. *Cur autem nomen ejus vocatur* יצחק *Iſaac? Jod* י *notat decem tentationes, quibus tentatus eſt pater noſter Abraham.* צ *nonaginta annos, quia mater noſtra Sara erat nonagenaria.* ח *octavum diem, quo circumciſus eſt.* ק *centum annos, quos habebat Pater noſter Abraham, juxta illud: Et Abraham erat filius centum annorum.*

II. Nativitas Iſaci æquè ac conceptio miraculoſa fuit. Natus enim eſt ex Patre ſene, cui corpus jam emortuum & rupi ſimile erat: & matre non ſolùm ſterili, ſed etiam effœta & ſimili ciſternæ, Eſai. LI. 1. 2. Rom. IV. v. 19.

v. 19. Hebr. xi. 11,12. Cujus rei cauſam ſcitè reddit Gregorius Nyſſenus his verbis: *Adhibenda prius erant tormenta, expreſſura conſtantiam Abrahæ erga Deum, nempe diuturna dilatio eorum, quæ ſperabantur. Abierat longum tempus, naturæque accidit, quod eſt ipſius proprium. Ætas Abrahami ad ſenectutem inclinabatur, & ſpes adhuc differebatur. Corpus Saræ in ſenectute curvabatur: ſpes tamen in Deum non ſeneſcebat, ſed vigebat. Interea naſcitur eis Iſac, ut manifeſtum fieret, quod natum erat, non eſſe opus naturæ, ſed effectum potentiæ divinæ.*

III. Iſacum natum paternis ſtudiis proſecutus eſt parens uterque. Nam Abrahamus quidem ſaluti ejus æternæ providens, circumciſionis ſigno juxta Dei mandatum ipſum in fœdus Dei cooptavit. *Circumcidit Abraham,* inquit Moſes, *filium ſuum Iſacum cùm natus eſſet octo dies, quemadmodum ei præceperat Deus* Geneſ. xxi. 4. Sara verò corporis Iſaci rationem habens, ipſum הניק *lactavit* verſ. 7. Cauſam, cur ipſa Sara in tanta ſenectute lactaverit prolem ſuam, & non lactandam aliis tradiderit, reddit Chryſoſtomus homil. in Geneſin 45. his verbis: Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τοῦ γάλακτος αἱ πηγαὶ παρεσχέθησαν, ἵνα τὸν τόκον ἐγγυήσωνται, καὶ μή τις ὑπόβλητον εἶναι νομίσῃ τὸ παιδίον. Αἱ γὰρ πηγαὶ τοῦ γάλακτος πᾶσιν ἐκήρυττον παρ' ἅπασαν ἀνθρωπίνην προσδοκίαν τὸ γεγεννημένον. *Propter hoc dati ei ſunt fontes lactis, ut partum magis credibilem faciant, ne quis ſuppoſititium puerum putaret. Fontes enim lactis prædicabant omnibus, genuinum eſſe partum, & præter humanam exſpectationem eveniſſe.* Nihilominus exemplum Saræ commendat meritò Ambroſius de Abrah. lib. 1. 7. *Quòd Sara lactet infantem ſuum, provocantur eo exemplo fœminæ, ut meminerit dignitatis ſuæ, & lactent ipſæ filios ſuos.* Memorabilis & elegans ea de re extat diſſertatio Phavorini Philoſophi, quam videas apud A. Gellium Noct. Attic. lib. xii. ipſo ſtatim initio. De eadem matribus incumbente cura agit etiam Ariſtoteles Polit. vii. 17. & Plutarchus lib. *de liberorum educatione.*

IV. Procedente pueri ætate, is יגמל ויעש אברהם משתה גדול *ablactatus eſt, & inſtruxit Abraham convivium magnum* verſ. 8. Variis varii reddunt hujus convivii rationes, ejusque myſterium explicant, piâ magis, quàm genuina ſententiâ. Huc referimus verba Auguſtini, quæſt. 50. in Geneſin: *Meritò quæritur, cur Abraham, nec die, quo natus ei eſt filius, nec die quo circumciſus eſt, ſed die quo ablactatus eſt, epulum fecerit? Quod niſi ad aliquam ſpiritualem ſignificationem referatur, nulla ſolutio quæſtionis eſt. Tum ſcilicet eſſe debere magnum gaudium ſpirituale ætatis, quando fuerit factus homo novus ſpiritualis, hoc eſt, non talis, qualibus dixit Apoſtolus: Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis, ſed nec adhuc poteſtis. Adhuc enim eſtis carnales.* Similia habet Ambroſius de Abrahamo lib. 1. cap. 7. Rupertus Comment.

 in

in Geneſin lib. 6. Mihi ſit probabilius, convivium illud ab Abrahamo inſtructum pro recepto apud gentem Cananæam, quacum verſabatur, more, quo videntur Cananæi eum diem, quo filius primogenitus per ſe comedere cœpit, feſtiva ſolennitate & lætitiâ celebraviſſe. Qui mos poſtea exemplo Iſaci invaluiſſe videtur apud fideles, uti Samuelis, ab Anna ablactati, hiſtoria 1. Sam. 1. deſcripta innuit. Idque ab iis uſurpatum eſt eo animo, partim ut Deo gratias agerent cum amicis, quòd infantes eorum eousque deducti eſſent, partim ut vota concipientes pro futuro, eorundem impetrarent progreſſus, partim denique, ut communes illi amicos conciliarent. Judæi non die ablactationis, ſed circumciſionis grande convivium apparare ſolent. Atque eò obtorto collo rapiunt verba ביום הגמל את יצחק *die illo quo ablactatus eſt Iſacus.* Eliſa enim in הגמל gemina litera initiali ה & ג qua utraque octonarium numerum ſignificari pertendunt, ſenſum efficiunt hunc: *die quo circumciſus eſt Iſacus.* De quo vide Synagogam Judaïcam Buxtorfii cap. 2. pag. 90. nec non R. Eliezer Pirke cap. 29. & doctiſſimi ad eum locum interpretis notas. Ejuſdem temeritatis & licentiæ eſt, quòd de tempore & hoſpitibus illius convivii multa nugantur. Tempus quoad attinet, R. Solomon Jarchi notat, ablactationem Iſaci contigiſſe לסוף כ״ד חדש *ſub finem viceſimi quarti menſis.* Hoſpites verò interfuiſſe convivio Regem Gogum, ejusque primores, nec non 32. Reges à Joſua interfectos, prodigioſe fabulantur in Bereſith rabba Sect. 53. Paulò verecundior Jarchius vocari illud convivium גדול *magnum* innuit, שהיו שם גדולי הדור שם עבר ואבימלך *eò quòd ei interfuerint magnates illius ævi, Sem, Heber, & Abimelech.*

V. Iſacus in juvenili ætate non planè expers fuit calamitatum & afflictionum. Nam & Iſmaëlis ſuſtinuit *διωγμὸν perſecutionem* Geneſ. XXI. 9. Gal. IV. 29. & à parente divino juſſu ſacrificio deſtinatus, tolerato jam mortis agone ſub gladii ictu fuit. Utramque illam afflictionem jam expoſuimus; & priorem quidem Exercit. VI. 19. poſteriorem verò Exercit. IX.

VI. Conjugium Iſaco quadrageſimum, ut innuit Moſes Geneſ. XXV. v. 20. annum agenti jure paterno procuravit Abrahamus, proxeneta ſeu pronubo famulo Eliezere, de cujus in Meſopotamiam ablegatione actum à nobis Exercit. V. 60. Nunc igitur de ſucceſſu negotiationis Eliezeris agendum fuerit paucis. Is igitur inſtructus heri ſui mandatis, & tum decem camelis, tum כל טוב pretioſiſſimis quibusvis Abrahami cimeliis aſcitis, profectus in Meſopotamiam appulit אל עיר נחור *apud civitatem Nachor*, quæ fuit ipſa Charan, in qua Thærachus mortuus eſt. de qua ſuperiùs. Ibi dum juxta fontem aquæ exſpectaret, donec filiæ civitatis ad hauriendam

dam aquam egrederentur, preces interea calidiſſimas fudit ad Deum, quem vocavit יהוה אלהי *Dominum Deum heri ſui Abrahami*, quibus ab eo petebat ſupplicibus votis tum totius negotiationis ſuæ proſperum ſucceſſum, tum ſingulare ſignum, & veluti omen quoddam, quo poſſet internoſcere eam, quæ in Iſaci vota ventura eſſet. Signum & omen hoc ipſemet Eliezer propoſuit, *ſi nimirum puella egreſſa ipſi petenti & camelis potum porrexerit.* Videri equidem poſſit, temeritatis & audaciæ notam impingi huic famulo poſſe, qui in precibus ſuis ſignum dicere Domino & quodammodo præſcribere ſuſtinuerit? Cæterùm ſi ejus factum ritè expendatur, non tam à temeritate, quàm à certo judicio profectum eſſe apparebit. Quamvis enim aperto Dei mandato ejusmodi non poſtulaverit ſignum: tamen inſtinctu divino id feciſſe ipſum dubitari minimè poteſt. Idque arguit tum eventus ipſe; quippe Deus ei gratificatus eſt, minimè gratificaturus, ſi temeraria & inſolens fuiſſet petitio; tum quòd preces illæ recubuerunt in Dei promiſſiones, quas tum ipſe famulus fide perceperat, tum Abrahamus auctor itineris, & ſpondens præiturum ipſi Angelum pronuntiaverat. Pererius non malè quatuor allegat cauſas, quibus hoc famuli factum fuiſſe inculpabile pateat. Primò, quia inſtinctu & afflatu divino incitatus eſt ad petendum ſignum, uti apertè indicavit eventus, petitioni per omnia reſpondens. Secundò, quia in ea petitione nihil ſuperſtitioſum, vel vanum fuit, nihil non rectum, fidem rectam redolens, purámque pietatem & ſinceram religionem. Tertiò quia petiit ſignum in re graviſsima & maximi momenti, cujus felicem exitum Domino ſuo unicè curæ cordique eſſe cognoverat. Quippe agebatur de uxore, ex qua tot ſancti viri, ipſe Chriſtus naſciturus eſſet. Quartò denique quia ad petendum id motus eſt verbis heri ſui: *Ipſe mittet Angelum ſuum ante te* verſ. 7. Cùm igitur ei venerit in mentem ſignum tale petere, certum perſuaſumque habuit, eam ſibi mentem & cogitationem divinitùs ab Angelo præeunte inſpiratam eſſe. Id etiam addendum, in oratione pii viri ita exprimi deſiderium & votum, ut nihil præſcribat Deo, ſed ejus ſe voluntati in ſolidum ſubjiciat. Neque omnino exiſtimandum eſt, eum tale ſignum à Deo petiiſſe abſolutè, ita ut in animo habuerit, ſi non daretur, totius negotii curam abjicere & vadimonium deſerere, & non potiùs in inſtituto ſuo pergere, aliamque viam inire.

VII. Vix adhuc finem orationi impoſuit famulus, cùm egreditur רבקה אשר ילדה לבתואל בן מלכה אשת נחור אחי אברהם : והנער טובת מראה מאד בתולה ואיש לא ידעה. *Rebecca, quæ nata erat Bethueli filio Milcah uxoris Nachor fratris Abrahami. Quæ puella erat pulchra aſpectu valde, virgo & vir non cognoverat eam.* verſ. 15, 16. Quibus verbis tum genus Rebeccæ, tum formæ

formæ inuſitatæ decus, tum intemerata virginitas exprimitur. Quòd verò non ſimpliciter בתולה *virgo*, ſed בתולה ואיש לא ידעה *virgo, quæ virum non cognovit*, vocatur à Moſe, id ipſum figmentis tum Judæorum, quæ videre eſt apud Jarchium, tum Origenis, qui pro more à proprietate literæ diſcedens per *virum*, quem Rebecca non cognoviſſe dicitur, intelligit *virum peſſimum Diabolum, qui concupiſcentiæ jacula in cor vibrans, animæ perdit caſtitatem*, allegoriis occaſionem præbuit. Verùm ut eò delaberentur, opus minimè erat. Quamvis enim verba illa, *& vir non cognoverat eam*, ſuperflua videri poſsint, cùm virginis nomen illa includat: tamen in S. Scriptura haud inuſitatum eſt, ut una & eadem res ad majorem evidentiam duabus phraſibus ſignificetur. Id ipſi Hebræi frequenter obſervant, qui ubi in ejusmodi pleonaſmos incidunt, vocare ſolent ענין אחד במלות שנות *rem unam duabus vocibus expreſſam*. Accidit etiam, ut *virgines* dicantur, quæ nomine & habitu virginitatem mentiuntur. Ut igitur integritas virginis illius certa & indubitata haberetur, voluit Spiritus S. hoc addere, ut ad plenum virginitatis teſtimonium nihil deeſſet. Quod reliquos Rebeccæ mores attinet, comitatem, hoſpitalitatem, promptitudinem, diligentiam, eos nullo negotio conjectavit famulus ex eo, quòd petenti aquam haurit promptiſsimè, ad domum paternam eum invitat, denique multis blanditiis eum demulcet.

VIII. Conſpecta Rebeccæ alacritate famulus *ille ſtupebat tacens, ut ſciret, an proſperam feciſſet Jehova viam ſuam necne*, verſ. 21. Quamvis enim omen impletum videret, prudenter tamen tardat, & judicium adhibet, num cætera etiam requiſita, præſertim cognatio & perſonæ conditio congruerent. Non igitur hæc Eliezeris hæſitatio ſequiorem in partem accipi debet, ſed potiùs prudentiæ in comparando ſigno cum re ipſa, quæ moram nonnullam flagitabat, indicium haberi debet. Finita ea conſultatione, & comperto, filiam eſſe Bethuelis, puellæ de toto negotio prius haud dubiè informatæ donavit נזם זהב בקע משקלו ושני צמידים על ידיה עשרה זהב משקלם *inaurem auream, ſemiſſem pondus ejus, & duas armillas ſuper manus ejus, decem aureos pondus illarum*, verſ. 22. Miram hic obſervare eſt diſcrepantiam Interpretationum. Nam primo pro נזם quod inaurem in ſingulari numero notat, LXX. Interpr. habent ἐνώτια χρυσᾶ *inaures aureas*, Vulgatus *inaures aureas*. Cæteri interpretes Orientales, Paraphraſtes Chaldæus, Samaritanus, Syrus & Arabs ſingularem numerum unâ cum Hebræo retinent. Bonfrerius ait, ſeptuaginta hîc pluralem poſuiſſe, *ſive quòd ſpiritu prophetico id cognoverint, ſive quòd cenſuerint, non fuiſſe conveniens unicam dari, ſed duas ad utriusque auris ornatum.* Verùm tali κενοφυγέτῳ nihil opus erat.

Poteſt

Poteſt enim נזם eſſe vox collectiva, quam in plurali numero verti inſolens non fuerat. Vel certè נזם hoc loco monile non aurium, ſed narium notat. Quomodo Eſai. III. 20. mentio fit נזמי האף *monilium naſi*. Ita Proverb. XI. 22. נזם זהב באף חזיר *inauris aurea in naſo porci* vocatur mulier pulchra, eademque ſtulta. Idque annotavit hoc loco etiam ſapiens Abenezra. Sed hîc diſſenſus interpretum levior eſt præ eo, qui in ſequentibus occurrit. Secundò igitur pro בקע משקלו quod pondus erat ornamenti illius, iidem Græci Interpretes habent *δραχμὴν ὁλκῆς drachmam ponderis*;. Vulgatus Interpres, *appendentes ſiclos duos*; Paraphraſtes Chaldæus תקלא מתקלא *appendentem ſiclum unum*; Syrus מתקלא מתקל *ſicli pondo*. Qui quidem omnes abeunt ab Hebræo textu, in quo בקע משקלו non aliud notare poteſt, quàm *dimidium* (puta ſicli) *pondus ejus*. Eſt enim בקע idem quod חצי vel מחצית Exod. XXX. 13. 15. & XXXVIII. 26. Natæ hæ voces à radicibus בקע & חצה *ſcindere*, *diſcindere*, vel *biſſecare* & *dimidiare*. Adeóque בקע notat *ἡμισίκλιον*, *ſiclum dimidiatum*. Quomodo etiam Arabs habet נצף מתקאל *ponderis dimidii ſicli*. Ita Exod. XXXVIII. 26. בקע non aliud ſignificare poteſt quàm *dimidium ſicli*. Agitur enim ibi de dimidio ſicli, quod quiſque per capita conferre in populi luſtratione ac cenſu debebat, prout præſcriptum erat antea cap. XXX. v. 13. Poſſet utcunque cum Hebræo textu conciliari etiam Græcorum interpretatio, ſi drachmam vocârunt, quod duplum erat drachmæ Atticæ: videlicet quia ea proportio ſemiſicli ad talentum Hebraicum, quæ drachmæ Atticæ ad talentum Atticum, videlicet unius ad ſex millia. Quomodo בקע ſeu ſemiſiclus erat, vel dici poteſt drachma Hebraica. Sed Chaldæus & Syrus, qui pro בקע ponunt unius ſicli pondo; Vulgatus etiam, qui duos ſiclos appendiſſe habet, quomodo excuſari poſſint, non video, quicquid conetur hîc Bonfrerius.

IX. Rectène fecerit vel Rebecca, quæ ejuſmodi ornamenta ultro admiſit, vel Abrahamus, qui per famulum obtulit talia, quæ non tam ad munditiem, quàm ad pompam ſpectârunt, quærunt hoc loco Interpretes. Rebeccam quod attinet, illa inconſultis iis, quorum ſub poteſtate erat, munera admiſiſſe videtur, tanquam à propatruo miſſa, vel certè de toto negotio & præmiſſo omine prius probè informata. Quoad ipſa verò ornamenta, prudenter animadvertit Calvinus, ſub talium exemplorum ſpecie irrepere facilimè abuſus poſſe. Haud dubiè quidem tempore Abrahami in more poſitum fuit, ut puellæ inter divites ejuſmodi ornamentis uterentur. Seculi tamen integritas tulit, ut non niſi parcè & frugaliter iis uterentur homines, inprimis illi, apud quos ſincerus Dei cultus obtinuit adhuc & viguit. Unde etiam conſtat, rem per ſe non eſſe malam, dummodo mo-

Digitized by Google

deſtiæ & humilitatis Chriſtianæ limites non excedat. Aliâs Apoſtoli vetant cultum mulierum externum *in nodis capillorum & circumpoſito auro vel palliorum amictu, & occultum potiùs hominem urgent* 1.Pet.III.3. 1.Tim.II.9. Ubi notandum tamen eſt, utrumque Apoſtolum exceſſum potiſſimùm prohibere, & quod præcipuum eſt, commendare.

X. Rebecca & humanitate Eliezeris & muneribus ejus delinita non tantùm hoſpitium ei obtulit, ſed etiam domum properans, quid ipſi contigerit, narravit לבית אמה *domui matris ſuæ.* verſ. 28. Patrem Bethuelem non amplius fuiſſe in vivis hinc videtur collegiſſe Joſephus. Et ſanè non ſatis liquet, vixerítne adhuc necne. Id certum eſt potiſſimas in toto hoc negotio partes tribui Labani, fratri Rebeccæ, & ipſum etiam anteponi Bethueli verſ. 50. Unde Bethuelem illum fuiſſe potiùs fratrem Rebeccæ & Labanis, quàm patrem colligi poſſit. Neque ſcio, an ſolidum ſit, quod regeri ſolet, Labanem patris decrepiti ſenis vice defunctum eſſe. Quo enim hoc certo indicio liquet? An non par erat, Bethuelem quamvis decrepitum ſenem honoris cauſâ anteponi filio Labani? Sed id quomodocunque habeat, Rebeccæ verbis motus Laban, frater ejus, Eliezerem domum ſuam ſolicitat, eumque in apparato epulo largiùs invitare conſtituit. Cæterùm is inquies animi renuit cibum capere, donec ex voto deſtinata ſucceſſiſſent, & ipſe cauſam adventus ſui & Abrahami mandata fideliſſimè expoſuiſſet. Quibus auditis cognoviſſe dicuntur Laban & Bethuel, quòd à Jehova egreſſa ſit res iſta, adeò ut malum vel bonum ipſi loqui non habeant, verſ. 50. unde conſenſum ſuum apertè declarant his verbis: הנה רבקה לפניך קח ולך ותהי אשה לבן אדניך כאשר דבר יהוה *En Rebecca coram te eſt, accipe & abi, ſitque uxor filio heri tui, quemadmodum dixit Jehova.* verſ. 51. Qua in oratione conſenſum teſtificante ſupponunt, Rebeccæ ipſius animum eodem tendere & inclinare. Eliezer verò audito lætiſſimo hoc nuntio Deo gratias egit, Rebeccæ vaſa aurea & argentea, veſtéſque pretioſiſſimas donavit, & Rebeccæ exploratâ de diſceſſu voluntate ad iter ſe accinxit. Rebeccæ porro abiturienti ita benedixerunt domeſtici אחותנו את היי לאלפי רבבה וירש זרעך את שער שנאיו: *Soror noſtra es, ſis in millia millium, poſſideatque ſemen tuum portam inimicorum tuorum.* verſ. 60. Quo tenerimo voto dimiſſa comitantibus puellis & Eliezere bonis auſpiciis iter ingreſſa eſt. Inter puellas porro comites mentio eſt מנקתה *nutricis ejus.* verſ. 59. Ita enim vertunt Interpretes Orientales omnes, ſi à Græcis diſceſſeris. Illi enim pro מנקתה habent τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς *ſubſtantiam ejus.* Quod de mendo non immeritò nonnulli ſuſpectant, cùm inferiùs cap. XXXV. 8. pro מינקת habeant ἡ τροφὸς αὐτῆς *nutrix ejus.* Niſi forte hoc loco pro מנקתה legerunt מנתה *portionem*

tionem ſubſtantiæ ejus. Fuiſſe eam nutricem *Deboram* conſtat ex Geneſ. xxxv. v. 8. ubi ejus mors recenſetur.

XI. Dum hæc geruntur, Iſacus habitabat בארץ הנגב *in terra Meridiana,* verſ. 62. Inde, pro conſueto haud dubiè more, appetente veſpera, egreſſus eſt לשוח *ad meditandum,* verſ. 63. Ita enim vocem שוח reddit Interpres Vulgatus. Aliter tamen alii. LXX Interpretes: Καὶ ἐξῆλθεν Ἰσαὰκ ἀδολεσχῆσαι εἰς τὸ πεδίον: *& egreſſus eſt exerceri in campo.* Ita habet vetus Latina Græci textus verſio. Ita quoque Auguſtinus in quæſt. ſuper Geneſin 69. *Qui verbum,* inquit, *hac de re neſciunt Græcum, exercitationem corporis putant. Scriptum eſt enim* ἀδολεσχῆσαι. *Porrò* ἀδολεσχεῖν *ad animi exercitationem pertinet, & ſæpe vitio deputatur. More autem Scripturæ plerunque in bono ponitur. Videturque mihi ſignificare animi affectum ſtudioſiſſimè aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis, niſi aliud ſentiant, qui hæc verba Græca meliùs intelligunt.* Verum eſt, quod Auguſtinus monet, verbum ἀδολεσχεῖν ſæpe vitio deputari, more autem Scripturæ plerunque in bono poni. Morem hunc Scripturæ obſervavit etiam Suidas, cujus verba ſunt: Ἀδολεσχία παρὰ τῇ γραφῇ ἡ συνεχὴς μελετή. καὶ ἀδολεσχήσω, ἀντὶ τοῦ διηνεκῶς μελετήσω. *Apud S. Scripturam* ἀδολεσχία *vocatur aſſidua meditatio. Et* ἀδολεσχήσω *ſumitur pro aſſiduè meditabor.* Exempla ſunt paſſim in Græca translatione. Aliâs apud exoticos authores in malam partem accipi monet idem Suidas. Unde Heſychio æquivalent ἀδολεσχεῖν, φλυαρεῖν, μακρολογεῖν. Et Lexicon vetus: Ἀδολεσχῶ, *arguto, garrio.* Atque hoc quoque ſenſu bis uſurpavit Siracides, cap. VII. 15. XXXII. 9. Thargum Onkeloſi ita reddidit: ונפק יצחק לצלאה *Et egreſſus eſt Iſac ad orandum in agro.* Quæ orandi notio placuit etiam Interpreti Arabi, & Hebræis plerisque. Ita Jarchius notat שוח hoc loco ſuſtinere לשון תפלה *notionem orationis.* De Iſaci deambulatione accipit Syrus. Quam in ſententiam etiam παραφράζει Abenezra. לשוח ללכת בין השיחים *ad deambulandum inter vepres.* Aquila reddit verbum שוח per ὁμιλῆσαι *confabulari,* vel *colloqui.* Ex varia hac vocis שוח interpretatione itum ab interpretibus in ſententias varias. Duæ tamen præcipuæ ſunt, ad quas cæteræ facilè referri poſſunt. Vel enim referetur verbum hoc ad exercitium corporis & honeſtam recreationem, vel ad exercitium animi, quale eſt meditatio de rebus divinis & oratio. Utrovis modo accipiatur, probabilitate interpretatio non carebit. Propriè שוח notat *unà verſari, ſecum vel cum alio loqui,* adeóque ferè convenit cum הגה *meditari.* Cum meditatione autem conjuncta eſſe poteſt oratio. Vide Pſal. LV. 3. Non malè igitur ſentiunt, qui *meditandi* vel *orandi* cauſa Iſacum in agrum exiviſſe putant. Quid verò dicemus Fevardentio, qui ex hac Iſaci meditatione ſeu oratione ſuffragia pro defunctis ad machinandum

Digitized by Google

nandum purgatorium exterebrare conatur. *Viri docti*, inquit, *meditandi verbum accipiunt de precibus, quas pro ſalute defunctæ matris concipiebat. Nec eſt veriſimile, tali indole & virtute filium non fuiſſe memorem tam piæ matris in ſuis ad Deum precibus*. Verba digniſſima cucullo, & quidem Franciſcano! Mirum eſt, tot jam ſeculis, tot viris doctis in iis verbis ſudantibus, tam feſtivum commentum in mentem nunquam veniſſe. Pererius quidem decem enumerat varias ſententias, in quas viri docti iverunt. Sed undecimam hanc Fevardentii omiſit, quia apud neminem virorum doctorum legerat. Optimam indolem ſummamque virtutem in Iſaco agnoſcimus. Neque quiſquam ſanus immemorem dixerit piæ matris. Sed commendâſſe eam Deo ſuis precibus, non divinandum, ſed probandum fuerat. Qua pietate fuit in matrem, eadem perſuaſus fuit, in ſumma beatitudine tunc fuiſſe animam matris Saræ per fidem juſtificatæ, ac proinde in Deo quieſcentis.

XII. Inter meditandum in agro Iſacus forte oculos cùm ſuſtuliſſet, adventantes camelos obſervavit. Eúmque viciſſim conſpiciens Rebecca, & Iſacum eſſe, ex Eliezere cognoſcens, ſtatim תקח הצעיף ותתכס *accepit pallium & operuit ſe* verſ. 65. De hoc צעיף tegumento ſeu peplo Rebeccæ, ejusqué uſu apud mulieres ὑπάνδρους diximus tomo I. Exercit. I. Sect. 15. Operuit igitur vultum more matronarum. I. Cor. XI. 10. Vide Geneſ. XX. v. 16. & quæ Hieronymus habet de Arabiæ ac Meſopotamiæ fœminis ad Eſai. III. & Alcoranus Surata 24. Ex quo velandi more dictas nuptas & nuptias apud Feſtum tradit Cincius. Tertullianus lib. de velandis Virginibus: *Quin etiam velatæ ad virum ducuntur*. Ibidem pagina 497. Rebeccam his verbis exornat. *Et deſponſatæ quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ cùm ad ſponſum ignotum ignota adhuc perduceretur, ſimul ipſum cognovit eſſe, quem de longinquo perſpexerat, non ſuſtinuit dexteræ colluctationem, nec oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem, ſed confeſſa quod ſenſerat, id eſt ſpiritu nuptam, negavit virginem velata ibidem. O mulierem jam de Chriſti diſciplina! Oſtendit enim nuptias etiam de aſpectu & animo fieri, quemadmodum ſtuprum: niſi quod etiam Rebeccam quidam adhuc velant*. Eodem libro perſtringit *impudentiam oſtentatitiæ virginitatis*, & Apoſtolum jubentem velari mulieres, non nuptas duntaxat, ſed etiam innuptas, adeóque virgines intelligere contendit. Et ſanè de καλύμματι ſeu tegumento aliquo capitis in genere, communis honeſtas requirit, ut ſexus ſequior non incedat, niſi operto capite. Alia ratio fuit veli, quo ſe obnubebat Rebecca veterum Syrorum aliorúmque more. Fuit enim velum ſpeciale & proprium nubentibus. Vir olim ducebat; nubebat mulier, quia pallio caput ſuum genáſque obnubebat.

Digitized by Google

bebat. Alioquin ante deſponſationem velatam non fuiſſe Rebeccam ſatis conſtat cùm acceſſit ad fontem. Nec etiam veli mentio fit in via, quo tempore inſidens camelo, aſpectui patebat ſervorum Iſaci; quo accedente deſcendit, & velum ſumpſit.

XIII. Primo occurſu Eliezer Iſaco ſive in agro adhuc, ſive domi, ſive in agro paucis, at domi fuſiùs narrat totius rei geſtæ ſeriem. Unde matrimonium illud ſe ratum habere teſtatus eſt, cùm Rebeccam introducit in tentorium Saræ matris ſuæ, hoc eſt in gynæceum more ævi illius ſeparatum, & eam יקח *accepit, ut ipſi eſſet in uxorem*, eámque tenerimo affectu dilexit, verſ. 67. Quæ quidem ratihabitio & conſummatio matrimonii illius habuit haud dubiè prævios & conjunctos ritus, pompámque nuptialem eo tempore receptam, inprimis piam nominis divini invocationem. Id enim poſtulabat matrimonii ſanctitas, ne beſtiarum more, ſine ulla pompa & ceremoniis nuptialibus illud contraheretur & iniretur. De ætate porro Rebeccæ, cùm Iſaco jungeretur, Scriptura tacet. Proinde dignus eſt, qui explodatur Jarchius, qui ex cap. 1. Seder Olam Rabbah aſſerit, eam cùm nüberet, filiam fuiſſe annorum trium. Minùs ridiculi ſunt Magiſtri in *Jevamo* cap. 6. ubi eam fuiſſe annorum 14. tradunt. Interim poſt nuptias has Iſacus ינחם אחרי אמו *conſolationem accepit loco matris ſuæ* verſ. 67. Neque enim alia ratione ſedari potuit matris chariſſimæ ante triennium amiſſæ dolor, quàm jucundiſſimo conſortio uxoris legitimæ, ad quam animum ſuum à diutino mœrore convertit. Non tamen ſimpliciter aſſentior Hebræis, qui Iſacum per tres annos aſſiduè luxiſſe matrem tradunt. In Pirke Eliezer cap. 32. inquit R. Joſe: *Tribus annis fecit Iſac luctum propter matrem ſuam Saram. Poſt tres annos aſſumpſit Rebeccam, & oblitus eſt luctus matris ſuæ Saræ.* Etenim aſſiduum fuiſſe luctum Iſaci uſque ad ductam Rebeccam Scriptura non docet: Luxiſſe ipſum matrem innuit: ſed in luctu exceſſiſſe modum non item.

XIV. Gaudium Iſaci, quod ex novo exoptatóque matrimonio perceperat, mox interrumpit funeſta mors Abrahami parentis, de qua, ut & ſepultura ejus per Iſacum & Iſmaëlem procurata egimus in loco. Conſolationem tamen accepit denuo, quòd poſt mortem patris luculenter benedictionis divinæ incrementa percepit, Geneſ. xxv. 11. Habitabat autem circa id temporis עם באר לחי ראי *apud puteum viventis videntis me*, de quo videſis Exercit. vi. 17. Situs erat puteus in ſolitudine ad Meridiem trans Gerarem & torrentem Beſor, ubi Angelus Domini Hagaræ apparuit.

XV. In matrimonio eo Iſacus viginti continuos annos cum Rebecca vixit ἄτεκνος. Neque ſine cauſa factum putabimus, quòd Deus voluerit

Digitized by Google

Iſaco conjugere uxorem ſterilem, adeóque tamdiu benedictionem ſuam differre. Voluit enim exercere Iſacum, longáque exſpectatione detinere, ut ſpes ejus & patientia magis vigeret, atque ipſe incentivum haberet efficacius ad preces. Et ſanè tentatio non levis fuit, Iſaco ad ſenectutem vergente, & reputante ſecum divinam promiſſionem, fore ut ſemen Abrahami æquaret ſtellas cœli. Præterea Deus mulieres celeberrimi cæteroquin nominis, ſteriles tamen viris ſanctis copulavit, ut intelligerent, ſemen promiſſum non tam naturali ſucceſſione; quàm divino favore & gratia multiplicatum iri. Idque ad populi Iſraëlitici etiam nobilitatem faciebat, cùm ſe ex ſterilibus non ſine miraculo propagatum eſſe intelligeret. Addit Chryſoſtomus in Geneſin cap. 49. Deum longè ante, mirabili partu fœminarum, præſtruere & præmunire voluiſſe fidem admirabili partui B. Virginis Mariæ. Unde Angelus ei denuntians partum, propoſuit exemplum Eliſabethæ antea ſterilis: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua &c. quia apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum.* Luc. 1. v. 36. &c. Denique & ea ipſa ſanctarum matrum ſterilitas valuit ad erigendos earum, quæ ſimilem orbitatem paſſuræ erant, animos, ne deſponderent animum, vel impatientiâ ſuâ Deum ad iram provocarent.

XVI. Et ſanè Iſaci & Rebeccæ patientia ac fides non parum ex eo emicuére, quod nec Rebecca imitata Saram, Iſaco ſuadet conjunctionem cum aliis illicitam, nec Iſacus imitatus Abrahamum aliud omnino matrimonium appetit. Didicerant nempe exemplo Abrahami & Saræ, quos in decrepita ſenectute læta prole Deus auxit, promiſſioni factæ eum minimè defuturum. Didicerant præterea quàm parùm fauſta ſint ejusmodi conjugia cum pluribus contracta, jurgiorum & diſſidiorum perpetuus fomes. Neque tamen, quod quidam inde colligunt, in hac abſtinentia Iſacus patre ſuo præcelluit, cùm Abrahamus nec ex incontinentia, nec ex amoris erga Saram defectu aliam ſibi junxerit.

XVII. Quid ergo Iſacus ſterilitatis hocce malo preſſus & jam diu exercitus? יעתר ליהוה לנכח אשתו כי עקרה הוא *deprecatus eſt Deum pro uxore ſua, eò quòd eſſet ſterilis.* Geneſ. xxv. 21. Ubi עתר non ſimplicem precationem, ſed frequentem & inſtantem notat. Significat enim עתר verba fortia, & magnâ copiâ fundere in oratione; cujus verbi prima notio eſt, *multum eſſe*, ſcilicet inſtando. Unde Ezech. xxxv. 13. העתיר דברים eſt *multiplicare verba.* Rectè igitur Jarchius hìc obſervat, Iſacum fuiſſe הרבה ומפציר בתפלה *multum & intenſum in oratione.* Ejusmodi nempe preces noſtras eſſe oportet, ut Dei gratiam & auxilium impetrent. Quòd verò dicitur orâſſe לנכח אשתו alii, nominatim Interpretes Orientales, ipſum feciſſe inter-

interpretantur *pro uxore*, alii *coram*, ſeu præſente uxore. Jarchius ita explicat זה עומד בזוית זו ומתפלל וזו עומדת בזוית זו ומתפללת *Ille* (Iſacus) *ſtabat in hoc angulo, & orabat: & illa* (Rebecca) *ſtabat in altero angulo & orabat*. Prior tamen verſio ſimplicior. Quanquam dubitari non poteſt, etiam Rebeccam precibus mariti conjunxiſſe ſuas, quò utriſque efficacia major ineſſet. Neque preces hæ diffidentiam aut dubitationem ullam Iſaci, qui promiſſionem habebat, arguunt. Noverat enim ita ſibi promiſſum eſſe divinitùs ſemen, ut partium tamen ſuarum ſit, mediis his precibus, promiſſioni divinæ ſubordinatis, ejus implementum promovere. Rectè igitur hoc Iſaci exemplo Thomas Aquinas 1. p. quæſt. 23. artic. 8. probat, precibus Sanctorum prædeſtinationem juvari poſſe, ubi non tam præordinationem divinam, ſeu decretum Dei æternum intelligit, quàm ejusdem effectum ſeu executionem in tempore.

XVIII. Precibus Iſaci intenſiſſimis clementer Deus annuit. Nam ויעתר לו יהוה ותהר רבקה אשתו *exaudivit ejus preces Deus, & concepit Rebecca uxor ejus.* verſ. 21. Cur Deus exaudiviſſe dicatur Iſacum, non Rebeccam, rationem reddit Jarchius, quia Iſacus fuerit filius viri Juſti, at Rebecca filia viri improbi. Verba ejus ſunt: ויעתר לו ולא לה שאין דומ' תפלת צדיק בן צדיק לתפלת צדיק בן רשע לפיכך לו ולא לה *Exaudivit eum & non eam, quia non eſt ſimilis oratio juſti, qui filius juſti eſt, orationi juſti, qui filius improbi eſt. Propterea exaudivit eum* (Iſacum) *& non eam* (Rebeccam). Verùm ratio hæc frivola eſt, cùm Deus ſine diſcrimine exaudiat preces quorumvis vera fide conceptas, & ad Deum fuſas. Vera igitur exauditi potiùs Iſaci, quàm Rebeccæ cauſa in promptu eſt, quia Iſacus enixiſſimè Deum rogavit. Quin etiam in ipſo exaudito ſimul Rebeccæ preces conjunctæ cum Iſaci precibus exauditæ ſunt.

XIX. Poſtquam uterum tulit Rebecca ויתרצצו הבנים בקרבה *collidebantur in utero ejus parvuli* verſ. 22. Ita V. I. Sic etiam Thargum Onkeloſi. Eundem in ſenſum Syrus: ואלצין בניה בכרסה *Et vim faciebant filii ejus in utero ejus.* Et Arabs ארדחם אלולדאן פי נופסא *Tum compreſſerunt ſeſe duo filii in utero ejus.* Græci verò; Ἐσκίρτων δὲ τὰ παιδία ἐν αὐτῇ. *Exultabant autem infantes in ea.* Neque enim rectè Hieronymus in quæſt. Hebr. illud ἐσκίρτων explicat *ludebant*, ſeu *calcitrabant*. Auguſtinus legit *geſtiebant*; Aquila teſte Hieronymo, *confringebantur*; Symmachus, διέπλεον *fluctuabant*, ſicut in ſuperficie maris ſolet navigium. Alii tamen in Symmacho legerunt non διέπλεον, ſed διεπάλαιον *colluctabantur*. Notat autem התרצץ non ſimplicem motum, ſed cum mutua colliſione & quaſſatione conjunctum. Veriſimile eſt igitur, ejusmodi fuiſſe motum horum infantium in utero, cujusmodi eſt

Digitized by Google

eſt luctantium, & ſe mutuò percutientium, & in egreſſu prævenire geſtientium. Similem luctum duorum in utero fratrum ſe prævenire geſtientium refert Euſtathius ex Lycophronte Iliad. ψ. Epis ſcilicet palæſtritæ & fratris. Et Apollodorus Biblioth. lib. 2. p. m. 67. Ἀκρίσιος καὶ Προῖτος κατὰ γαστρὸς ἔτι ὄντες, ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους. *Acriſius & Proëtus, cùm in utero matris adhuc eſſent, inter ſe diſſidere cœperunt.* Fuit autem hîc infantum in utero motus non naturalis, qualis deſcribitur ab Ariſtotele hiſt. Animal. lib. VII. v. 3, 4. ſed potiùs ſupernaturalis & extraordinarius. Id enim agnovit ſancta fœmina, quæ pergens ſtatim ad conſulendum Jehovam, haud dubiè colliſionem illam portendere aliquid judicavit. Neque enim in re ordinaria opus erat recurrere ad oraculum. Et certè motum hunc portentoſum fuiſſe in reſponſione ſua Deus declaravit, ubi μυστικὴν ὑπόνοιαν colliſionis hujus fratrum explicat. Similis motus erat Johannis Baptiſtæ, qui in utero Eliſabethæ ἐσκίρτησε *ſubſiliit.* Luc. 1. 41. Quanquam enim novum non eſt, fœtus in utero ſubſilire, inprimis mares; & motum naturalem à medicis inſigniri verbo σκιρτᾶν *ſubſilire,* nec non ἀσκαρίζειν; certum tamen eſt etiam hunc Johannis motum fuiſſe non naturalem, ſed divinitùs procuratum, uti arguit Eliſabethæ oratio de conceptu Chriſti vaticinantis, cui non interfuerat, & quem cognoſcere aliunde non poterat.

XX. Rebecca fœtuum mirabili colliſione mota primò quidem erumpit in hanc querelam: אם כן למה זה אנכי *Si ita, ut quid ego?* Eſt apoſiopeſis, quàm rectè evolvit Paraphraſtes Chaldæus his verbis אם כן למה דנן אנא *Si ſic mihi futurum, ut quid ego concepi?* Et Vulgatus: *Si ſic futurum mihi erat, ut quid neceſſum erat concipere?* Niſi forte melius Arabs ita reddidit: לו עלמת אן אלאמר הכדא לם אטליה *Si ſciviſſem rem ita eſſe, non petiiſſem eam.* Expreſſit hæc verba non tam doloris ſenſus, quàm portentoſi partus apprehenſio. Nec tam impatientiam ſanctæ fœminæ, quàm metum, quo in ſe perculſa eſt, & anxietatem, vel etiam divinæ iræ apprehenſionem arguunt. Illa proinde non cunctata תלך לדרש את יהוה *perrexit ad interrogandum Jehovam,* verſ. 22. Sed quónam & ad quem iverit Rebecca, non immeritò quæſitum eſt. Alibi in Scripturis conſulere ſeu interrogare Dominum, ſumitur vel *generaliùs* pro qualibet ratione captandi oracula, ſive per Prophetas, ſive per ſomnia, ſive per ſortes, ſive per Sacerdotes, vel *ſpecialiùs* pro eo modo, qui fiebat Sacerdotibus Deum conſulentibus per Urim & Thummim. Modum hunc conſulendi Deum ſpecialem per Urim & Thummim, ante legem fuiſſe receptum nuſpiam legimus. Sed de duabus aliis per *Prophetas*, vel per *ſomnia* & *viſiones* in rebus gravibus Deum ſuis non defuiſſe credibile eſt. Theodoretus q. 75. in Geneſin adiiſſe Rebeccam

Digitized by Google

beccam putat aram Iſaci mariti; vel alterius alicujus Patriarchæ. Ita etiam Theodorus Tharſenſis & Procopius Salzæus exiſtimant, recepiſſe ſe Rebeccam in locum aliquem ſecretum domi orandi cauſa, & ibi conſciam factam futurorum. Quam ſententiam probare videntur Pererius, Delrio, Salianus, alii. Hebræi nonnulli ſecuti Paraphraſten Hieroſolymitanum, volunt eam adiiſſe Semum, quem cum Melchiſedeco faciunt eundem. Hieroſolymitani Paraphraſtæ verba ſunt: ואזלת למתבע רחמין מן קדם ה׳ בבית מדרשא דשם רבא *Et abiit, ut peteret miſericordiam à Domino, in domo ubi concionabatur Schem Rabbi.* Abenezra per Abrahamum adhuc dum ſuperſtitem redditum ei reſponſum putat. Alii, ut Maimonides, iviſſe ipſam ad Heberem, & per ejus os Deum conſuluiſſe ſentiunt. Auguſtinus quæſt. 72. in Geneſin omnibus propoſitis rationibus, quibus aliquando homines Deum conſulere poterant, ita concludit: *Quicquid horum eſt & ſi quid aliud, quod me forte ne commemorarem præterierit; mentiri tamen Scriptura non poteſt, quæ dixit, Rebeccam iviſſe ad interrogandum Dominum, atque Dominum reſpondiſſe.* Ita certa ab incertis prudenter diſtinguit. Iviſſe Rebeccam ad conſulendum Dominum, & reſpondiſſe conſulenti Dominum, certum eſt. At conſuluiſſe illam Dominum per os Abrahami, Semi Melchiſedeci, vel ad aram aliquam ſe contuliſſe, id verò incertum eſt. Probabiliſſima tamen ſententia eorum, qui eam in ſecretum aliquem locum conceſſiſſe, & precibus ardentibus ad Deum fuſis reſponſum accepiſſe vel in ſomno, vel in vigilia, ſive per extraordinariam illuſtrationem, ſive per vocem cœlitus emiſſam, ſive Angeli alicujus miniſterio, arbitrantur. Non prætereunda ſingularis ſententia Hiſtoriæ Scholaſticæ, quam his verbis proponit Abulenſis: *Secundum Scholaſticam hiſtoriam dicitur, quòd Rebecca ivit ad montem Moria, quem locum ſanctum eſſe credebat, ubi Abraham altare ſtruxerat, cùm voluit immolare filium; & factis ibi victimis in holocauſtum poſuit ſe ſuper pelles ſacrificiorum ad dormiendum, ut in ſomnis à Deo veritatem audiret, ſicut contingebat multis prophetis. Et ne phantaſticis ſomniorum illuſionibus falleretur, ſed à Deo nuda veritas patefieret (juxta morem gentium) folia lauri, quæ tripodes vocant, & folia agni caſti, quæ eſt herba ſomniorum obvians phantaſiis, capiti ſuo ſuppoſuit: & ſic dormiens à Deo reſponſum accepit.* Hanc Comeſtoris, Hiſtoriæ Scolaſticæ authoris ſententiam laudat vehementer, & ſequitur Boulducus *de Eccleſia ante legem* lib. III. 6, 7. ubi probare conatur, Rebeccam dormientem ſuper ramuſculos conſuluiſſe Dominum, adeóque rem feciſſe eo tempore à Prophetis, & ipſo etiam Abrahamo fieri ſolitam. Eò trahit locum Job. IV. 13. quem ita citat: *Et ad me verbum furtivè dictum eſt: ſuſcepit auris mea puſillum ex eo, in ramuſculis à viſionibus noctis, in cadere ſopori ſuper*

 Enoſchim.

Digitized by Google

Enoſchim. His Eliphazi verbis, quæ protulerit ille annis circiter 200. poſtquam Rebecca pro infantibus conſuluit dominum, quatuor ait deſcribi circumſtantias revelationum divinarum: quarum *prima* fuerit, quòd noctu; *ſecunda*, quòd tempore gravis ſoporis; *tertia*, quòd tenuiſſimo ſuſurro & ad aurem; *quarta* denique quòd decumbentibus ſuper ramuſculos arborum ejusmodi revelationes factæ eſſent. Sed vereor, ne ſolemnia inſaniat monachus. Etenim ſi Jobi ætate maximè ejusmodi Deum conſulendi mos receptus fuiſſet, non idcirco eum Rebeccæ innotuiſſe, vel à Patriarchis uſitatum fuiſſe conſtat, cùm variæ fuerint Deum interrogandi rationes. Tum Eliphazus non ait, revelationem illam ſibi in ramuſculis arborum factam eſſe. Quamvis enim סעיף aliâs ramum, aliâs dentem petræ notet, tamen hoc loco שעפים ſunt *cogitationes*, quæ, ut rectè notat Kimchius, id *ſunt cordi, quod ramus arbori*. Ita 1.Reg. XVIII. 21. עד מתי אתם פסחים על שתי הסעפים *Quousque claudicatis in duas cogitationes?* Notantur homines ſuis cogitationibus nixi, ambigui, ancipitis & incerti propoſiti, *διστάζοντες*. Eliphazus igitur hoc innuit, inter cogitationes, cùm viſiones noctis animo verſaret, & cùm attentione, deſiderio intelligendi & precibus ruminaret, pavore ſe occupatum, &c.

XXI. Rebeccæ conſulenti Deus benignè reſpondet, & totum myſterium aperit his verbis: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi de viſceribus tuis dividentur: Populus autem populo robuſtior, & major ſerviet minori*, verſ. 23. Præſagium his verbis continetur naſcituræ geminæ prolis, & inimicitiæ inter poſteros earum eventuræ. Cui præſagio eventus ipſe examuſſim reſpondit. Nati enim ex Rebecca ingenio, moribus, ſedibus & religione diſpares, Eſavus & Jacobus, principes duarum gentium, Idumæorum nimirum & Iſraëlitarum. Quarum hi robuſtiores Idumæos in ſervitutem redegerunt tempore Davidis, & deinceps uti ex 2. Sam. VIII. v. 14. 1.Paralip. XVIII. 13. Joſepho Antiquit. VII. 6. & XIII. 17. liquet. Nam quòd de Romano Imperio ab Iſraëlitis quandóque ſubjugando verba hæc accipiunt Hebræi, qui ubique ferè Idumæorum nomine indigitari Romanos pertendunt, frivolum eſt, & ab omni ratione alienum commentum, uti ſuo loco manifeſtum faciemus. Cæterùm Jacobi & Eſavi nativitatem ſuo etiam loco exponemus.

XXII. Paulò poſt orta & ingraveſcente in terra Canaan fame, Iſacus mandatum Dei accepit, ne ſecutus exemplum Patris Abrahami in Ægyptum concederet, ſed potiùs terram Canaan inhabitare pergeret, addita promiſſione efficaciſſima de benedicendo ipſo & ſemine ejus, *eò quòd Abraham obediverit voci ſuæ & cuſtodiverit* משמרתו *cuſtodiam ſuam, præcepta, ſtatuta & leges*,

Digitized by Google

leges, cap. XXVI. 2--6. Ex quibus tamen verbis malè Pontificii arguunt, benedictionem Iſaci ex meritis Abrahami fluxiſſe. Quamvis enim bona illa, quæ Deus gratis promiſit Abrahamo & poſteris ejus, non tanquam promiſſa, ſed quatenus ſuo tempore exhibita, fuerint merces fidei & obedientiæ Abrahami, tamen meriti propriè dicti rationem non habuerunt. Ex eadem enim gratia, quâ promittebantur, tanquam merces gratuita erogabantur. Id aliquando, ubi de bonis temporalibus, accidit etiam impiis, qui etſi impuro animo, opus tamen aliquod ſuo genere bonum exercuerunt. Ita Regi impio Jehu, vitulorum cultori Deus dicit 2.Reg. x. 30. *Eò quòd bene feciſti, quod bonum videtur in oculis meis, abnepotes tui ſedebunt in ſolio Iſraëlis.* An igitur ex merito propriè dicto Regem Jehu accepiſſe retributionem putabimus? Confer Ezechiel. XXIX. 19. Meriti vocem hîc uſurpari ab ipſo Auguſtino de C. D. XVI. 36. aſſerente, Abrahami fuiſſe *merita potiora*, quàm Iſaci, non abnuo. Sed ille voce *meriti* ἀκυρολόγως intelligit actionem ex divina ordinatione præcedentem bonorum promiſſorum conſecutionem. Itaque *mereri* veteribus idem eſt quod *conſequi*, & *obtinere.* Qui ſignificatus obtinet etiam apud Claſſicos Authores. Plinius Epiſtol. lib. I. ep. 8. *Idcirco quod gloriam non meruit.* Ubi rectè annotat Caſaubonus: *Meruit eſt* ἔτυχε. Quod verò Abrahamus dicitur cuſtodiviſſe Dei מצותי חקותי ותורתי *præcepta, ſtatuta & leges*, ex eo concludunt contentioſi quidam Hebræi, Abrahamum diligenter ſervâſſe omnes legis partes, etiam eas, quæ ad ceremonias & ritus pertinent. Non diffitemur quidem, quasdam ceremonias in Eccleſia uſurpatas fuiſſe ante legem à Moſe latam. Huc pertinent ſacrificia, circumciſio, abſtinentia à ſanguine. Sed ceremonias à Moſe deſcriptas & imperatas Iſraëlitis ab Abrahamo in univerſum omnes anticipatas eſſe, negamus. Neque id arguit vox חקות quam ad *ritus* referre ſolent Judæi. Etenim ſunto חקות præcepta ritualia. Non tamen inde ſequitur, omnes ritus à Moſe mandatos, ab Abrahamo anticipatos eſſe. Sufficit obſervantem fuiſſe eorum rituum, qui divinitus præcepti fuerunt. Cultus enim ritualis ex voluntate & præcepto Dei pendebat. Deinde חקות præciſè non notant *ritus*, ſeu *ceremonias*, ſed potiùs præcepta cujuscunque generis, quæ ſunt ὁρισμοὶ *definitiones*, modumque & limitationem certam habent. חק enim notat modum cujuscunque rei. Confer Ezech. XX. 11. 25.

XXIII. Iſacus mandato Dei obtemperans, & repetita promiſſione lætus, fame urgente ſive Hebrone, ubi ipſum hoc tempore habitâſſe cenſent nonnulli, ſive ex Beerſeba, non illa, quæ vocatur *puteus viventis videntis Dei*, ſed aliâ quapiam à Gerara verſus deſertum Sur diſtantiore, uti Boulducus rectè demonſtrâſſe videtur, perrexit ad Abimelechum Regem

Digitized by Google

Philiſtæorum in Gerar, ibíque ישב *habitavit*, Geneſ. xxvi. 1. 6. Joſephus Abimelechum hunc eundem facit cum eo, apud quem peregrinatus fuerat Abrahamus, eò quòd congruant nomina tam Regis, quàm ducis exercitus ejus. Verùm argumentum minimè ſtringit, quia temporibus illis unius provinciæ vel Regni Regibus, addo Regum præfectis, qualis Phicol erat, nomina fuerunt communia. Inter Abrahami cum Abimelecho initum fœdus & Iſaci ad hunc Abimelechum adventum lapſi ſunt anni ſeptuaginta quinque. quod ipſum temporis ſpatium alium fuiſſe hunc Abimelechum arguit. Accedit quòd in omnibus, quæ à Rege illo cum Iſaco geſta ſunt, Abrahami ne minima quidem mentio fiat; quæ vix omiſſa fuiſſet, ſi cum eodem illo pactum Abrahamus iniviſſet. Geraræ cùm habitaret Iſacus, conditionem Rebeccæ, exemplo Patris Abrahami idem antea bis factitantis, diſſimulat. Reveritus enim Philiſtæorum inſidias, *ſororem* eſſe quæ *uxor* erat, præ ſe ferre non dubitat. Verùm Abimelechus per feneſtram proſpiciens obſervat Iſacum מצחק את רבקה *ludentem cum Rebecca*, & ex eo non ſororem eſſe, ſed uxorem arguit. Qualis luſus fuerit, incertum eſt. Probabile tamen, geſtum fuiſſe liberiorem, quàm qui conveniret non conjugibus. Ex eo enim conjuges eſſe Iſacum & Rebeccam, colligi poterat. Auguſtinus contra Fauſt. Manichæum lib. xxii. 46. *Hoc Rex ille non cognoviſſet, niſi cum conjuge ille ſic luderet, quomodo cum ea, quæ conjux non eſſet, ludere non deceret.* Hebræi & ſecuti eos Cajetanus, Nicolaus à Lyra, Scholiaſtes Græcus, aliique reprehenſionem merentur, qui luſum hunc de conjugali actu accipiunt. Scholiaſtes Græcus: εὐσχημόνως εἴρηται, *verecundè & honeſtè dictum eſt.* Quaſi ſanctus vir & gravis in propatulo inſtar Cynici uxore abuſus eſſet. Quantò verecundiùs R. D. Kimchi aſſerit, צחק hoc loco eſſe idem quod שעשע *Laxato ſeveriori animo genio indulgere.* Abimelechus comperto, Rebeccam uxorem eſſe, non ſororem Iſaci, præcepit univerſo populo: *Qui tetigerit hominem iſtum aut uxorem ejus moriendo morietur*, verſ. 11. Quibus verbis Rex ille ſatis probus hactenus, cavet tum vitæ Iſaci, tum pudicitiæ Rebeccæ.

XXIV. In terra Geraris tutus fuit adverſus famem Iſacus, Deo mirificè ejus laboribus benedicente. Nam ſevit in terra illa, invenítque eo anno מאה שערים *centuplum*, uti V. I. reddidit, verſ. 12. Græci Interpretes videntur legiſſe שעורים vertunt enim ἑκατοστεύουσαν κριθὴν, *centuplum hordeum.* Ita etiam Syrus. Et ſanè lectio hæc ſi obtineret, ſenſus foret facilimus. Hoc enim nomen non tantùm hordeum, ſed etiam menſuram hordei ſignificat, cùm numerus additur ut Ruth iii. 15. Verùm cùm diverſa ſit lectio, tutiſſimum videtur, ut שערים accipiatur pro בשערים quomodo acce-

acceperunt etiam Thargum Onkeloſi & Arabs. Onkeloſus enim ita transtulit: על חד מאה בשיעורוהי *pro uno centum in menſuris ejus*, ita ut unus modius centum daret. Arabs מאיה באלמקראר *centum in menſuris*. Senſus eſt, meſſem centeſima parte ſuperâſſe ſementem, idque deprehenſum eſſe comparando menſuram ſementis cum menſura meſſis. Ita Seneca: *In Africa habuit agros, qui ſingulis annis centuplum proferrent*. Ludovicus de Dieu mavult huic voci tribuere ſignificationem *portarum*, quàm *menſurarum*, ut ſenſus ſit, ejus quod ſeverat Iſacus, inveniſſe ipſum centuplum, ipſis judicibus, qui *in portis* ſedebant, teſtibus, quippe ubi omnia menſurata erant. Præfero tamen priorem ſenſum, quippe magis accommodatum materiæ præſenti. Apud Hebræos שער & Arabes סער eſt *taxavit*, *æſtimavit*. Unde שער & Chald. שער notat *menſuram*, *modium*, *æſtimationem*, quòd ex menſuris quælibet res æſtimari ſoleat.

XXV. Cæterùm cùm ſupra modum increviſſent facultates Iſaci, Philiſtæi, quos inter degebat ille, invidiæ œſtro perciti, fortunam ejus obliquis oculis limare cœperunt. Malignum animum ſuum in eo exeruerunt, quòd puteos, quos à patre ille habebat, obturavére. Quin Abimelechus potentiam Iſaci non ferens æquo animo, ipſum diſcedere juſſit. Unde ſeceſſit בנחל גרר *in vallem Gerar*. Vulgatus & Arabs vocant *torrentem* non *vallem*. Utrique non malè. Vallis erat, ſed aquis cooperta, quæ à pluviis vel aliunde ſcaturiebant. Unde נחל & vallem & torrentem notat, quia in vallibus plerumque torrentes decurrunt. Malè tamen pro גרר *Gerar* Syrus גדר *Gadar*. Igitur vallem ſeu torrentem Gerar ſibi delegit Iſacus, apud quem ſibi & pecoribus ſuis metaretur ſedes. Verùm nova ibi afflictio nata. Nam etiam extra terminos ditionis ſuæ Philiſtæi Iſaco moverunt litem, & tum puteos antea foſſos à patre obſtruxerunt, tum recens à famulis curatum באר מים חיים *puteum aquæ viventis*, hoc eſt, *aquæ ſcaturientis* juxta Thargum Onkeloſi & Abenezram, vel *puræ* ac *limpidæ*, quo ſenſu apud Maimonidem יין חי eſt *vinum purum* aqua non dilutum; excitatis novis litibus eidem eripuerunt. Nomen puteo controverſo indiderat Iſacus עשק, *calumniam* juxta V. I. *ἀδικία injuſtitia* juxta LXX. Interpretes, שגאל *opus* juxta Arabem. Habet vox עשק juxta Kimchium in radicibus ſignificationem טרדה ועיעור מדברי רז״ל *ſtudioſæ vel affectatæ litis*, *ex veterum Rabbinorum doctrina*. Quia igitur de puteo illo litigatum eſt cum Philiſtæis, *litigii* nomen ipſi impoſitum ab Iſaco. Neque hic finis contentionis. Nam de novo etiam puteo à famulis Iſaci foſſo controverſiam movent adverſarii, quem proinde Iſacus vocat שטנה quod *odium* & *inimicitiam* notat. Unde ἐχθρείαν tranſtulére Græci. Symmachus & Aquila, teſte

 Hiero-

Hieronymo, verterunt *contrarium* & *adverſantem*. Promota nonnihil ſede novum puteum effodi curavit Iſacus. Cui, quòd adverſarii de eo non amplius contenderent nomen impoſuit רחובות *Rehoboth*, cujus ὀνομοθεσίας reddit rationem, כי עתה הרחיב יהוה לנו *nunc enim dilatavit Jehova nobis* (ſubintellige locum, aut habitationem, & confer Pſal. IV. 2. Prov. XVIII. 16. ubi ejus Hebraiſmi occurrunt exempla) *& crevimus in terra*, v. 22. Inde aſcendit Beerſebam, ubi non tantùm de fœdere, promiſſionibúsque divinis amplius à Deo ipſi eo loco apparente confirmatus eſt: ſed etiam commoditatem ſortitus altare extruxit, & nomen Domini invocavit. Cúmque ibi ſedem ſtabilem fixiſſet, ipſi quoque exteri, quos antea invidentia excitaverat, admiratione benedictionum divinarum rapiuntur.

XXVI. Hinc Abimelechus Rex Geraris ואחזת מרעהו *Achozat, & amicus ejus Pichol* dux exercitus ejus fœderis cum ipſo pangendi cauſâ ipſum conveniunt. De אחזת *Achozat* non conveniunt Interpretes. Sunt enim, qui appellativam vocem faciunt potiùs, quàm propriam. Ita Thargum Onkeloſi: ואבימלך אזל לותיה מגרר וסיעת מרחמוהי ופיכל: *Et Abimelech abiit ad eum de Geraris, comitatus amicis ſuis & Phicol.* Ita Hieronymus in quæſt. Hebr. ait, vocem Hebræam non hominem ſignificare, ſed potiùs verti debere vel *collegium*, vel *turbam amicorum ejus*, qui ſcilicet cum eo venerunt. Et ſanè vox אחזת quæ poſſeſſionem notat, ſic verti poteſt, quaſi dicas, & *poſſeſſio amicorum ejus*. Quia tamen מרעהו ſingulare potiùs eſt, quàm plurale, & reliqui Interpretes Græci, Samaritanus, Syrus, Arabs, Vulgatus vocm illam ut propriam accipiunt, eorum potiùs ſententiæ ſubſcribendum duco. Pro מרעהו LXX habent νυμφαγωγὸς αὐτοῦ, *pronubius ejus*, Arabs נדימה *conviva ejus*. Sed amicum Abimelechi notari ea voce certum eſt. Fœdus cum Iſaco viri hi ambiunt hæc in verba: *Videndo vidimus, quòd Jehova ſit tecum, & diximus: ſit nunc juramentum inter nos & inter te, percutiemúsque fœdus tecum: ut non facias nobis malum, quemadmodum non tetigimus te, & quemadmodum fecimus tibi tantummodo bonum, atque dimiſimus te in pace: tu nunc es* ברוך יהוה *benedictus Jehovæ*, Geneſ. XXVIII. 28, 29. Iſacus etſi probè cognoſceret, qua hactenus erga ipſum hi hoſpites & proci fuiſſent mente, tamen etiam inimicos diligendos, & malum malo minimè compenſandum ratus, ſimul reputans, ejusmodi fœdus pacis integra fide & conſcientia ſe cum iis inire poſſe, ויעש להם משתה *fecit iis convivium*, quo finito poſtridie ſummo manè וישבעו איש אחיו *juravit alter alteri*, adeóque fœdus medio juramento ſanxerunt. Cúmque ibidem ſervi puteum fodientes inveniſſent aquam, locum eum juramento antea facto inſignivit שבעה *juramentum*, verſ. 35. Sic enim optimè reddunt LXX Seniores ὅρκον *juramentum*. Chaldæus

dæus tamen, Samaritanus & Arabs nomen proprium *Sebaa*. Vulgatus & Syrus, qui vocem שבעה legerunt cum puncto in ſiniſtro cornu reddunt *abundantiam*. Bonfrerius utrumque rectum eſſe, & duplicem hîc ſenſum eſſe literalem aſſerit. Verùm æquivocationi ejusmodi locum dare neceſſum non habuit, quando ex antecedente juramento planè conſtat, שבעה *juramentum*, non *abundantiam* notare. Quòd verò ſtatim ſequitur idcircò nomen illius urbis fuiſſe באר שבע *Beer ſcheba*, occaſionem dedit quærendi: Quomodo nomen iſtud hîc dicatur urbi impoſitum, cùm illud ante centum jam annos urbi ei inditum ſit ab Abrahamo? Qui Vulgati Interpretis שבע *abundantiam* reddentis errorem tueri conantur, facilè ſe ſolvere poſſe nodum putant ſi dicant, Iſacum nomen à Patre inditum mutâſſe hactenus, quòd pro באר שבע *Beer ſheba, puteus Juramenti*, nomen impoſuerit unius puncti è dextro in ſiniſtrum cornu translatione, באר שבע *Beer ſeba, puteus abundantiæ*. Sed ſupponunt illi lectionem falſam pro vera. Neque cum reverentia filii erga defunctum Patrem conveniebat, temerè quicquam immutare. Non conſtat, fuerítne idem locus, cui Iſacus hîc nomen impoſuit, an verò diverſus à Beerſcheba Abrahami? Si tamen idem fuit, fieri potuit, ut obſtructus à Philiſtæis puteus nomen ab Abrahamo impoſitum amitteret, & illud jam obſoletum ab Iſaco poſtliminiò ob ſimilem ὀνομοθεσίας cauſam in uſum revocaretur.

XXVII. Iſaci ad ſenium vergentis oculi hebeſcere cæperunt. Nam תכהין עיניו מראות *caligârunt oculi ejus, ut non videret*, Geneſ. XXVII. I. Quæ verba non tam cæcitatem Iſaci, quàm aciei ipſius hebetudinem notant. Ità enim capienda ſunt verba מראות *ut non videret*, nempe diſtinctè, & viſione tali, quâ res internoſci poſſent. Quæ quidem naturalis infirmitas mortis propediem inſtantis ſignificationem præbuit. Ad eam igitur cùm ſe piè accingeret, filiorum rationem ante omnia habuit, quibus benedictionem ſingularem confecto veluti teſtamento impartivit. De quo Iſaci teſtamento uberiùs poſt hiſtoriam obiter expoſitam Jacobi & Eſavi faciente Deo, diſſeremus.

XXVIII. Poſt benedictionem filiorum ſuperſtes fuit nihilominus annos tres & quadraginta, ut ratio temporum oſtendit. Atque interea temporis ex Beerſcheba ſedem promovit in planitiem Mamre, civitatem nimirum *Arbe* ſeu *Hebron*. Eodem ſe cum univerſa familia contulit Jacobus poſt ſuum ex Meſopotamia reditum, ut parentem feſſæ jam ætatis virum mutua cohabitatione & officiorum promptitudine ſublevaret. Atque ſic agens annum ætatis octogeſimum ſupra centeſimum, piè obdormivit, & à filiis Eſavo & Jacobo ſepultus eſt, Geneſ. XXXV. 27, 28, 29.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XII.

DE

E S A V O.

Nec non

ESAVITIS & HORRÆIS.

Breviarium.

Eſavi nativitas. Verba אדמוני כלו כאדרת שער *ex Orientalibus explicata. Rufus color & pili Eſavi cujus rei ſignum?* 1. *Nomina Eſavi,* עשו , שעיר , אדום, *Eſau, Seir, Edom exponuntur. Terra* אדום. Ἰδουμαῖοι. *Græcorum* ἐρύθρας *&* עיץ *Eis Muhammedanorum eſt Eſavus.* 2. *Eſavi circumciſio, educatio.* 3. *Vitæ genus cum feroci indole Eſavi congruum. Venationis uſus & laudes. Venatorum mentio in ſacris eſt* διασυρτικὴ *& infamis.* 4. *Iſaci erga Eſavum affectus. Quid* ציד בפיו*? An Iſaco fas & pium fuerit Eſavum levem ob cauſam, edulium nempe, in amore præferre Jacobo? An Iſacus oraculi de Jacobo Eſavo præferendo conſcius fuerit? Argumenta amoris Iſaci erga Eſavum.* 5. *Prædeſtinationis divinæ Jacobum Eſavo præferentis* ἐνέργεια *in venditione primogenituræ Eſavi.* נזיד *Jacobi. Frugalias familiæ Iſaci, & veterum. Lenticulæ uſus apud Ægyptios, Græcos, Stoicos. Rabbinorum de uſu lentis apud Patriarchas fabula notatur.* 6. *Eſavus à Jacobo ſolicitat pulmentum. Quid* הלעיטני*? Cur ab edulio hoc cognomen* אדום *Edom hæſerit?* 7. *Jacobus Eſavo condicit pulmentum ea lege, ſi primogenituram ſibi vendat. Quid* כיום*? Primogenituræ Eſavi prærogativæ ſingulares. Quomodo vendi potuerit jus primogenituræ, cùm ejus bona inprimis ſpiritualia*

in

in Dei poteſtate fuerint ? 8. Eſavi in vendenda primogenitura promptitudo. Quis ſenſus ſit verborum ejus : En ego vado , ut moriar , & cui bono mihi hæc primogenitura ? Eſavi βιβήλε profani peccatum & impietas deſcribitur. An contemnens primogenituram, exiguas parentis Iſaci opes , an bona ſpiritualia deſpexerit ? 9. Matrimonium Eſavi cum diverſis conjugibus , nimirum Jehudith, ſeu Aholibama , Boſmath ſeu Ada, nec non altera Boſmath ſeu Maheleth. Quomodo Aholibama fuerit בת ענה *filia Anæ, & ſimul* בת צבעון *filia Sibhon ? Mulierum Eſavi mores & ægritudo , qua Iſacum & Rebeccam affecerunt. 10. Teſtamentum Iſaci , ſeu benedictio filiorum Eſavi & Jacobi. Fuga Jacobi in Meſopotamiam , & Eſavi adverſus ipſum hoſtilitas , ſecutáque reconciliatio. 11. Habitatio Eſavi in Seir. Quomodo dicatur circa reditum Jacobi habitâſſe in Seir , cùm poſt mortem demum Iſaci Geneſ.* XXXVI. 8. *eò migrâſſe dicatur ? Auguſtini & Hebræorum de eo ſententiæ ventilantur. 12. Eſavi migrationes. Sepultura Iſaci. De morte Eſavi figmentum Authoris Teſtamenti Patriarcharum & Hebræorum. 13. Genealogia & poſteri Eſavi. Cur eam Genealogiam texuerit Moſes ? 14. Quales fuerint* אלופים *Duces Eſavitarum? Diſcrimen inter* אלף *Ducem &* מלך *Regem. Regimen Eſavitarum fueritne primò ariſtocraticum , deinde Monarchicum , mox iterum Ariſtocraticum ? An verſ. 32. per Regem Iſraëlitarum notetur Moſes ? 15. Horræorum genealogia. Pertinuerintne ad poſteritatem Eſavi ? Eugubinus & Serrarius refelluntur. Cur Moſes Horræorum genealogiam pertexuerit ? Quis fuerit* שעיר חרי *? Idumeæ Orientalis & Auſtralis diſtinctio. 16. Quo ſenſu Ana , Seir Horræi ex Sibhone nepos in deſerto dicatur inveniſſe* הימם. *Vox* הימם *non notat vel aquas calidas , vel aquas in genere , vel maria , vel mulos , ſed populum , Emæos nimirum. An ab Ana deſcenderint Heneti ? Hieronymi , Hebræorum tum veterum tum recentiorum , Interpretum Chriſtianorum explicatio vocis* ימם *examinatur. Fueritne Ana* ממזר *ſpurius ex damnato concubitu ? Ratio progignendi mulos quo tempore exorta ? 17. Maris Erythræi ſeu rubri denominatio ab Erythro Eſavo. Idumeæ veteris*

 ampli-

amplitudo. Situs civitatis Eſiongaber. 18. *Odium Dei erga Eſavum, de quo Malach.* I. 2. & *Rom.* IX. 13. *quale fuerit? Fueritne Eſavus exemplum reprobationis, an figura tantùm reproborum, in eo conſiſtens, quòd ſicut Eſavus à bono temporali, ita infidelis à bono ſpirituali rejiciantur? Bonfrerius, Pontificii, Pſeudo-Lutherani, rejiciuntur. Conſenſus adverſariorum de abſoluto decreto reprobationis ex odio Dei erga Eſavum.* 19. *Odium Dei erga Eſavum arguere ejusdem reprobationem probatur.* 20.

I. ISACO ſexagenario nati ſunt gemini, ingenio, virtutibus & ſorte perquam diſpares, Eſavus & Jacobus. Eſavi primogeniti hiſtoriam nunc pandere animus eſt. Is ex Rebeccæ utero egreſſus eſt prior אדמוני כלו כאדרת שׂער, *rufus & totus in morem pellis hiſpidus*, Geneſ. XXV. 25. Ita V. I. Græci tamen aliter conſtruunt: Ἐξῆλθε ὁ πρωτότοκος πυῤῥάκης ὅλος, ὡσεὶ δορὰ, δασύς: *Exiit primogenitus rubeus totus, ſicut pellis, piloſus.* Thargum Onkeloſi, ונפק קדמאה סמיק כוליה כגלם דשׂער *Et egreſſus eſt primus rufus, totus quaſi pallium hiſpidum.* Syrus ונפק קדמיא סמקרי וכלה עוקתא דסערא *Et egreſſus eſt prior rufus, totúsque in annulos pilorum.* Arabs denique וכרך אלאול אחמריא כל בונה כמדרעה סער *Et egreſſus eſt primus rufus, totúmque corpus ejus veluti ſaga piloſa.* Conveniunt in eo, quòd prodierit in lucem hujus mundi *rufus & piloſus.* Et rufus quidem quod prodiit, סימן הוא שיהא שופך דמים *ſignum erat, quod ſanguinem effuſurus eſſet*, uti loquitur Jarchius. Sed & naſci toto corpore piloſum, כטלית של צמר המלאה שׂער *inſtar pallii lanei, pleni pilis*, uti rurſum loquitur Jarchius, inſolens eſt planè, imò & pilos poſtea adnaſci tam frequentes, cujusmodi fuiſſe in manibus ac collo Eſavi declaratur cap. XXVII. 16. rarum id eſt & infrequens, imò portento ſimile. Eſtque ſignum temperamenti calidi, ferocis ingenii, & robuſti corporis, cujusmodi omnino fuit Eſavus.

II. Tria Eſavo nomina Scriptura tribuit, עשׂו *Eſavus*, שׂעיר *Seir* & אדום *Edom.* Primum quod attinet, Hieronymus de Nom. Hebr. in Geneſin varias ejus nominis affert interpretationes, ita ut notet vel *rubrum*, vel *acervum lapidum*, vel *vanum*, vel *facturam.* Cajetanus: *Ajunt dictum eſſe Eſau eò quòd natus ſit, quaſi perfectus homo. Piloſitas enim perfectæ ætatis ſignum erat, quatenus erat effectus adulti hominis.* Neque abludit ab hac ſententia Oleaſter: *Sonat*, inquit, *vox Eſau factum ſive facturam ejus; ſed qualiter alludat ad rem, ignoratur: niſi dicamus eum ſic vocari, quòd quaſi factus & adultus homo ſit ex utero matris egreſſus, ferens ſecum pilos, qui in aliis pueris*

Digitized by Google

pueris ſucceſſu temporis naſcuntur & creſcunt. Atque ſic עשו *Eſau* dictus fuerit à עשה *facere.* Niſi fortè melior eſt interpretatio ex eventu, ut עשו *Eſau* dictus ſit à עסס *calcare & premere*, eò quòd Jacobi manum calcaret & premeret, ſicut יעקב *Jacob* dictus eſt à עקב *ſupplantare*, *plantam tenere*, eò quòd in egreſſu ex utero plantam alterius teneret. שעיר *Seir* dictus eſt, quia *piloſus*, à שער *pilus*; vel certè à monte *Seir*, quem incoluit. Denique אדום *Edom* nuncupatus eſt tum à polenta rufa, quam à fratre ceſſione primogenituræ emerat, tum à pilorum rubicundo colore. Unde terra ab Eſavo occupata ampliſſima venit nomine אדום *Edom*, & gens ipſa Edomitæ vel Idumæi, Græcè Ἰδουμαῖοι & Ἐδουμαῖοι. Stephanus in voce Ἰδουμαῖοι id ſic explicat: Ἰδουμαῖοι ἔθνος Ἐβραίων (legendum ἀράβιον authore apud ipſum Stephanum Sunio Hiſtorico) ἀπὸ ἀδόμου. Ἄδομα γὰρ οἱ Ἐβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν. ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ ἀδελφῷ (lege αὐτῷ ὁ ἀδελφὸς) τὰ πρωτεῖα εἴληφε. *Idumæi Gens eſt Arabica ab Adomo. Adomum enim Judæi Rubrum vocant, quoniam cibo ruſo ei conceſſo, frater primatum eripuit.* Sicut autem Eſavum Hebræi אדום ita Græci ἐρυθρὸν *Erythrum* vel *Erythram* potiùs, uti vulgatam lectionem authorum corrigit Salmaſius Exerc. Plin. p. 480. vocant. Quamvis enim *Erythrum* ſeu *Erythram* illum Regem, à quo mare rubrum ſeu Erythræum dictum eſſe antiqui obſervant, fuiſſe Perſam tradat Agatharchides ex ore Buxi cujusdam, apud Strabonem lib. 16. alii verò ex Patre Perſeo, Danaes filio, Argivum vel Græcum fuiſſe contendant: tamen Doctiſſimus Fullerus Miſcell. IV. 20. fuſè oſtendit, non alium fuiſſe Erythrum hunc Regem quàm Eſavum, ſeu Edomum. Eſt enim אדום Græcè πυῤῥὸς, ἐρυθρὸς *ruber.* Quòd verò Suidas ἐδώμ explicat θερμασίαν, in eo non parum fallitur. Nam eò potiùs nomen Græcum Ἄιθων, quàm Hebræum אדום explicatur. Muhammedanis venit nomine עיץ *Eiz.* Ita eum vocat Keſſæus, aliique Arabum Scriptores. Integrum nomen eſt עיץו quod videſis apud Golium in Lexico Arabico, radice עיץ.

III. Iſacum in filio hoc ad gloriam Dei educando nihil feciſſe reliqui, piè credimus. Neque dubitamus, quin circumciſionis Sacramento eum in fœdus Dei cooptari curaverit. Proinde Hebræis quibusdam, qui authore R. Jehuda apud Eliezerem Pirke cap. 29. Eſavum circumciſionem contempſiſſe nugantur, temeritatis notam impingimus. Quomodo enim in octiduanum infantem cadere potuit ejusmodi tergiverſatio aut vilipendium?

IV. Adoleſcens Eſavus factus eſt איש יודע ציד איש שדה *vir gnarus venandi, & agricola*, Geneſ. XXV. 27. Quod quidem vitæ inſtitutum cum feroci & efferata ejus indole conveniebat admodum. Venationis quidem ſtudium

Digitized by Google

per ſe vituperandum non eſt. Cùm enim Deus homini dominium conceſſerit in animalia, eáque in alimentum ejus cedere juſſerit, ipſam etiam θήραν, ſeu capturam animalium, ſine qua uſui humano vindicari nequeunt, probâſſe cenſendus eſt. Unde etiam Ariſtoteles Polit. 1. 8. inter genera vitæ naturalia recenſet capturam ſeu venationem, eo argumento, quòd quærat ea, quæ hominum cauſâ à natura ſunt procurata. Proinde ipſum etiam Iſacum venatione non indelectatum eſſe arguit, quòd Eſavum ob venationes diligeret. Et Gentiles ejus originem Apollini & Dianæ adſcribere non verecundantur. Quibus etiam ſolenne erat captâ nobili aliquâ ferâ, ejus partem aliquam in honorem Dianæ affigere arbori alicui ejus ſylvæ, in qua capta eſt. Porro de venationis utilitate & laudibus ſcripſit præclarè in κυνηγετικῷ ſuo Xenophon. De Trajano Plinius Panegyricæ cap. 81. *Olim hæc experientia juventutis, hæc voluptas erat. His artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu.* Addendi Plato non uno loco præcipuè lib. 7. *de Legibus*, Plutarchi Sertorius cap. 19. Vegetius 1. 7. Dio Chryſoſtomus Orat. 3. de regno ſub finem; Pollux præfat. lib. 5. Nihilominus in ſacris venatorum mentio ſubinde eſt infamis & διασυρτική, uti ex Nimrodi hiſtoria, Pſalmis & Mich. VII. colligitur. Unde Hieronymus in Pſal. 90. ſcribere non erubuit, *Eſavum venatorem fuiſſe, quoniam peccator eſſet, & penitus in ſacris libris non inveniri ſanctum aliquem venatorem.* Et Gregorius M. lib. 5. Moralium: *Scriptura ait, factum eſſe Eſau virum gnarum venandi & agricolam. Quid autem per venationem Eſau, niſi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fuſi, carnem ſequuntur?* Hieronymus rurſus apud Gratianum diſt. 87. notat, in Scripturis non inveniri *ſanctos venatores*, ſed *piſcatores.* Rationem ibidem reddit gloſſa, *quia piſcatio fit ſine clamore, venatio non item*, niſi forte dimiſſis canibus, retia tantùm expediantur. Et notum eſt, venatores latrociniis & prædæ aſſuefieri adeò facilè, ut etiam Ariſtoteles in Politicis, Plinius, aliique latrocinium & prædam venationis ſpeciem facere non dubitaverint. Exemplo ſunt hodie Tartari & Arabes, olim Scythæ & Numidæ.

V. Iſaco in deliciis erat admodum Eſavus, כי ציד בפיו ὅτι θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ, *eò quòd de venationibus illius veſceretur*, Geneſ. XXV. 28. Ita LXX & Vulgatus cui conſonum eſt Thargum Onkeloſi, ורחים יצחק ית עשו ארי מצידיה הוה אכיל *Et dilexit Iſacus Eſavum, quia de venatione ejus veſceretur.* Hebraiſmus, ad verbum ita ſonans: *Iſacus diligebat Eſavum, quia venatio in ore ejus.* Jarchius annotat: כתרגומו בפיו של יצחק ומדרש בפיו.של עשו שהיה צד אותו ומרמהו בדבריו *Juxta Thargum, in ore ejus. Et Midras, in ore Eſavi, quia*

quia is venabatur eum & fallebat verbis ejus. Malim omnino referre ad os Iſaci potiùs, quàm Eſavi. Venabatur filius pro ore Iſaci, & venatione hac ejus ſibi benevolentiam conciliabat. Abenezra, היה מביא ציד בפיו *afferebat venationem in os ejus.* Confer cap. XXVII. 31. Cùm igitur Iſacus Eſavum ob venationem, Rebecca Jacobum dilexiſſe feratur, meritò quæſitum eſt, an viro gravi & ſancto fas fuerit ob cauſam adeò levem Eſavum in amore præferre Jacobo? Plerique Interpretes exiſtimant, Iſacum primò conſcium, & poſtea oblitum fuiſſe oraculi, quo Jacobo potiùs, quàm Eſavo hæreditas à Deo deſtinata fuit; Rebeccam verò ejus oraculi memorem Jacobum prætuliſſe. Id ſi verum eſt, Iſacus excuſari non poteſt, qui non religioſiùs meminerit oraculi præcedentis. Putem tamen, oraculi quidem & conſcium & memorem fuiſſe Iſacum, ſed ejus ſenſum & ſcopum non probè percepiſſe, adeóque divinam Jacobi electionem & Eſavi rejectionem hactenus ignorâſſe. In eo videtur ſubſtitiſſe uterque parens, quòd duo populi orituri eſſent ex Rebecca, quos inter perpetua diſſidia futura ſint. Neuter tamen exiſtimabat adhuc, quæ de duobus populis dicebantur, ad duo illa individua pertinere. Proinde diviſus ille parentum affectus referri poteſt partim ad naturæ inſtinctum, partim ad occultam Dei diſpenſationem, qui occaſiones ita proponebat, ut ingeneraretur in unoquoque eorum affectus ex iis cauſis, quibus magis afficiebantur, pro ratione ſuarum inclinationum. Iſacus igitur præferebat Eſavum, quia primogenitus erat, & erga patrem officioſus, atque in hoc maximè, quòd parentis ſenis palatum cibis gratioribus venatione conquiſitis recrearet. Habet enim hæc officioſitas filiorum, & ſtudium gratificandi parentibus magnam vim ad augendam benevolentiam paternam. Itaque non tam captus dulcedine aut ſapore cibi, quàm officioſitate Eſavi ἀντιπελαργοῦντος eum dilexit. Præterea judicavit haud dubiè eum rebus gerendis aptiorem & animoſiorem. Hæc argumenta amoris Iſaci, quem interea aliquid etiam humanitus hîc paſſum non diffitemur. Quòd verò Rebecca dilexit Jacobum, non tam id fecit propter oraculum dexteriùs perceptum, quàm propter naturæ inſtinctum, quo ferebatur in Jacobum potiùs, quàm Eſavum, propter mite & placidum ejus ingenium, τὸ ἄπλαστον τοῦ παιδὸς, *minimè fucatam pueri indolem*, ut loquitur Chryſoſtomus, & vitam quietè transactam. Interim utriusque parentis affectum Deus arcana quadam ratione flexit, & gubernavit, ut propoſitum ſuum ad finem dirigeret, & oſtenderet, totius negotii illius ſucceſſum à ſua electione pendere, quæ non tantùm nullo aliunde adminiculo fuit ſublevata, ſed etiam paſſa eſt judicio paterno Eſavum præferri Jacobo, & hunc velut rejectitium poſthaberi. Atque ſic demonſtravit

Digitized by Google

ſtravit Deus, electionem eſſe ex mero propoſito, non ex ulla conditione quæ eligendum amabilem faceret, Rom. xi. 11, 12, 13. &c. Non malè Chryſoſtomus homil. 50. in Geneſin: οὗτοι μὲν τῇ φυσικῇ φιλοστοργίᾳ κατακολουθοῦντες ταῦτα ἐποίουν. Ἡ δὲ πρόῤῥησις κατὰ μικρὸν εἰς ἔργον ἐξῄει, ἡ λέγουσα, ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. *Illi quidem naturali inſtinctu incitante id fecerunt. At prædeſtinatio brevi in opus exibat, dicens: Major ſerviet minori.*

VI. Eſt ſanè ita, ut Chryſoſtomus obſervat. Naturali inſtinctu, & arcana Dei directione diverſa fuerunt in liberos ſtudia parentum. Iſacus Eſavum tanquam primogenitum, Rebecca Jacobum dilexerat. Sed ſtatim prædeſtinatio præponens Jacobum Eſavo ſe exeruit. Nam qua prærogativa pollebat Eſavus ſupra Jacobum, primogenituræ nimirum jure, illam ſua ſponte & petulanter perditum ivit. Id quomodo factum ſit, exponit Moſes Geneſ. xxv. 29, 30. Coxerat nempe Jacobus נזיד *coctionem* ſeu *pulmentum* nempe עדשים *ex lentibus*, uti ex verſ. 34. colligitur. Ita nempe in domo opulentiſſima, quæ rerum omnium copia abundabat, ſummam videre eſt frugalitatem & parſimoniam. Qualem in victu ſimplicitatem priſcis & nobilibus cæteroquin gentibus tribuit Ælianus lib 3. de varia hiſtoria. *Arcades*, inquit, *glandibus veſci conſueverunt: Argivi pomis quæ Appia dicuntur: Athenienſes ficubus: Tyrinthii ſilveſtribus pyris: Indi arundinibus: Carmani palmis: milio Sauromatæ & Mæota: terebintho & naſturtio Perſæ.* Porro de lente ita Auguſtinus ſuper Pſal. 46. *Lenticulam invenimus cibum eſſe Ægyptiorum: nam ibi abundat in Ægypto, unde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit usque in terras noſtras, quaſi hic non naſcatur lenticula. Ergo deſiderando Eſau cibum Ægyptiacum, perdidit primatum.* Aliâs lens Græcè φακὴ ſeu φακὸς, olim Philoſophis in cibo maximè placuit, & apud Græcos magno in pretio fuit, ut paſſim ex antiquis literarum monumentis colligi poteſt. Apud Athenæum Zenonem ſolitum fuiſſe lentes coquere invenimus. Inde, teſte eodem Athenæo lib. 4. Stoicorum dogma erat, *ſapientem omnia rectè agere, & lentem diligenter condire.* Fingunt Hebræi apud Eliezerem cap. 35. lentium eſum fuiſſe Patriarchis uſitatum in luctu & ægritudine animi. Itaque etiam Jacobum ediſſe lentis ferculum in luctu & anguſtia, *eò quòd regnum, primogenitura & dominium eſſet Eſavi.* Alii fingunt lentes à Jacobo coctas eſſe in luctu ob Abrahami avi mortem, quæ idem in tempus inciderit. Ita Jarchius. Sed qua in culina coqui hi id didicerint, viderint ipſi. Nihil familiarius eſt his Magiſtris, quàm ſuis diſcipulis ejusmodi fercula traditionum juſculo condita apponere.

VII. Eſavus ex agro domum redux Jacobum compellavit de pulmento his verbis: הלעיטני נא מן האדם האדם הזה כי עיף *da mihi, ut comedam quæſo de*

rufo

ruſo ruſo iſto, quia laſſus ſum. Gen. xxv. 30. Græci: Γεῦσόν με ἀπὸ τοῦ ἑψήματος τοῦ πυῤῥοῦ τούτου, ὅτι ἐκλείπω. *Da mihi guſtum de coctione rubea iſta, quia deficio.* Thargum Onkeloſi: אטעימני כען מן סמוקא סמוקא הדין ארי משלהי אנא *da mihi guſtandam coctionem hanc ruſam, quia laſſus ſum ego.* Ita etiam Syrus. Verbum הלעיט eſt ἅπαξ λεγόμενον, אין לו חבר *cui ſocium non eſt*, ut loquitur Abenezra. Idem ait ſenſum eſſe האכילני *fac me comedere.* Jarchius ita explicat: אפתח פי ושפוך הרבה לתוכה *Aperiam os, & infundes ei multum.* In Bava Kama fol. 69. 1. הלעיטהו לרשע וימות *Sine comedere improbum ut moriatur.* Thalmudici transferunt ad cibationem animalium, quando cibus vel pabulum ipſis in os ingeritur, ita tamen ut rejicere poſſint, ſi non ſapiat. Vide *Schabbath* fol. 155. 2. Petiit ergo Eſavus à Jacobo guſtum ſibi præberi pulmenti מן האדם האדם הזה *de coctione hac ruſa*, uti V. I. & ante ipſum Paraphraſtes Chaldæus habet. Is nempe erat pulmenti color, ſive nativus à lente, ſive aſcititius à ſuperaddito condimento. Geminatio in Hebræo vel quantitatem majorem, vel qualitatis intenſionem notat. Videtur etiam duplicatio illa habuiſſe ſingulare aliquid, quia ex eo factum, ut vocatus fuerit propterea Eſavus אדום *Edom.* Joſephus Antiq. 11. 1. ab adoleſcentibus colluſoribus per ſarcaſmum ita vocatum eſſe Eſavum putat, quippe qui & rufus fuerit, & rufi pulmenti pretio jus primogenituræ perdiderit.

VIII. Jacobus fratri condicit pulmentum ea lege, ſi primogenituram ſuam ipſi cedat. Verba ejus ſunt: מכרה כיום את בכרתך לי *vende mihi hodie primogenituram tuam*, verſ. 31. Illud כיום ſic explicat Jarchius, ut petierit Jacobus ſibi vendi jus primogenituræ tam clarè, perſpicuè & liquidò, quàm clarus, perſpicuus & liquidus erat ille dies, hoc eſt, venditione abſoluta, de qua deinceps controverſiam movere nemo poſſit. Verba ejus: כיום שהוא בר ברור כך מכור לי מכירה ברורה *Sicut hodie, ſicut hic dies clarus & liquidus eſt, ita vende mihi venditione liquida.* Mallem tamen illud Kaph facere כף האמתי, quod ſcilicet veritatem, certitudinem & confirmationem rei importet, ut ſenſus ſit: Vende mihi hoc ipſo die ſine ulla mora aut dilatione. Quibus verbis Eſavo fame preſſo extorqueri poſſe τὰ πρωτοτόκια ſperabat. De primogenituræ prærogativa multiplici diximus tomo priori, Exercit. 1. Sect. 19. In familia Iſaci hoc præterea proprium habuit jus primogenituræ, quòd ei promiſſa fuerit origo Meſſiæ ex ſemine ſuo. Jam quæ naturalia erant, neceſſariò ſequebantur partus ordinem, neque fieri poterat, ut ab Eſavo ad Jacobum transferrentur. Factum enim ſemel fieri infectum non potuit. Sed quæ ex ordinatione Dei, vel hominum ſtatutis, aut uſitata apud ipſos conſuetudine huic naſcendi prioritati annexa erant, illa cùm ſeparabilia fuerint à prioritate naſcendi, transferri in alios potue-

Digitized by Google

potuerunt. Verùm cùm præcipua in Sacerdotio dignitas, & præcipuè jus illud ſeminis benedicti tanquam bona ſpiritualia, non tam in Eſavi, quàm in Dei ipſius poteſtate fuerint, annon igitur ludicra fuerit illa tum venditio Eſavi, tum emptio Jacobi, adhuc quæritur. Quomodo enim Eſavus vendere potuit, quod in poteſtate ſua poſitum non erat, vel emere Jacobus, quod non in vendentis jure, ſed Dei gratuita diſpenſatione eſſe cognoverat? Sanè irrita fuiſſet omnino illa venditio & ludicra, niſi Deus gratis in veritate dediſſet, quod Eſavus vendebat in imagine & externa profeſſione. Itaque venditio illa & emptio in ſe quidem rata, legitima & valida non fuit: Fuit tamen rata & valida, quia Deus eam gratuita donatione & diſpenſatione confirmavit. Præterea venditio & emptio hæc detegebat utriusque fratris conatum, animum & ſtudia. Eſavus terræ & præſentibus caducis bonis affixus, vilipendebat ſpiritualia illa, quæ Jacobus ſuſpiciebat vehementer & quantivis faciebat. Quamobrem etiam βέβηλον *profanum* vocat Paulus XII. 16.

IX. Eſavus Jacobo conditionem ſatis per ſe difficilem figens, promptè tamen & expeditè gratificatur his verbis: *En ego vado, ut moriar,* ולמה זה לי בכרה *& cui bono mihi hæc primogenitura?* verſ. 32. Putant nonnulli, præſentis ob famem mortis metu impulſum, etiam pretioſiſſimo cæteroquin cimelio vitam ipſum redimere voluiſſe. Verùm veriſimile non eſt, in opulenta Iſaci familia fame pereundum fuiſſe Eſavo, niſi impetrato à fratre pulmento; vel tam crudelem fuiſſe Jacobum, qui in extremo mortis diſcrimine fratri duram conditionem præfigere auderet. Hoc igitur voluit Eſavus nidore pulmenti & præſente offâ ineſcatus, fieri poſſe ut brevi & ante ipſum patrem moriatur, cùm quotidie venationibus ſe exerceret, & ancipiti periculo objiceret. Quo caſu nihil ſibi profuturum eſſe jus hoc primogenituræ. Hæc mens etiam Abenezræ, cujus hæc paraphraſis: שבכל יום ויום הוא מסתכן בעצמו כאשר יצא לצוד שמא יהרגוהו החיות ויתכן שימות קודם אביו *Quia quotidie periculis ſe ipſum exponebat, ſicut exivit ad venandum, forte beſtiæ ipſum occidiſſent, atque ſic fieri poterat, ut moreretur ante patrem ſuum.* Ita inſtar hominis Epicuræi & Sybaritæ, de futura vita parùm vel nihil ſolicitus, cantilenam illam cecinit, quæ extat Eſai. XXII. 13. *Edamus & bibamus. Cras enim morituri ſumus.* Cúmque Jacobus adeò facilem eum deprehenderet, majoris certitudinis & ſecuritatis ergo ipſum ad jurandum compulit. Eſavus igitur ישבע לו וימכר את בכרתו *Juravit ei, & primogenituram ſuam ipſi vendidit.* Quibus verbis ejus ſecuritas & vanitas magis proditur, qui rem tantam tam vili pretio, etiam juramento ſine ſontica cauſa temerè admiſſo, vendiderit. Neque ſanè Eſavi peccatum fuit leve, neque

frustra

fruſtra βέβηλον *profanum* ipſum inſignit Apoſtolus, hoc eſt, μιαρὸν, ἀκάθαρτον, *impurum*. Etenim primò ejus intemperantia & gula maximè in hoc actu ſeſe prodidit. Deinde res ſacras & ſpirituales, qualis erat primogenitura, quippe cum qua connexum erat jus Sacerdotii & adoptionis in hæreditatem eccleſiæ, flocciſecit, & venales expoſuit, facta leviſſimi pretii commutatione. Nam ויבז עשו הבכרה ἐφαύλισεν Ἡσαῦ τὰ πρωτοτόκια, *ſprevit Eſavus primogenituram*. Quod non tam de contemptu boni temporalis, quaſi paternas opes tanquam exiguas & tenues deſpexerit, uti Abenezra peſſimè ratiocinatur frivolis adductis argumentis, quàm boni ſpiritualis intelligendum. Jarchius non malè: העיד הכתוב על רשעו שביזה עבודתו של מקום *Teſtatur Scriptura de ejus impietate, qui contempſerit cultum ejus loci.* Et Thargum Hieroſolymitanum: בזי עשו ית בכורותא ואפס חולקה בעלמא דאתי וכפר בתחיית מתיא *Contempſit Eſau primogenituram, & floccipendit partem futuri ſeculi, negavítque reſurrectionem mortuorum.* Præterea adhibito juramento, & interpoſito Dei nomine, patravit ſcelus. Id jam horrendi ſtuporis indicium erat, quod Jacobo juramentum, quod nunquam niſi deliberato animo, & re bene perpenſa, & in negotio graviſſimo, extremáque urgente neceſſitate præſtari debet, exigenti promptè paret, & nomen Dei interponit. Denique patrato ſceleri addidit obſtinationem & impœnitentiam. Quò pertinent verba ויבז הבכרה *& contempſit primogenituram.* Innuit enim Moſes, etiam poſt factum illum in eo contemptu perſtitiſſe. De Jacobi facto ſeorſim in ejus hiſtoria agendum fuerit.

X. Quadrageſimo ætatis anno inivit Eſavus matrimonium cum duabus uxoribus, nimirum יהודית בת בארי החתי *Jehudith ſeu Judith filia Beeri Hitthæi*, & בשמת בת אילון החתי *Boſmath ſeu* Βασεμὰθ *Baſemath filia Elon Hitthæi*, Geneſ. XXVI. 34. At cap. XXXVI. 2. tres commemorantur uxores Eſavi, nimirum *Ada, filia Elon Hitthæi, Aholibama filia Ana filiæ Sibon Hivæi, & Boſmath filia Iſmaël, ſoror Nebajoth.* Et Ada quidem eadem videtur fuiſſe cum Boſmath, cujus mentio eſt cap. 26. Utrobique enim parens nominatur Elon, & Hetthæus dicitur utrobique. Sed & Aholibamam eandem fuiſſe cum Jehudith ſeu Judith cap. 26. hariolantur nonnulli: cujus mater hîc Ana, pater ibi Beeri dicatur. Potuerunt & ſoceri & uxores eſſe πολυώνυμοι. Sed & quæ Boſmath vocatur cap. 36. eadem putatur cum *Maheleth* cap. 28. 9. Similis nominum commutationis exemplum Abenezra affert Abiam Regem, qui 1. Reg. XV. 2. & 10. nuncupatur filius Maahæ, filiæ Abſolon; at 2. Chron. XIII. 2. filius Mihagu, filiæ Hunæ. Sed de Aholibama בת ענה *filia Anæ* dubitari poteſt, quomodo eadem ibidem dicatur בת צבעון *filia Sibhon?* Movet hoc dubium Menaſſe ben Iſraël Concil.

in Geneſin quæſt. 54. ibidémque varias Rabbinorum conciliationes adducit, quas omnes afferre nihil attinet. Putem minimè abſurdum eſſe, ſi dicamus, Aholibamam fuiſſe filiam Anæ, & ipſam Anam filiam fuiſſe Sibhonis: adeóque Aholibamam fuiſſe filiam Anæ, neptem Sibhonis. Neque obſtat, quòd verſ. 24. Ana filius Sibhonis, non filia nuncupatur. Nihil enim vetat, quò minùs Sibhon & filium & filiam habuerit, *συνόνυμον* utramque. Cæterùm ſine conſilio, & conſenſu parentum duxiſſe Eſavum uxores haſce ſit probabile. Unde de Judith & Boſmath teſtatur Moſes, illas fuiſſe מרת רוח ליצחק: ולרבקה *amaritudinem ſpiritui Iſaci & Rebeccæ*, cap. XXVI. 35. Ubi Græci I. habent: καὶ ἦσαν ἐρίζουσαι τῷ Ἰσαὰκ, καὶ τῇ Ῥεβέκκᾳ. *Et erant renitentes Iſaco & Rebeccæ.* Thargum Onkeloſi: והואה מסרבן ומרגין על מימר יצחק ורבקה. *Et erant rebelles & irritatrices contra mandatum Iſaci & Rebeccæ.* Nempe מרת derivavit à מרה *rebellare*, non à מרר *amarum eſſe.* Senſus eodem redit. Exacerbârunt parentes moribus pravis, & contumacia ac dedignatione parendi.

XI. Eſavum porro cùm chariſſimum haberet Iſacus, is mortem inſtare brevi ratus, benedictionem ei impartiri meditabatur. At Jacobus, cui antea τὰ πρωτοτόκια vendiderat, meditato Rebeccæ dolo inſtructus, ei benedictionem præripuerat. Qua de re fuſè agimus exercitatione ſingulari de Teſtamento Iſaci, & benedictione filiorum ejus. Interim dolus Jacobi circumvenientis fratrem cauſam dedit odio inteſtino, & ἀσπόνδῳ, quo Eſavus incitabatur erga fratrem: quòd eouſque exarſerat, ut occaſiones occidendi ipſius jam quæſitare inceperit. Unde neceſſum habuit Jacobus, fugâ in Meſopotamiam arrepta vitæ ſuæ conſulere. Cúmque ex Meſopotamia reverti ipſum cognoviſſet Eſavus, ille nequicquam motus blanditiis & muneribus fratris, hoſtilia parat, & quadringentis viris comitatus in occurſum ejus properat. Sed placatus à Deo, & reconciliatus fratri, eundem excepit oſculis, amplexibus & lachrymis benigniſſimè, ex hoſte jurato factus amicus, & ſimultates priſtinas exuens.

XII. Circa ea tempora habitavit Eſavus in *Seir*. Nam redux ab infeſto occurſu Jacobi ישב לדרכו שעירה *reverſus* dicitur *per viam ſuam in Seir*, Geneſ. XXXIII. 16. Verùm cùm Geneſ. XXXVI. 6, 8. poſt mortem demum patris Iſaci à fratre Jacobo ob incrementa divitiarum utriusque, quæ eodem contineri ſolo non amplius potuerunt, cum univerſa familia digreſſus dicatur בהר שעיר *in montem Seir*, ibique habitâſſe, quomodo jam antea ex monte *Seir* occurriſſe Jacobo, & ex occurſu illo in montem *Seir* rediiſſe dicatur, dubitari meritò poſſit. Nodum expedire omnino videtur S. Auguſtinus quæſt. 119. in Geneſin. Putat enim cùm Jacobus ad patrem Hebronem

bronem venit, eodem ex monte Seir veniſſe habitatum etiam Eſavum, ibidémque pacificè egiſſe cum Jacobo usque ad mortem Iſaci. Juſtis autem patri perſolutis, inito inter ſe fœdere, tum quòd paſcua utriſque in Hebrone non ſufficerent, tum ne pax illa per vicinam habitationem ſolvêretur, priſtinam Eſavum habitationem, montem nimirum Seir repetiiſſe. Aliter tamen ἐναντιοφανὲς hoc expediunt Hebræi, nominatim Abarbanel, Moſes Gerundenſis, Menaſſe ben Iſraël, alii. Dicunt nempe, Eſavum, jam priusquam Hebronem veniret Jacobus in Seir utpote loco venationibus apto, in quo quadringentis viris præfectus fuerit, moratum eſſe: ſed velut peregrinum ſine familia ſua. Sed poſtquam Jacobus rediiſſet in Canaan, quia terra tot armentorum capax non erat, Eſavum aſſumptis uxoribus, liberis, omnibusque ſuis ſtabilem demum ſedem poſuiſſe in Seir. Idque innuere Scripturam, cùm dicit וישב בהר שעיר *& habitavit in monte Seir*, ſtabilem nimirum circa montem Seir habitationem aſſerendo. Auguſtini tamen reſponſio præferenda videtur. Etenim ſi cum familia ſua, cùm occurreret Jacobo, in monte Seir non habitavit Eſavus, quomodo comitatus quadringentis viris ex eo monte in aciem prodire potuit? Neque credibile eſt, Eſavum, ſi familiam adhuc habuit Hebrone apud Iſacum, non comitaturum fuiſſe Jacobum fratrem, cum quo in gratiam rediit, ad ſuam & parentis Iſaci familiam.

XIII. Omnino igitur Eſavus poſt Jacobi fugam in Meſopotamiam arreptam, paternam domum videtur deſeruiſſe cum uxoribus malè cum Socero & Socru convenientibus, & in montem Seir ſeceſſiſſe. Ex eo monte occurrit Jacobo. In eundem reconciliatus Jacobo. At Jacobo Hebronem cum familia ſua ad Iſacum ſenio confectum movente, eodem veniſſe omnino videtur etiam Eſavus, ſive invitatus à parente, ut utroque filio in gratiam reducto potiretur, ſive ultro eò familiam ſuam transferens. Ibi parentem defunctum unâ cum Jacobo ſepelivit. Ibidem conſedit, donec utriusque & Eſavi & Jacobi opum familiæ incrementa diviſionem ſuaderent. Ceſſit igitur Jacobo Eſavus, non ut fratris emolumentis conſuleret, ſed quia rebus ſuis ita conſulturum ſe ſperaret. Adlubuit autem ei priſtina ſedes, mons nimirum Seir, quem jam antea incoluerat. Eò igitur relicta Hebrone promovit ſedem, & ibi usque ad finem vitæ commoratus videtur. De reliquis ipſius poſt ſeceſſum hunc geſtis & morte in S. Scriptura nihil extat. Sed author Teſtamenti Patriarcharum apocryphus cap. 4. Verba Judæ ſequentia refert: *In anno quadrageſimo vitæ meæ ſupervenit nobis Eſau frater patris noſtri, in prælio gravi & forti, & cecidit in arcu Jacob, & delatus eſt mortuus in montem Seir. Nos autem perſecuti ſumus filios Eſau* &c. Fides

Digitized by Google

eſto penes authorem. Nec veriſimiliùs nugatur R. Eliezer cap. 39. Eſavum, cùm obſtaret apud ſpeluncam Macpelah Iſraëlitis Jacobum ſepulturis, & ejus ſpeluncæ poſſeſſionem ſibi vendicaret, à Choſim filio Dan capite truncatum, & corpus ejus ad montem Seir miſſum eſſe. Deprompſit hoc Eliezer ex ſordida fabularum officina, videlicet ex *Sotha* cap. 1.

XIV. Genealogiam Eſavi, unâ cum pluribus circumſtantiis uxorum, filiorum, nepotum, affinium, & propagatione gentis Idumæorum, ejuſdem quoque potentiæ & dominationis, fusè perſequitur Moſes Geneſeos capite XXXVI. integro. Cauſæ hujus genealogicæ recenſionis ſunt potiſſimùm duæ. Prior eſt, quia in Moſis & reliquis S. Scripturæ libris, multa occurrunt, quæ ſine notitia ſtatus populi Idumæi vix intelligi poſſent. Crebra in Sacris mentio eſt Seir, Edom, Horræorum, Theman, Eliphaſi, Boſræ, Amalecitárum. Horum proſapiam genealogia præſens aperit. Poſterior eſt, quòd ea recenſio facit ad confirmandam fidem, & diſpenſationis divinæ conſiderationem. Intererat nempe Eccleſiæ ſcire eventum eorum, quæ Eſavo prædixerat Iſacus Geneſ. cap. XXVII. ut inde colligeret, Deum quæ promiſit, certò præſtiturum, cùm etiam extraneis, qui quomodocunque fideles attingunt, non deſit. Præterea hac deſcriptione Moſes extare voluit in Eccleſia Dei perpetuum patientiæ divinæ in omnes, juſtitiæ in exteros & infideles, miſericordiæ in ſuos argumentum.

XV. Filios igitur habuit Eſavus ex Ada *Eliphazum*, ex Boſmath *Reuelem*, ex Aholibama *Jebus*, *Jalan* & *Corachum*, Geneſ. XXXVI. 10, 14. Horum etiam filii, adeóque Eſavi nepotes ibidem deſcribuntur. Qua quidem in deſcriptione ſingulare nihil occurrit, ſi ab eo diſceſſeris, quòd verſ. 15. nepotes Eſavi ex Eliphazo & Reuele, nec non filii ejuſdem ex Aholibama vocantur אלופים *ἡγεμόνες Duces*. Jarchius putat eos ita dictos, eò quòd eſſent ראשי משפחות *capita familiarum*, ſeu *cognationum*. Alii exiſtimant, non aliud fuiſſe diſcrimen inter אלף *Ducem* & מלך *Regem*, niſi quòd Rex eſſet מוכתר *corona redimitus*, dux verò non item. Jarchii ſententia videtur potior, ut Ducum nomen non tam Rectores & Magiſtratus illius populi deſignet, quàm Patriarchas familiarum ab Eſavo originem ducentium. quamvis nihil incommodi ſit, ſi dicamus, initio hæc fuiſſe conjuncta, & patrio jure gubernatas fuiſſe familias, quarum prima capita fuerunt, qui hîc nominantur. Propagato autem populo dominationem rapuerunt Reges, quorum catalogus recenſetur verſ. 31, 32. usque ad ea tempora, quibus Regem ſortiti ſunt Iſraëlitæ. Ubi per מלך *Regem* malè intelligit Abenezra Moſen, quaſi videlicet recenſerentur Reges Idumæorum usque ad

Moſen,

Digitized by Google

Moſen, Regem Iſraëlis. Quamvis enim abſurdum non ſit Moſen cum Philone Judæo appellare *Regem*, *Legislatorem*, *Prophetam* & *Pontificem*; tamen in ſacris nuſpiam appellatur מלך *Rex*; nec probabile eſt, usque ad Moſen inde ab Eſavo regnaviſſe tot Duces & Reges. Putant igitur nonnulli, à Moſe nomina hæc & loca Regum propheticè poſita eſſe. Alii fortè rectiùs ſentiunt, à Scriptore Hagiographo adjecta hæc eſſe. Neque deſunt, qui hoc aliisque inducti argumentis, ratiocinantur, librorum, qui aſcribuntur Moſi, non tam Moſen, quàm alium quempiam divinitus inſpiratum authorem eſſe. Sic igitur omnino ſentio de regimine Idumæorum: Primò Patriarchas, ſeu capita familiarum gubernâſſe familias; at aucto populo inceſſiſſe Reges, quorum primus fuerit Bela, filius Beor verſ. 32, ultimus præcedentium Regem Saulem, Adar, verſ. 39. Quòd verò verſ. 40. ſequitur nova recenſio אלופי עשו *Ducum Eſavi*, & quidem undecim ordine: id non accipio de Ducibus Regibus ſuccedentibus, ſed de Dynaſtis, quibus ſub ipſis Regibus Idumæa in dynaſtias ſeu principatus Regibus obnoxias diviſa, conceſſit. Non ignoro, vulgò Idumeæ regimen ex hoc capite ita exponi, ut primò fuerit ariſtocraticum ſub Ducibus; deinde Monarchicum ſub Regibus; mox iterum ariſtocraticum ſub ducibus. Quæ ſententia non alio nititur argumento, quàm ordine recenſionis, cui validè repugnat, quòd usque ad regnum Iſraëliticum fieri non potuerit, ut commutatis vicibus tot Duces & Reges imperii habenas tractarent.

XVI. Poſt recenſitos filios Eſavi & nepotes, texitur Catalogus בני שעיר החרי *filiorum Seir Horræi* verſ. 20, 21. &c. Quæritur, an ad poſteritatem Eſavi pertineant Horræi illi, poſteri Seir Horræi? Ita omnino cenſent Eugubinus initio Comment. in Job, Serrarius in cap. 11. Tobiæ quæſt. 5. qui illum עוץ *Uzum*, cujus verſ. 28. mentio eſt, faciunt, unum ex poſteris Eſavi. Edom inclinat Torniellus in Annal. ad A. M. 2319. num. 7. Neque enim putant conſtare rationem, cur Horræorum ſeries & indiculus hîc texatur, ſi ad poſteritatem Eſavi nihil ſpectârunt. Veriſimilius tamen ſentiunt, qui Horræos ad Eſavi poſteritatem non referunt, ſed potiùs eos faciunt, qui in auſtrali terra Idumæorum, antequam eam poſſiderent poſteri Eſavi, habitârunt, & in ea rerum potiti ſunt. Hos Idumæos ſeu poſteros Eſavi deleviſſe, & eorum ſedes incoluiſſe, diſertè legimus, Deut. II. 12, 22. Quando tamen id contigerit, minùs clarum eſt. Cauſa verò pertextæ Horræorum genealogiæ erat, partim ut genus Thamnæ Eliphazi concubinæ indicaretur, partim ut intelligeretur, quinam ante poſteros Eſavi Idumæam auſtralem tenuiſſent. Porro quis fuerit

 ille

Digitized by Google

ille שעיר חרי *Seir Horræus*, parum liquet. Abenezra putat החרי idem eſſe quod חורי *nobilis*, ſeu גדול *magnus*. Quomodo בני חורים notat magnates. Sanè *Seir* ille nomen dediſſe videtur Idumeæ auſtrali, ſicut Eſavus etiam nuncupâtus *Seir* nomen dedit Idumeæ orientali. Ita enim Idumæam diſtinguendam eſſe docent Viri Doctiſſimi, Torniellus, Bonfrerius, alii, argumentis evidentibus moti, tum quòd trans Jordanem montem Seir & regionem Edom collocent Brochardus & Adrichomius; tum quòd ridiculum ſit Eſavum ex monte Seir occurrentem Jacobo ponere in Idumea Auſtrali, quem tam procul remotum non timuiſſet Jacobus, & ad quem tam citò mittere nuncios non potuiſſet; tum quòd Jobus, qui Idumæus omnino fuit, habitaverit in terra Uz trans Jordanem, non procul à monte Gilead. Itaque Horræi illi, quorum mentio eſt Geneſ. XIV. 6. & XXXVI. v. 20. &c. inhabitarunt Idumæam Auſtralem, & in ea montem Seir, præcipuè. Eſavus verò qui & ipſe Seir dictus, incoluit Idumæam orientalem, & in ea montem Seir, qui erat pars una montis Gilead ſeptentrionalior, & ad montem Libanum vergens. Procedente tempore ante exitum filiorum Iſraël ex Ægypto, Eſavi poſteri ex Idumæa orientali progreſſi in Auſtralem, cæciderunt Horræos antiquos incolas, & cæſis iis utramque Idumæam occupârunt.

XVII. Inter Horræos, Moſes memorat etiam ענה *Anam*, Seir Horræi ex Sibhone nepotem. De eo ſic loquitur Geneſ. XXXVI. 24. הוא ענה אשר מצא את הימם במדבר ברעתו את החמרים לצבעון אבו quæ verba ſic tranſtulit Vulgatus: *Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cùm paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Nempe הימם interpretatur *aquas calidas*. Et Hieronymus quidem hoc deducit ex lingua Punica. *Nonnulli*, inquit, *putant aquas calidas, juxta Punicæ linguæ viciniam qua Hebrææ contermina eſt, hoc vocabulo ſignari.* Videntur pro הימם legiſſe חמים *chimim*, & ſumpſiſſe pro חמים voce Arabica ejuſdem ſoni, quæ *aquam calidam* ſonat. Hebræi חמים *Hammim* dixerint, & Syri חמיא *Hemmae*, vel *Hammae*, unde *Emmaus* vel *Ammaus* loci nomen thermis celebris, de quo videſis Joſephum de Bello Jud. lib. IV. I. & Bochartum in Chanaan lib. II. 16. Verùm cùm conſtans lectio Codicum Hebræorum ſit הימם quod aquas calidas notare non poteſt, non חמים Vulgati Interpretis verſionem amplecti nulli poſſumus. Syrus ita habet: הוא ענה דאשכח לה מיא במדברא *Iſte eſt Ana, qui invenit ſibi aquas in deſerto.* Quò pertinet Diodori nota: Ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος τὸ ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν. *ἀντὶ τοῦ, εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. Syrus & Hebræus Jammin aquam ſignificare volunt, ac ſi dixiſſet Moſes: invenit fontem in deſerto.* Verùm non מים ſed ימים habemus in Hebræo. Non defuerunt jam olim,

olim, qui ימים exponerent maria. Hieronymus: *Alii putant Jamin maria appellata eſſe. Iisdem enim literis ſcribuntur maria, quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt. Et volunt, illum dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto aquarum congregationes reperiſſe, quæ juxta idioma linguæ Hebrææ maria nuncupantur, quod ſcilicet ſtagnum repererit, cujus rei inventio in eremo difficilis eſt.* Sed falluntur etiam illi. Licèt iisdem literis, tamen diverſiſſimis vocalibus ſcribuntur ימים *Jemim* & ימים *Jammim.* Neque etiam ימים *maria* dicuntur Hebræis quævis aquarum congregationes, ſed vel maria propriè dicta, vel magni lacus, quales Tiberiadis & Aſphaltites. Cujusmodi lacus in deſerto repeтиſſe non tanti eſt, ut ab illorum inventione potuerint inſigniri, cùm hi nemini non pateant. Arabs הימים interpretatur אלבגאל *mulos.* Ita etiam Hebræi veteres. Jonathan in Paraphraſi: וארבע ית ערדיא עם אתני ולזמן אשכח ית כודנייתא דנפקו מנהון *Et onagros admiſit aſinabus & ſuo tempore mulos reperit, qui ex illis egreſſi ſunt.* In Bereſchith Rabba Sect. 82. רבי יהודה בר סימון אמר המיונם *R. Juda nomine R. Simonis dixit, Jemin eſſe mulos.* Ita etiam Iſidorus Orig. XII. I. Et R. Sol. Jarchi: ימים פרדים הרביע חמור על סוס נקבה וילדה פרד *Jemim, ſunt muli. Ana ſcilicet aſinum equæ admiſit, & illa mulum peperit.* Neque aliter Rabbini recentiores, qui fingunt, Anam hunc fuiſſe ממזר ex damnato concubitu natum, quippe filium fratris Sibhonis, qui cum matre ſua dormiverit, & ex ea hunc fratrem ſimul & filium pepererit. Ut autem ipſe fuerit פסול atque degener ita quoque conatum eum eſſe in natura producere creaturas, quæ eſſent præter naturam, quales ſint muli. Doctiſſimus Ludovicus de Dieu putat, ex Ana hoc, quem ἐνὰν LXX. dixerunt, deſcendiſſe ἐνετοὺς *Enetos,* de quibus Homerus Iliad. b. ἐξ ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων. *Ex Enetis, unde originem traxit agreſtium mulorum genus.* Erat autem ἔνετος civitas Paphlagoniæ juxta pontem, à gente nomen habens, quæ & ipſa Eneti dicebantur. Cæterùm neque hæc explicatio, quam cæteroquin ſecuti ſunt Doctiſſimi Viri, Santes, Arias, Fagius, Munſterus, Mercerus, Druſius, Caſtalio, Junius, Tigurini, Fullerus, Amama, Deodati; eſt extra aleam controverſiæ. Certè ὁ πάνυ Bochartus Hieroz. p. I. lib. II. cap. 21. argumenta minimè levia affert, quibus evincere conatur, quòd הימים *mulos* non denotent. Nam Hebræis mulus eſt פרד Chaldæis & Syris כודנא Arabibus בגל At ימים nec Hebræi, nec reliqui orientales vocant mulos. Neque dici poſſet Ana inveniſſe mulos, ſi procreandi eos rationem excogitâſſet, quia מצא non ſignificat *excogitare quod non eſt,* ſed *reperire rem jam extantem.* Nec ſufficit ad conjecturam firmandam, quòd Ana tum paviſſe legitur aſinos patris ſui Sibonis, cùm ex ſolis aſinis muli non procreentur, ſed ex aſino & equa, vel ex equo & aſina, vel ex ona-

gro

Digitized by Google

gro & equa vel aſina. At equorum aut onagrorum nulla hîc mentio. Præterea non conſtat, mulos progignendi rationem jam tum in Idumea fuiſſe repertam, quia Judæi ante tempora Davidis, qui poſterior fuit annis ferè ſeptingentis, mulis uſi fuiſſe non leguntur. Nam quòd Geneſ. XII. 16. Græci Interpretes habent, Abrahamum habuiſſe *ἡμιόνους καὶ καμήλους mulos & camelos*, & Geneſ. XLV. 23. Joſephum ex Ægypto miſiſſe *δέκα ἡμιόνους αἴροντας ἄρτους τῷ πατρὶ αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, decem mulos patri ſuo panem ferentes in viaticum*; legendum eſt non ἡμιόνους ſed ὄνους, cùm Hebræa habeant אתונות *aſinas*. Quid ergo, inquias, ſunt הימם quos invenit Ana? Docet nos id Thargum Onkeloſi, in quo pro ימם extat ית גבריא *gigantes*. Et Samaritanus reddit אמים *Emim*, quæ eodem recidunt, ut nomen hoc dicatur populi, nempe Emæorum. Nam teſte Moſe Deut. XI. 10, 11. *Emæi erant excelſi ut Enakim, & gigantes reputabantur ut Enakim.* Unde Hebræi nomen Emæorum recenſent inter gigantum nomina ſeptem, in Bereſchith rabbah, cap. 26. In ימם autem excidit Aleph, quo nihil in ſacris eſt frequentius. Emæos igitur invenit Ana, quia in eos ex improviſo incidit aut irruit. Nam phraſi Hebræa invenire hoſtes dicitur, qui in eos incidit aut irruit, Geneſ. IV. 14. Num. XXXV. 27. Jud. I. 5. I. Sam. XXXI. 3. I. Reg. XIII. 24. 2. Paralip. XXII. 8. Hoc igitur caſu tum temporis notiſſimo, ſive magna clade Emæos Horræis vicinos affecit, ſive ſtructas ſibi inſidias virtute ſua eluſit, nominis ſui famam ad poſteros propagavit, ut hoc veluti *κριτηρίῳ* ipſum ab Ana cognomine diſtinguere Moſes neceſſum duxerit.

XVIII. Eſavum fuiſſe *Erythram* Græcorum ſuperiùs obſervavimus. Ab eo autem dictum eſſe Mare Erythræum ſive Rubrum tradiderunt antiqui. Strabo lib. XVI. p. m. 535, 536. narrat ex Eratoſtene, *Agatarchidem à Buxo quodam genere Perſa, tradidiſſe, Perſam quendam Erythram nomine, cùm equorum armentum leæna aſilo exagitatum uſque ad mare compelleretur, atque inde in inſulam quandam tranſmitteret, primùm conſtructa rate in inſulam eam tranſiviſſe: animadverſoque commodè habitari poſſe, armentum rurſum in Perſiam abegiſſe, ac miſſis in eam & alias inſulas, & in maritimam oram colonis pelagus de ſuo nomine appellaviſſe. Alios verò Perſei filium Erythram aſſerere, qui in his locis imperârit.* Plin. lib. VI. 23. *Irrumpit in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixere noſtri. Græci Erythræum à Rege Erythra, aut (ut alii) ſolis repercuſſu, talem reddi colorem exiſtimantes, alii ab harena terráque, alii tali aquæ ipſius natura.* Curtius lib. VIII. *Mare certè quo alluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris. Ab Erythra rege inditum eſt nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt. Reliqua ſtultorum ac infantium nugæ ſunt & ſomnia.* Pomponius

Digitized by Google

nius Mela lib. III. 7. *Rubrum mare Græci, ſive quia ejus coloris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit, ἐρυθρὰν θάλασσαν appellant.* Ubi Salmaſius rectè animadvertit, à colore quidem dici potuiſſe ἐρυθρὰν θάλασσαν, ſed ab Erythra dicendam eſſe ἐρυθραίαν, nomine τοπικῷ. Æquipollet igitur mare Erythræum, mare Idumæum, mare Rubrum ab Edomo, ſeu Erythra, qui Eſavus fuit, rufus nempe pilis, & appetito rufo pulmento idem nomen ſortitus. Is enim quia totius regionis Idumeæ Princeps ac Dominus evaſit, imperio item maris, eandem regionem præterfluentis potitus fuerit oportet. Neque obſtat, quòd Ptolomæus Idumæam terminis admodum anguſtis, ad mare usque Rubrum nequaquam pertingentibus, deſcribit. Nam antiquam Idumæam fuiſſe longè ampliorem, argumento eſt, tum quòd univerſam olim Nabathæorum gentem ſibi vendicârit, teſte ipſo Strabone, qui Idumæos vocat Ναβαταίους *Nabataos*; nec non Hieronymo, qui Petram Nabatæorum metropolim collocat in terra Edom; tum quòd 2. Reg. XIV. 7. etiam Edom collocatur בגי מלח *in valle Salis.* Sed dubitationem omnem eximit hiſtoria Sacra, ex qua conſtat Eſiongaber, ex qua in regionem Ophir claſſis Solomonis ſolvit, quæque ſita erat juxta ripam ים סוף *maris Erythræi* fuiſſe בארץ אדום *in terra Edom*, uti diſertè habetur 1. Reg. IX. 26. Hieronymus *de Locis Hebr.* de Eſiongaber: *Eſt civitas Eſau* (inquit) *quam nunc Eſſiam nuncupari putant, juxta mare rubrum & Ailum.* Videſis quæ ea de re fuſè & eruditè diſſerit Nicolaus Fullerus Miſcell. 5. lib. IV. cap. 20. ubi inter alia etiam oſtendit, Erythræi ſeu rubri maris nomen tum demum cœpiſſe uſurpari, poſtquam claſſe in mari Edom parata negotiationem Arabicam, Indicam, & fortaſſe Æthiopicam inſtituiſſet Solomon: attamen non tam nomen ipſum proprium per ſe, ſcilicet Edom, quàm nominis ejusdem interpretamentum ſuo cujusque gentis idiomate expreſſum: nempe ἐρυθρὸς, ἐρυθραῖος, ruber. Non igitur falſò mare illud appellatur rubrum; ſed cauſa nominis vulgò non rectè aſſignatur.

XIX. De Jacobo & Eſavo fratribus ita Deus ipſe loquitur Malach. I. v. 1, 2. אהב את יעקב ואת עשו שנאתי *Dilexi Jacobum, & Eſavum odio habui.* Quæ verba repetit Paulus Rom. IX. 13. Τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα, *Jacobum dilexi, & Eſavum odio habui.* Quale hoc fuerit Dei erga Eſavum odium, quæritur, & quæſtio eò incidit: An Deus apud Prophetam & Apoſtolus Jacobum & Eſavum proponant ut exempla æternæ prædeſtinationis & Jacobum quidem ut exemplum æternæ electionis ad bonum ſpirituale, Eſavum verò ut exemplum reprobationis & rejectionis ab eo bono. Bonfrerius agnoſcit, Eſavum geſſiſſe figuram reproborum. Sicut enim Eſavus rejectus fuerit à bono temporali, ita infideles rejici à bono

ſpirituali & æterno. Odium igitur interpretatur de eo, quòd poſthabitus fuerit Eſavus Jacobo, quoad bona hujus vitæ & felicitatem temporalem. De cætero, quoad bona ſpiritualia, ipſum ſalvatum eſſe, demonſtrare conatur. Atque ita etiam Pontificii, Pſeudolutherani & Remonſtrantes, electionem Jacobi & odium Eſavi interpretantur *συγκριτικῶς*, ut Deus dicatur odiſſe Eſavum, id eſt, non eo dilectionis gradu complexum, qui contigit Jacobo, propter excluſionem ejus ab hæreditate terræ Canaan, & ſervitutem, in quam tandem poſteri Eſavi à poſteris Jacobi redacti ſunt. Neque deſunt, qui Jacobi & Eſavi poſteros potiùs quàm perſonas deſignari arbitrentur. Et noſtros inter ſunt, qui ſalutem Eſavi non planè deſperatam faciant; qui proinde ſatis eſſe arbitrantur, ſi ex typi & antitypi convenientia colligant, abſolutum eſſe æternæ prædeſtinationis decretum. Quomodo etiam Pererius, Bellarminus, Juſtinianus aliique Papiſtæ ejusmodi argumentum contexunt: *Typus excludit opera, vel aliam in objecto conditionem. Antitypus reſpondet typo. ergo ut abſoluta fuit Eſavi & Jacobi quoad temporalia in hypotheſi electio & reprobatio: non minùs abſoluta erit in theſi, quoad æterna, aliorum omnium prædeſtinatio.* Videſis doctiſſimi Prideaux Lect. 1. de Abſoluto Decreto, nec non Lect. 8. *de Salute Ethnicorum*, ubi cenſet, naſum hîc non eſſe nimium emungendum, ne ſanguis eliciatur.

XX. Nihilominus apud Malachiam & Paulum proponi non typos tantùm & exempla ſimilia, ſed ſpecialia prædeſtinationis æternæ, ita ut amor Jacobi notet electionem ejus ad bonum ſpirituale, & odium Eſavi rejectionem ab eo, adeóque reprobationem Eſavi æternam, argumenta minimè contemnenda fidem faciunt. Etenim Apoſtolus exemplo Eſavi directè probat theſin ſuam, quòd propter damnationem æternam majoris partis Judæorum fœdus Dei, & promiſſiones olim factæ patribus non exciderint. Quæ ſanè probatio invalida eſt, ſi Eſavus ſalvatus eſt. Deinde Paulus verſ. 6, 7, 8. disertè negat, Abrahamidas & Iſraëlitas illos, cum quibus confert Eſavum, eſſe Abrahæ & Iſraëlis filios & hæredes. Proinde eum excludit à fœdere Dei & Chriſto, qui fuit *κυρίως* ſemen Abrahæ, adeóque à vita æterna. Tum verſ. 8. negat tales, tanquam filios tantùm carnis, eſſe filios Dei. Nemo autem niſi adoptatus in filium Dei æternæ vitæ eſſe hæres poteſt. Præterea diſcrimen illud, quod Deus fecit inter gemellos Iſaci, factum eſt ex propoſito ſecundùm electionem Dei liberè & gratuito vocantis, uti Apoſtolus idem innuit, verſ. 11. Sicut igitur electionis & vocationis Jacobi finis fuit ejus æterna ſalus: ita Eſavus ab electione & vocatione illa excluſus vitæ æternæ particeps fieri non potuit. Quid quòd Apoſtolus in ſuæ de dilectione Jacobi & odio Eſavi doctrinæ apologia,

logia, introduxit exemplum aliud Eſavo parallelum, nimirum Pharaonis? Accedit quòd odium illud Dei erga Eſavum de temporali ejus abjectione explicari non patitur conditio ipſius Eſavi, quamdiu in terris agitavit. Nam & opibus ac potentia tantùm non fratre Jacobo prior, potiórque fuit: & ipſum jus Sacerdotii, adeóque cultus exterior non planè ab eo ablatus fuit. Cùm enim Jobus, qui juxta communem opinionem erat in vel ex terra Utz, ſeu Edom lineæ Eſavi Geneſ. xxxvi. 1. 9. 28. Sacerdos fuerit, liquet ſanè nec Eſavo vivo jus ſacrificandi ablatum fuiſſe. Unde conſequitur typicam illam umbram rejectionis Eſavi & electionis Jacobi, eſſe meram conjecturam præter mentem oraculi de illis pueris confictam, qua repudiata nihil reliquum eſt, quàm ut Oraculum iſtud intelligatur de prædeſtinatione divina Eſavi ad juſtam damnationem, Jacobi verò ad æternam ſalutem. Denique ipſum epitheton *βεβήλου profani*, quod Paulus Hebr. xii. 16. tribuit Eſavo, reprobationis ipſius ſufficiens eſt argumentum. Fuit nempe homo nixus dexterâ ſuâ, venator, qui maluit foris verſari inter feras, quàm domi in Semi & Heberi tabernaculis, animo homicida, mœror matris ſuæ, bonorum ſpiritualium contemptor, & juramenti religionem ſusque deque habens. de qua ejus pravitate egimus ſuperiùs.

EXERCITATIO XIII.

DE

JACOBO.

Breviarium.

Jacobi nativitas. Quo ſenſu natus dicatur אחרי כן*? Jarchii de Jacobi in hoc partu prærogativa, opinio perſtringitur. Miraculoſæ nativitatis indicium.* 1. *Cur vocatus ſit* יעקב *Jacob? latentis prædeſtinationis ſignum. Eſavi malignus in nomine Jacobi luſus.* πτερνιστὴς *cur dictus Jacobus?* 2. *Inſtitutum vitæ Jacobi. Quo ſenſu vocetur* איש תם *vir integer, &* ישב אהלים *incolens tentoria? An frequentaverit*

taverit Scholam Semi vel Heberis. בירת אלפנא*. Boulduci* ψευδερμηνεία*. Jacobi paſtoritiam deſignari oſtenditur.* 3. *Rebeccæ erga Jacobum benevolus affectus.* 4. *Emptio primogenituræ. An convenerit cum integritate Jacobi, quòd fratri famelico nonniſi dura conditione conceſſit edulium, & bona ſpiritualia licitatus, fratrem ad juramentum adegit? Hebræorum & Bonfrerii de eo ſententia rejicitur. Prætextus quos facto huic obducunt illi, recitantur. Benedictio Jacobi. Ejusdem fuga in Meſopotamiam.* 6. *Ejusdem ex Meſopotamia reditus, & adventus in Sichem. Quo ſenſu veniſſe dicatur* שלם *? An redierit ſanatus à claudicatione? Emptio portionis agri ab Emor, & altaris ibidem extructio. Quo ſenſu altare illud vocaverit Jacobus* אל אלהי ישראל *? Siniſtra Græcorum, Chaldæi, Arabis & Vulgati interpretatio. Boulduci de adoratione Abrahami & Iſaci tanquam Deorum audax aſſertio.* 7. *Emptio agri ab Hemor facta à Jacobo cur tribuatur Abrahamo Act.* VII. 16.? Ἐναντιοφανὲς *illud prolixè diſcutitur. Parentum pro filiis poſitorum in ſacris & exoticis exempla. Quomodo emptio illa facta dicatur* ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Σηχέμ *? Judæorum oblocutio retunditur.* 8. *Raptus Dinæ. An temerata ſit non à Sichemo tantùm, ſed etiam Hemore? Procopius Gazæus refellitur.* 9. *Jacobi ob Dinam corruptam anxietas. Cur dolorem preſſerit ad reditum uſque filiorum ex agro?* 10. *Hemoris matrimonium Dinæ pro filio ſolicitantis oratio ad filios Jacobi, eorúmque fraudulenta reſponſio. Sichemitarum circumciſio. Quo ſenſu fuerint tertio die* כאבים *in doloribus?* 11. *Cædes Sichemitarum, & direptio urbis. Theodoti de ea cæde narratio.* 12. *Jacobi acris invectiva in filios, ejúsque argumenta duo. Explicantur verba* עכרתם אותי להבאישני*. Quid* מתי מספר *? Hebræorum de execratione Simeonis & Levi figmentum.* 13. *Facinus Simeonis & Levi exaggeratur.* 14. *Filiorum Jacobi reſponſum thraſonicum. Hebræi refelluntur elevantes facinus Simeonis & Levi. Judithæ factum laudantis perverſa ſententia.* 18. *Oraculum Dei de relinquenda Sichem, & repetenda Bethele. Luſtratio familiæ Jacobi. Qui fuerint* אלהי נכר *Dii alieni, quos abjicere Jacobus juſſit?*

Fueríntne

Digitized by Google

Fuerintne Teraphim Rachelis vel ſpolia Sichemitarum? Qualis purificatio & veſtimentorum mutatio imperata à Jacobo? Obſequium familiæ Jacobi. Quales fuerint inaures redditæ Jacobo. Inaures, annuli, comæ falſis Numinibus dicatæ. Σφραγῖδες. אלה 16. *Jacobi diſceſſus ex Sichem. Panicus vicinorum terror. Quid* חתת אלהים? *Adventus ejus in Bethel, adeóque ſecunda in terra Canaan ſtatio. Votum ſuum antea nuncupatum exſolvit in extructione altaris. Quo ſenſu altare illud vocatum ſit El-Bethel?* 17. *Mors Deboræ nutricis Rebeccæ. Unde in comitatu fuerit Jacobi? Cur Scriptura, quæ Rebeccæ mortem ſilet, nutricis ejus Deboræ mortem & ſepulturam memoret? Hebræorum & Burgenſis opinio ad partes vocatur. Allon Bachuth.* 18. *Apparitio divina, qua Jacobo præcedentes promiſſiones confirmantur. Mutatio nominis Jacobi. An nomine Iſraëlis ei impoſito præcedens nomen Jacobi planè antiquatum fuerit? Quid ſibi velint verba* לא עוד? *Quomodo Deus aſcendiſſe à Jacobo dicatur? Jarchius notatus.* 19. *Jacobi erigentis titulum in loco apparitionis divinæ gratitudo. Abenezræ de eo opinio refellitur.* 20. *Mora Jacobi in Bethel, & ex eo loco digreſſio. Quid* כברת הארץ? *Græcorum, Hieronymi, Aquilæ, Hebræorum & Chaldæorum de eo interpretamenta. Quid* ὁδὸς ἱπποδρόμου? *Alexandrini hippodromi magnitudo inveſtigatur ex analogia circi maximi Romani, & hippodromi Byzantini.* Χαβραθά. *Quo tempore migraverit Jacobus Bethele, verno an autumnali? Situs ſepulchri Rachelis & diſtantia à Bethlehem.* ברה *idem quod* שדה. 21. *Rachelis partus emortualis & obitus. Benoni & Benjamin unde dicti? Cur Rachelem in via ſepeliverit Jacobus, non deportaverit Hebronem? Statua ſepulchralis Rachelis: Ralbag & R. Benjaminis de ea traditio.* 22. *An ex cippis à Jacobo erectis concludi poſſit uſus imaginum & ſtatuarum in Eccleſia? Boulducus pulſatus.* מצבה. στήλη. *Mos antiquus colendi rudia ſaxa pro ſimulachris. Statuarum in Eccleſia Judaica uſus & abuſus.* 23. *Adventus Jacobi in Migdal Eder. Hebræorum, Hieronymi & Boulduci de eo loco opiniones ventilantur. Inceſtus Rubenis.* 24. *Jacobus Hebrone appellit ad*

Zz 3 *patrem.*

patrem. Familiámne ſuam eò tranſtulerit, an viſitaverit duntaxat parentem? Boulducus refellitur. 25. Venditio Joſephi. Jacobi migratio in Ægyptum, & mors ibidem obita. 26.

I. Ad Jacobum Patriarcham, fide, probitate morum & patientia nemini ſecundum, hiſtoriæ ſacræ ordo nos deducit. Geminus ille fuit Eſavi, ſed natu tamen poſterior. Nam אחרי כן יצא אחיו ידו אחזת בעקב עשו *Poſtea* (poſt natum nempe jam Eſavum) *egreſſus eſt frater ejus, & manus ejus tenebat calcaneum Eſavi*, Geneſ. xxv. 26. Pro אחרי כן Vulgatus habet *protinus.* quaſi videlicet ſtatim, ut primus prodiit, prodierit etiam ſecundus, tenens manu calcaneum fratris. Id tamen neceſſum non eſt, quia fœtus prodiens ex materno utero præcedente manu, & ſe ipſum & matrem in diſcrimen vitæ adduxiſſet. *Exiſtimo*, ita rectius Doctiſſimus Mercerus, *jam inde ab utero deprehenſum ab obſtetricibus, ut cùm jam pæne totus exiviſſet Eſau, teneret Jacob manu calcaneum ejus, ac jam etiam manum exeruerit, velut fratrem prærepturus & remoraturus, ne prior exiret; verùm obſtetricem hoc conſpecto manum retraxiſſe in uterum matris, ut poſtea debito & conſueto ordine exiret, primò capite. Itaque aliquantò poſt ſic prodiiſſe, licet non longo, ut credibile eſt, intervallo.* Hebræorum, qui in carne ſibi potius, quàm in ſpiritu placent, mirificæ de hoc partu inveniuntur aſſertiones. Jarchius aſſerere non dubitat, licet poſterior prodierit Jacobus, primogenitum tamen fuiſſe etiam naturâ, quia primus in utero conceptus & formatus fuerit. Quaſi videlicet conceptionis ac formationis momenta diſtinguere potuerint naſutuli illi. Cæterùm in hoc partu admirabile & præter communem uſum fuit, uti etiam Abenezra obſervat, quòd cùm fœtus quiſque ſuam habeat ſecundinam, qua involutus prodeat, hîc ſuam membranam rumpat Jacobus, ut manu exerta fratrem altera membrana involutum apprehendat. Quod פלאה גדולה *miraculum magnum* vocat idem.

II. Jacobo nato nomen ſive à parente Iſaco, ſive à Deo ipſo inditum fuiſſe יעקב Jacob à עקב *ſupplantavit*, vel *plantam pedis tenuit*. Rationem reddit ſacra hiſtoria, inde petitam, quòd ידו אחזת בעקב עשו *manus ejus naſcentis tenuerit calcaneum* fratris *Eſavi*, Geneſ. xxv. 26. Prodigium hoc ſingulare fuit, quo portendebatur Jacobi ſupra Eſavum, & Iſraëlitarum ſupra Eſavitas ſeu Idumæos juxta æternæ prædeſtinationis ordinem emerſura conditio. Prior equidem in lucem hujus mundi prodiit Eſavus, adeóque hactenus primogenitus fuit, & primogenituræ jura in ipſum competebant. Cæterùm quòd Jacobus ipſum inſequens, prævenientis natura fratris calcaneum tenuit, evidens hoc ſignum fuit latentis hactenus, ſed poſt nativitatem

Digitized by Google

vitatem paulatim ſe exerentis fati, quo Jacobus ejusque poſteri à Deo ita præferebantur Eſavo & ejus poſteris, ut illi peculium Dei, hi verò rejectanei paulatim fierent. Eſavus verò pro ſua erga fratrem malivolentia deteriorem in partem nomen יעקב *Jacobi* interpretatur Geneſ. XXVII. 36. *Verè nomen ejus vocatum eſt* יעקב *Jacob. Nam* יעקבני זה פעמים *ſupplantavit me jam duabus vicibus.* In malam partem accipitur etiam Jerem. IX. 4. *Quisque ab amico ſuo cavete, neque omni fratri fidatis:* כי כל אח עקב יעקב *quia omnis frater πτέρνῃ πτερνιεῖ ſupplantando ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Atqui fraudulenta ejusmodi ſupplantatio, qualis eſt doloſi luctatoris, in Jacobum in utero materno adhuc poſitum, adeóque μήτε ἀγαθὸν μήτε κακὸν πράξαντα cadere non potuit. Græcis Jacob vocatur πτερνιστὴς ſeu πτερνιστὴρ à πτερνίζειν *calcem contingere, calcitrare, decipere.* Philo ita ipſum appellat, & interpretatur τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀκονιτὶ κτώμενον, *eum qui virtutem poſſidet non ſine lucta.* Παλαίοντος γὰρ, inquit, καὶ κονιομένου, καὶ πτερνίζοντος, Ἰακώβ ἐστιν ὄνομα οὐ νενικηκότος. *Jacob luctantis in pulvere & ſupplantare conantis, non victoris nomen eſt; de migratione Abrahami* pag. 419. Ad patientiam allegoricè refert.

III. Sicut Cain & Abel diverſis moribus præditi, diverſum etiam vitæ genus ſectati ſunt: Ita etiam fratres gemini Eſavus & Jacobus. De Eſavi moribus & inſtituto vitæ actum ſuperius. De Jacobo ita habet Moſes: ויעקב איש תם ישב אהלים *Jacobus verò erat vir integer habitans in tabernaculis,* Geneſ. XXV. 27. Pro איש תם Græci interpretes habent ἄνθρωπος ἄπλαστος, *vir ſimplex, non fictus.* Auguſt. quæſt. 74. *Quod Græcè dicitur ἄπλαστος, hoc Latinè ſimplicem interpretati ſunt, propriè autem ἄπλαστοι non ficti: unde aliqui Latini Interpretes ſine dolo interpretati ſunt dicentes: erat Jacob ſine dolo habitans in domo.* Alibi tamen reddunt τέλειος *perfectus,* ἄκακος *minimè malus,* ἀθῷος *innocens,* ἄμεμπτος *ſine reprehenſione.* Propriè תם & תמים opponitur τῷ עקש *perverſo,* ei videlicet, qui duo corda habet, & duabus viis incedit; adeóque notat hominem ſincerum, ſine fuco & felle, ἀνυπόκριτον. Jarchius ait fuiſſe כלבו כן פיו *cor ipſius conſentaneum Linguæ.* Quòd verò vocatur ישב אהלים id Thargum Onkeloſi refert ad Jacobi ſapientiam, & doctrinæ cœleſtis peritiam. Explicat enim משמש בית אלפנא *miniſtrum domus doctrinæ,* hoc eſt, frequentantem Scholas, ſeu domus doctrinæ, ut ſcilicet ſapientiam & Dei timorem diſceret. Eſt enim Hebræis בית אלפנא *ludus literarius.* Eundem in ſenſum annotat R. Sol. Jarchi, quòd Jacobus inhabitaverit אהלו של שם ואהלו של עבר *tentorium Semi, & tentorium Eberis,* nempe ut ab ipſis ſapientiam & notitiam rerum cœleſtium hauriret. Verùm parum probabile eſt, Heberum grandævum hac

ætate

ætate puerili inſtitutioni operam dediſſe, vel unâ cum Abrahamo Euphratem transfretâſſe. Jacobum haud alio præceptore quàm parente uſum ſit ſimilius vero. Boulducus *de Eccleſia ante legem* lib. II. cap. 5. Sacras etiam interpretatur ædes ad orandum & ſacrificandum ordinatas. In his Rebeccam putat conſuluiſſe Dominum, & Jacobum puerum adhuc munus geſſiſſe æditui. Suo more fingit quicquid lubet. Putem igitur nihil aliud ſignificari, quàm contrarium Jacobi à fratre ingenium. Eſavus agricola & venator vitam ſectatus eſt turbulentam, & ſtrepitus plenam. Jacobus contra *ad omnia quæ agenda forent, quieta cum induſtria aderat*, uti loquitur de Poppæo Silvario Tacitus Hiſt. III. 50:4. Eſt enim ut idem loquitur Hiſt. I. 89: 1. *Sapientibus quietis & Reip. cura: leviſſimus quisque & futuri improvidus, ſpe vana tumens.* Itaque Jacobus quietam vitam adamans habitabat in tabernaculis, ſicut paſtores ſolent, qui nunc huc nunc illuc ſe & ſua transferunt. Rectè Abenezra annotat, ſibi videri verba de Jacobo inhabitante tentoria convenire cum verbis Geneſ. IV. 20. ubi de Jabale dicitur, quòd fuerit אבי ישב אהל ומקנה *Pater inhabitantium tentoria & κτηνοτρόφων, pecuariorum.* Quod omnino veriſimile facit transacta tota Jacobi vita, in qua nihil magis, quàm paſtoritiam exercuit. Ergo ſatis apparent diverſa fratrum ingenia. Eſavus callidus erat, hypocrita, & parenti faſcinando idoneus. Jacobus ſimplex, fuci & fraudum expers, conſtans ſibi corde & lingua. Eſavus motus inconditi & ſtrepitus amans: Jacobus quietam induſtriam præferens.

IV. Amabile hoc & modeſtum Jacobi ingenium unicè in deliciis fuit matri Rebeccæ: ſicut pater inclinabat in Eſavum. Ea de re actum à nobis fusè ſuperius: Summa huc redit, *quò melius oſtenderet Deus ſatis in ſua electione eſſe firmitatis, ut aliunde nullo adminiculo juvetur, imò ad ſuperanda quævis obſtacula ſatis eſſe validam, paſſum eſſe Eſavum fratri ſuo Jacobo patris amore & judicio præferri, ut figura quædam rejectitii coram mundo hominis exſtaret*; verba ſunt Calvini in h. l.

V. Singulare quoddam futurorum præludium fuit, quod poſtea Eſavus Jacobo primogenituram vendidit. Cùm enim forte pulmentum coxiſſet Jacobus, frater ejus domum à venatione reverſus, oppido laſſus & famelicus, illud à fratre petiit ad reficiendum animum. Negabat Jacobus ei ſe daturum, niſi reſignato prius jure primogenituræ, & quidem juramento interpoſito. Eſavus impiè ſpreta primogenitura, eam primò abjurans, edulium impetravit. Qua de primogenituræ venditione egimus ſuperius. Hoc unum paucis nunc diſcutiendum: cùm de Jacobo prædicaverit Scriptura, quod fuerit תם *integer* & ſine fuco an cum hac ejus pietate & inte-

gritate

Digitized by Google

gritate convenerit, quòd famelico negavit edulium niſi duriſſimam conditionem impleret; quòd primogenituram adeóque bona ſpiritualia licitatur, cùm donum Dei, teſte Petro Act. VIII. pecuniis aliisque ejusmodi ſubſidiis non accipiatur; quòd denique fratrem ad juramentum adigit? Luctantur hîc admodum Juſtitiarii, Pontificii, & Hebræi, ut ab omni culpa Jacobum liberent. Bonfrerius propoſitis eorum argumentis, qui peccâſſe Jacobum cenſent, ἐπίκρισιν ſuam adjicit hæc in verba: *Dico tamen Jacobum nullo modo peccâſſe.* Eandem quæſtionem proponit R. Menaſſe ben Iſraël *Concil. in Geneſin* quæſt. 50. ubi ſic ex mente Rabbinorum, quos poſtea allegat, ratiocinatur: *Si Patriarcha Jacob ad duplicem in hæreditate portionem obtinendam, uti in lege præcipitur, primogenituræ jus ſibi concupiiſſet, aut certè bonorum cupidine, profectò culpâ non vacaret. Sed eum non horum quicquam impulit, verùm ſpiritualium bonorum cupido, quibus præ minore primogenitus fruitur: hæc enim alteri quàm merenti obtingere iniquum eſt.* Cæterùm, ut regia via incedamus, præmittimus nonnulla, quæ potiſſimùm hoc in facto ſpectanda videntur. Primò id certum eſt, mores dijudicari ex legibus, non exemplis debere. Unde ſequitur, Jacobi hanc actionem imitandam non eſſe, niſi quatenus cum lege Dei eam manifeſtè congruere apparet. Secundò agnoſcenda eſt in tota ejus actione mira Dei providentia. Is enim omnia ita diſpoſuit, ut Eſau fatigatus à venatione rediret, & gravi fame laborans ad patinas animum converteret: ut Jacob coctionem ſuam pararet, & ei inhiaret frater: ut occaſionem hanc aucupandi primogenituram arriperet Jacobus, & fratre eam vilipendente conſequeretur. Hîc ſancta Dei providentia non tantùm ingenium utriusque patefecit, verùm etiam ad ſcopum ſuum actionem totam, quæ per ſe non magni momenti videtur, direxit. Scopus autem Dei erat, ut magis magisque electio hactenus latens ſe proferret, & juxta illud Chriſti, habenti daretur. Tertiò tota hac hiſtoria oſtendit Jacobi deſiderium, quo ferebatur erga prærogativam fœderis. Quibus præmiſſis aſſerimus, nec ad vivum reſecanda, aut ſeverè nimis examinanda eſſe, quæ fecit & dixit, nec exagitandum eum eſſe, qui rerum divinarum deſiderio nihil reliquit intentatum, ut fœderis divini particeps fieret. Interim liberando ipſi ab omni culpa non ſufficiunt προφάσεις vulgò allatæ; quales ſunt, quod Eſavo volenti injuria facta non ſit: quòd Jacobo primogenitura decreta fuerit: quòd noverit Jacobus, petitionem Eſavi non proficiſci à magna neceſſitate, ſed ex intemperantia gulæ, & ſi quid aliud. Ficulnea hæc folia mittentes, rem totam Deo relinquimus. Quòd ſi in re procuranda infirmitas Jacobi admixta fuit, eò major fuit gratia Dei, quòd indulſerit tam benignè, ut oſten-

Digitized by Google

deret, totum id ab electione pendere, non ab operibus, quod unus alii præferretur.

VI. Poſt comparatum ſibi primogenituræ jus, paternæ etiam benedictionis, nequicquam Iſaco eam Eſavo potiùs conferre parante, Jacobus compos factus eſt. Ea re accenſus ſupra modum, & æſtuans Eſavus cùm necem moliretur fratri, is hortante matre in Meſopotamiam confugit. De ea fuga, nec non fortuna ejus, quam in Meſopotamia ſubivit, ſeorſim agere conſtituimus.

VII. Ex Meſopotamia redux, declinata regione Seir, quam Eſavus incoluerat, promovit agmen ſuum עיר שכם אשר בארץ כנען *in urbem Sichem, quæ erat in terra Canaan.* Geneſ. XXXIII. 18. Græci tamen aliter habent, veniſſe nimirum Jacobum *εἰς Σαλὴμ πόλιν Σηκίμων, ἥ ἐςιν ἐν γῇ Χαναάν, in Salem civitatem Sicimorum, quæ eſt in terra Canaan.* Græcos ſequitur Vulgatus, nec non Syrus Interpres. Nempe quia Jacobus in Hebron veniſſe dicitur שלם עיר שכם illud שלם accipiunt illi tanquam nomen proprium, & convertunt *in Salem* urbem Sicimorum: Malim tamen accipere appellativè, ut dicatur Jacobus ex Meſopotamia rediiſſe *ſalvus* & *incolumis*. Hanc ſententiam expreſſerunt vetuſtiſſimi authores, Joſephus, interpretes Chaldæi, Onkeloſus & Jonathan. Ita etiam Arabs: תם רחל יעקב סאלמא *Deinde ingreſſus eſt Jacobus incolumis in civitatem Nabolos.* Neque aliter Hebræi recentiores: qui tamen in eo, quòd voce illa שלם ſanatio à claudicatione præcedente indigitetur, an probandi ſint, dubito. De eo verba ſunt Jarchii: שלם בגופו שנתרפא מצלעתו ש״ם בממונו שלא חסר כלום מכל אותו דורון שלם בתורתו שלא שכח תלמודו בבית לבן: *Rediit ſalvus in corpore ſuo, quod ſanatum fuerat à claudicatione: ſalvus in facultatibus, quia nihil deficiebat ex omni dono: ſalvus in lege, quia non fuerat oblitus doctrinæ in domo Labanis.* De ſanatione à claudicatione idem ſentit cum Hebræis Junius. Putem tamen nihil aliud hac voce velle Moſen, quàm quòd poſt tot exantlatos labores & pericula, quæ in Meſopotamia & ipſo itinere Cananæam verſus ſubiit, nihilominus ſalvus & incolumis appulerit in terra Canaan, & in ea uſque ad oppidum Sichem perrexerit. Neque tamen oppidum ipſum ingreſſus eſt, ſed יחן את פני העיר *manſit juxta urbem.* Ibi à filiis Hemor patris Sichem emit את חלקת השדה במאה קשיטה *centum agnis* (de quibus egimus tomo priori Exercit. I. 35.) *partem agri*, in quo tabernaculum ſuum tetendit. Utque Deo pro tot beneficiis, & potenti aſſertione & liberatione à periculis præſentiſſimis gratiam nonnullam referret, ſtatuit ibidem, ſeu potius reſtauravit jam ante ibi ab Abrahamo poſitum altare, cui nomen impoſuit אל אלהי ישראל *fortis Dei Iſraelis* Geneſ. XXXIII. 18. 19. 20. Aliter tamen explicant

Digitized by Google

cant verba illa ויקרא &c. Interpretes Græci, Thargum Onkeloſi, Arabs, & Vulgatus, qui ſenſum hunc reddunt, quaſi ſuper altare illud Jacobus invocaverit nomen Dei fortis Iſraëlis. Verum quidem id eſt quoad finem quem ſibi Jacobus propoſuit. At ויקרא לו non aliud deſignare poteſt, quàm appellationem altaris. Boulducus *de Eccl. ante legem* lib. III. 10. notat, proprium fuiſſe olim filiorum Dei ſeu prophetarum, ut extra urbes habitarent in tabernaculis. Itaque etiam Jacobum ante urbem Sichem erexiſſe tabernaculum, ibidémque ſtruxiſſe altare, cui nomen impoſuerit DEUS DEORUM ISRAEL. Per Deos autem intelligit divos defunctos, Abrahamum & Iſacum, quibus juxta cum Deo vero apud altare illud litatum fuerit. *Quid ſi etiam* inquit, *tunc formam quandam propitiatorii ſuper illud poſuerit, in quo duæ eſſent Cherubim, ac ſymbolicæ imagines avi Abrahæ & patris Iſac?* Ita homo ille Jacobum vellet implicare ſuperſtitioni Papiſticæ, quaſi monaſticam vitam egiſſet cum familia ſua, & adorâſſet eos, qui naturâ Dii non erant. Atqui neutrum ex facto Jacobi extundi poteſt. Manſit ante urbem tanquam advena, & movendæ ſedis incertus, cui ſtabilis in urbe habitatio nulla fuit. Præterea, ne cultus purior periculum adiret ex profanorum conſortio, maluit fortaſſis ſeorſim habitare. Neque vel קרא notat adorationem, ſed potiùs ὀνομαθεσίαν impoſitam altari; vel אלהי notare poteſt illos θεοὺς λεγομένους, Abrahamum & Iſacum, qui nec eo nomine uſpiam in S. Scriptura veniunt, nec adorationis capaces omnino fuerunt. Non aliud notat אל אלהי quàm Deum vivum, Deum Deorum, & Dominum dominantium. Quòd verò altare inſignivit Jacobus nomine *fortis Dei Iſraëlis*, non inde colligi poteſt, altari ipſi nomen אל אלהי *fortis Dei* communicatum eſſe, ſed potiùs voluiſſe Jacobum, ut altare hoc eſſet μνημόσυνον & memoriale fortis Dei, ſignúmque, quòd fortis Deus Iſraëlis ipſum à periculis graviſſimis potenter aſſeruerit. Unde verba אל אלהי non tam in recto, quàm obliquo caſu, notant altare *fortis Dei Iſraelis*, uti optimè Tremelius & Junius obſervant. Singularis porro pietatis Jacobi argumentum eſt, quòd altare potiùs Deo, quàm ſibi domum extruxit. Ita enim teſtatus eſt, magis ſe de cultu Dei, quàm de familia ſua laborare.

VIII. Cæterùm emptio agri ab Hemor patre Sichem non Jacobo, ſed Abrahamo tribuitur Act. VII. 16. ubi Patriarchæ dicúntur ſepulti ἐν μνήματι ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ, *in monumento, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Emmor Sichemi.* Ubi duo ſunt, quæ lectorem retardare queant. Prius eſt, quòd monumentum illud emiſſe dicatur Abrahamus, cùm id Jacobo tribuatur Gen. XXXIII. 19.

Digitized by Google

Poſterius, quòd dicitur emiſſe à filiis Emmor τȣ̃ Συχὲμ, id eſt, *filii Sichemi*, ut quidam volunt, cùm Emmor non fuerit Sichemi filius, ſed pater, ut in Geneſi & Joſua clarè docetur. Arripiunt hoc ἐναντιοφανὲς Judæi, ut N. T. authoritatem convellant. Et prius quod attinet, conſtat quidem ex Geneſ. XXIII. 16. Abrahamum emiſſe ſepulchrum, ſed non à filiis Emmor, verùm à filiis Ephron; non Sichemi, ſed Hebrone. Quomodo igitur Stephanus dicit Abrahamum emiſſe monumentum à filiis Emmor? Variè in difficultate hac enodanda ſe torquent doctiſſimi quique, ut ſartam tectam ſacri contextus authoritatem conſervarent. Beza & Mazius in Joſuam nomen Ἀβραὰμ *Abraham* ſuſpicantur eſſe gloſſema, quòd à ſciolo in margine adſcriptum tandem irrepſerit in textum. Scripſiſſe nempe Lucam exiſtimant: Deſcendit Jacob in Ægyptum, & mortui ſunt ipſe & patres noſtri, qui Sichemam tranſlati ſunt, & poſiti in monumento, ὃ ὠνήσατο τιμῆς ἀργυρίȣ &c. *quod emit pretio argenti*, nempe Jacobus repetitus ἀπὸ κοινȣ̃. Id non ſatis animadvertentem ſemidoctum aliquem putaviſſe, ante ὠνήσατο deeſſe caſum, & in margine ſcripſiſſe Ἀβραὰμ, ac ſi eo loco res eſſet de ſepulchro, quod Abraham emiſſe dicitur Geneſ. XXIII. 16. Atque alium æquè indoctum, quod perperam adſcriptum fuerat è margine in ipſum textum invexiſſe. Itaque non authorum culpa, quippe quorum & mentem & calamum in his tradendis Spiritus S. certiſſimè gubernavit: Sed deſcriptorum partim negligentia, partim inſcitia, aut etiam ſciolorum audacia errorem admiſſum eſſe. Aliter tamen nodum hunc ſolvit Junius, retento in textu nomine Ἀβραὰμ *Abraham. Verba* enim illa, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τȣ̃ Συχὲμ perinde interpretatur, ac ſi expreſſo articulo legeretur, παρὰ τὸ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τȣ̃ Συχὲμ, *præter illud* (nempe μνῆμα monumentum) *filiorum Emmor*, hoc eſt, à filiis Emmor emptum à Jacobo: quaſi dicat, tranſlatos eſſe patres noſtros, & poſitos partim in Sichem, partim in monumento illo, quod emerat Abrahamus, præter monumentum illud, quod Jacob à filiis Emmoris patris Sichemi legitur comparaviſſe Geneſ. XXXIII. 19. Utrumque enim locum Iſraelitæ reduces ex Ægypto ſumma in religione habuerunt; prout de Abrahami monumento Jacob ipſe caverat Geneſ. XLVII. de Jacobi verò poſſeſſione mulier illa Samaritana teſtis eſt Joh. IV. & alii confirmant Scripturæ loci. Non deſunt denique qui Abrahamum putant nominatum pro Jacobo: quia parentes & filii idem eſſe moraliter cenſentur. Ita 1. Reg. XII. 16. dicit populus Roboamo infenſus: *Quæ pars nobis in Davide*, hoc eſt in Roboamo, Davidis nepote? Et 1. Reg. XV. 6. perpetuum bellum interceſſiſſe legitur *inter Roboamum & Jeroboamum*, quamdiu hic fuit in vivis. Ubi nomine

Roboami

Digitized by Google

Roboami, qui pridem obierat, intelligitur filius ejus Abias, qui graviter afflixit Iſraëlitas uſque ad obitum Jeroboami, 2. Paralip. XIII. 17. 18. Sic Jacob Geneſ. XLVIII. 22. dicit, ſe arcu & gladio ſuo eripuiſſe terram Ammorrhæis. Quod non ipſe, ſed poſteri ejus fecerunt. Tale quod Chriſto tribuitur, Davidis nomen Jerem. XXX. 9. Ezech. XXXIV. 23. Et Æneas pro Dardanide, Dardanus vocatur à Virgilio libro 4. Æneidos. Et eò quidem aptiùs Abraham pro Jacobo nominari potuit à Stephano, quòd promiſſio facta ſit Abrahamo, quòd Deus ipſi daturus eſſet eam terram, nempe ſubſtituendo ſemen ipſius pro ipſo. Neque magis abſurdum eſt, emptionem Jacobi aſſignari Abrahamo, quàm parationem vel emptionem ſepulchri Abrahami tribui Jacobo Geneſ. L. 5. 13. Ex tribus hiſce reſponſionibus quævis ita comparata eſt, ut modeſto lectori ſatisfacere in ſolidum poſſit. Poſtrema tamen reliquis præferenda videtur. Quoad poſterius, παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχὲμ à pleriſque interpretibus malè redditur, *à filiis Emmor filii Sichem*, cùm reddendum fuerit, *à filiis Emmor Patris Sichem*, uti optimè Beza tranſtulit. Emmor enim Pater fuit Sichemi, non filius. Nec obſtat quidquam, quò minùs verba Græca id ferre poſſint, quia ſimilia apud Græcos probatos occurrunt. Ita Herodotus in Clio: Ἄδρασος ὁ Γορδίεω τοῦ Μίδεω, *Adraſtus nepos Gordio, qui Pater fuit Midæ.* In Æliani variis lib. XIII. 30. Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου *Olympias* mater *Alexandri.* In Stephani Ethnicis voce Δαίδαλα. ἡ δὲ πόλις ἀπὸ Δαιδάλου τοῦ Ἰκάρου ἡ ἐν Λυκίᾳ. *Urbs in Lycia condita eſt à Dædalo* patre *Icari.* Thalia: Κῦρος ὁ Καμβύσεω, *Cyrus Cambyſis* pater. Quin & Luc. XXIV. 10. Μαρία Ἰακώβου *Maria* Mater *Jacobi* rectè redditur à Syro & utroque Arabe ex Marc. XV. 40. ubi expreſſè id habetur. Abenezra ad Pſal. 78. in quo non planè idem ordo retinetur, qui eſt in Moſe, ſic annotat: והנה הכתוב בלבל דברו שאחר המוקדם והפך זה ולא חשש מזה כי מפורש הוא אצלנו בתורת משה *Et ecce Scriptura confusè loquitur, nam præpoſuit ſequentia & contrà: neque de ea re ſolicita fuit, quia rei ordo nobis conſtat in lege Moſis.* Eandem ἐπιείκειαν ſi & hîc adhibuerint verpi, ceſſabit facile γογγυσμὸς & oblocutio.

IX. In prima hac terræ Canaan, poſt reditum ex Meſopotamia, ſtatione cùm verſaretur Jacobus, maximæ ejus triſtitiæ & afflictioni occaſionem dedit vitium à Sichemo Hivitarum juventutis principe puellæ ejus Dinæ oblatum. Eam enim exſpatiantem cùm obſervaret Sichem filius Emmor, tanquam publicum & fœdum proſtibulum eſſet ויקח אתה וישכב אתה ויענה *tulit eam, & concubuit cum ea, compreſſitque eam,* Geneſ. XXXIV. 2. Vulgatus: *& rapuit & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.* Igitur vim factam eſſe Dinæ repugnanti notat etiam Uzielidi tributa paraphraſis,

ויקח אתה באונסא ושכב עמה וענה ויענה *& cepit eam violentiâ, & concubuit cum ea, & afflixit eam.* Joſephus diſertè Antiq. I. 19. φθείρει δὲ ἁρπαγῆς *raptu violavit.* Pro יענה malè habent Græci ἐταπείνωσεν αὐτὴν, *humiliavit eam. Rem omnino vi patratam eſſe, tenent etiam Magiſtri Hebræorum, inprimis Abarbanel in Piruſch. fol.* 99. *Gerundenſis:* כל ביאה ואונס תקרא ענוי *Omnis congreſſus violentus vocatur* ענוי *oppreſſio.* Malè Procopius Gazæus temeratam Dinam putavit non à ſolo Sichemo filio, ſed etiam ab Hemore parente. Errandi anſam arripuit ex addito in Græca verſione gloſſemate, de quò, ut & argumentis Procopii videſis Sixtinum Amama in Antibarbaro Biblico ad Geneſ. xxxiv. 5. Sed & Hebræi audiendi non ſunt, qui ex hoc concubitu natam fabulantur Aſnath, quæ poſtea in Ægypto Joſepho juncta eſt. Cùm tamen illa diſertè vocetur filia Potipharis Geneſ. xli. 45. Cùm porro Sichemus deperiret eam, וידבר על לב הנערה *locutus eſt ad cor puellæ*, verbis nimirum blandis eam demulcens conatus eſt in amoris ſui caſſes inducere, & ad conſenſum ineundi conjugii pertrahere: Simul patri Hemor perſuaſit, ut filiæ ejus nuptias ipſi paciſceretur.

X. Interim Jacobo innotuit nefas pollutæ ſtupro filiæ. Cúmque filii ejus abeſſent domo, ſilentio dolorem preſſit, donec ii reverterentur ex agro. Quæ verò ratio fuerit hujus ſilentii, & cur filios exſpectârit, quæritur. Dubitari poſſet, annon exſpectaverit filios, ut ad vindictam à Sichemitis expetendam eos animaret. Abſit tamen, ut de Jacobo id ſtatuamus, cujus mitiſſimum juxta atque placidiſſimum ingenium multis antea experimentis innotuit. Neque prudentia ejus permiſiſſet, ut ad vindictam irritaret animos puerorum, quos ultioni expetendæ minimè fuiſſe pares non ignoravit. Præterea ex ſequentibus apertè patet, eum facinoris hujus filiorum non fuiſſe conſcium, nedum authorem. Exſpectavit igitur potiùs, ut dolorem in præcordiis ſuis ſævientem deponeret in ſinum eorum, & cum iis conſilia ſua communicaret, quæ moderata fuiſſe nulli dubitamus. Interim filiorum conſilio pravo afflictiſſimi parentis querela omnino irritamentum dare potuit. Sic accidit aliquando, ut pii omnia alia meditantes, cùm incidunt in homines turbulentos, incendio oleum addant.

XI. Hemor primò filiis Jacobi aperit mentem ac deſiderium Sichemi, & mutua matrimonia iniri petit, ſimulque libertatem habitandi & negotiandi liberrimè offert. Factum id eſſe audiente Patre, & fortaſſis de injuria graviter expoſtulante, vix ambigi poteſt. Sed & filius ipſe Sichem ita alloquitur Jacobum parentem & filios. *Inveniam gratiam in oculis veſtris, & quod dixeritis mihi, dabo. Augete mihi valde* מהר ומתן *dotem & donum, dabóque*

bbque quemadmodum dixeritis mihi, modo detis mihi puellam ipſam in uxorem, Geneſ. XXXIV. 11, 12. Reſpondent filii במרמה μετὰ δόλυ *fraudulenter* ſeu *caprioſè*, paratos ſe eſſe tum ad tradendam Sichemo ſororem, tum ad ineunda conjugia mutua, tum ad conglutinandam amicitiam, ut fiant לעם אחד *in populum unum*, hac nimirum lege, ſi ipſi circumcidantur prius, & ſimiles quodammodo Iſraëlitis reddantur. Quam quidem conditionem Hemor & Sichem civibus ſuis ad portam convocatis cùm perſuaſiſſent quæſitis argumentis, ſeu potiùs ad populum phaleris, factum hinc eſt, ut in urbè Sichem circumcideret ſe, כל זכר כל יצאי שער עירו *omnis maſculus, quotquot egrediebantur per portam civitatis ejus.* verſ. 24. In tertio autem die dicuntur fuiſſe כאבים *in dolore*, verſ. 25. Vulgatus: *Et ecce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt* &c. Thargum Onkeloſi: והוה ביומא תליתאה כד תקיפו עליהון כיביהון *Et factum eſt in die tertio, quando prævaluerunt dolores eorum ſuper eos* &c. Sentiunt nempe communiter Hebræi, circumciſionis dolorem die tertio eſſe intenſiſſimum. Abenezra: שלישי לעולם קשה שהוא חצי הרובע *Tertius* dies *perpetuò gravis eſt, quia is dimidium eſt quadrantis*, puta Lunæ. Credibile eſt, eos loqui ex adultorum, qui inter eos circumciduntur, experientia. Suffragari etiam videntur Medici, qui ſtatuunt, dolorem in vulneribus, utplurimum die tertio ſe intendere ob majorem inflammationem, & acriores humores, unde quandoque etiam febres oriuntur. Non mirum itaque in circumciſione, inprimis adultorum uſu venire idem.

XII. Doloris hujus Sichemitarum tertio poſt circumciſionem die ſeſe intendentis occaſionem captârunt filii Jacobi duo, Simeon & Levi ὁμομήτριοι τῆς κόρης *ex eadem matre Lea oriundi*, uti eos hîc vocat Joſephus; ad perpetrandum ſcelus, quod animo volutaverant. Quia enim ſaucii Sichemitæ patebant accurrentium violentiæ, illi יקחו איש חרבו ויבאו על העיר בטח ויהרגו כל זכר: *acceperunt quisque gladium ſuum, veneruntque in urbem ipſam confidenter, & occiderunt omnem maſculum; quin & Hemor & filium ejus Sichem occiderunt acie gladii, tuleruntque Dinam è domo Sichem, & egreſſi ſunt,* verſ. 25, 26. Sed & ſtrage edita ſupervenientes fratres deprædati ſunt urbem, אשר טמאו אחותם *quia violaverunt ſororem ſuam*, verſ. 27. Ubi in verbo plurali טמאו *violârunt* eſt enallage pluralis pro ſingulari, ſicut de Pharaone & Herode dicitur: *Mortui ſunt, qui quærebant animam tuam*, Exod. IV. Matth. II. vel certè plurale ponitur pro ſingulari ea loquendi conſuetudine, qua factum unius, præſertim Principis, toti ſocietati tribuitur, juxta illud: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Certè omnes unius noxam exitio luerunt, perinde ac ſi rei omnes fuiſſent. Atque hæc eſt

Digitized by Google

eſt cœdis Sichemitarum hiſtoria. Eam etiam narrat Theodotus apud Euſebium de Præpar. Euangel. lib. IX. 22. etſi nonnullo cum diſcrimine. Ait enim Sicimam à Sicimo quodam Mercurii filio, ejus urbis conditore nomen accepiſſe. Eam ab Hebræis regnante Emmore occupatam eſſe Dinam, nempe lanificio incumbentem, cùm in urbem Sichem penetrâſſet, Sichemum Emmoris filium ipſi per vim raptæ ac domum perductæ ſtuprum obtuliſſe, & poſtea ejus nuptias expetiiſſe; quæ cùm negarentur & niſi circumciſa tota gente, accepiſſe eos conditionem. At Simeonem perſuaſiſſe fratri Levi, eo argumento, quòd Deus gentes Cananæas Abrahami poſteris promiſerit, ut cœdem Sichemitarum unâ ſecum aggrederentur. Hanc ipſi mentem Deum ipſum injeciſſe. Atque ſic cœdem excecutioni mandatam eſſe.

XIII. Patratum ſcelus quantopere diſplicuerit Jacobo, ipſemet non diſſimulabat in ſua ad filios Simeon & Levi oratione ἀποφθεγματικῇ, quæ ita habet: עכרתם אותי להבאישני בישב הארץ בכנעני ובפרזי ואני מתי מספר *Turbâſtis me, ut fœtere faceretis me apud habitatores hujus regionis, Chananæum & Perizæum, cùm habeam paucos homines mecum: congregabúntque ſe adverſus me, ac percutient me, & diſperdar ego, & domus mea.* verſ. 30. Duo profert Jacobus argumenta facti hujus abs ſe improbati. Prius eſt, quòd famam ſuam hoc ſcelere contaminârint, & in invidiam ipſum apud habitatores terræ adduxerint. עכרתם אותי להבאישני inquit Jacobus. Quæ ejus verba ſic reddit Vulgatus: *Turbaſtis me & odioſum feciſtis Cananæis.* Græci verò: Μισητόν με ἐποιήσατε, ὥς τὸν πονηρόν με εἶναι πᾶσι τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν. *Odioſum me feciſtis, ita ut malus ſim omnibus habitantibus terram.* At Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus: עכרתון יתי למיתן דבבו בינא ובין יתבי ארעא *Conturbâſtis me, ut poneretis inimicitiam inter me & Cananæum.* Arabs קד פצחתמאני ואפסדתמא חאלי מע אהל *Infamâſtis me, & corrupiſtis ſtatum meum, cum incolis regionis hujus.* Omnino in הבאישני Hebraiſmus eſt, notans, quòd abominabilem ipſum filii ejus fecerint Cananæis. Cujus contrarium eſt: Χριστοῦ εὐωδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* 2. Cor. II. 15. Abenezra ſic explicat ישנאו אותי כאשר ישנא איש דבר שיבאש *Et odio habebunt me, ſicut odio habet aliquis peſtiferum fœtentem.* Altera Patriarchæ ratio petita eſt à periculo præſentiſſimo, in quod apud Cananæos adductus eſt ex horrendo illo facinore. Quid enim, inquit, ſi Cananæi ferro ſcelus veſtrum expiaturi, adverſus nos inſurrexerint? cùm exigui ſimus numero, numquid ſuſtinebimus numeroſiſſimas copias hoſtium? מתי מספר vertunt Græci ὀλιγοστὸν ἐν ἀριθμῷ. Paraphraſtes Chaldæus עם דכניר *populum paucum.* Ad verbum ſonant: *Ego homines numero*, hoc eſt, pauci nos ſumus. Viri enim numeri dicuntur, qui numerari facile poſſunt.

poſſunt. Jarchius rectè explicat אנשים מעטים *viros paucos*. Hæc ſunt argumenta ἀπειλήξεως Jacobi. Quæ præterea addunt Hebræi de execratione filiorum, nec non deteſtatione gladii ipſorum voce Græca מכרותיהם *gladii illorum*, quæ extat Geneſ. XLIX. 5. quaſi videlicet compoſita eſſet ex Græco μάχαιρα & Hebræo ſuffixo, *illis*, quæ nugamenta extant tum in Pirke Eliezer cap. 38. tum in Tanchuma fol. 23. ultro mittimus.

XIV. Cæterùm nulli dubitamus, quin in invectiva ſua Jacobus non tantùm rationem habuerit famæ & periculi ſui, ſed etiam ſolicitus fuerit de jure Dei, quod hoc in facto haud uno modo violatum eſſe noverat. Quid enim? Annon ſanguinarii illi rei erant profanati ſacramenti circumciſionis, qui eo utebantur meditati ſui ſceleris organo? Cùm unus tantùm peccaverit, atque is injuriam pluribus beneficiis penſare ſtuduerit, annon crudelitas fuit Simeonis & Levi, qui nonniſi totius urbis excidio ſatiari potuerunt? Annon quodammodo horrendum erat, quòd ſub prætextu fœderis, contra amicos & hoſpites in media pace moliuntur id, quod in profeſſo bello contra hoſtes ferendum non eſſet? Quid dicam de fraude, quam machinati ſunt minimè vulgari, quâ divinum jus obtendunt, ut religionis ſpecie commodiùs fallerent. Quid denique de privata vindicta ad quam libidine animi æſtuantis procurrunt? Quas & ſimiles ob cauſas Jacobus moribundus filios hos graviſſimis verbis perſtrinxit & notavit Geneſ. XLIX. 5, 6, 7.

XV. Quid verò ad increpationem paternam filii degeneres? Impotenter & thraſonicè, quaſi re præclara geſta, reſponſant, & ſub juris communis ſpecie ſuum facinus excuſant his verbis: הכזונה יעשה אחותנו *Numquid tanquam ſcorto abuti debuerunt ſorore noſtra?* verſ. 31. Quaſi dicant, quod vulgò reſponſantes ſolent: Cur illi primò nobis dederunt cauſam? Quia autem plura non adjiciuntur à Moſe, ac ſi Jacob filiorum reſponſioni ita ceſſiſſet, ut nihil haberet, quod ultra reſpondere aut objicere poſſet, non defuerunt inter Hebræos, qui factum illud defenderent, tanquam non temerè, ſed fortiter ſuſceptum & patratum. Quorum ſententiam videſis expreſſam apud Lyranum. Illi igitur מרמה explicant non de dolo culpabili, ſed de prudentia & circumſpectione, quæ in eo ſita fuerit, quòd Sichemitas paraverint inducere ad ritum circumciſionis, & fœdus mutuæ ſocietatis. Neque enim principiò iis propoſitum fuiſſe interficere Sichemitas: ſed tum demum occidendi eos ſuſcepiſſe conſilium, cùm animadverterent Sichemum in ſua ad cives ſuos oratione in eo totum eſſe, ut *& ſubſtantiam* & *jumenta* Jacobi ſibi vindicaret, adeóque in ſervitutem Jacobum ac filios ejus redigeret, quod Sichemi inſtitutum eliciunt ex verſ. 22, 23.

Digitized by Google

Fas igitur fuiſſe filiis Jacobi antevertere vim, & propulſare imminentem injuriam. Neque movet eos, quòd Jacobus Simeonem & Levi Geneſ. XLIX. vocat כלי חמס *vaſa iniquitatis*. Hoc enim exponunt de vi intentata à Simeone & Levi non Sichemitis, ſed fratri Joſepho. Quæ quidem omnia temerè confinguntur à verpis, ne majorum ſuorum infamiam cogantur agnoſcere & propalare ipſi. Degeneres hactenus diſcipuli Moſis, qui Levita quamvis fuerit, adeò tamen generi ſuo non pepercit, ut patrem ſuæ tribus Levi perpetuâ infamiâ notare non dubitaverit: argumento clariſſimo, eum non ex ſenſu carnis locutum, ſicut faciunt hi homines, ſed organum fuiſſe Spiritus S. cœleſtisque judicis præconem. Sed & retunditur hoc adverſariorum figmentum & ſchema ex ipſa Simeonis & Levi reſponſione verſ. 31. ubi ſcelus ſuum excuſaturi, non cauſantur propoſitum Sichemi pactum mutantis, & in ſervitutem eos redigere molientis: Sed hoc unum, quòd ſorore ſua tanquam meretrice abuſi eſſent. Eadem etiam opera obelo configendus nobis author libri Judith, in quo ipſa Juditha cap. IX. 2, 3. perpetratam hanc cædem, tanquam præclarum facinus laudat, cujus etiam authorem, approbatorémque Deum ipſum facere non veretur. Quin & ipſos cædis patratæ reos vocat *υἱοὺς ἠγαπημένους filios dilectos* Dei nec non *ζηλώσαντας τὸν ζῆλον zelum* Dei *zelantes*. Neque juvat, quòd Jeſuitæ, & inter eos Bonfrerius regerit, quædam in facto hoc omnino fuiſſe laudabilia, *zelum* nimirum *& juſtam indignationem, ac deteſtationem ſtupri admiſſi, & deſiderium initio conceptum id facinus vindicandi*; quædam verò improbanda. Sed & factum illud, quatenus profectum à Deo tum *poſitivè*, dando vires & arma Simeoni in ſui ſuorumque defenſionem, cùm non eſſet judex ad quem recurrere poſſet, tum *permiſſivè* permittendo videlicet id, quòd reſpectu Simeonis & Levi pravum erat; omnibus modis laudabile fuiſſe. Verùm gloſſæ hæ cum verbis Judithæ conſiſtere nullo modo poſſunt. Illa enim dilectos Dei & zelotypos Dei eos vocans, ab omni crimine ſatis liberat. Nec zelus ille laudandus erat, quia bonam conſcientiam comitem non habuit. Certè zelo ducebatur etiam Jacobus, qui tamen ad vindictam non prorupit. Neque laudat Juditha id, quod profectum à Deo eſt, ſed quod à ſanguinariis cædis patratæ authoribus. Fruſtra igitur ſunt illi & facti Simeonis & Levi, & libri Judithæ patroni.

XVI. Ex prima hac ſtatione Sichem, in qua Jacobus moratus eſt, uti plerique non malè colligunt, octo circiter annos, accepto Dei mandato, profectus eſt Bethelem. Mandatum Dei ſic habet: *Surge aſcende in Bethel & mane ibi: facque ibi altare Deo, qui apparuit tibi, dum fugeres à facie Eſavi fratris tui*. Geneſ. XXXV. 1. Cùm igitur æquo diutiùs in Sichem moram necteret

necteret Jacobus, atque jam anxius hæreret, quò proficiſceretur maximum in diſcrimen à filiis adductus, Deus ipſum oraculo ſuo inde faceſſere Bethelem, ibique voti ſui antehac, cùm ab inſidiis Eſavi metueret, nuncupati religionem exſolvere tandem jubet. Mandato divino impigrè paret Jacobus. Et primò quidem familiam ſuam luſtrat, & ad inſtans iter præparat ſanctificatione imperata tum perſonarum tum rerum. *Auferte*, inquit, אלהי הנכר *Deos alienos, qui ſunt in medio veſtri, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra* verſ. 2. Duo præcipit, ut amoveant *Deos alienos*; utque veſtimenta mutent. Quinam fuerint אלהי נכר *Dii alieni*, quæritur. Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus vocat טעות עממיא *idola populorum*, quæ erant in medio domeſticorum Jacobi. Arabs מעבודאת אלגריבא *adoranda aliena*, quæ in medio eorum erant. Joſephus intelligit de Teraphim Labanis, à Rachele furto ſublatis. Id refutat Abenezra his verbis: חלילה חלילה ששכב הנביא עם עובדת אלהי נכר *Abſit, abſit dicamus concubuiſſe Prophetam cum uxore idololatrica.* Jarchius igitur intelligit de Diis illis, qui erant in manibus domeſticorum Jacobi, כשלל של שכם *ex præda Sichemitarum.* Id certum videtur, in familia Jacobi fuiſſe, qui idolis litârint. Hæc enim mens omnino eſt verborum: *Auferte Deos alienos* אשר בתככם *qui ſunt in medio veſtri.* Rachelem verò etſi eo adhuc tempore idolorum patriorum tenacem fuiſſe minimè probabile eſt, tamen cùm tardior in idololatria ejuranda fuiſſe videatur, occaſionem etiam dedit aliis Jacobi domeſticis, ut in retinendis idolis pertinaciores eſſent. Non igitur alii fuerint אלהי נכר *Dii alieni*, quàm quos ex Meſopotamia domeſtici ejus retulerunt, & eorum quidam, nequicquam hactenus repugnante Jacobo, coluerunt. De mundatione ſeu ſanctificatione, imperata verbo הטהרו egimus tomo I. Exercit. III. 59. ubi contra Bertramum oſtendimus, non aliam deſignari, quàm eam ipſam, quæ conſiſtebat in remotione Deorum, & mutatione veſtimentorum, conjunctam cum interna purificatione animi. Niſi forte malit aliquis cum Abenezra intelligere *lotionem corporis*, quam jam tum ut typum interioris lotionis & expiationis peccati, receptum fuiſſe nihil credere vetat. Veſtiũm porro mutatio pariter mandata à Jacobo typus fuit honeſtatis morum congruentium cum interiori ſanctificatione. Unde etiam Paulus induendi & exuendi verba uſurpat in ſpiritualibus, Rom. XIII. 14. Coloſſ. III. 10. Mandato huic Jacobi alacres etiam paruerunt domeſtici. Nam *dederunt Jacobo omnes Deos alienos, qui erant in manu ſua* ואת הנזמים אשר באזניהם *& inaures, quæ erant in auribus ipſorum*, verſ. 4. Ubi נזמים *monilia* videntur conſecrata fuiſſe falſis Diis. Fuerunt lunulæ ſeu ſemicirculi ab aure ad aurem per frontem pervenientes: ſub quibus omnia ornamenta idolis conſecrata

 intel-

Digitized by Google

intelligi poſſunt. *Poteſt fieri*, inquit Auguſtinus, *quòd phylacteria fuerint Deorum alienorum. Nam Rebeccam à Servo Abrahæ inaures accepiſſe Scriptura teſtatur, quod non fieret, ſi eis inaures habere ornamenti gratiâ non liceret.* Inaures dicandi fictitio alicui Numini mos olim erat Syrorum, quique per Syros Phœnicos in Africam penetravit. Vide eundem Auguſtinum, latiùs ea de re epiſt. 73. differentem. Erant autem in inauribus illis notæ ſiderales. Unde σφραγῖδες dicebantur. Luctatius ad Statium: *licet magis frigidas habent.* Pro qua legendum monet Grotius: *licet magi ſphragidas habent.* Tales & annuli, partim ad mira perpetranda, ut ille Gygis Platoni de Rep. lib. 2. Ciceroni de officiis lib. 2. Plinio lib. 33. memorati, partim valere crediti dæmonibus pellendis, teſte Luciano in Philopatride; partim contra morbos, teſte Alexandro Tralliano, Marcello Empirico & aliis. Sic & comas Diis dicatas diſcimus ex Poëtis, & cirros in comis ex Ammiano Marcellino lib. XXII. Has idololatriæ reliquias apud ſe non retinuit Jacobus, ſed potiùs יטמן תחת האלה אשר עם שכם *occultavit ſupter quercum, quæ erat apud Sichem*, verſ. 4. Ubi אלה Syrus & Arabs cum vulgato בטמתא *terebinthum* reddunt. Vide de eo plura Exercit. III. 16.

XVII. Purgata domo ingreſſus eſt iter cum familia. Quanquam verò timeret haud dubiè inſidias vicinorum, ne injuriam Sichemitis illatam ulciſcerentur, & ipſis vicinis expetendi vindictam animus forte non deeſſet: tamen ſingulari Dei providentia יהי חתת אלהים על הערים אשר סביבותיהם *fuit terror Dei ſuper urbes, quæ erant in circuitibus eorum, adeò ut non perſequerentur filios Jacobi*, verſ. 5. Ubi חתת אלהים θεοπληκτῶς notat terrorem maximum, qualis olim erat Panicus, quem à Pane ſuo immiſſum ſibi Ethnici finxerunt. Chaldæus vocat רתתא מן קדם יהוה *terrorem à facie Dei.* Hoc terrore perculſi Jacobi æmuli liberum Jacobo & inoffenſum iter conceſſerunt. Ipſe ſalvus pervenit בלוז *in Luz*, quæ eſt in terra Canaan, היא ביתאל *ipſa eſt Bethel*, verſ. 6. Ibi altare ædificavit, & locum eum inſignivit אל ביתאל *El Bethel* כי שם נגלו אליו אלהים *quia ibi apparuerat ei Deus, dum fugeret à facie fratis ſui*, verſ. 7. Verba *El Bethel* in genitivo rurſum accipio, ut altare dictum fuerit *Dei Bethel.* Ita voto ſuo, quod profectus per Bethelem in Meſopotamiam ibi nuncupaverat Geneſ. XXVIII. 20. ſatisfecit. Altare nempe condidit ex titulo μνημονευτικῷ contra erecto, & in eo decimas omnium eorum, quæ acceperat à Deo, obtulit. Quòd porro altare vocat *Dei Bethel*, quia ibi apparuiſſe ei dicitur אלהים, hoc ad Angelos per ſcalam aſcendentes & deſcendentes refert Paraphraſtes Chaldæus, cujus verba ſunt: ארי תמן אתגליאו ליה מלאכיא דיהוה *quoniam ibi apparuerunt ei Angeli Dei.* Id quamvis à ſtylo Scripturæ alienum non eſt, tamen per אלהים intelligi

Deum

Deum ipſum, non miniſtros ejus Angelos, probabilius eſt, quia ille, qui Jacobo propriè apparuit, eique ſtans ſuper ſcalas locutus eſt, fuit Jehova, Angeli verò aſcendentes & deſcendentes ejus miniſtri, uti patet ex Geneſ. XXVI. 12, 13.

XVIII. In ſtatione hac Bethel, cùm commoratur Jacobus, mortua ibi dicitur Debora nutrix Rebeccæ. Non conſtat planè, unde ea in comitatu Jacobi fuerit? Nam conſtat quidem, eam cum Rebecca ex Meſopotamia veniſſe in Cananæam, ex Geneſ. XXIV. 59. At quomodo nunc in Jacobi ex Meſopotamia in Cananæam redeuntis comitatu hæret? Exiſtimant nonnulli, eam à Rebecca miſſam eſſe in Meſopotamiam, ut inde eam in terram Canaan reduceret, quod ſe facturam promiſiſſe videtur Geneſ. XXVII. 45. Ita ſentit Jarchius, ita inquiens: מה ענין דבורה בבית יעקב אלא לפי שאמרה רבקה ליעקב ושלחתי ולקחתיך משם שלחה דבורה אצלו לפדן ארם לצאת משם ומתה בדרך מדברי רבי משה הדרשן למדתיה: *Quid negotii erat Deboræ in domo Jacobi? Nempe quia dixerat Rebecca Jacobo: mittam & accerſam te inde; ideò miſſa eſt Debora ad eum Paddan-Aram, ut reduceret eum inde; & mortua eſt. E verbis R. Moſe Haddarſan didici illud.* Alii ſuſpicantur, tum temporis mortuam fuiſſe Rebeccam, ac proinde Deboram ejus nutricem poſt reditum Jacobi in terram Canaan ſe contuliſſe ad Jacobum, quò ejus cum uxoribus eadem, qua ipſa, patria, Meſopotamia nimirum oriundis, reliquam vitam claudat. Neque deſunt, qui, ſine ulla tamen ratione Deboram hanc diverſam faciunt ab ea, quæ cum Rebecca ex Meſopotamia egreſſa eſt. Si quis in re obſcura conjecturæ locus eſt, Debora maturè ex familia Iſaci & Rebeccæ, amore patriæ pellecta, redierit in Meſopotamiam, atque Jacobo tanquam alumno ſuo hæſerit, eundémque denuo in terram Canaan comitata fuerit. Abundet hîc quisque ſenſu ſuo, quando certitudinis alicujus notas in textu nullas reperire eſt. Cur verò Scriptura, quæ niſi graves ob cauſas, rationem mulierum non habet, & ne ipſius quidem Rebeccæ mortem uſpiam attingit, Deboræ mortis & ſepulturæ hîc mentionem inſpergit? Hebræi, teſte Burgenſi in narratione mortis & ſepulturæ Deboræ, ipſius Rebeccæ mortem & ſepulturam quodammodo inſinuari contendunt. Nam Rebeccæ ipſius, quæ defuncta fuerit ante reditum Jacobi ex Meſopotamia, ſepulturam uſpiam narrari, eò quòd minùs fuerit honorifica, ſive ob editum in hanc lucem Eſavum, ſive quòd abſente Jacobo, Eſavus eam ſepelire noluerit, Iſacus verò utpote caligans oculis non potuerit. Nos relictis his nugis, quæ tamen etiam Burgenſi Epiſcopo placere potuerunt, non aliam rationem memoratæ ejus mortis & ſepulturæ putamus fuiſſe, quàm ſingularem matronæ pietatem,

 utque

Digitized by Google

utque ſimul Moſes indicaret occaſionem, cur ei loco ſub Bethel inditum eſſet nomen אלון בכות *Allon Bachuth*, quercus fletus; nempe ſub ea quercu Debora magno Jacobi & domeſticorum intercedente fletu ſepulta eſt.

XIX. In eadem ſtatione Bethel Deus apparuit Jacobo, & præcedentes promiſſiones confirmavit. Nam וירא אלהים אל יעקב עוד בבאו מפדן ארם *apparuit Deus iterum Jacobo, quando redibat ipſe ex Padan Aran; ac benedixit ei*, verſ. 9. Sicut nempe antehac ipſi in Meſopotamiam fugienti apparuit Bethele, & ampliſſimas ei promiſſiones fecit: ita etiamnum ei ex Meſopotamia redeunti apparet eodem loco, Bethele nimirum, & promiſſiones antea factas repetit. Hanc σχέσιν habet particula עוד *iterum* non ad præcedentem illam ipſi poſt cædem Sichemitarum factam apparitionem. Neque aliter illud עוד accepit Jarchius, qui ita illud explicat; פעם שני במקום הזה אחד בלכתו ואחד בשובו *Duabus vicibus in loco iſto* ei apparuit Deus, *ſemel cum iret* in Meſopotamiam, *& iterum cum inde rediret.* Ante omnia Deus denuo nomen ipſius mutat his verbis: שמך יעקב לא יקרא שמך עוד יעקב כי אם ישראל יהיה שמך ויקרא את שמו ישראל. *Nomen tuum eſt Jacob. Non vocabitur nomen tuum ultra Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. Vocavitque nomen ejus Iſraël.* v. 10. Repetit mutationem nominis, factam jam antea poſt luctam cum Angelo Geneſ. XXXII. 28. Cauſa, cur denuo hanc mutationem nominis in memoriam revocet Jacobo, ſimilis eſt cum ea, ob quam nomen ipſum ישראל *Iſraëlis* ei impoſitum erat. Sicut enim poſt luctam cum Angelo, nomen ei impoſitum eſt Iſraëlis, ut intelligeret nihil ſibi metuendum ab inſidiis Eſavi, qui prævaluerit ipſi Deo: ita etiamnum magnificum illud *Iſraëlis* axioma ipſi revocatur ad animum, ut confirmetur adverſus metum à Cananæis ipſi ob filiorum facinus infenſis. Quòd verò dicit Deus: *Non vocabitur nomen tuum* עוד *amplius Jacob, ſed Iſraël erit nomen tuum*; non eum in ſenſum cum Pererio accipiendum eſt, quaſi deinceps non amplius Jacobi nomine venire debeat; ſed declaratur, ut rectè Cajetanus notat, *non tam prioris nominis negatio, quàm novi & præſtantioris additio.* Perinde ac ſi dixiſſet Deus: *Non vocabitur nomen tuum amplius Jacob tantùm, ſed etiam Iſraël.* Rem igitur acu tetigit Arabs, qui ita convertit אסמך יעקוב לא יסמי אבדא יעקוב פקט בל יסריל *Nomen tuum Jacob, non ſemper vocabitur Jacob tantùm, ſed etiam Iſraël.* Et Abenezra. לא יקרא שמך עוד יעקוב לבדו כי גם ישראל *Non vocabitur amplius nomen tuum Jacob, nempe tantùm, ſed etiam Iſraël.* Similis locutio eſt Joh. XV. 15. Et ſanè apud Hebræos verba illa לא עוד *non ultra*, non indicant ſemper aliquid non eſſe futurum impoſterum, ubi etiam abſolutè ponuntur, ſed tantùm non futurum aliquid ita frequenter. Promiſſio porro & benedictio ipſa his verbis concepta eſt: Ego Deus omnipotens.

Digitized by Google

potens. *Creſce & multiplicare. Gens & cætus gentium erit ex te, & Reges è lumbis tuis egredientur. Terramque hanc, quam dedi Abrahamo & Iſaco, tibi dabo, ſemini quoque tuo poſt te dabo ipſam terram*, verſ. 11, 12. Quibus finitis ויעל מעליו אלהים במקום אשר דבר אתו quæ verba paucis ſic reddit Vulgatus: *Et receſſit ab eo*; ad verbum Græci: Ἀνέβη δὲ ὁ Θεὸς ἀπ' αὐτοῦ ἐκ τοῦ τόπου, οὗ ἐλάλησε μετ' αὐτοῦ. *Aſcendit autem Deus ab eo de loco, ubi locutus eſt cum eo.* Thargum Onkeloſi: ואסתלק מעלוהי יקרא דיי באתרא די מליל עמיה *Et aſcendit ab eo gloria Domini in loco, ubi locutus fuerat cum eo.* Hæſitavit hîc Jarchius, ajens: איני יודע מה מלמדנו *Neſcio quid nos doceat.* Ita qui difficilima aliâs extricare conatur, ei in re facili hæret aqua. Mens Moſis eſt, Deum qui viſibili in figura apparuit Jacobo, & cum eo vigilante, locutus eſt ſono qui percipi poterat, finito colloquio in eadem figura viſibili aſcendiſſe cœlum verſus. Signum ſeu Symbolum præſentiæ divinæ aſcendit, non Deus, qui apparuerat in eo ſigno, qui cùm immenſus ſit, nunquam loco movet. Figuram hanc quodammodo gerunt aſcenſionis Chriſti poſt patratum redemptionis opus in corpore divinitus ei adoptato in cœlum aſcendentis ad dextram Dei patris.

XX. Jacobus Deo apparenti & benedicenti teſtatus eſt gratitudinem ſignis & monumentis. Nam *erexit titulum eo in loco, in quo locutus fuerat ei Deus* מצבת אבן *titulum lapideum: & libavit ſuper illum libamen & fudit ſuper illum oleum*, verſ. 14. Idem fecerat Bethele antehac in Meſopotamia abituriens, Geneſ. XXVIII. 18. Itaque ritum eum exponimus alibi. Abenezra aſſerit, hæc non fuiſſe iterum à Jacobo facta, ſed quæ hîc dicuntur, vertenda eſſe per plusquamperfectum, ut non ſit repetitio facti, ſed commemoratio hiſtoriæ præcedentis. Verba ejus ſunt: ויתכן להיות פירוש ויצב וכבר הציב בפעם הראשונה או עשה כן פעם שנית והראשון קרוב אלי: *Erexit & antea erexit, priori nempe vice. Vel, fuit ita ſecunda vice. Sed prius magis mihi probabile.* Id ipſum placet etiam Piſcatori noſtro. Nihilominus ſicut denuo Jacobo Bethele apparuit Dominus, & loco huic denuo nomen *Bethelis*, uti ſtatim ſequitur, impoſuit: ita denuo etiam & quidem ſolenniùs gratitudinem ſuam teſtatus eſt novo monumento erecto.

XXI. Quamdiu Bethele moram nexuerit Jacobus, non admodum liquet. Hebræi in *Seder olam* cap. 2. tradunt, ſex menſium eam fuiſſe. Aſſentitur etiam Genebrardus primo ſuæ Chronologiæ, nec non Salianus Annal. 2306. num. 3. Nihil tamen conſtat certi. Neque putaverim tamdiu ibi moratum, neglexiſſe officium voti perſolvendi. De hoc quicquid fiat, profectus eſt Bethele divino oraculo monitus. Cúmque in ipſo itinere Bethlehemo ſeu Ephrata abeſſet, עוד כברת הארץ Rachel parturivit. verſ. 16.

Diffi-

Digitized by Google

Difficilima eſt explicatio verborum illorum כברת הארץ quæ mirificè eruditos torquent. In ſacris quidem illa vox כברת ter reperitur ſemper cum adjuncto ארץ ſcilicet, intra cap. XLVIII. 7. & 2. Reg. v 19. Græci Interpretes tum hìc, tum 2. Reg. v. 19. vocem Hebræam retinent. ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισε Χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς Ἐφραθά. *Factum eſt cùm appropinquaret Chabratha, ut veniret in Ephrata.* At Geneſ. XLVIII. 7. eandem quidem etiam habent vocem, Χαβραθὰ, ſed adjungunt alia hoc modo: ἐγγίζοντός μου κατὰ τὸν Ἱππόδρομον Χαβραθὰ τῆς γῆς, τοῦ ἐλθεῖν Ἐφραθά. *Appropinquante me ſecundum Hippodromum Chabrata terræ, ut venirem Ephrata.* Hieronymus in quæſt. Hebr. ad h. l. negat ſibi conſtare, quid ſibi velit hoc *ſecundum Hippodromum.* Id tamen fortaſſis non omnino obſcurum eſt. Videtur enim ὁδὸς ἱπποδρόμου, *via hippodromi* notare, tantum fuiſſe diſtantiæ ad urbem Bethlehem à loco, quo mortua & ſepulta eſt Rachel, quàm longus erat hippodromus, ſeu quanta via decurrenda erat in hippodromo à meta ad metam. Nam hippodromi longitudo Ptolomæo & Alexandrinis, quibus operam navabant LXX Interpretes, notiſſima erat, ſiquidem Alexandriæ fuiſſe hippodromum notum eſt. Ejus meminerunt Strabo, Dio Chryſoſtomus, qui Alexandrinum hippodromum *clamoſum* Rhodium *quietum* & *bene moratum* dicit, Philoſtratus item lib. v. de vita Appollonii. Sed & tertius Machabæorum elephantes in hippodromum Alexandriæ ad obterendos Judæos inductos fuiſſe refert. Addo Joſephum, qui *Belli Jud.* lib. II. 21. nomine Alexandrini Amphitheatri hunc hippodromum intellexit; quandoquidem etiam, *Antiq. Jud.* XV. 11. iſtiusmodi Hippodromum Hieroſolymis ab Herode inſtructum, amphitheatrum ſimili modo appellavit: quemadmodum & conjuncta utraque voce Dionyſius Halicarnaſſeus vocavit Ἀμφιθέατρον ἱππόδρομον. Ad hunc Alexandrinorum hippodromum reſpexiſſe Interpretes, Alexandrinos & ipſos, minimè dubito. Extitiſſe enim adhuc eo ipſo tempore, quo verſionem ſuam adornârunt, conſtat ex eo, quòd ejus meminerit Author Machabæorum, quo non multum antiquiores illi Interpretes fuerunt. Imò inter Ptolomæum Philadelphum, ſub quo LXX Interpretes verſionem ſuam abſolverunt, & Ptolomæum Philopatorem, qui Judæos in Alexandrino hippodromo elephantis proterendos dedit, unus Ptolemæus Evergetes interceſſit. Magnitudo hippodromi Alexandrini non planè conſtat. Circus maximus Romæ, qui hippodromus fuit, atque ita etiam appellatur ab authoribus, ſecundum Dionyſium Halicarnaſſeum, trium fuit ſtadiorum cum ſemiſſe in longitudine, juxta Plinium lib. XXXVI. 15. trium ſtadiorum. Erat autem apud Romanos ſtadium centum viginti quinque paſſuum, apud Græcos centum.

Sed

Sed in paſſu Græco pedes ſunt ſex, in Romano quinque, ut proinde eodem redeat ſtadii apud Græcos & Romanos dimenſio. Igitur tria ſtadia circi Romani habuerunt mille octingentos ſeptuaginta quinque pedes Romanos. Sed hic circus Romanus omnium qui uſpiam fuit, *maximus* erat & appellatur. Adeóque Alexandrinus hippodromus eum non exæquaverit. Hippodromo Byzantino à Severo Imperatore, uti refert Manaſſes in Synopſi hiſtorica, extructo *duo ſtadia & amplius*, tribuit Petrus Gillius hiſtor. Conſtantinopol. lib. 1. cap. 7. Demus autem illi duo ſtadia & ſemis, & huic Alexandrinum hippodromum exæquemus, inveniemus in iſtiusmodi hippodromo mille quingentos pedes Græcos, ſeu cubitos mille. Quæ collectio ſi vera eſt, per Chabratha & ſpatium hippodromi idem ſignificabitur, nimirum *ſpatium* mille cubitorum. Proinde mens fuerit LXX Interpretum, ſpatium, quod interceſſit inter ſepulchrum Rachelis & Bethlehem, tantum fuiſſe, quanta erat longitudo hippodromi Alexandrini, mille præter propter cubitorum. Quòd ſi addamus vocem Χαβραθὰ, ſenſus erit, *juxta longitudinem hippodromi, quæ menſura* vocatur ab Hebræis *Chabrata.* Obſtat tamen huic Græcorum expoſitioni, quòd hippodromi ſpatium ex verbis כברת הארץ vix deduci poſſit. Sive enim כברת deſcendit à כבר *multum* ſeu *magnum eſſe*, ſanè hippodromi ſpatium quomodo magnum dici poſſit, non video: ſive in ea voce litera *Caph* eſt ſervilis, & derivatio eſt à ברה ne ſic quidem hippodromus quadrat: ſive denique, ut conjectat doctiſſimus Fullerus Miſcell. II. 15. vocem כברת deduxerunt à רכבה per methatheſin unius literæ, quod *equitationem*, curſum equeſtrem, hippodromum notat, res ipſa videtur parum congruere, cùm ſpatium inter ſepulchrum Rachelis & Bethlehem plus quàm unius hippodromi intervallo disjunctum fuerit. Hieronymus vocem כברת derivat à ברה *eligere*. Itaque *Chabratha*, inquit de Nom. Hebr. *eſt electio.* Et *Quæſt. Hebr. in Geneſin* inquit: *Melius eſt ſi transferatur*, in electo terræ tempore, cùm introiret Ephrata. *Porro vernum tempus ſignificat: quum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum eſt. Vel cùm transeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris quodcunque ad manus venerit, diverſis floribus invitati.* Ita igitur Vulgatus reddit: *Venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam.* Atqui res ipſa clamat, non temporis, ſed loci notationem hiſce verbis contineri. Neque etiam conſtat, verno tempore hanc migrationem factam eſſe. Imò ſi Jacobi ex Meſopotamia reditum paulò attentiùs expendimus, ſub exitum menſis Maji is videtur ex Meſopotamia exiviſſe. Fuga enim ejus in ipſam tonſuram incurrit, uti colligitur ex Geneſ. XXXI. 19. *Tonſuræ autem tempus*, ſi credimus Varroni, *eſt inter Æquinoctium vernum*

Digitized by Google

& ſolſtitium, cùm ſudare inceperunt oves. Nam ex ſudore lana fit mollior, & ponderoſior, & colore meliore. Pervenerit igitur ad montem Galaad ſub exitum menſis Maji. Illinc properè diſceſſit Machanaima, hinc Succothas. Ibi diebus haud multis conſumptis perrexit Sichemum. Ubi allectus loci amœnitate & deliciis, aliquamdiu ſubſtitit. At raptu Dinæ, & calamitate inde ſecuta, & magis etiam divino oraculo excitatus, Bethlehemum feſtinavit. Sanè ὁδοιπορικὸν iſtud ſpatio paucorum menſium confici potuit. Probabilius igitur, Jacobum autumno quàm vere Bethlehemum veniſſe. Aquila teſte Hieronymo explicat *καθ' ὁδὸν τῆς γῆς in itinere terræ*, ut ſenſus ſit: *Et factum eſt in itinere terræ introiens in Ephrata.* Nempe *Caph* habuit pro litera ſervili, & ברת expoſuit *ὁδὸν viam* nempe *λεωφόρον viam publicam* ſeu *Regiam* ſeu *militarem*, quæ extra urbem eſt à ברא vel ברר *ἐκκαθαίρειν*, *purgare, mundum reddere*, nec non *ſuccidere*, ut in illo Joſ. XVII. 18. ובראת *& ſuccides & purgabis ad habitandum ſpatia.* Itaque declarabit hoc ſenſu viam purgatam & ſucciſam, per quam ultro citroque commeandi facultas exiſtit, vel iter purum ac patens. Quo pacto loquitur Livius: *Dimicatum eſt puro ac patenti campo: ubi ſine ullo inſidiarum metu, vera virtute geri res poſſet.* Iſtud autem nihil aliud eſt, quàm via publica & Regia. Hanc Aquilæ expoſitionem ſequi videtur vir elegantiſſimi ingenii Nicolaus Fullerus, loco ante laudato. Arabs vertit מיל כן אלארץ *milliare terræ.* Ita etiam inter Hebræos nonnulli. Quibus opponit ſe R. Bechai, obtendens authoritatem Nachmanidis oculati teſtis, quòd Rachelis ſepulchrum non diſtet ab urbe totum milliare. Verba ejus ſunt ad h. l. העיד הרמבם ז'ל כי ראה בעיניו שאין ממצבת רחל לבית לחם אפילו מיל *Teſtatur Rambam ſuis ſe oculis vidiſſe, non eſſe inter ſtatuam Rachelis & Bethlehem, ne quidem milliare.* Onkeloſus & Thargum Hieroſolymitanum verterunt כרוב ארעא quod Munſterus *ſtadium terræ*, alii *jugerum*, alii arationem terræ reddunt. Eſt enim כרוב Chaldæis & Syris *arare*. Ac proinde כרוב ſignificat tantam terræ longitudinem, quantam boves arando afficiunt. Nempe juxta paraphraſtas illos *Caph* eſt ſervile, & ברת eſt à ברא quod Chaldæis notat *agrum*. Ita Geneſ. II. 19. pro כל חית השדה Onkelos & Jonathan habent כל חיות ברא *omnis beſtia agri.* Jam verò שדה non tantùm notat agros, vel rus, ſed etiam ſpeciali ac ſtricta ſignificatione *arvum*, ſive tantam agri longitudinem, quantam ducendis ſulcis arator efficit, ut 1. Sam. XIV. 14. Itaque כברת הארץ eſſet *circiter agrum*, ſeu *arvum terræ.* Convenit hoc cum ea diſtantia, quam obſervavit inter ſepulchrum Rachelis & Bethlehem intercedere R. Benjamin Tudelenſis in itinerario pag. m. 47. ubi diſtantiam illam eſſe ait כחצי מיל *dimidium circiter milliare.* מיל eſt ſpatium bis mille cubitorum. Adeóque כחצי מיל ſpa-

tium

tium erit circiter mille cubitorum; ſive mille & quingentorum pedum. quod cum logitudine arvi ſatis bene convenit. Sententia hæc eſt etiam viri doctiſſimi Ludovici de Dieu. In re adeò obſcura poſtrema hæc expoſitio præferenda reliquis omnino videtur.

XXII. Cùm igitur Jacobus cum toto comitatu ſuo non procul abeſſet ab oppido Bethlehem, Rachel uxor ejus, difficilimò partu enixa eſt filium, cui mater ſuſtinendis tantis doloribus impar, & jamjam Spiritum exhalatura nomen indidit בן־אוני *Ben-oni*, *ὑὸς ὀδύνης filius doloris*, Pater verò cum jucundiore illud boni ominis gratiâ, & ne nomen ipſum defunctæ uxoris memoriam perpetuò refricaret, commutans, בנימין *Benjamin* filius dextræ ſeu fortitudinis. Ipſa verò Rachel ibidem defuncta & ſepulta eſt בדרך אפרתה היא בית לחם *in via illa qua itur Ephratam, hæc eſt Bethlehemi.* verſ. 19. Ut ingrederetur urbem ipſam Ephratam, opus non erat, quia moris erat corpora mortuorum ſepelire extra urbem. Cùm igitur in via lata reperiret locum commodum, & extraneus ac advena eſſet, uſus eſt via publica pro ſepulchro. Monet Joſephus, Rachelem *μόνην τῆς συγγενῶν ἐν Χεβρῶνι τιμῆς οὐ τυχοῦσαν ſolam non affectam eſſe honore ſepulchri in Hebron.* Nec verò neceſſum erat etiam, ut deportaretur cadaver ejus Hebronem, quò recondi poſſet in ſepulchro Abrahami *ἀρχηγεωνήτῳ*, quomodo & Iſacum & Jacobum eodem translatos legimus. Sicut enim ex eo, quòd ſepeliri voluit Jacobus in terra Canaan cum Patribus ſuis, oſtendit ſe fidem illam ſervâſſe de hæreditate terræ Canaan à poſteris poſſidenda: ita in hoc facto oſtendere voluit, non ita affectanda eſſe certa ſepulturæ loca, ut exiſtimemus deeſſe aliquid corporibus fidelium, ſi non ſepeliantur in communi Polyandrio, vel in avitis ſepulchris. Cùm igitur procul abfuerit Hebrone, nec conſultum putaret præſente cadavere terrere patrem Iſacum, vel ſibi ipſi repetendæ & renovandæ ejus memoriæ moleſtiam faceſſere, maluit eam honorificè ſepelire eo ipſo loco, quo defuncta fato erat. Neque ſepelire eam honorificè ſatis habuit, ſed etiam יצב מצבה על קברתה *ſtatuit titulum ad ſepulchrum ejus*, de quo addit Moſes היא מצבת קברת רחל עד היום *Hic eſt titulus ſepulchri Rachel uſque ad diem hunc* verſ. 20. Notat Ralbag, erectum eſſe illud monimentum non בפועל הקבור *in ipſo opere ſepulchri*, ſed in loco ubi erat ſepultura. Neque enim conveniens fuiſſe ſecundum conſuetudinem Judæorum, ut cippi ponerentur in ipſo ſepulchri opere. Sed & R. Benjamin Tudelenſis notat in Itinerario pag. 47. cippum illum Rachelis poſitum eſſe in bivio עשויה מאחת עשרה אבנים למנין בני יעקב ועליה כיפה בנויה על ד' עמודים *è duodecim lapidibus pro numero filiorum Jacobi extructum, & teſtudine quadam, quæ columnis quatuor innititur, tectum.* Sed & Judæos prætereuntes nomina ſua in

 cippi

cippi lapidibus exarare. Fides eſto penes authores, quibus alioquin fingere talia inſolens minimè eſt. Sufficiat nobis, hac ratione voluiſſe Jacobum extare apud poſteros memoriam chariſſimæ uxoris, ex qua duos ſuſceperat filios Joſephum & Benjamin, futuros in Iſraële trium tribuum capita.

XXIII. Quia מצבת *tituli* ſeu *ſtatuæ* à Jacobo tum Bethele, tum in via Ephratea erectæ meminit Moſes, non dubitavit Boulducus inde arceſſere pro uſu ſacrarum imaginum argumentum. *Hîc habemus* inquit de Eccleſia ante legem lib. III. 10. *unde antiquiſſimum in Eccleſia ſanctarum imaginum uſum confirmemus, ac ſtatuarum. Vox enim Hebræa* מצבה *pro qua Latinus Interpres reddit titulum, verè ſtatuam, id eſt, ſculptam imaginem ſignificat, ut videre eſt*, 2. Reg. XXX. 26. XVII. 10. Jerem. XLIII. 13. Egregium ſcilicet argumentum, quod miror in mentem non veniſſe idololatriæ Pontificiæ promachis. מצבה ſæpe quidem occurrit in ſacris, & στήλη *titulus* utplurimum à Senioribus, ab Onkeloſo קמתא ab Arabe נצבה redditur. Notat in genere omne id quod memoriæ cauſâ, aut ad alicujus rei ſignificationem ſtatuitur aut erigitur. In ſpecie verò alias pro pila, columna, cippo, aliâs etiam pro ara & ſtatua accipitur. Cippus autem à Jacobo erectus quid erat aliud hoc loco, quàm ſepulchralis ſtatua, in memoriam Rachelis prope ſepulchrum ejus collocata. Alia ratio fuit tituli Bethele erecti & conſecrati, qui non aliud fuit quàm memoriale illius loci, in quo Deus Jacobo apparuit. Fuiſſe iis in titulis exſculptas imagines, & quidem ſacros ad uſus, qua vel umbra rationis comprobabitur? Rudia fuerunt primò ſaxa, beneficiorum divinorum, vel ſanctorum etiam hominum, memoriam conſervantia. Poſtea invaluit abuſus apud gentiles inprimis, ut ejusmodi ſtatuæ colerentur religioſè. Vetuſtiſſimus mos erat Græcorum ſaxa ſive quadrata ſive rudia, ſaltem aliam quàm ſaxi ſpeciem præ ſe non ferentia pro ſimulachris ponere, neque aliter quàm ſimulachris divinum honorem exhibere. Teſtis eſt Pauſanias in Achaicis ubi de Mercurio in Pharo loquitur: Τὰ δὲ παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι, τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Olim apud univerſos Græcos, rudes lapides pro ſimulacris divinos honores obtinuerunt.* Primum titulum ſeu στήλην ſtelam Aſſyrii Thuro Regi, Nini ſucceſſori poſuerunt, uti ex Cedreno & Faſtis ſiculis diſcimus. Cùm igitur etiam Hebræi ejusmodi ſtatuis, juxta morem gentium abuti inciperent, Deus interdicto ſerio eas prohibuit Levit. XXVI. 1. מצבה לא תקימו לכם *ſtatuam non erigetis vobis, neque lapidem pictum ponetis in terra veſtra.* Statuarum & pictorum lapidum uſum prohibet Deus religioſum, non qualemcunque & civilem, uti liquet ex Joſ. IV. 8. ubi duodecim lapides

ex

ex Jordane ſumpti erecti ſunt, in memoriam miraculi, quo Deus iis per medium fluvium viam patefecerat.

XXIV. Poſt ſepultam honorificè Rachelem progreſſus eſt Jacobus ulteriùs, & tabernaculum ſuum tetendit מהלאה למגדל עדר *trans Migdal Eder*, verſ. 21. Quæ verba in Græcis codicibus loco ſuo mota, inveniuntur verſ. 16. ubi Jacobus Bethele profectus dicitur fixiſſe tentorium ſuum ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδὲρ *trans turrim Gader.* Notat מגדל עדר *turrim gregis.* Apud Michæam cap. IV. 8. nomen hoc tribuitur Sioni. Verba ſunt: ואתה מגדל עדר עפל בת ציון *Et tu Migdal Eder, turris filiæ Sion. Uſque ad te veniet.* Hinc collegerunt Hebræi, teſte Hieronymo, fuiſſe *Migdal Eder* eum locum, in quo poſtea extructum eſt Templum. Quippe מגדל עדר eſſe *turrim collectionis* nempe fidelium. Verùm ex loco Micheæ id minimè ſequitur. Nam ibi מגדל עדר eſt appellativum, quod hoc loco proprium. Et ſitus *Migdal Eder* ſatis declarat, non eundem eſſe locum cum monte Moriah. Boulducus *de Eccl. ante legem* lib. III. 10. Jacobum loco illi nomen hoc impoſuiſſe etiam cenſet, non tam ob pecorum greges, quàm ob fidelium congregationes aut cætus: non quòd eo loco templum conſtructum ſit, ſed quòd Jacobus ibi familiam ſuam ad cultum Dei congregaverit. Id probat inde, quia ſtatim ſequitur ibi habitâſſe Jacobum. *Quòd ſi ibi habitavit*, inquit, *Sacerdotii inſtitutique ſui munera ibi exercuiſſe non eſt dubium, eo modo quo in aliis locis, in quibus diu manſit.* Dubium non eſt, quin Jacobus, quotieſcunque opportunum eſſet populum ſuum ad cultum Dei convocaverit. Proinde cauſa non eſt, cur huic potiùs loco, quàm tot aliis, in quibus etiam cultui divino unâ cum familia vacavit, nomen hoc *Migdal Eder* impoſuiſſe dicatur. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, docet, turrim hanc uno milliari abfuiſſe oppido Bethlehem, cùm ſex milliaribus Bethlehem diſtaret Hieroſolyma, turrémque illam gregis fuiſſe locum illum, in quo Angeli paſtoribus nato Chriſto apparuerunt, & ad hoc myſterium indicandum jam pridem hoc nomen *Turris gregis* eum locum accepiſſe, ſive à Patriarcha Jacobo ibi greges ſuos paſcente, ſive aliunde. Hæc igitur tertia fuit Jacobi in terram Canaan reverſi ſtatio, in qua habitâſſe dicitur. In ea dum commoraretur, accidit flagitium inceſtus, à Rubene cum Bilhah patratum. de quo ſuo loco agimus.

XXV. Ex Migdal Eder tandem venit Jacobus Hebronem ad Iſacum paternamque familiam Geneſ. XXXV. 27. Ibi ſtabilem ſedem fixit, & cognito, Joſephum in præcipua eſſe apud Pharaonem gratia, in Ægyptum ad filium chariſſimum profectus eſt. Nam quòd Boulducus aſſerit, Jacobum ex *Migdal Eder* Hebronem veniſſe viſitandi duntaxat patris gratia, manente

interea ſtabili in Migdal Eder habitatione; quódque ea quæ ſequuntur de Joſephi venditione, & ablegatione filiorum in Ægyptum, acciderint eadem in Migdal Eder, gratis & ſine ulla ratione aſſeritur. Quis enim induci poteſt, ut credat, Jacobum reducem ex Meſopotamia ſeorſim habitare voluiſſe, & non potiùs apud parentem optimum, quíque ſenex jam ope filii carere non poterat? Et verbum ויבא *Et pervenit* ad Iſacum perſpicuè notat finem ſeu metam peregrinationis Jacobi, quaſi diceret Scriptura exantlatis tot moleſtis itineribus, tandem ipſum appuliſſe apud parentem, à quò tamdiu ob metum fratris aberat. Accedit, quòd Geneſ. XXVII. I. dicitur Jacobus poſt reditum ex Meſopotamia habitâſſe בארץ מגורי אביו *in terra peregrinationum patris ſui.* quod non in genere tantùm de terra Canaan, ſed in ſpecie de eo loco, in quo ad extremum peregrinabatur Jacobus, adeóque civitate Hebron, intelligi manifeſtum eſt. Neque ulla ratio ſuadet, ut viſitationem potiùs patris, quàm veram cum tota familia migrationem intelligamus.

XXVI. Hebrone cum habitaret Jacobus apud parentem Iſacum, vivente adhuc & vidente patre, venditus eſt à fratribus perfidis filius chariſſimus Joſephus. Ibidem luxit & ſepelivit unâ cum fratre Eſavo parentem defunctum. In eadem ſuſtinuit graviſſimam illam, quæ univerſam terram Canaan afflixit, famem. Ex eadem denique migravit in Ægyptum, ubi, cùm deſiderio videndi & complectendi Joſephi potitus eſſet, exſpectans ſalutare Domini, placidè defunctus eſt. De quibus in hiſtoria Joſephi, nec non *μετοικεσίας* Jacobi in Ægyptum, uberius *σὺν Θεῷ* inferius acturi ſumus.

EXER-

EXERCITATIO XIV.

DE

TESTAMENTO ISACI

SEU

Benedictione Prophetica Filiorum ejus.

Breviarium.

Benedictio Patriarcharum prophetica. Vis divinandi inſita animis eorum. Benedictio Iſaci. Hiſtoriæ illius diſtributio. 1. *Mandatum Iſaci erga Eſavum de paranda venatione.* מטעמים *ſunt* ἡδύσματα *potiùs quàm* ἐδέσματα. תלי *non pharetram ſed gladium notare argumentis pluribus aſſeritur. Venationis & militiæ pericula ac labores conjunctos eſſe probatur.* סיף ξίφος. *Gladiorum appenſoriorum & brevium uſus apud Orientales & Occidentales. Harpe Thracica.* ξιφοδρέπανον. ספסרא Σαμψήρα. *Spatha barbarica.* Σάριδα. *Cur ante benedictionem Iſacus ab Eſavo venationem requiſiverit? Lyrani & Hebræorum de eo ſententia rejicitur.* 2. *Conſilium Iſaci de benedictione in primogenitum transportanda. Benedictio Sacerdotalis & ordinaria ab extraordinaria & patriarchali diſtinguitur. Fueritne benedictio Iſaci* ἱκετία *tantùm &* εὐχαί? *Joſephus notatur. Patriarchalis & propheticæ benedictionis differentia.* 3. *Quî fieri potuerit, ut ſenex Iſacus, vir timens Dei, de Eſavo verbis Dei benedicendo, contra quàm revelatum fuerat, cogitaret?* 4. *Fraudes intercedentes Rebeccæ & Jacobi. Hebræorum circa hanc decepti Iſaci hiſtoriam figmenta. Cur duos hædos Iſaco appoſuerit Jacobus? Hædinam carnem cur delegerit Rebecca? Veſtimenta Eſavi cur Rebecca cuſtodiverit, & non potiùs uxores Eſavi? Cur hædina*

Digitized by Google

hædina pelle tegi collum & manus Jacobi juſſerit mater? Satyrorum habitus. 5. Rebeccæ & Jacobi fraudes an excuſari queant? Hebræorum ψευδερμηνείαι. 6. Origenis, Hieronymi, Caſſiani, Innocentii III. &c. de mendaciis officioſis ſententia rejicitur. An fraudes eæ & mendacia ob typum & allegoriam abſolvi poſſint? An Jeſuiticis æquivocationibus faveant? Leſſius pulſatur. 7. An ob myſterium & Prophetiam actiones hæ à peccato liberari queant? Auguſtinus, Thomas Anglicus, Pererius ad partes vocati. 8. An quia Rebecca & Jacobus de conſilio Dei certi fuerunt, propterea iis fas fuerit ejus executionem fraudibus promovere? 9. Judicium de actionibus eorum legi Dei conſentaneum formatur. Qua in re tum Rebecca, tum Jacobus laudari mereantur? 10. Eorundem peccata reteguntur. Barneſii & Bonfrerii conſenſus. 11. Oſculum à Jacobo expetitum quale? Aromatum uſus. Veſtimentorum Jacobi εὐωδία. 12. Benedictionis Jacobi propheticæ formula. Jacobi εὐωδία ſpiritualis. Promiſſio tum hæreditatis, tum hæredum. Ros Cœli. 13. Sub bonorum temporalium involucris Jacobo promiſſa eſſe cæleſtia & ſpiritualia, adeóque ſub αἰσθητοῖς τύποις, probatur ſeptem argumentis. 14. Explicantur bona ſpiritualia ſub temporalibus promiſſa, nempe reconciliatio in Chriſto, cæleſtis regni deliciæ, Chriſtus ejúſque merita, vocatio & electio ſeminis ejus, regnum Chriſti. 15. Complementum benedictionis illius propheticæ Jacobi. Diſtinguitur benedictionis illius ſenſus minutus & typicus à pleno & reali. 16. An benedictione hac Iſacus Jacobum inſtituerit Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedeci ſeu ſacrificulum miſſaticum? Boulduci delirium. 17. Quo jure intercepta à Jacobo benedictio neque à patre revocari potuerit, neque ex facto revocata fuerit, ſed rata permanſerit, cùm tamen quæ per fraudem fiunt & præter conſilium donantium, ſint irrita? Diſtinguitur benedictionis Iſaci cauſa primaria à ſecundaria & miniſtra. 18. Eſavi adventus ad Iſacum cum edulio. Iſaci חרדה גדלה *pavor magnus qualis? Divinitus immiſſum & propheticum fuiſſe aſſeritur. Hebræorum de pavore ejus ob gehennam apertam nugatio. 19. Eſavi ob præreptam bene-*

Digitized by Google

benedictionem clamòr & rugitus, nec non trina ſolicitatio benedictionis. Quomodo venerit Jacobus במרמה*? Quid* אצלת*? 20. Benedictio prophetica Eſavi. Quo ſenſu habitatio ejus dicatur* משמני הארץ*? Caſtalio notatur. Promiſſio tum hæreditatis Eſavi, tum hæredum ejus. Hebræorum circa eam benedictionem perverſa gloſſemata perſtringuntur. Quid apud eos notet* איטליא של יון *Italia Græciæ? An terra, cujus ei promittuntur pinguedines, fuerit Calabria vel Roma? An dominio Eſavi in Jacobum ſeu poſteros ejus notetur Romanorum in Judæos dominium, & ſervitus eorum ſub Romanis? An Edom in ſacris notet imperium Romanum? Abenezræ & Thalmudicorum ratio, cur Romani & Chriſtiani ſint Idumæi, refellitur. Iſraëlem nomine Edom hieroglyphicè venire Eſ.* LXIII. 1. *oſtenditur. 21. Benedictionis Propheticæ Eſavi complementum. Quomodo in pinguedinibus fuerit habitatio Eſavi, cùm Malach.* I. 3. *Deus dicatur montes ejus poſuiſſe in ſolitudinem? Idumæorum animi militares. Idumæorum Iſraëlitis aliquoties ſubjectorum hiſtoria. Poſt Hircani tempora Iſraëlitæ & Idumæi unus populus cenſeri, & utrique nomine Judæorum venire cœperunt. Idumæi quando Iſraëlitarum jugum excuſſerint? Verbo* תוריד *Iſacus verum Idumæorum in Iſraëlitas dominium, an jugi duntaxat excuſſionem notaverit? Impletum eſſe Idumæorum dominium in Herode oſtenditur. Fueritne Herodes* ἀλλόφυλος*? Patrum & Scaligeri ac Caſauboni de eo diſſenſus conciliatur. 22. Locus Pauli Hebr.* XII. 17. *illuſtratur. Quomodo Eſavus benedictionem ambiens ibi eam non impetrâſſe dicatur? 23. Eventus prærepiæ à Jacobo benedictionis. Eſavi erga Jacobum conceptum odium* שטם*. Fratrum odia deſcripta.* Θεομαχία *Eſavi in propoſito occidendi fratris. Quid* ימי אבל *dies luctus? 24. Conſilium Eſavi de occidendo Jacobo unde innotuerit Rebeccæ? Quid* מתנחם לך*? 25. Rebecca Jacobo ſuadet diſceſſum in Meſopotamiam. Quid* ימים אחדים*? Prudentia Rebeccæ in ſedando Eſavi animo. Diſcrimen inter* ἀκροχόλους *&* πικροχόλους*. 26. Rebeccæ ad Iſacum de ablegando Jacobo oratio. Quid* קצתי בחיי*? Quid* σικχασία*? Peccaveritne Rebecca, palmariam dimittendi Jacobi*

cauſam apud Iſacum omittendo ? 27. Dimiſſio & benedictio Jacobi. Cur denuo ipſi benedixerit Iſacus ? 28.

I. HEroicis Patriarcharum temporibus hoc inter alia eximium fuit, quòd viri illi ſanctiſſimi, paulò ante quàm illis natura finem vitæ faceret, conceptis verbis res futuras liberis ſuis ſignificavére. Nimirum erat in ànimis illorum quiddam præſentiens atque divinans, cùm illud inſtabat tempus, quo onerosi corporis exſoluti vinculis ad cœlum ſuum & ſperatas beatorum ſedes migrarunt. Jam tum nempe, etiam in terris, frui quodammodo divinitate ſua incipiebant, & majore vi agebantur. Idem accidit Iſaco. Caligo ejus oculos pepulit: at menti lux acceſſit; & cùm in vicino mors erat, vatem egit. De ea re inpræſentiarum ſeorſim acturi, tria expendimus, primò antecedentia illius colloquii, quo benedictio prophetica per Iſacum in Jacobum collata eſt; deinde modum colloquii & benedictionem ipſam; denique res ex eo conſecutas.

II. In rebus colloquium ſeu benedictionem Jacobi antecedentibus occurrunt tum mandatum Iſaci erga Eſavum cum conſilio ejus conjunctum, tum fraudes Rebeccæ & Iſaci quæſitæ adverſus conſilium ſenis. Mandatum eſt de venatione quærenda & paranda, quam amaverat Iſacus. Verba ejus ſunt: Geneſ. XXVII. 3. *Nunc igitur cape quæſo inſtrumenta tua* תליך *pharetram tuam & arcum tuum, atque egredere in agrum, & venare mihi venationem; fácque mihi* מטעמים *ἐδέσματα pulmentum* aut potiùs *cupedias,* vel *cibos lautos gratíque ſaporis* (ut ita Græci ſcripſerint potiùs *ἡδύσματα* quàm *ἐδέ(σματα)*) *quemadmodum diligo, & offer mihi, ut comedam.* Omnes fere interpretes Græci & Latini תלי reddunt *pharetram.* Thargum Onkeloſi & Syrus pro eo habent סיף hoc eſt, *gladium.* Quæ interpretatio rectior potiórque videtur meritò Doctiſſimo Fullero Miſcell. 3. lib. 1. cap. 17. Quamvis enim תלי ſignificet ad verbum illud quod appenſum eſt, adeóque hactenus etiam pharetræ accommodari poſſit, tamen uſitatè pharetra Hebræis non eſt תלי ſed אשפה. Neque pharetra nomine כלים cenſeri poteſt, cùm armorum ſolùm theca ſeu vagina ſit. Tum קשת *arcum* ſtatim ſubjungit Iſacus, ac proinde voce תלי aliud quidpiam & diverſum ab arcu, iiſque quæ inſtar arcus habentur (quales ſunt pharetra & ſagittæ) notat. Id verò niſi gladium dixeris, haud facilè præterea quicquam excogitaveris. Quoties etiam de violentia armata, impetúque cum diſcrimine conjuncto faciendo aut excipiendo agitur in ſacris, hæc duo ferè ſemper, gladium & arcum, iſtum eminus, illum cominus utendum, veluti ſummè olim neceſſaria

ceſſaria arma, conjungi fidem fecerint loca Geneſ. XLVIII. 22. 1. Sam. XVIII. 4. 2. Reg. VI. 22. Pſal. VII. 13. & XXXVII. 14, 15. &c. Perſpicuum etiam eſt, venationis labores ac pericula cum militaribus arctiſſima neceſſitudine conjuncta eſſe, & venatorem ad militis ſimilitudinem proximè accedere. Proinde Oppianus Cyneg. l. 1. 86. non θήρην ſimpliciter, ſed θήρης μῶλον *venationis bellum* appellat. Et Halicut. l. 4. 561. *εἴδωλον πολέμοιο ſimulachrum belli* nuncupat. Unde ipſe Eſavus de certaminibus ſuis venatoriis, perinde ac de bellicis locutus eſt ſuperiùs. Geneſ. XXV. 32. Cùm igitur in præliis conjunctiſſima ſint enſis & arcus, quid obſtat, quò minùs & hic eſſe conjunctiſſima dicamus? Accedit, quod תלי à תלה *pendere*, propriè attribui poſſit gladio appenſorio, ſeu rectâ deorſum à latere dependenti, atque idcirco breviori. Atque ita etiam סיף qua voce hîc utuntur Chaldæus & Syrus, quæque etiam Arabibus recepta eſt, & à qua eſt Græcorum ξίφος, notat gladium minùs longum, leviter incurvum, & falcis formam ex parte referentem populis Orientalibus, uti narrat in appendice ſua Xenophontea Leunclavius, uſitatiſſimum. Neque tantùm Orientalibus, ſed etiam Occidentalibus tum noſtris, tum priſcis temporibus ejusmodi appenſorii gladii in uſu fuerunt. Gloſſarium vetus Græco-Latinum ſicam exponit *θρᾳκικὸν ξίφος ἐπικαμπὲς enſem Thracium incurvum.* *Ἅρπην Harpen*, utpote ad exemplar falcis comparatum vocârunt veteres, quam inveniſſe Thraces teſtatur Clemens Alexandrinus apud Euſebium de Præparat. Euang. lib. X. cap. VI. Tale eſt Heſychii *ξιφοδρέπανον*, quòd *ἅρπην* continuò interpretatur. At gladium oblongum minúſque latum Syri peculiariter ספסרא à qua voce eſt Græca *συμψήρας*. Porro *συμψήρας* Dio apud Suidam interpretatur *σπάθας βαρβαρικὰς Spathas barbarico more fabricatas*. Eſt autem *Spatha* interprete Vegetio *gladius major*. Ita etiam Heſychius Σάρισον interpretatur *σπάθην βαρβαρικήν*, *ſpatham barbaricam*. Unde idem Fullerus ſuſpicatur, Saphſiram compoſitum eſſe vocabulum ex סיף *Saiph*, & Sariſſam dici quaſi Saphſariſſam vel ξίφος *σαρισοειδές*. Addo etiam R. Davidi Kimchio תלי non eſſe pharetram duntaxat, ſed etiam gladium. Et R. Sol. Jarchi eodem modo תלי interpretatur חרב שרוך להלותה *gladium quem aptavit ad appendendum*. R. Abenezra etiam non improbat, ut תלי ſumatur pro חרב. Cur verò, inquias, venationem ab Eſavo ante benedictionem requiſivit Iſacus? Lyranus ſecutus Hebræos id refert ad morem eo tempore receptum, ut filius non acciperet benedictionem a patre, niſi primùm præſtito ei officio vel ſervitio aliquo. Id verò teſtimonio nullo probari poteſt. Neque ejusmodi officia notari poſſunt in filiis Noæ & Jacobi, quibus ipſi etiam parentes benedixerunt ſolenniter. Ad allegorias

Digitized by Google

confugiunt alii. Rivetus cenſet, voluiſſe Iſacum antea cibo aliquo delicatiore recreari, ut poſtea alacriori animo benedictionem illam propheticam enuntiaret: planè ſicut olim prophetæ ad alacrius vaticinandum excitati ſunt pulſato inſtrumento Muſico. uti de Eliſæo habetur diſertè 2. Reg. III. 15. Fieri poteſt etiam, ut hoc officio benevolentiam ſuam provocari à filio cuperet pater. Sed tutiſſimum eſt rationem arceſſere à divina providentia, quæ hac ratione conſilium Iſaci detegi voluit, ut per abſentiam Eſavi Jacobo ad ambiendam & adipiſcendam benedictionem muniretur.

III. Conſilium Iſaci erat, benedictionem in Eſavum filium natu majorem tanquam divina authoritate conferre. Hoc ſibi volunt verba Iſaci, בעבור תברכך נפשי בטרם אמות *ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* verſ. 4. Benedicunt homines hominibus qui vel bene precantur ſimpliciter ex charitatis deſiderio, vel bene ominantur & futura prædicunt ex ſpiritu prophetico. Eſtque benedictio ejusmodi vel *privata*, qua quisque alteri benedicit, etiam hoſti, vel *publica*, conjuncta cum authoritate, quâ qui ad publicum munus vocati ſunt, benedicunt iis, qui curæ ſuæ demandati erant. Quomodo Paulus Hebr. VII. 7. ait, Χωρὶς πάσης ἀντιλογίας τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται *ſine omni controverſia minus à majore benedici.* Hæc porro eſt tum *ordinaria*, & *ſacerdotalis*, quâ olim Miniſtri Eccleſiæ juſſu Dei benedixerunt populo, uti videre eſt Num. VI. 23. quò referri poteſt etiam benedictio Melchiſedeci Geneſ. XIV. 19. tum *extraordinaria* & *prophetica*, qualis fuit Patriarcharum, quibus promiſſio divina de fœdere facta fuit. Illi enim ſpeciali benedictione veluti teſtamento inſtituebant ejusdem promiſſionis hæredes, eámque ita in poſteros transmittebant, in quorum familiis Eccleſia & fœderis gratia propaganda erat ad Chriſtum uſque venturum. Talis erat benedictio Noæ. Ita Abrahamus hæredem inſtituit Iſacum. Ita ipſe Iſacus hoc loco benedicere tentat Eſavo, & poſtea benedicit actu Jacobo. Ita Jacobus Patriarchis. Fuit autem benedictio ejusmodi prophetica divinæ voluntatis & ordinationis divinitus illis intellectum ſpiritu prophetico illuſtrante, revelatæ declaratio. Proinde neque ipſa benedictio, neque ejus vis & ἐνέργεια ſita fuit in poteſtate & arbitrio Patriarcharum, ut integrum minimè fuerit in eum derivare benedictionem, in quem potiſſimùm propendebat amor. Ab uno verò Iſaco ſi diſceſſeris, qui in perſona, Deo permittente, & hactenus intellectum non illuſtrante, erravit; cæteri nec in perſona, nec in re ipſa aberrârunt. Joſephus benedictionem hanc Iſaci vocat ἱκετίαν καὶ εὐχάς. Rectiùs dixiſſet θεσπίσματα, χρηματισμοὺς καὶ κλήρους, quædam velut *oracula & ſortilegia*,

quæ

quæ in manibus & mentibus parentum Deus poſuit. Aliud eſt enim ex charitatis affectu bene precari, aliud nomine & inſpiratione Dei fata canere. Cæterùm benedictionem Patriarchalem à Prophetica diſtinguit Cl. Schotanus *Biblioth.* p. 1. pag. 300. ubi *Patriarchalem* ponit in eo, quòd parentes filiorum quodammodo pietatem ea benedictione remunerari ſoliti ſint: at Prophetæ non ex meritis, ſed ſolo divino impulſu futura enunciaverint. Non video, ubique Patriarchas benedicentes filiorum merita ſpectâſſe. Sæpe nulla omnino officia præceſſére.

IV. Incidit hîc quæſtio: *Quî fieri potuerit, ut ſenex Iſacus, vir timens Dei de Eſavo verbis Dei benedicendo, contra quàm revelatum fuerat, cogitaret?* Etenim jam antea quàm nati erant infantes voluntatem ſuam Deus expoſuerat cap. XXV. 23. ubi majorem ſerviturum minori declaratum fuerat. Vel igitur divinæ iſtius revelationis Iſacus conſcius fuit, vel non fuit. Non fuiſſe credibile non eſt, cùm nec Rebecca rem tantam celatura fuerit, & multis ex eo tempore teſtimoniis id ipſum Deus confirmaverit. Si conſcius fuit, quâ fide voluntati divinæ obniti potuit? Conſciúsne fuerit oraculi necne Iſacus, obiter jam inquiſivimus Exercit. XII. 5. ubi oraculum ipſum non ignoraviſſe, at ſenſum ejus non ſatis exploratum habuiſſe exiſtimavimus. Id ſanè firmiter perſuaderi poſſumus, quia, ſi exploratum habuiſſet oraculi ſenſum, minimè pietas, quâ flagrabat, permiſiſſet ipſum hactenus divino decreto inſanè reluctari. Audiverat ſanè, majorem ſerviturum minori. Sed id de populis potiùs, quorum proximè mentionem fecerat Deus, quàm perſonis filiorum acceperat. Interim conveniens omnino fuerat ejus officio, diligentiùs oraculi ſenſum indagare. Sed id ipſum ſervum ſuum ignorare permiſit ultro Deus, ſive ut pateret prælationem Jacobi non voluntati & affectui parentis, ſed ſoli propoſito vocantis, adeóque prædeſtinationi tribuendam eſſe, ſive quia Deus hac ratione innoteſcere voluit ſuam περὶ τοῦ Ἰακὼβ κηδεμονίαν, uti putat Theodoretus. Eam ſanè κηδεμονίαν poſtea agnoviſſe videtur ipſe Iſacus, qui non tulerit ægro animo ereptam Eſavo à Jacobo benedictionem. Id jam ſi obtineat, non malè cauſas, ob quas Eſavo potiùs, quàm Jacobo benedicere paraverat Iſacus, idem divinavit Theodoretus. Duas perhibet cauſas. Unam νόμον τῆς φύσεως *legem naturæ*, juxta quam Eſavus ἦν πρωτότοκος *erat primogenitus*. Ad primogenitum autem pertinere prærogativam & τὸ ἐπιβάλλον μέρος notum erat. Alteram, ὅτι ηὔξησε καὶ ἡ θεραπεία τὸ φίλτρον, *quia obſequium* Eſavi *auxit amorem* patris.

V. Sequuntur fraudes tum matris Rebeccæ, tum filii Jacobi, ad eludendum conſilium ſenis comparatæ. Et Rebecca quidem audito Iſaci filio

& mandato, poſtquam ad venandum jam exiverat Eſavus, mandat Jacobo, caperet ex grege duos hædos caprarum optimos, quibus ſubſtitutis in locum venationis Eſavi illa condimentum pararet, quod poſtea Iſaco exhiberet Jacobus, ut hac via benedictio paterna intercepta ab Eſavo ad Jacobum derivari poſſet. Cúmque Jacobus cauſaretur fore, ut fraude propter diſſimilem ſui & Eſavi, cùm ille cute levi, hic villoſâ eſſet, conditionem judicio tactus delecta, pro benedictione maledictionem reportaret: Rebecca ſecuro animo eſſe Jacobum jubet his verbis: עלי קללתך בני *Super me ſit maledictio tua fili mi.* verſ. 13. ſimúlque ei, ut obediat, perſuadet. Jacobus hoc veluti exempto ſibi ſcrupulo imperata matris facit, hædóſque adeo, futuros edulium patri, affert. Quos cùm coxiſſet mater, & ad palatum Iſaci comparâſſet, ſimul aliam meditata fraudem, ne agnoſci poſſet Jacobus, eum tum veſtibus Eſavi, tum pellibus hædulorum, ut villoſus videretur, induit, atque ſic edulio patri apportando inſtruit. Jacobus in hoc habitu perſonam primogeniti ſimulans patri ferculum repræſentavit, qui primò ambiguus, Eſavus eſſet necne, cùm vox Jacobum, manus immanem Eſavum proderet, & diligenter tum verbis tum contactu adhibitis ſciſcitatus, an verè Eſavus cui benedicere conſtitutum habuerat, eſſet, qui aderat, tandem conſtanti aſſeveratione Jacobi inductus eſt, ut Eſavum eſſe crederet. Hiſtoricæ huic recenſioni Moſis pro more figmenta ſua aſſuerunt Hebræi. Et Jarchius quidem mandatum eſſe Eſavo ſcribit, ut venationem afferret מן ההפקר ולא מן הגזל *de licito non de rapto.* Rebeccam verò, cui ingenium Eſavi exploratum fuerit, conjectâſſe, Eſavum de rapto potiùs, quàm licito allaturum venationem, proinde expedire magis, ut à Jacobo ea impietas prævertatur, & Iſacus veſcatur cibo non interdicto, ſed potiùs licito. Mandâſſe itaque Rebeccam Jacobo in hæc verba קח לי *accipe mihi* quaſi diceret שלי הם ואינם גזל שכך כתב לה יצחק בכתובתה ליטול שני גדיי עזים בכל יום בראשית רבה hædos, *qui ſunt ex meis, non ex rapto. Sic enim ſcripſit ei in contractus matrimonialis literis, ut ſumeret duos hædos caprarum unoquoque die, uti habetur in Bereſith rabbah.* Cur verò duos hædos appoſuerit Jacobus Iſaco, quærunt iidem ſubtiles magiſtri. Reſpondet argutè idem Jarchius: וכי שני גדיי עזים היה מאכלו של יצחק אלא האחד הקריב פסח בו ביום והאחר עשה בפרק' דר' אליעזר *Numquid duo hædi fuerunt cibi Iſaco? Imò unum quod attinet obtulit in eo paſcha iſto die, alterum apparavit. Ita habetur in Capitulis Eliezer.* Quantò rectiùs Mercerus allati gemini hædi rationem affert duplicem, alteram, ut eligendi, qui ſapidior eſſet, poteſtatem haberet; alteram, ut Jacobus occaſionem haberet narrandi de felici ſucceſſu venationis. Interpres Arabs habet: *Affer mihi venationem & præpara mihi*

Digitized by Google

mibi אלואן *variis modis*. Itaque è variis condimentis optionem habebat Iſacus. Hædinam autem carnem cur delegerit Rebecca, ratio in promptu eſt, ut nimirum tectiùs falleret. Eſt enim caro hædina proxima ferinæ. Jarchius rurſus, כי טעם הגדי כטעם הצבי *quia ſapor hædinæ ſimilis eſt carnis capreæ ſapori*. Quòd verò Jacobo de proſpero dictatæ fraudis ſucceſſu dubio reſpondet Rebecca: *Maledictio tua ſit ſupra me*, id ipſum quoque variè explicant Magiſtri. Abenezra: עלי קללתך אל תפחד שיקלל ואם יקלל תהי קללתו עלי ולא עליך וזה משפט דברי הנשים והגאון פי׳ עלי להסיר קללתך ויש אומרים חללה לכזב הנביא רק הוא כן Super me ſit maledictio tua, h. e. *Ne metuas ut maledicat. Si verò etiam maledixerit, eſto ejus maledictio ſuper me, & non ſuper te. Ita mulieres loqui amant. At Gaon exponit, ſuper me, ad removendam maledictionem tuam. Sunt etiam qui dicunt: Abſit ut propheta mentiatur. Tantùm ille ſic.* uti nempe Deus ejus ori imponit. R. Levi ben Gerſon locutum eſſe ita putat, vel quia prophetiam habuerit, vel quia Dei auxilio confiſa fuerit. Locutam ita eſſe, ut Prophetiſſam, quæ felicem eventum ob oculos poneret, ut maledictionem non dubitaret præſtare filio, non dubitat etiam Mercerus. De veſtimentis porro, quæ Jacobo aptavit Rebecca, ut Eſavum melius referret, iidem magiſtri portentoſi nugatores multa garriunt. Fabulantur nempe, veſtes has fuiſſe primi hominis, quas cùm feræ omnes & beſtiæ vel truculentiſſimæ viderent, exhorreſcerent, & ſeſe ſubjicerent; quæ poſtea ipſi Nimrod, inſigni venatori, in poſſeſſionem ceſſerint. Eſavum autem occiſo Nimrodo eas ſibi rapuiſſe. Ita apud Jarchium quidam docent, vocari eas veſtes בגדי החמודות *veſtes deſideratiſſimas* שחמד אותן מן הנמרוד *quoniam eas deſideraverit à Nimrodo*. Ipſe tamen Jarchius cenſet החמודות idem eſſe quod הנקיות *nitidiſſimas*. Quomodo Thargum Onkeloſi vocat לבושי דכיתא *veſtimenta munda*. Cùm porro veſtimenta Eſavi dicatur Rebecca habuiſſe אתה בבית *apud ſe in domo ſua*, & non potiùs cuſtodiviſſe ea dicantur uxores, id ipſum etiam ambigendi anſam præbuit Rabbinis. Jarchius: והלא כמה נשים היו לו והוא מפקיד אצל אמו אלא שהיה בקי במעשיהן וחושדן *Nonne uxores ipſi erant? Cur igitur veſtimenta aſſervavit mater ejus? Nempe expertus erat earum opera, & ſuſpectas eas habebat*. Alii veſtes eas fuiſſe Sacerdotales fingunt, eò quòd ante legem primogeniti Sacerdotes fuerint. Otioſorum hæc videntur ſomnia. Porro quòd hædina obtegi partes nudas, collum & manus juſſit Rebecca, & juſſa ejus fecit Jacobus, id ipſum in pœnam talionis ceſſiſſe Jacobo notant Hebræi. Sicut enim patrem per hædum fefellerat, ita viciſſim illum à filiis ſuis deceptum fuiſſe per hædum illum, cujus ſanguine Joſephi tunicam cruentârunt, ut Jacobus crederet, feras illum dilaniâſſe. Porro non obſcurum eſt, cur hædina pelle tegi collum

&

Digitized by Google

& manus Jacobi juſſerit mater. Sic enim expreſſiùs referebat Eſavum. Is natus erat hirſutus ad inſtar *pallii villoſi*, Geneſ. xxv. 25. Quomodo Poëtæ Satyros nobis deſcribunt. Ac proinde qui Satyrorum in theatris perſonam ſuſtinebant, hinnulorum etiam ac hircorum pellibus induebantur. Pollux: ἡ δ᾽ σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρὶς αἰγῆ, ἣν καὶ ἰζάλην ἐκάλουν καὶ τραγῆν.

VI. Cæterum de fraude utriusque tum Rebeccæ, tum Jacobi, an excuſari poſſit, quæritur. Fraudes ipſæ & mendacia aperta ſunt. Rebecca facta & dicta Jacobo præivit. Jacobus obſequitur, & tum factis ſimulat Eſavum, tum verbis expreſſis: אנכי עשו *Ego ſum Eſavus primogenitus tuus, feci, quemadmodum juſſiſti me. Surge & comede de venatione mea.* verſ. 19. Ubi tria vero non conſentanea enuntiat, ſe Eſavum primogenitum eſſe, ſe feciſſe quod juſſerat & pater, denique venationem, de qua comedere voluit patrem, ſuam eſſe. Sudant ante omnia Hebræi, ut Sanctum Patriarcham à peccati & mendacii improperio vindicent. Dicunt igitur, illud אנכי *Ego ſum* ſeorſim legendum eſſe hoc ſenſu: *Ego ſum, qui nempe cibum tibi obtuli. Eſavus verò eſt primogenitus tuus.* Alii hunc ſenſum faciunt: *Ego ſum loco Eſavi primogeniti tui, quia jam Eſavus mihi primogenituram ſuam vendidit.* Quod verò ſequitur; *Feci quod juſſiſti:* volunt ad alia, quæ aliâs juſſerat, referri, non ad præceptum de ferinâ aſportanda. Jarchius: אנ׳ לא אמר אני עשו אלא אני *Non dixit: Ego ſum Eſavus, ſed ſimpliciter Ego ſum.* Et ſuperiùs: אנכי עשו המביא לך ועשו הוא בכורך *Ego ſum Eſavus. Ego affero tibi hoc. At Eſavus primogenitus tuus eſt.* Abenezra אנכי מי שאנכי ועשו בכורך ואחרים אמרו כי בנחת אמר אנכי ונשא קול במלת עשו בכורך ואלה דברי רוח כי הנביאים יתחלקו לב׳ חלקים החלק האחד שליח במצות והחלק השני נביאי העתיד ואם יצטרכו לאמר דבר שאיננו כהוגן לא יזיק רק השליח לא יתכן שיכזב כלל quaſi diceret Jacobus: *Ego ſum quem tu rogas. Eſau autem eſt primogenitus tuus. Alii dicunt, Jacobum ſubmiſsè dixiſſe*, Ego; *at ſublata voce dixiſſe*, Eſau eſt primogenitus tuus. *Et hæc ſunt verba ſpiritus. Nam prophetæ duas perſonas ſuſtinent. Una, quod legati ſunt, mandato mittentis obſtricti. Altera quòd præcones futurorum. Si igitur neceſſum habuerint dicere rem non ſatis decentem, non multum referet. At ſi legati perſonam referant, minimè convenit, ut mentiantur.* Sic igitur alii docent, Jacobum diviſa oratione profeſſum ſe Jacobum non Eſavum; alii, primogenitum ſe dixiſſe, quia nimirum jus primogenituræ ſibi comparaverit: alii ſubmiſſè ſe Jacobum eſſe dixiſſe, at alta voce Eſavum vocâſſe primogenitum; alii denique licitè mentitum eſſe, quia legati Dei non ſuſtinuerit perſonam. Hæc omnia talia ſunt, ut admitti nullo pacto queant. Neque enim ejuſmodi æquivocatio ineſt verbis Jacobi, ſed aperta profeſſio, qua ſimulavit id ſe eſſe, quod non erat. Et factorum juxta atque facto-

rum

Digitized by Google

rum ſeries id demonſtrat. Quòd ſi ſe primogenitum ſimpliciter dixiſſet Jacobus, tolerari id utcunque poterat. Sed quòd ſe dicit Eſavum; quòd ferinam dicit id, quod ferina non erat; quòd ſibi à patre mandatum impoſitum aſſerit, frivola ejusmodi excuſatione vel potiùs detorſione dilui minimè poteſt.

VII. Inter Patres non deſunt, qui hac Rebeccæ & Iſaci defenſione utantur, quòd fraudes illæ atque mendacia vitio deputari non debeant, eò quòd non proceſſerint à ſtudio nocendi, ſed maximo bono promovendo ſervierint. Ita Origenes Stromatum lib. 6. cenſet, poſſe quandoque prudentem ac ſapientem virum uti officioſo mendacio non ſecus quàm medicamine. Et ſtabiliendo huic dogmati Jacobi exemplum affert. Eadem mens eſt Hieronymo, Chryſoſtomo, Innocentio III, Caſſiano, aliis, quorum ſuffragia recitat Sixtus Senenſis Biblioth. S. lib. v. annot. 107. Sed hanc rationem meritò impugnat Auguſtinus lib. de Mendacio ad Conſentium cap. 2. & Epiſtolâ ad Hieronymum, & cum eo univerſa ſobria Theologorum Schola. Qua de re nobis actum etiam alibi. Alii factum excuſant, quia typi & allegoriæ rationem habuerit totum. Verùm ut demus, rem fuiſſe typicam: id tamen certum eſt, ubi aliquid humanæ infirmitatis in typum incidit, non ideo factum ipſum, quâ vitioſum eſt, reprehenſionem non mereri. Eatenus enim purus eſt à vitio typus, quatenus mandato nititur. Hic autem nullum oſtendi mandatum poteſt, quo vel præceptum vel indultum fuerit ejusmodi fraudes nectere. Deinde cùm typus hic non fuerit imperatus, nec diſertis ex Scriptura verbis probari poſſit, typus igitur erit communis, non proprius & deſtinatus. Atqui ad typos communes exempla tam mala, quàm bona pertinent. Mala autem non idcirco fieri bona poſſunt, quia typi rationem habent. Præterea typus non eſt in fraudibus illis & mendaciis, ſed in eo quòd minor prælatus eſt majori non ex operibus, ſed ex propoſito vocantis. Non deſunt etiam, qui exemplo Jacobi palliare conentur Jeſuiticam mentiendi ſeu æquivocandi artem. Itaque verba Jacobi: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau;* perinde volunt intellecta à Jacobo, ac ſi dixiſſet: *Primogeniti tui Eſavi vices ſuſtineo, & loco ipſius ſum: Feci ſicuti præcepiſti mihi, nempe in perſona Eſavi quam refero. Comede de venatione mea, id eſt, comede carnes à me paratas, quæ tibi erunt pro venatione aut ferina.* Putant illi, non referre, ſi maximè quod enuntiatur falſum ſit, dum is qui loquitur, non intendat, illud per ſe & ſolitariè affirmare, ſed conjunctim cum eo, quod tacitus addit. Atque ſic quod ſeorſim falſum erat, id conjunctim fieri verum. Ita Leſſius *de Juſtitia & jure* lib. II. cap. 42. ubi etiam Jacobi exemplum allegat. Quid verò faciemus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
Digitized by Google

mus hujus commatis hominibus, qui hac ratione mendaciis & perjuriis decumanam aperire portam non verentur? Conclamatum erit de pactorum omnium & contractuum fide, adeóque univerſæ ſocietatis humanæ vinculo, ſi perverſa ea ſententia reciperetur. Quòd ſi ſanctus Patriarcha reſurgeret, haud dubiè illam audaciſſimorum hominum impietatem validè retunderet & damnaret ipſe. Tantum abeſt, ut ejuſdem vecordiæ ſe reum fecerit: qui ſi humana infirmitate lapſus eſt, at certè artificioſum illud & affectatum mentiendi genus minimè ſectatus eſt. Non malè adverſus ſuos Malderus Epiſcopus Antverpienſis tract. *de abuſu reſtrictionum mentalium*, cap. 8. notat, eos qui ita æquivocant, non loqui veritatem cum proximo ſuo, ſed mentiri recocto in mente mendacio.

VIII. Auguſtinus ad Conſentium cap. x. aliam defendendæ Rebeccæ & Jacobi viam inivit. Verba ejus ſunt: *Quod Jacob matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, non mendacium eſt, ſed myſterium, cognitionéſque & actiones hæ fuerunt prophetica, ad ea quæ vera ſunt intelligendum, referendæ.* Auguſtinum ſequuntur alii multi. Putant nempe, verba & facta Jacobi poſſe habere ſenſum præciſum verum eo modo, quo actiones & enuntiationes propheticas veras eſſe oportet, ſine ullius æquivocationis admiſſione. Senſum igitur Jacobi præciſum faciunt hunc: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau, nempe jure & privilegio.* Cui quidem ſenſui aptant ſignum externum tropicum, quale eſt in verbis Chriſti, cùm Johannem Baptiſtam vocat *Eliam qui venturus erat* non quidem quoad ὑπόστασιν, ſed quoad *virtutem* & *officium* perſonæ. Aliud autem eſſe tropum, aliud mentalem reſtrictionem. Porro quod ita mente conceperit, & verbis enunciaverit Jacobus, ei etiam veritatem conſtare. Nam Dei utique ſententia & decreto primogenituram ab Eſavo translatam eſſe in Jacobum, idque à Rebecca, cui talis ſententia Dei revelata fuerat, etiam Jacobo patefactum eſſe. Quicquid igitur ab Iſaco & Jacobo factum dictumque eſt, id omne ſpiritu prophetico authore dictum factumque contendunt. Proinde non ſpectâſſe tum verba illa tanquam verba patris ignorantis quis eſſet, ſed tanquam verba Dei, per os Iſaci loquentis, & cujus ſenſum aſſequebatur Jacobus. Itaque reſpondiſſe Jacobum ad rem, & ad ſenſum Spiritus Sancti. Ita Thomas Anglicus citatus à Pererio, qui & ipſe expoſitioni illi calculum addit. Sed opponunt ſe non ſine juſtis rationibus Toſtatus & Cajetanus. Etenim ita argutantur illi; ſi dixiſſet Jacobus: *Ego ſum primogenitus tuus*; utcunque eum in ſenſum accipi oratio poſſet. Sed cùm addiderit nomen Eſavi, quod eſt perſonæ, non dignitatis & officii; idque iteraverit ſimpliciter reſpondendo: *Ego ſum* ſine mentione primogenituræ, non poteſt tropica ejuſmodi & figu-

Digitized by Google

figurata locutione ejus reſponſio excuſari. Neque par ratio eſt Johannis Baptiſtæ, quem Eliæ nomine inſignivit Chriſtus. Cùm enim Elias non amplius eſſet in vivis, proclive erat intelligere officium potiùs & virtutem ac ſpiritum Eliæ quàm perſonam. At hic agebatur de duobus fratribus adhuc viventibus, quos inter maxima diſſimilitudo erat quoad perſonam, officium & mores. Præterea etſi prophetica fuerint quædam Iſaci dicta & facta: omnia tamen, quæ tum Iſacus tum Jacobus ſive facto ſive ſermone deſignârunt, fuiſſe prophetica non liquet.

IX. Neque etiam ſolidior eſt trita ſatis excuſatio eorum, quòd uterque & Rebecca & Jacobus certus fuerit de conſilio Dei ex revelatione Spiritus S. ac proinde operam ſedulam dare debuerit, ut effectum ſortiretur divina revelatio. Non potuiſſe autem niſi hoc medio effectum ſortiri. Fateor equidem, Rebeccam oraculo, quod acceperat, procedente tempore altiùs expenſo, accedentibus etiam pluribus favoris divini erga Jacobum argumentis, confirmatam videri in ea ſententia, quòd Jacobum potiùs quàm Eſavum Deus Iſaci hæredem conſtituerit. Non iccirco tamen admiſſarum fraudum labes omnino abſtergi poteſt. Nam ſic finis quidem utriuſque ad complementum revelationis pertinebit. Hactenus igitur bonus fuiſſet. At modus, quem fraude tenuerunt, nihil ad divinam revelationem pertinet. Non eſſe autem facienda mala, ut eveniant bona, omnino conſtat. Ergo intentionis bonæ mala actio fuerit. Quemadmodum autem intentio bona non purgat, nec probam efficit actionem malam: ita Rebeccæ & Jacobi bona intentio actionem per ſe malam purgare non potuiſſet. Ad hæc humanarum actionum non quælibet revelatio norma eſt: ſed ſola revelata voluntas præcepti & promiſſionis. Gubernamur in agendo præceptis, non prædictionibus.

X. Cùm igitur non ſufficiant, quæ liberandis ab omni nævo afferri ſolent, aliud omnino judicium verbo & legi Dei conſentaneum de Rebeccæ & Jacobi actionibus formandum fuerit. Ac principiò quidem utramque mereri laudem fatemur eatenus, quòd benedictionem paternam non maximi tantùm fecerint, ſed etiam ambiendam ſibi putaverint. Id enim proceſſiſſe ex fide promiſſionis divinæ, nulli dubitamus. Reputârunt enim, benedictionem paternam eſſe propagandæ promiſſionis & fœderis medium divinitus deſtinatum. Itaque pro eo, quo in ipſam promiſſionem & fœdus Dei ardebant, amore non negligendam eam benedictionem ſtatuerunt. Deinde & zelus ille Rebeccæ, quo pro Jacobo, quem huc uſque conſtanter dilexit, flagrabat, non minùs laudabilis fuit. Præbuit enim indicium pietatis & attentionis Rebeccæ. Neque enim dubitamus, quin

Digitized by Google

divinum erga Jacobum favorem collegerit ex variis argumentis, quæ eo in affectu erga Jacobum ipſam confirmârunt. Talia argumenta fuerunt tum ipſum oraculum, tum ſignum in partu datum; tum primogenitura pacto quodam in Jacobum translata; tum denique pietas Jacobi & impietas Eſavi. Quibus acceſſit divinus inſtinctus & interna motio, quâ factum eſt, ut penitus perſuaderetur, fore, ut Jacobus deſignetur hæres Iſaci quoad bona non tam temporalia, quàm ſpiritualia. Præterea in eo etiam laude ſua defraudanda non eſt, quòd divina revelatione edocta de Jacobo futuro hærede, non idcirco decuſſatis brachiis ſedet, ſed potiùs ſedulò & omnibus modis id agit, ut effectum divina revelatio conſequeretur. Quâ ſedulitate & vigilantia docet nos pia mater, providentiam divinam ejusque certitudinem circa fines ſibi propoſitos non excludere media, quæ & ipſa in providentiæ divinæ ordine locum habent.

XI. Cæterùm nec Rebeccæ nec Jacobi factum, ſi ad regulas communes exigatur, per omnia probari poteſt. Nam Rebeccam quod attinet, fraus, ſimulatio & deceptio Iſaci, quæ in modo & circumſtantiis facti ejus occurrunt, minimè probari poſſunt. Nam quòd arcano Dei inſtinctu illa admiſſa eſſe nonnulli ſtatuunt, id ipſum quoque non recipimus. Neque enim inſtinctus Dei fert homines ad patranda ea, quæ legi divinæ adverſantur. Interim non fuiſſe dolum, uti vocant malum, ultro fatemur, quia comparatus non fuit ad nocendum Iſaco, ſed potiùs ad promovendum oraculum. Comparari igitur poteſt cum eo dolo, quo utitur medicus erga ægrum, quem decipit, ut ſanet. Sed plus peccati in eo eſt, quòd ea omnia præparavit, quibus effici poſſe cogitavit, ut Jacobus pro Eſavo haberetur: adeóque Jacobum induxit ad mendacium. Proinde etiam Jacobus à peccato minimè immunis fuit, quippe qui contra rei veritatem & animi ſui ſenſum ſe & facto & verbis Eſavum profeſſus eſt. Hæc ſententia tum divinam ſapientiam, tum potentiam, tum humanam & ingenitam omnibus infirmitatem demonſtrat. Oſtendit enim, non obſtante infirmitate humana, Deum opus ſuum potenter & ſapienter exequi. Eadem ſententia, uti etiam fatetur Barneſius, *Liberat à variis moleſtiis ſacrum textum explicandi, abſolvítque curto ſermone reſponſionem ad argumenta æquivocatorum.* Ita etiam Bonfrerius: *Neque debemus uſque adeò eſſe ſoliciti, ut omnia Sanctorum facta excuſemus à peccato veniali, cùm id contextus Scripturæ minùs patitur, nec aliter niſi valdè contortè Scriptura explicari poteſt, quandoquidem certum ſit, homines ſanctos, ipſósque adeò Apoſtolos absque hujuſmodi peccato non vixiſſe.* Ubi venialia ejuſmodi peccata dici permittimus per gratiam, non naturam.

XII. Poſt-

XII. Poſtquam ex manu Jacobi edulium excepit Iſacus, is jam ſe ad impartiendam benedictionem accinxit expetito tamen priùs oſculo. *Accede*, inquit, *quæſo nunc*, ושקה לי בני *& oſculare me fili mi*, verſ. 26. Notat Abenezra נשיקה conſtructum cum Lamed notare *oſculum in manu, humero, vel collo*: at cum Beth, *oſculum in ore*. Proinde oſculum poſtulaſſe Iſacum vel manus, vel humeri, vel colli. Eam tamen diſtinctionem perpetuam non eſſe, monet Mercerus, qui & hîc oſculum oris flagitâſſe Jacobum putat. Sed de hoc quicquid ſit, Iſacus per occaſionem oſculi hujus ירח את ריח בגדיו *odoratus eſt odorem veſtimentorum ejus*, verſ. 27. Nempe cùm habitarent in regione aromatum feraci, non aſpernati ſunt etiam viri ſancti uſum benedictionis illius divinæ, tum ut odore ſuavi cerebrum corroboraretur, tum ut veſtes adverſus corruptionem tutiores eſſent. Nugatur ſtultè Jarchius, illam veſtium εὐωδίαν ex ipſo paradiſo proveniſſe, ut pellium hædis detractarum fœtorem vinceret. Verba ejus ſunt: והלא אין ריח רע יותר משטף העזים אלא מלמד שנכנסה עמו ריח גן עדן *Nonne ingratiſſimus odor eſt effluvii hircorum? Sed docetur, quòd cum eo ingreſſus ſit odor Paradiſi.*

XIII. Nunc igitur gratiſſimo hoc odore & hilaritate, quam cibus potusque à Jacobo oblatus effecerant, excitatus Iſacus promit benedictionem hæc in verba: *Vide odor filii mei eſt* כריח שדה *inſtar odoris agri, cui benedixit Jehova. Det igitur tibi Deus* מטל השמים *de rore cæli, & de pinguedinibus terræ, atque abundantiam frumenti & vini novi. Serviant tibi populi, & incurvent ſe tibi nationes. Eſto Dominus fratribus tuis, incurvéntque ſeſe tibi filii matris tuæ. Qui maledixerint tibi, ſint maledicti, & qui benedixerint tibi, benedicti.* verſ. 27, 28, 29. Duo ſunt benedictionis hujus loci, unus, *benedictionis præſentis conſcientia*, alter *futuræ benedictionis prophetia*. Præſens benedictio in eo ponitur, quòd Jacobus tanquam filius promiſſionis ſit εὐωδία, *bonus odor*, adeóque vera fragrantia apud omnes eos, qui aguntur Spiritu Dei: quæ quidem εὐωδία comparatur cum agris uberibus odoratiſſimis, quibus benedixit Jehova. Prophetia verò futuræ benedictionis tribus membris comprehenſa eſt, quæ ſingula non carnali tantùm, ſed ſpirituali etiam modo explicari debent. Nam ſub temporalibus bonis, veluti typis & ſymbolis inſinuantur bona ſpiritualia & æterna *tanquam principaliter intenta*, uti rectè obſervatum etiam Dionyſio Carthuſiano. Primum igitur membrum eſt benedictionum ſecundum hæreditatem, quod continetur verſ. 28. ubi precatur Iſacus, det Deus Jacobo מטל השמים ומשמני הארץ ורב דגן ותירש *de rore cæli, & de pinguedinibus terræ, atque abundantiam frumenti & vini novi.* Ubi ſub roris nomine, qui in Cananæa ob pluviæ raritatem ſupra modum neceſſarius erat, comprehendit omnia bona, quæ ex aëre &

 cœlo

Digitized by Google

cœlo in terram derivantur. Unde mox verſ. 39. ſolum uberrimum & rore abundans, velut æquipollentia pleonaſticè conjunguntur. De eo loquendi genere vide doctiſſimum Boctium Animadverſ. S. lib. 11, 12. Secundum genus eſt benedictionum in hæredes verſ. 29. *Serviant tibi populi & incurvent ſe tibi nationes: eſto dominus fratribus tuis incurvéntque ſeſe tibi filii matris tuæ.* Quibus verbis hæredibus Jacobi in ejus perſona promittitur & prædicitur dominium in fratres, & ſervitus populorum. Tertium membrum eſt communicationis benedictionum divinarum vel maledictionum in alios propter hæredes Dei, verſ. 29. *Qui maledixerint tibi, ſint maledicti: & qui benedixerint tibi, benedicti.* Quibus verbis uti rectè obſervavit Chryſoſtomus homil. 53. in Geneſin, continetur Ἡ κορωνὶς τῆς εὐλογίας, τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων τὸ εὐλογημένον εἶναι, *coronis omnium benedictionum, ſumma omnium bonorum, nimirum benedictum eſſe.* Hunc eundem in ſuis promiſſionibus ordinem ſervaverat Deus, cùm eas primùm Abrahamo ſuperiùs cap. XII. faceret.

XIV. Sub temporalium horum bonorum involucris adumbrata eſſe ab Iſaco & inſinuata ſpiritualia, jam ante animadvertimus. Id jam argumentis idoneis confirmabimus. *Primò* Paulus Hebr. XI. 20. docet Iſacum πίστει *fide* benedixiſſe Jacobo & Eſavo. Fides autem illa ferebatur κυρίως in ſemen benedictum pridem antea promiſſum, & continua traditione ac revelatione divina fidelibus applicatum. *Secundò* eadem bona promiſſa hîc ſunt Jacobo, quæ antea Deus promiſerat Abrahamo. Quippe eundem ordinem benedictionis obſervatum eſſe hîc ab Iſaco, quem in benedicendo Abrahamo obſervaverat Deus, paulò ante advertimus. Atqui bona Abrahamo promiſſa eſſe ſpiritualia, ſuo loco aſtruximus. *Tertiò* benedictio hæc fuit benedictio primogeniti, adeóque ejus qui futurus erat hæres Iſaci, quatenus in eo vocandum erat ſemen Abrahamo. Proinde quicquid promiſſum eſt Abrahamo, id ipſum confirmatum fuerit Iſaco neceſſum eſt. Abrahamo autem promiſſum eſt ſemen benedictum ex eo oriturum, in quo omnes ſpirituales benedictiones ab æterno nobis datæ fuerunt. *Quartò* ſi ſub his veluti umbris & typis bonorum corporalium ſpiritualia abſtruſa non fuiſſent, Jacobus exiguam ratione ſui ipſius conſolationem & fructum ex hac benedictione hauſiſſet. Conſtat enim tot benedictionibus temporalibus ipſum minimè gaviſum eſſe, qui ſervitutem gravem ſuſtinuit apud Labanem, & fratris odia ſæviſſima expertus eſt; cujusque adeò peregrinationis dies *pauci & mali fuerunt*, Geneſ. XLVII. 7, 8. Neceſſum ergo fuit, ut alia ſpe ſuſtentaretur, non tantùm ratione poſteritatis, ſed etiam ratione perſonæ ſuæ, quæ nulla eſſe ſolida potuit, niſi ſpiritualibus & cœle-

Digitized by Google

cœleſtibus benedictionis ſpem ſuam repleverit. *Quintò* exigua prærogativa fuiſſet Jacobi ſuper Eſavum, ſi bonis merè temporalibus benedictio ejus terminata fuit. Nam Eſavo haud multum inferiora ratione temporalium promittuntur, imò tandem excuſſio jugi ſervitutis. Conſtat autem ipſum Iſacum ea, quæ promiſit Eſavo, præ bonis Jacobo promiſſis ſpreviſſe. Dicit enim verſ. 37. *Tibi nunc quid faciam fili mi?* Igitur quæ promiſſa ſunt Jacobo, cum iis quæ Eſavo Deus promiſit, ne in comparationem quidem venire poſſunt. Quod ſanè ratione temporalium bonorum dici minimè poteſt. *Sextò* ipſe Eſavus cum lachrymis quærens benedictionem eam teſtatus eſt, minimè vulgarem eam fuiſſe, quanquam qualia fuerint ea bona Jacobo promiſſa, ad animum non revocavit. *Septimò* denique inſolens non eſt, benedictiones & ſpirituales rebus corporalibus, adeóque τὰ νοητὰ τοῖς αἰσθητοῖς adumbrari. Cùm enim humano ſenſu ſpiritualia non percipiantur, reperiri voces illis deſignandis propriæ non poſſunt, neque ejusmodi eſt facultas humanorum ſermonum, ut ſpiritualia hujusmodi explicare queat. Ut igitur ardentiori ad ea appetenda deſiderio inclinaremur, ea Spiritus S. voluit vocibus iis exprimere, quæ terrenam felicitatem primo cætu & ἀμέσως ſonant. Hic nempe mos fuit Prophetarum Chriſti regnum repræſentare iis phraſibus, quæ temporalem abundantiam ſignificant.

XV. Hæc cùm ita habeant, haud arduum erit indagare bona ſpiritualia ſub temporalium umbra in benedictione Jacobo promiſſa evolvere. Primò enim εὐωδία Jacobi notabat, ipſum eſſe bonam fragrantiam Deo per Chriſtum effectum, hoc eſt, in Chriſto Deo acceptum & reconciliatum. Deinde, ſub imagine roris cœleſtis, pinguedinum terræ, abundantiæ frumenti & vini novi, cœleſtis regni deliciæ adumbrantur. Paſſim enim S. literæ illas hac imagine exprimunt, uti etiam obſervavimus Exercit. x. 11. Quæ ſenſibus bona & ſuavia ſunt, illa teſtantur, bona ſolida & ſtabilia manere eos, qui Deo obediunt. Tum ſub eadem imagine, nec non typo conceſſi in fratres dominii & ſubjectorum populorum, jus fœderis & Eccleſiæ inſinuatur. Etenim bona hæc decebant primogenitum. In jure autem primogenituræ Patriarchalis erat etiam jus ſpirituale Sacerdotii & Eccleſiæ. Hæres enim erat primogenitus benedictionis ſeu promiſſionis à majoribus inde ab Adamo relictæ, cujus nucleus erat Chriſtus, ſemen illud benedictum, cum omnibus beneficiis ſuis. Præterea Iſacus promittens Jacobo dominium in fratres & populorum ſubjectionem, declarat, ſemen Jacobi fore ſeminarium electionis uſque ad Chriſtum; idque poſſeſſurum terram Canaan, & in ea gaviſurum divina vocatione per prophetas.

Digitized by Google

phetas. Qualia cùm de Eſavo non ſint dicta, intelligitur Iſacum nomine Dei gratiam electionis & liberæ vocationis promiſiſſe. Denique ſub eadem imagine regnum Chriſti expreſſum eſt. Neque enim Jacobo tanti facienda erat dominatio in homines, quæ etiam in carnalibus poſteris Jacobi non fuit diuturna, quin ad regnum Chriſti, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, reſpicere potiſſimum debuerit.

XVI. Complementum benedictionis hujus propheticæ ſic demum intelligi facilimè poterit, ſi in *minuto* ſenſu adeóque *umbra* explicetur de bonis temporalibus, in *pleno* verò & abundante adeóque *eſſentiâ* ipſa de ſpiritualibus. Ita igitur Jacobo dedit Deus *de rore Cœli, de pinguedinibus terræ, & abundantiam frumenti & vini novi.* Id typicè & in ſenſu minuto verum eſt de bonis temporalibus. Nam ipſe quidem, quoad vixit, benedictionem temporalem etiam hactenus percepit, quòd ubicunque locorum eſſet, Deus illi benedixit, & opes ejus cumulavit. Poſteri verò ejus hæredes facti ſunt terræ lacte & melle affluentis, & deliciarum hujus mundi longè ditiſſimæ. At in ſenſu pleno & eſſentia rei impletum id eſt locupletiſſimè in eo, quòd tum ipſe Jacobus, tum poſteri ejus veſtigiis fidei ejus inſiſtentis participes redditi ſunt cœleſtis hæreditatis, accumbentes cum Abrahamo & Iſaco in regno Cœlorum. Jacobo dicit Iſacus: *Serviant tibi populi, & incurvent ſe tibi nationes: eſto Dominus fratribus tuis, incurvéntque ſeſe tibi filii matris tuæ.* Id typicè & in ſenſu diminuto non admodum Jacobus in perſona ſua expertus eſt. Poſteri tamen ejus Eſavitas ſeu Idumæos alióſque in ſervitutem redegerunt. Ita enim David, Solomon, aliique Reges Moabitas, Ammonitas, Syros, Idumæos, Philiſtæos alióſque in ſervitutem redegerunt. Cæterùm in ſenſu pleno & eſſentia rei maximè id impletum eſt tum in Chriſto, tum in ipſo Jacobo, ejùſque poſteris. Et in Chriſto quidem tanquam Semine benedicto Jacobi, quippe cujus dominium ampliſſimum in S. Scriptura & ipſa omnium temporum experientia teſtatiſſimum eſt. Inſtar omnium ſunto loca Pſal. VIII. v. 7. CX. v. 2. Luc. I. v. 33. 1. Corinth. XV. v. 24, 25. Proinde ex hac ipſa Iſaci benedictione excerpſiſſe videtur Jacobus, quòd vaticinatus eſt Geneſ. XLIX. v. 10. fore Chriſto יקהת עמים *obedientiam populorum.* In Jacobo verò ejuſque poſteris, quatenus illis tanquam primogenitis Eccleſiæ accumulata per vocationem Euangelii eſt maxima credentium multitudo, Chriſto Eccleſiæ capiti ſe incurvantium. Sed & in Chriſto maximè impletum eſt, quod de maledictione hoſtium, & amicorum benedictione dictum fuit.

XVII. Boulducus *de Eccleſia ante legem* lib. III. cap. 9. pertendit, Jacobum

bum hac benedictione paterna deſignatum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedeci. Quod תם *ſimplex* ſuperiùs dictus eſt, id *religioſum* interpretatur. Igitur pro ſua religioſitate id unum enixè dediſſe operam ſtatuit, ut in ſe primogenituram adeóque Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedeci transferret. Cùm igitur ei Iſacus benedicit his verbis: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini*; Sacerdotem eum conſtitui ait, præcipuámque ſacrificii materiam panem & vinum cœleſti benedictione ſacrandam illi aſſignari. Sic enim nomen roris ſæpe in Scripturis accipi. Quæ verò ſequuntur; *& ſerviant tibi populi, & adorent te tribus*, id eſt, cujuscunque familiæ homines; *eſto Dominus fratrum tuorum*, nempe Eccleſiaſticorum; ea, inquam, verba, ait ille Jacobo authoritatem contuliſſe & poteſtatem ſacrificandi. Eodem torquet verba Iſaci ad Eſavum, verſ. 37. *Frumento & vino ſtabilivi eum*, quaſi diceret; Fratrem tuum jam conſecravi, ut Sacerdos eſſet in frumento, ſeu pane & vino, adeóque ſecundum ordinem Melchiſedeci. Ita Monachus, ille quo impudentior alter non extitit, Jacobum nobis vellet facere Jovis ſui Miſſatici ſeu Dei Maozim ſacrificulum. Id ſi valeat, quid obſtabit, quò minus ex quolibet fiat quidlibet, ex ligno Mercurius, ex pane conſecratò Chriſtus. Mirum eſt, demonſtrationem ejusmodi non ſuboluiſſe etiam reliquis Miſſatici idoli hyperaſpiſtis! Sed verò Boulduce, ubi Scriptura tribuit Melchiſedeco ſacrificium in pane & vino? ubi Melchiſedeco ſubſtituendi alios, poteſtatem dedit Iſaco? Ubi ſacrificandum eſſe Jacobo in pane & vino memorat? Egregiam verò religionem miſſaticam, quæ ficulneo ejusmodi indiget auxilio!

XVIII. Incidit hîc quæſtio: Quo jure intercepta per fraudem benedictio, neque à patre revocari potuerit, neque ex facto revocata fuerit, ſed rata permanſerit; cùm irrita tamen ſint, quæ per fraudem fiunt, & præter conſilium donantium. Id ut paucis expediam, ratam fuiſſe benedictionem dico, quia ejus vis non pendebat à voluntate aut intentione patris, ſed ex divina ordinatione, à qua pendebat promiſſionum propheticarum efficacia. Nempe in Iſaci Jacobo benedicentis actione concurrit duplex cauſa, una principalis, Deus ipſe, communis Pater principiumque omnium; altera inſtrumentalis Iſacus, ut particularis Jacobi Pater, & Dei in actione hac adminiſter. Cùm igitur benedictionem ab utroque ſimul pronuntiatam conſtet: vis autem actionum omnium, ad quas efficiendas cauſæ plures convenerunt, ita ſe habeat, ut cauſa principalis inferiori vim & authoritatem ſuam non cedat; ex eo conſequitur, vim veritatémque benedictionis hujus non ab Iſaco, qui inſtrumentum fuit à

 cauſa

cauſa principe eam ad actionem adoptatum, ſed à Deo totum emanâſſe. *Itaque*, verba ſunt graviſſimi Theologi, Franciſci Junii, *perſonam quidem Iſaci & vocationem patriam ipſius Deus hoc miniſterio honoravit: ſed neque cæcitas ipſius, neque conſilium, neque imprudens factum Iſaci opus illud divinum potuit vitiare. Cùm igitur Deus omnia quæ gerebantur viderit, ſciverítque & conſilium ſuum hoc pacto ſine ulla imprudentia exequi voluerit: ex eo néceſſum fuit ut benedictio maneret rata, quam principalis cauſa efficiebat, neque vitio inſtrumentalis cauſæ fieret irrita. Propterea videmus, Deum imprudentibus tum ſervis ſuis tum exteris etiam in voluntatis ſuæ conſiliorúmque explicatione uſum tam ſapienter, ut illi aut nihil aut aliquid cogitantes volentéſque, tamen Dei conſilium & voluntatem expreſſerint, contra in ea ipſa actione prudentes ſæpe impegerint, ut tota laus penes dominum, ut authorem ſuum permaneret.* Exempla deinde affert Samuelis, qui fallebatur in filiis Iſai; Nathanis, qui Davidi pronuntiavit, ut quicquid in animo erat exequeretur; Bileami, Caiphæ, Pilati, qui voluntatem, conſilium & ſententiam Dei ἑκόντι ἀέκοντί γε θυμῷ expreſſerunt. Alia eſt ratio humanorum contractuum, quos error in perſona irritos reddere poteſt. Velut in contractu matrimonii. Ibi enim requiritur ad validitatem contractus conſenſus utriusque partis. Circa perſonam autem ignotam conſenſus nullus eſſe poteſt. At ut benedictio Iſaci erga Jacobum valida eſſet, non opus erat conſenſu Iſaci: Sed ſola voluntate & decreto Dei, qui in perſona aberrare non potuit, & apud quem rata erat benedictio, priusquam ſciret, vel conſentiret Iſacus. Neceſſarius quidem fuit Iſaco conſenſus, qui errore agnito divinæ voluntati aſſentiri debuit: ſed ad validitatem rei geſtæ neceſſarius non erat, quia à Deo omniſcio manabat negotium. Unde verſ. 33. in hæc erumpit verba: *Et benedixi ei, etiam benedictus erit,* nempe, quia noverat, Deo authore omne id factum eſſe. Meritò igitur exclamat S. Auguſtinus: *O res geſtas in terra, ſed cælitus! per homines, ſed divinitus!*

XIX. Poſtquam benedictionem Jacobo impartitus eſt Iſacus, ſuperveniens Eſavus & ipſe patri edulium delicatè præparatum obtulit. Verùm Iſacus cognito, Eſavum eſſe, ac proinde ſibi à ſubornato quopiam impoſitum eſſe יחרד חרדה גדלה עד מאד *expavit pavore magno vehementiſſimè, & dixit: Quis & ubinam ille, qui venatus eſt venationem & attulit mihi, comedíque ex omnibus, antequam venires?* ואברכהו גם ברוך יהיה *Et benedixi ei. Etiam benedictus erit*, verſ. 33. Pro יחרד חרדה Græci habent, ἐξέστη ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, Chaldæus verò ותוה יצחק תואה רבא *Et admiratus eſt Iſac admiratione magna.* Ita Deus ipſum repentè pavore affecit, ne quid privato ſtudio revocaret, quod per eum divina providentia effeciſſet. Fuit enim hæc ἔκστασις divini-

divinitùs immiſſa, qua non quidem extra ſe raptus eſt, ſed à Spiritu S. tamen ita afflatus, ut agnoſceret actionis iſtius Deum fuiſſe præſidem. Nam ſi præter filii fraudem nihil aliud ſpectâſſet, utique excanduiſſet potiùs in Jacobum, non in admirationem, ſtuporem aut pavorem fuiſſet abreptus. Rectè igitur Auguſtinus lib. 1. quæſt. ſuper Geneſin, q. 80. conjicit, propheticam revelationem factam eſſe Iſaco, qua admoneretur, ne benedictionem ſemel pronuntiatam retractaret. Aliâs potiùs *iraſcendum fuiſſe filio, quòd fefellerit patrem.* Sed & lib. XVI. de Civ. D. cap. 37. *Ecce*, inquit, *benedictionem promiſſam repetenti majori filio, expavit Iſac, & alium pro alio ſe benedixiſſe cognoſcit. Miratur, & quiſnam ille ſit, percunctatur, nec tamen ſe deceptum queritur: imò confeſtim revelato ſibi intus in corde magno Sacramento devitat indignationem, & confirmans benedictionem: Benedixi eum & ſit benedictus. Quis non hîc potiùs maledictionem exſpectaret irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur? O res geſtas in terra, ſed cælitus! per homines, ſed divinitus!* Chryſoſtomus paucis: Τοῦτο δὲ ἐποίει ὁ δίκαιος τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας ὁδηγούσης αὐτοῦ τὴν γλῶτταν. *Fecit hoc juſtus ille, Deo ſapientiſſimo linguam ejus gubernante*, homil. 53. in Geneſin. Hebræi Iſacum contremuiſſe & exhorruiſſe dicunt, eò quòd viderit apertam gehennam, devoraturam ipſum, ſi benedictionem revocaret. Jarchius ראה גיהנם פתוחה כתחתיו *vidit gehennam apertam infra ſe.* Tanchuma ait, cum Eſavo ingreſſo apertum eſſe tartarum, ſicut ingredientem Jacobum comitatus fuerit odor Paradiſi.

XX. Quomodo affectus fuerit Eſavus, audiens interceptam ſibi benedictionem, exprimit Scriptura his verbis: ויצעק צעקה גדולה ומרה עד מאד *clamavit clamore magno, & amaritudine affectus eſt vehementiſſimè*, verſ. 34. Vulgatus: *Irrugiit clamore magno & conſternatus eſt.* Simul etiam ſibi benedici expetiit. Cúmque Jacobus jam apertè ei denuntiâſſet, veniſſe Jacobum fratrem Eſavi, & intervertiſſe ſibi ברכתו *benedictionem ſuam* (ſuam puta non ἀληθῶς, ſed δοξαστικῶς ſecundum opinationem potiùs quàm rei veritatem) במרמה *doloſè* (non בחכמא *ſapienter*, uti reddit Thargum Onkeloſi, & cum eo Rabbini) ille invectus in fratrem hæc in verba erupit: הכי קרא שמו יעקב ויעקבני זה פעמים *verè vocatum eſt nomen ejus Jacob. Supplantavit enim me jam duabus vicibus. Jus primogenituræ meæ accepit, & ecce nunc accepit benedictionem meam.* Ita ſtomachatur homo ferox ſine ratione. Etenim qui ſponte Jacobo venditionis jure ceſſerit primogenituram, & pluris offulam momento oblectantem, & gulam reficientem æſtimaverit, quàm æternum & incomparabile bonum, quo pacto benedictio primogenito conveniens in ſe ut derivaretur expetere potuit? Quærit porro: הלא אצלת לי ברכה *Annon reſervaſti mihi benedictionem?* verſ. 36. Ubi אצלת idem eſſe quod עזבת לי אצלך *reliquiſti*

quiſti pro me penes te, monet Abenezra. Reſpondente Iſaco, ſe poſuiſſe fratrem dominum ipſi, & fratres omnes ejus ipſi mancipâſſe in ſervos; ille cum quæſitiſſimis lachrymis jus patrium implorat in hæc verba: הברכה אחת הוא לך אבי ברכני גם אני אב *Numquid benedictio unica eſt tibi mi pater? Benedic mihi: etiam ego* ſum filius tuus, *pater mi*, verſ. 38.

XXI. Lachrymis uberibus, & enixiſſimis precibus ac obteſtatione Eſavi commotus Iſacus tandem & ipſi benedicit his verbis: *Ecce* משמני הארץ *in pinguedinibus terræ erit habitatio tua, & de rore Cœli deſuper. Et gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies: cùm autem incipies dominari, franges jugum ejus à collo tuo*, verſ. 39, 40. Caſtalio verba משמני הארץ interpretatur *ab pinguedine*, vel *ſine pinguedine*, quaſi prædiceretur habitatio *ſine pinguedine terræ, & ſine rore Cœli deſuper*. Aliâs inquit, eadem contuliſſet Eſavo, quæ Jacobo, proinde non fuiſſet Eſavo quod doleret. Nempe inter Jacobi & Eſavi benedictionem diſcrimen non obſervavit, quod notorium erat, quamvis utrique pinguedo terræ & ros Cœli promiſſus fuerit. Nam Eſavo nec ſpiritualia dona hîc promittuntur, nec temporalia eadem menſura. Itaque, ut explicemus verba Iſaci, in iis duo exprimuntur, nimirum conditio tum hæreditatis, & poſſeſſionis ipſius Eſavi, tum hæredum & poſterorum ipſius. Quoad ipſius Eſavi hæreditatem & poſſeſſionem pronuntiat Iſacus, in pinguedinibus terræ futuram eſſe habitationem ejus, & de rore Cœli deſuper, hoc eſt, rorem Cœli abundè in ipſum deſtillaturum. Poſterorum autem & hæredum ejus conditio exprimitur in ſequentibus, ubi eos in gladio victuros, hoc eſt, cum bellis conflictaturos, Judæis ſervituros, præ gravitate jugi ingemituros, & jugum tandem de collo ſuo decuſſuros enuntiatur. Ante omnia Hebræorum perverſa gloſſemata elidenda ſunt. Et Jarchius quidem משמני הארץ *pinguedines terræ*, quas inhabitaturus pronuntiatur Eſavus, interpretatur pinguedines terræ איטליא של יון *Italiæ Græciæ*. Clariſſimus Buxtorfius notat Eliam ſcribere, ſe à quodam Cardinale didiciſſe, de Calabria id intelligendum eſſe. Nempe Calabria Italiæ pars olim Magnæ Græciæ vocabulo inſignita eſt. Thalmudici tamen appellatione איטליא של יון עיר גדולה של רומי *urbem magnam Romæ*. Sed nugæ verporum ſunt, quòd terra ea, cujus pinguedines promittuntur Eſavo, ſit vel Calabria vel Roma. Neutrum incoluit Eſavus, ſed Idumæam, cujus pars quamvis montoſa, feraciſſima tamen fuit. Quòd porro eidem Eſavo prænuntiatur, fore, ut ejus poſteri per vices ſerviant poſteris Jacobi, & iiſdem dominentur, id explicant iidem de ſubjugatione Idumæorum, quoad Iſraëlitæ legi Dei adhæſerint: & de Idumæorum in Iſraëlitas à lege Dei & pietate deflectentes dominio. Ita Thargum Hieroſolymitanum

Digitized by Google

ועל כני זינך תחי וקדם אחוך תהוי משתעבד ויהוי כד יהון בנוי דיעקב לעיין באוריתא מנות ונטרין פיקודיא יהון כשין ניר שיעבודא על צורך וכד ימנען נרמיהון בנוי דיעקב דלא למלעי באוריתא ולא לנטר פיקודיא הא בכן תהוי פריק ניר שיעבודהון מעלוי צורך: *Armis tuis vives, & coram fratre tuo te humiliabis. Eritque quando filii Jacob operam dabunt legi, ſervabuntque præcepta, imponent jugum ſervituti ſuper collum tuum. Cùm verò attriverint ſe filii Jacob, ut non ſtudeant legi, neque ſervaverint præcepta, ecce tunc excuties jugum ſervitutis à collo tuo.* Sed poſteriores Judæi, quòd de dominio Idumæorum in Iſraëlitas dicitur, exponunt de Romanorum in eos dominatione, adeóque de ſervitute quam ſub Romanis ſuſtinent. Romanos enim intelligi nomine Idumæorum pertendunt. Proinde rationem frivolam reddit Abenezra, unde ſit, quòd Romani dicantur eſſe de regno Edom. Verba ejus ſunt: *Sumus in moderna captivitate ſub Idumæis, & ruptum eſt jugum de collo noſtro; tametſi neſciam, an ſub Agrippa id acciderit, cùm eo tempore, quo Hieruſalem à Romanis capta eſt, Idumæi adhuc fuerunt ſub Judæorum poteſtate: Certè id conſtat,* שאנשים מעטים שהאמינו באיש שעשוהו אלוה וכאשר האמינה רומי בימי קוסטנטין שחדש כל הדת ושם על דגלו צורת תלוי על יד כומר אדמי ולא קיימו שמירי התורה החדשה חוץ מאדומיים מעטים על כן נקראה רומי מלכות אדום *quòd pauci fuerint viri, qui crediderunt in hominem, quem ipſi Deum conſtituerunt. Et cùm Roma quoque crederet tempore Conſtantini, qui univerſam legem innovavit, & poſuit in vexillum ſigni crucifixi, ſuggerente Monacho Idumæo, non fuerunt tunc per Mundum qui obſervarent illam novam legem, præter paucos Idumæos. Et hinc eſt, quod regnum Romanorum vocatum eſt regnum Edom. Sicut & regnum Ægypti terra Saba, & terra Elam hodiè regnum Iſmaëlitarum, etiamſi forte nullus inter eos ſit, qui ab Iſmaële deſcenderit.* Hactenus ille, non παραφράζων, ſed παραχαράττων. Etenim alios Idumæos intelligi, qui ſubjiciuntur poteſtati poſterorum Jacobi, alios, qui excuſſuri dicuntur jugum & dominaturi, & illic quidem veros & germanos Idumæos, hîc verò Romanos, unde fidem facient verpi? Sed & Abenezræ illa ratio frivola planè eſt & nugatoria. Quis ille Monachus Idumæus fuit, qui Conſtantino perſuaſit, Chriſtiana uti ſacra ſuſciperet? Certè de eo in hiſtoriis ſilentium altiſſimum eſt. Putidiſſimum etiam figmentum & manifeſta hominis ἀνιστορησία eſt, paucos tantùm Idumæos tempore Conſtantini M. Chriſtianorum ſacra coluiſſe. Aliam rationem, cur Romani Idumæi ſint, legere eſt in Maſſecheth Gittin cap. 5. רשע בן רשע בן בנו של עשו הרשע *Impius ille, filius impii, nepos Eſavi impii.* Titum Veſpaſianum ita inſigniunt, de quo ibi ſermo eſt. Quia igitur Veſpaſianus Imperator Romanus fuit, & primus Judæos Romanis ſubjecit, ac Roma Chriſtianorum caput eſt, hinc omnes Romanos & Chriſtianos nunc Edom & Edomæos appellant. Sed non

minùs ea ratio frigida & jejuna eſt. Quomodo nepotem facient Titum, qui natus eſt in ipſa urbe prope Septizonium, parente Flavio Veſpaſiano, qui & ipſe ex Sabinorum gente oriundus erat: uti produnt Suetonius, Ammianus Marcellinus, alii? Niſi forte nepotem Eſavi vocant, qui Eſavi moribus imbutus. Quomodo impii omnes & βέβηλοι, & ipſi adeò Judæi, Eſavi nepotes dici potuerunt. Et ſanè Iſraëlem ſeu populum Judaicum Idumæis commixtum tempore Chriſti nomine *Edom* hieroglyphicè deſignat Eſaias cap. LXIII. I. ubi Chriſtus patiens in medium producitur, & quidem מאדום *ex Edom*. Unde patet Iſraëlem vocari *Edom*. Ex quo enim tempore Edom fuit hæreditas Iſraëlis, rectè à parte totum appellari cœpit. Maximè cùm in perſecutione fratrum filiorum Dei Edomi animos geſſerint, & Edomi poſteri Herodiadæ inter eos rerum potiti fuerint. Igitur & Hieroſolyma ibi in ænigmate vocari בצרה *Bozram* minimè mirum eſt. Ita enim etiam arx Idumæorum appellata. At Romani cur Idumæi dici debeant, nulla planè apparet ratio.

XXII. Paucis nunc verum benedictionis propheticæ Eſavi complementum explicandum eſt. In pinguedinibus fore habitationem ejus, & de rore Cœli deſuper, prædixerat Iſacus. Idumæa nempe, quam incoluit ille, partem feraciſſimam habuit. Neque obſtat, quòd Malach. I. 3. dicit Deus de habitatione Eſavi: *Eſavum odio habui, poſuique montes ejus ſolitudinem, & hæreditatem ejus habitandam draconibus deſerti.* Loquitur enim Deus de Idumæa non florente, & integra, ſed vaſtata & deſolata. Hæc ei deſolatio divinitus prædicta Ezech. XXV. 12, 13. & impleta eſt ſub Regibus Babyloniæ, qui Idumæam ſubegerunt, & miſerè devaſtârunt. Quamvis autem pinguiſſima habitatio hic promittatur Eſavo: id tamen conſtat, Idumeæ fertilitatem, ad terræ promiſſæ fertilitatem non acceſſiſſe. Atque hinc fortaſſis eſt, quòd in benedictione Jacobi expreſſa fuit *abundantia frumenti & muſti*, in benedictione Eſavi non item. Gladio ſuo victurum Eſavum, habet benedictio. Ita ſanè perpetuis cum bellis conflictati ſunt Eſavitæ. Fuiſſe enim eos bellicoſos & turbarum amantes, ſatis oſtendunt ea, quæ habet Joſephus *de Bellô* lib. IV. cap. 6. Fratri ſuo ſerviturum Eſavum in benedictione ſua divinavit Iſacus. Id non de perſona Jacobi fratris, ſed hæredum & poſterorum accipi debet. Neque enim Jacobo ſerviviſſe Eſavum legimus. Servierunt autem Jacobi poſteris Eſavitæ ſeu Idumæi. Primò enim Eſavitæ in hæreditate terræ Canaan poſthabiti ſunt. Deinde non ſemel ab Iſraëlitis bello laceſſiti & ſubjugati ſunt. Ita David eos ſub jugum miſit, uti apparet ex 2. Sam. VIII. 14. 2. Reg. XI. 15. I. Paralip. XVIII. 13. nec non ex Joſepho *Antiq. Jud.* lib. VII. 6. Cúmque non

non ſemel rebellâſſent, magnas ſubinde ſtrages paſſi ſunt ab Amaſia Rege 2.Reg. XIV. 7. à Machabæis. 1. Machab. cap. V. 65. Tandem planè attriti ab Hircano filio Simonis Machabæi, compulſi ſunt, circumciſionem, religionémque Judaicam amplecti, teſte Joſepho *Antiquit.* lib. XIII. cap. 17. Atque tum impletum eſt illud, quod prædictum à Bileamo Num. XXIV. v. 18. nec non Amos. IX. 12. fore, ut Edom ſit hæreditas Iſraëlis. Atque ex eo tempore Judæis commixti, cum iis unum populum conſtituerunt. *Idumæi inter Judæos cenſeri cœperunt*, verba ſunt Joſephi l. 1. Multa de eo egregia vide apud Caſaubonum Exercit. 1. pag. 29, 30. Denique dominaturum quandoque Eſavum, & fratris ſui collum fracturum benedictio pronuntiat. Rectè notant Hebræi, fuiſſe hanc voluntatem Dei ἐπιμψίλω. Tum enim excuſſuros jugum Idumæos, cùm Iſraëlitæ legis jugum excuſſerint. Igitur Onkeloſus ſic παραφράζει: ויהי כד יעברון בנוהי על פתגמי אוריתא ותעדי ניריה מעל צוארך *Et erit quando filii ejus transgredientur verba legis, auferes jugum ejus de cervicibus tuis.* Id quoque de hæredibus & poſteris Eſavi accipiendum patet. Quamvis enim inimicitias cum fratre geſſerit Eſavus, tamen ei dominatus eſſe non legitur. Quoad poſteros autem, ſæpe ii non rebellârunt tantùm, ſed etiam jugum excuſſerunt. Ita ſub Salomone poſt admiſſum idololatriæ crimen cœperunt Idumæi rebellare 1. Reg. XI. 14. Licet autem non videantur tum excuſiſſe Iſraëlitarum jugum, uti putavit Joſephus Antiq. lib. VIII. cap. 2. excuſſerunt tamen poſtea ſub Joramo, uti legere eſt tum 2. Reg. VIII. 20. & 2. Paralip. XXI. 8. &c. tum apud Joſephum Antiquit. lib. IX. 2. Atque ita ſui juris fuerunt uſque ad Hircanum, ſub quo pleniſſimè ſubacti ſunt. Verùm cùm Iſacus non tantùm jugum Iſraëlitarum excuſſuros Idumæos, ſed iis etiam dominatures innuat, quomodo id impletum ſit, quæritur. Prævaluerunt ſanè Iſraëlitis aliquando, ne iis ſubjicerentur. At eos in poteſtatem ſuam Iſraëlitas redegiſſe ubi legimus? Interpretes igitur tum Vulgatus, tum Græci, tum Chaldæus illud תריד non ita accipiunt, ac ſi dominium in Iſraëlitas promittatur Idumæis: ſed de ſola excuſſione jugi interpretantur. Vulgatus: *Tempus veniet, cùm excutias, & ſolvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Septuaginta: Ἔσαι δὲ ἡνίκα ἐὰν καθέλῃς, καὶ ἐκλύσῃς τὸν ζυγὸν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ τραχήλου σου. *Et erit cùm depoſueris & ſolveris jugum de collo tuo.* Thargum Onkeloſi ſimpliciter: ותעדי נדיה מעל צוארך *auferes jugum ejus de cervicibus tuis.* Nempe illi ת ר ד derivant à ררה *dominari.* Syrus conditionem pœnitentiæ ſubintellexit. Ita enim tranſtulit: ואן תתוב נעבר ניריה מן צוארך *Etſi pœnitentiam egeris, præteribit jugum ejus à collo tuo.* Nempe הוריד etiam eſt *humiliavit.* Nihilominus תריד à רדה *dominari* derivari, magis adlubeſcit. Quomodo etiam

etiam Arabs tranſtulit: ורכון ארדא אכתולירת *Et cùm dominatus fueris*, &c. Neque planè obſcurum eſt, quomodo Idumæi Judæis dominati fuerint. Etenim Herodes ex Idumæis oriundus cum ſua poſteritate, beneficio Romanorum poſtremis temporibus annos circiter centum apud Judæos regnum ſeu principatum obtinuit, uſque ad internecionem Hieroſolymæ Judeæque ſub Veſpaſiano excidium. Cùm igitur & Judæis & Idumæis, qui unus populus integro ferè ante Herodem ſeculo cenſeri, & Judæorum ferè nomine cœperunt, imperaverint Herodes Idumæorum proſapiâ oriundi, veriſſimè Judæis dominatos eſſe Idumæos dixerim. Non ignoro, controverſum eſſe inter eruditos: *Fuerítne Herodes ἀλλόφυλος nec ne?* Affirmant præter Euſebium Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 6. veteres plurimi, Epiphanius lib. 1. adverſus hæreſes Tom. 11. Auguſtinus de Civ. D. lib. XVIII. Photius Biblioth. cod. 238. Sed negavit id ipſum primus Scaliger Animadverſ. in Euſeb. pag. 148. 159. 259. & poſt eum Caſaubonus Exercit. 1. ad apparatum Annalium Baronii. Scaligero negandi id ratio præcipua erat, quòd Herodes Patre natus fuerit proſelytho, & quòd Idumæi jam inde à tempore Hircani pro Judæis fuerint habiti. Verùm diſſenſum illum nullo negotio tolli poſſe putem. Fuiſſe Herodem Idumæum conſentiunt plerique, niſi quod Africanus apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 7. ex quorundam relatione, cum Aſcalonitam potiùs, quàm Idumæum facit. Nos Joſepho magis credimus, qui Antipatrum Herodis patrem appellat τὸ γένος Ἰδουμαῖον *genere Idumæum*, belli Jud. lib. 1. cap. 4. Et antiquit. lib. XIV. cap. 2. perſtringit Nicolaum Damaſcenum, qui ut gratificaretur Herodi, ſcripſerat, cum εἶναι γένος ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, τῶν ἐκ Βαβυλῶνος εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀφικομένων, *ducere originem è primariis viris inter illos Judæos, qui Babylone venerunt in Judæam.* Videri de eo poteſt doctiſſimus Noldius in hiſtoria Idumæa. Quòd ſi pro certo recipimus, Herodem omnino Idumæum fuiſſe, non multum jam referet, an ὁμόφυλον *tribulem* Judæorum, an ἀλλόφυλον *alienigenam* dicamus. Utrumque enim ſuo ſenſu verum. Fuit ὁμόφυλος, quia Judæorum ſacris initiatus, eoſdem cum iis ritus ſuſcepit, eandem religionem profeſſus eſt. Atque ita Judæum, ex majoribus nimirum proſelythum, tribulem rectiſſimè dixeris. Huc faciunt, quæ ὁ πάνυ Caſaubonus affert pag. 30, 31. Exercitat. 1. ad apparatum Annalium. Idem tamen ἀλλόφυλος non minùs rectè dicitur, quia quamvis proſelythiſmo Judæus, gente tamen Idumæus fuit, non ex Jacobi, ſed Eſavi poſteris oriundus. Atq; hoc ſenſu, non alio Patres ἀλλόφυλον vocant Sed hæc παρέργου εἶδον. Ex quibus tamen id liquidò conſtat, Herodem Idumæum, ejusque poſteros Judæis dominatos eſſe, atq; hactenus oraculum Iſaci ipſo eventu comprobatum eſſe.

XXIII. De

XXIII. De Eſavo benedictionem à Patre expetente, & repulſam paſſo, ita loquitur Apoſtolus Hebr. XII. 17. Ἴστε γὰρ, ὅτι καὶ μετέπειτα θέλων κληρονομῆσαι τὴν εὐλογίαν, ἀπεδοκιμάσθη. Μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρε, καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτήν. *Scitis enim quòd Eſavus & poſtea volens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt. Pœnitentiæ enim locum non invenit, quanquam cum lachrymis eam quæſiviſſet.* Tria hîc illuſtranda veniunt. Primum, quomodo benedictionem ambiens, eam non impetrâſſe innuatur. Secundum, quo ſenſu pœnitentiæ cum lachrymis expetitæ locum non inveniſſe dicatur. Tertium, quo ſenſu benedictionem volens hæreditare, reprobatus ſit? Quoad primum, evidens eſt, Eſavum, etſi benedictionis particeps factus eſt, eam tamen benedictionem, quam ſolicitaverat, non impetrâſſe. Benedictionem nempe ſolicitaverat primogenito hæreditario jure competentem. Ea complectebatur bona tum corporalia, tum ſpiritualia ampliſſima, quibus cum bona illa Eſavo promiſſa, & in terrena felicitate terminata, ne in comparationem quidem venire poterant. Apoſtolus igitur loquitur de benedictione principali ſive primaria, quam ei Iſacus apertè denegavit. Hiſtoria verò Moſis de benedictione terrena, brevi, & quæ prioris illius vix umbra fuit. Quòd deinde pœnitentiæ cum lachrymis expetitæ locum non inveniſſe Eſavus dicitur, id de ipſius Eſavi pœnitentia nonnulli exponunt, quaſi videlicet ipſe pœnitentiam precibus ſuis apud Deum requirens, exauditus tamen non fuerit, neque ad reſipiſcendum ei locus reliquus fuerit. Chryſoſtomus in h. l. Διὰ τοῦτο καὶ Ἡσαῦ οὐκ ἔτυχε συγγνώμης, ὅτι οὐ μετενόησεν ὡς ἐχρῆν. Τὰ γὰρ δάκρυα οὐκ ἦν μετανοίας, ἀλλ᾽ ἐπηρείας καὶ θυμοῦ. *Propterea Eſavus non eſt conſecutus veniam, quia non egit pœnitentiam ſicut oportuit. Lachrymæ enim ipſius non pœnitentiam, ſed iram arguebant.* Ita etiam Iſidorus Peluſiota lib. IV. ep. 26. Loca vide apud Πολυμαθέστατον Rittershuſium, Sacrarum Lect. lib. IV. cap. 16. Thomas Aquinas docet, pœnitentiam Eſavi ſalutarem non fuiſſe, *quia non dolebat de peccato venditionis, ſed de damno perditionis.* Sed & Calvinus monet, pœnitentiam non hîc ſumi pro ſincera ad Deum converſione, ſed tantùm pro terrore, quo Dominus impios percellit, poſtquam diu in ſua malitia deliciati ſunt. Hæc opponi poſſunt Schlichtingio, qui ex Eſavi hoc exemplo probare adnititur, veram & ſeriam pœnitentiam aliquando ſeram eſſe poſſe. Diſcere poterat ex Chryſoſtomo, aliiſque veteribus, non veram & ſeriam fuiſſe Eſavi pœnitentiam, ſed fucatam. Quanquam alius etiam ſenſus eſt Apoſtoli, qui Eſavum quæſiviſſe locum pœnitentiæ in Iſaco patre, non ſuam innuit. Cum lachrymis & obteſtationibus patrem urgebat, ut eum benedictionis jam conceſſæ Jacobo pœniteret, atque adeò is eam revocaret, & in ſe transferret. Intel-

lexit enim aliquid potiùs datum eſſe Jacobo quàm ſibi, quanquam quid id eſſet, ad animum non revocavit, adeóque in fide benedictionem non ambivit. Non igitur quæſivit, qua ratione poſſit à peccatis reſipiſcere, ſed qua ratione parentem ad retractandam benedictionem moveret. Quòd verò tertio loco dicit de Eſavo Apoſtolus: Scitis ὅτι ἀπεδοκιμάσθη, *quòd reprobatus fuerit*: id quidam referunt ἀμέσως ad reprobationem ſeu rejectionem à gratia ſalutari & gloria cœleſti. Rectiùs nos referimus ἀμέσως ad repulſam illam, quam paſſus eſt Eſavus, qui quòd petebat ab Iſaco, impetrare non potuit. Quanquam talis repulſa & reprobatio præludium quoddam æternæ reprobationis haberi poteſt.

XXIV. Sequitur nunc eventus præreptæ benedictionis, & quid ex ea immediatè in utroque fratre conſecutum ſit. Duo autem hîc notantur. In Eſavo nempe odium capitale adverſus fratrem: in Jacobo verò fugæ neceſſitas. De odio Eſavi erga fratrem ita habet Moſes: וישטם עשו את יעקב *& odio habuit Eſavus ipſum Jacob propter benedictionem quâ benedixerat ei pater: dixítque Eſau in corde ſuo: Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Verbum ישטם Græci exprimunt: καὶ ἐνεκότει Ἠσαῦ τῷ Ἰακὼβ περὶ τῆς εὐλογίας, *& graviter iratus erat Eſavus Jacobo de benedictione.* Thargum Onkeloſi: ונטר עשו דבבו ליעקב *ſervavit Eſavus odium erga Jacobum.* Eodem modo Arabs. Ita etiam Abenezra נטר איבה *recondidit inimicitiam.* Quaſi videlicet condidiſſet odium, inſtar Sejani, de quo Tacitus A. l. 69. 6. *Odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctáque promeret.* Alibi Græci verbum שטם reddunt μνησικακεῖν, *memorem eſſe injuriæ.* Singula hæc apprimè conveniunt odio Eſavi, quod erat acerbiſſimum, & cum recordatione continua præreptæ benedictionis, adeóque etiam inſidiis conjunctum. Nempe χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν, *difficiles ſunt fratrum diſſenſiones.* Et οἱ γὰρ πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ πέρα μισοῦσι *qui valde amant, valde habent odio* uti videre apud Ariſtotelem Polit. lib. VII. 7. Maximè verò conſpicua fuit Eſavi profanitas & θεομαχία in eo quòd ויאמר בלבו *dixit in corde ſuo*, deliberatum & conſtitutum habuit occidere fratrem ſuum. Dicit enim: יקרבו ימי אבל אבי ואהרגה את יעקב אחי *Appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Ubi ימי אבל *dies luctus*, rectè interpretatur Syrus יומתא דבית בכורי דאבי *dies funerum patris mei.* Eleganti paraphraſi notantur dies mortis, quibus pater mortuus luctui materiam præbiturus erat. Aliqua adhuc reverentia ducebatur patris, quo ſuperſtite patrandum ſcelus non putavit, ne mœrore inſanabili eum afficeret.

XXV. Conſilium Eſavi de occidendo fratre יגד לרבקה *indicatum eſt Rebeccæ.* Quomodo verò indicari potuit Rebeccæ, quod ille dixit in corde

ſuo:

ſuo? Reſpondet Abenezra: יתכן שגלה כורו לאחד מאוהביו ויש אומרים על דרך נבואה היה והראשון קרוב *Videtur Eſavus reveláſſe arcanum ſuum uni amicorum. Et ſunt qui dicunt, ſpiritu prophetico ei annunciatum eſſe. Sed prius mihi probabilius.* Per divinam revelationem id nuntiatum eſſe Rebeccæ, tenet etiam S. Auguſtinus q. 81. in Geneſin. Credibilius tamen omninò, permiſiſſe Deum, ut Eſau præ ulciſcendi ſtudio non potuerit reticere, quod animo conceperat, quin in familiarum vel uxorum ſinum effunderet; ſic intumeſcens adhuc & inſoleſcens apud illas, quaſi fraudulenta & dolo extorta eſſet patri benedictio, & res ipſa adhuc id comprobatura eſſet. Idque à familiaribus ejus, vel aliis rationibus potuit ad Rebeccam emanare. Illa comperto Eſavi propoſito Jacobum ad ſe vocat, & inſidias ei ſtructas hiſce verbis aperit: הנה עשו אחיך מתנחם לך להרגך *Ecce Eſavus frater tuus ſolatur ſeſe propter te ad occidendum te.* Pro מתנחם לך habent Græci: *ἀπειλεῖ σοι minatur tibi ad occidendum te.* Scholiaſtes Græcus: Διανοεῖται κατὰ σοῦ *cogitat contra te.* At Onkeloſi Thargum: עשו אחוך כמן לך *Eſavus frater tuus inſidiabitur tibi, ut interficiat te.* Syrus אחוך מתלהם לך רכוס לך *Frater tuus minitatur tibi necem.* Jarchius ita ὧδε φράζει: נחם על האחוה לחשוב מחשבה אחרה להתנכר לך ולהרגך' ומדרש אגדה כבר אתה מת בעיניו ושתה עליך כוס תנחומים ופשוטו לשון תנחומים מתנחם הוא על הברכות בהריגתך *Pænitebit eum ſuper fraternitate, ut cogitet cogitationem aliam. Abalienatus enim à te occidet te. Midras Aggadah: Jam tum mortuus es in oculis ipſius, & bibit propter te poculum conſolationis. Simplex ſenſus eſt, ut conſolationes ſignificentur. Conſolationem capiet ſuper benedictionibus tuis, cùm te occiderit.* Commodus omnino ſenſus erit, ſi dicamus, Eſavi totum ſolatium fuiſſe in nece Jacobi meditata. Sic enim futurum, ut potiatur poſtliminio ea benedictione, quam Jacobus ſibi abſtulerit. Vel certè referri poterit ad dulcedinem vindictæ, ex qua conſolationem ſit capturus. Ita Abenezra: וזאת היא נחמתו שיוכל להרגך *Hæc erit conſolatio ejus, ſi poſſit te occidere.*

XXVI. Accenſo igitur Eſavi erga Jacobum odio piiſſima mater Jacobo ſeceſſum ſuadet, fugámque ad fratrem Labanem in Haran Meſopotamiæ, ubi eum commorari voluit ימים אחדים *dies aliquot*, donec deſævierit fratris furor. Ita nempe temporis tractu opus eſſe ad motos in animo Eſavi fluctus componendos prudenter cenſuit. Ita Philoſophus, ad iram in ſe ipſo concoquendam tempore opus eſſe monet. Id tamen facilius in ἀκροχόλοις, qui ſummæ & incenſæ bilis ſunt, quàm in πικροχόλοις, qui propemodum implacabiles, ſuccedere obſervat Ariſtoteles Ethic. Nicom. IV. 11. Per ימים intelligi שנים *annos* exiſtimat Abenezra. Et ſanè propter pauciſſimos dies adeò remotum iter vix ſuaſerit filio, quem in deliciis unicè habebat, Rebecca. Jam & ימים aliquando ſumi pro annis, alibi

 exem-

Digitized by Google

exemplis confirmavimus, inprimis tomo 1. Exercit. v. 18. Druſius quidem ex Hiſcuni obſervat, nunquam ימים *annos*, ſed *annum* duntaxat notare poſſe. Sed falli ipſum oſtendunt exempla, quæ l. c. allegamus. Interim nec annos, præciſè hoc loco per ימים intelligimus cum Abenezra, ſed breve aliquod & indefinitum tempus, tam longum tamen, ut in eo & iter tantùm confici, & Eſavi æſtus ſedari poſſet. Promittit ſimul Rebecca, ſe poſt tempus aliquod exactum in Meſopotamia, miſſuram, & denuo eum accerſituram. *Quare enim*, inquit, אשכל גם שניכם יום אחד *orbabor etiam ambobus vobis die una?* Nempe ſi vel ille te occideret, ipſi aut migrandum erit, ut Caino; aut capitis ſupplicium ſubeundum ex lege Domini propoſita Noæ & filiis ejus. Vel ſi tu ipſum in te inſurgentem occidas, impunè non abibis, ejus filiis ulturis patriam cædem. Egregium materni affectus in filios ambos argumentum. Saltem ſolatii loco ſibi fore ducebat, ſi ablegato Jacobo relinqueretur Eſavus. Sic turbas domeſticas maturè prudens fœmina componendas cenſuit. Ex verbis illis: *Quare orbabor etiam ambobus vobis die uno*; Hebræi ſubtiliſſimi Magiſtri arguunt, eodem die utrumque mortuum vel certè ſepultum eſſe, ut ſimul nati fuerant. Jarchius ורוח הקדש נזרקה בה ונתנבאת שביום אחד ימותו *Et Spiritus S. illam afflavit, ut prophetaret, fore ut eodem die moriatur uterque.* Scriptura metum Rebeccæ notat, ne videlicet, ſi maneret domi Jacòbus, poſt Iſaci mortem utroque Eſavi ſcelere carere debeat. At prophetâſſe illam, fore ut uno die careat utroque, non aſſerit.

XXVII. Conſilium ſuum ablegandi Jacobum in Meſopotamiam etiam Iſaco aperiendum putavit Rebecca, ſed diſſimulatâ cauſâ, & alterâ quàm ſpecioſiſſimâ adhibitâ, nempe quòd tæderet ipſos conſortii cum fœminabus alienigenis, ac proinde de commodiore conjugio proſpici oportere. Ita enim illa affatur Iſacum: קצתי בחיי *Anguſtiis affecta ſum in vita mea propter filias Heth, ſi acceperit Jacobus uxorem de filiabus Heth, ſimilibus iſtis, de filiabus hujus terræ,* למה לי חיים *ut quid mihi vita?* verſ. 46. Pro קצתי בחיי Græci habent: προσώχθικα τῇ ζωῇ μου *infenſa ſum vitæ meæ.* Aquila: ἐσίκχανα, *tædio affecta ſum.* In veteribus Lexicis σικχασία eſt *tædium, moleſtia.* Suidas, σικχαντὸν *moleſtum* ἀηδὲς *injucundum.* Thargum Onkeloſi habet עקית בחיי *pœnitet me vitæ propter filias Heth.* Omnino acerbam ſibi fore reliquam vitam profitetur, ſi Hethæam aliquam mulierem ſibi matrimonio jungat Jacobus. Proinde votum ſuum inſinuat, ut matrimonii ineundi cauſâ in Meſopotamiam ſe conferat Jacobus. Vera cauſa erat ablegandi Jacobi, ſed non palmaria, quam prudenter texit mater, ne Iſacum in ætate decrepita triſtitiâ afficeret, vel Eſavo offenſum redderet. Chryſoſtomus vocat

εὐπρό-

Digitized by Google

εὐπρόσωπον πρόφασιν ſpecioſum prætextum. Non poteſt autem vitio verti Rebeccæ, quòd aliam apud maritum dimittendi Jacobi cauſam allegavit, neque mendacii in eo ſe feciſſe ream putanda eſt. Aliud enim eſt prudenter aliquid celare, quod veracitatis vel charitatis non intereſt ut reveletur, imò revelatum plus nocumenti, quàm commodi afferre poteſt: aliud falſum proferre.

XXVIII. Oratione hac Rebeccæ commotus Iſacus, Jacobum in Meſopotamiam amandat, eíque tum præcipit, ne uxorem Cananæam unquam ducat, ſed potiùs matrimonium ineat cum una ex neceſſariis domus Bethuelis, tum abiturienti denuo benedicit prolixè his verbis: *Deus omnipotens benedicat tibi, & creſcere faciat te, & multiplicet te, ſisque in cœtum populorum. Det quoque tibi benedictionem Abrahami, tibi & ſemini tuo tecum, ut hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus ipſi Abraham,* Geneſ. XXVIII. 3, 4. Quæ quidem benedictio in rei ſumma eadem cum ſuperiori, nunc iterum Jacobo applicatur, non quòd antea non eſſet in ſe firma, vel quaſi Jacobus non crediſſet eam ad ſe pertinere, aut ſaltem de ejus valetudine dubitâſſet, ſed ut in ſpe promiſſorum bonorum magis magiſque firmaretur & corroboraretur. Cùm enim variis cum anguſtiis confligendum fuerit Jacobo, tum maximè fides ejus opus habuit ejusmodi ſubſidio, quo extra paternam domum ſuſtentaretur. Atque ita dimittitur Jacobus ſolus & ſine ullo apparatu vel comitatu, ut eò magis divinæ providentiæ ductum experiretur.

Digitized by Google

exemplis confirmavimus, inprimis tomo I. Exercit. v. 18. Druſius quidem ex Hiſcuni obſervat, nunquam ימים *annos*, ſed *annum* duntaxat notare poſſe. Sed falli ipſum oſtendunt exempla, quæ l. c. allegamus. Interim nec annos, præciſe hoc loco per ימים intelligimus cum Abenezra, ſed breve aliquod & indefinitum tempus, tam longum tamen, ut in eo & iter tantùm confici, & Eſavi æſtus ſedari poſſet. Promittit ſimul Rebecca, ſe poſt tempus aliquod exactum in Meſopotamia, miſſuram, & denuo eum accerſituram. *Quare enim*, inquit, אשכל גם שניכם יום אחד *orbabor etiam ambobus vobis die una?* Nempe ſi vel ille te occideret, ipſi aut migrandum erit, ut Caino; aut capitis ſupplicium ſubeundum ex lege Domini propoſita Noæ & filiis ejus. Vel ſi tu ipſum in te inſurgentem occidas, impunè non abibis, ejus filiis ulturis patriam cædem. Egregium materni affectus in filios ambos argumentum. Saltem ſolatii loco ſibi fore ducebat, ſi ablegato Jacobo relinqueretur Eſavus. Sic turbas domeſticas maturè prudens fœmina componendas cenſuit. Ex verbis illis: *Quare orbabor etiam ambobus vobis die uno*; Hebræi ſubtiliſſimi Magiſtri arguunt, eodem die utrumque mortuum vel certè ſepultum eſſe, ut ſimul nati fuerant. Jarchius ורוח הקדש נזרקה בה ונתנבאת שביום אחד ימותו *Et Spiritus S. illam afflavit, ut prophetaret, fore ut eodem die moriatur uterque.* Scriptura metum Rebeccæ notat, ne videlicet, ſi maneret domi Jacòbus, poſt Iſaci mortem utroque Eſavi ſcelere carere debeat. At prophetâſſe illam, fore ut uno die careat utroque, non aſſerit.

XXVII. Conſilium ſuum ablegandi Jacobum in Meſopotamiam etiam Iſaco aperiendum putavit Rebecca, ſed diſſimulatâ cauſâ, & alterâ quàm ſpecioſiſſimâ adhibitâ, nempe quòd tæderet ipſos conſortii cum fœminabus alienigenis, ac proinde de commodiore conjugio proſpici oportere. Ita enim illa affatur Iſacum: קצתי בחיי *Anguſtiis affecta ſum in vita mea propter filias Heth, ſi acceperit Jacobus uxorem de filiabus Heth, ſimilibus iſtis, de filiabus hujus terræ*, למה לי חיים *ut quid mihi vita?* verſ. 46. Pro קצתי בחיי Græci habent: προσώχθικα τῇ ζωῇ μου *infenſa ſum vitæ meæ.* Aquila: ἐσίκχανα, *tædio affecta ſum.* In veteribus Lexicis σικχασία eſt *tædium, moleſtia.* Suidas, σικχαντὸν *moleſtum* ἀηδὲς *injucundum.* Thargum Onkeloſi habet עקית בחיי *pænitet me vitæ propter filias Heth.* Omnino acerbam ſibi fore reliquam vitam profitetur, ſi Hethæam aliquam mulierem ſibi matrimonio jungat Jacobus. Proinde votum ſuum inſinuat, ut matrimonii ineundi cauſâ in Meſopotamiam ſe conferat Jacobus. Vera cauſa erat ablegandi Jacobi, ſed non palmaria, quam prudenter texit mater, ne Iſacum in ætate decrepita triſtitiâ afficeret, vel Eſavo offenſum redderet. Chryſoſtomus vocat

εὐπρό-

Digitized by Google

εὐπρόσωπον πρόφασιν *ſpecioſum prætextum.* Non poteſt autem vitio verti Rebeccæ, quòd aliam apud maritum dimittendi Jacobi cauſam allegavit, neque mendacii in eo ſe feciſſe ream putanda eſt. Aliud enim eſt prudenter aliquid celare, quod veracitatis vel charitatis non intereſt ut reveletur, imò revelatum plus nocumenti, quàm commodi afferre poteſt: aliud falſum proferre.

XXVIII. Oratione hac Rebeccæ commotus Iſacus, Jacobum in Meſopotamiam amandat, eíque tum præcipit, ne uxorem Cananæam unquam ducat, ſed potiùs matrimonium ineat cum una ex neceſſariis domus Bethuelis, tum abiturienti denuo benedicit prolixè his verbis: *Deus omnipotens benedicat tibi, & creſcere faciat te, & multiplicet te, ſisque in cœtum populorum. Det quoque tibi benedictionem Abrahami, tibi & ſemini tuo tecum, ut hæreditate accipias terram peregrinationum tuarum, quam dedit Deus ipſi Abraham,* Geneſ. XXVIII. 3, 4. Quæ quidem benedictio in rei ſumma eadem cum ſuperiori, nunc iterum Jacobo applicatur, non quòd antea non eſſet in ſe firma, vel quaſi Jacobus non credidiſſet eam ad ſe pertinere, aut ſaltem de ejus valetudine dubitâſſet, ſed ut in ſpe promiſſorum bonorum magis magíſque firmaretur & corroboraretur. Cùm enim variis cum anguſtiis conflictandum fuerit Jacobo, tum maximè fides ejus opus habuit ejusmodi ſubſidio, quo extra paternam domum ſuſtentaretur. Atque ita dimittitur Jacobus ſolus & ſine ullo apparatu vel comitatu, ut eò magis divinæ providentiæ ductum experiretur.

Digitized by Google

EXERCITATIÒ XV.

DE
JACOBI PEREGRINATIONE MESOPOTAMICA,

Rebúsque in ea geſtis.

Breviarium.

Jacobi gemina peregrinatio, in Ægyptum & Meſopotamiam. Occaſio poſterioris. Diſtributio argumenti. 1. *Iter Jacobi ſuſceptum in Meſopotamiam. Viſio ſcalæ.* 2. *Adventus prope Charanem, & occurſus ac ſalutatio Rachelis. Oſculum dignitatis, occurſus, diſceſſus & propinquitatis diſtinguitur juxta Hebræos. Quid* נשיקה לחפלוות? *Druſius notatur. Fletus Jacobi apud Rachelem cauſa.* 3. *Jacobus excipitur à Labane. Quid narraverit Labani? Mora unius menſis apud Labanem exploratoria.* 4. *Jacobi apud Labanem res geſtæ & fortuna anceps. Pactum cum Labane de Rachele poſt ſeptem ſervitutis annos ducenda. Quo ſenſu Leæ oculi dicantur* רכות? *An ritè factum à Jacobo, quòd ob formæ decus Rachelem antepoſuit Leæ?* 5. *Sponſalia Jacobi. Servitus ſeptem annorum pro Rachele. An duxerit Rachelem ante initium ſervitutis illius? Junii, Uſſerii, Lydiat de eo ſententia improbata. Jacobi continentia, fides & conſtantia.* 6. *Quo ſenſu ſeptem ſervitutis anni in oculis Jacobi fuerint inſtar paucorum dierum, eò quòd diligeret Rachelem? Hebræorum de eo ſententiæ.* 7. *Nuptiale convivium à Labane inſtitutum, ejúsque impia in ſubſtituenda Lea fallacia. Ritus nuptiales Græcorum & Syrorum.* 8. *Jacobi cum Labane expoſtulatio. Impietas & perfidia Labanis. An Rachel fraudis conſcia fuerit? Joſephus notatur.*

Digitized by Google

tur. 9. Quî fieri potuerit, ut Jacobus tota illa nocte in eo verſaretur errore, ut Rachelem eſſe putaret, quæ Lea fuit? 10. Offertur Jacobo nova conditione etiam Rachel. Qualis fuerit שבוע hebdomade, quam juſſus explere Jacobus, ſervitutis annorum, an feſti nuptialis dierum? Jacobum Rachelem duxiſſe ante initium ſecundæ ſervitutis demonſtratur. 11. Ancillæ uxoribus Jacobi additæ, Billha & Silpah. Fuerintne ingenuæ? Joſephus & Author Teſtamenti Patriarcharum refelluntur. 12 Jacobi polygamia ventilatur Fueritne reus inceſti? 13 Ærumnæ conjugales Jacobi & diſpar in utramque affectus: Lea fœcunditas. Claves vitæ, pluviarum, reſurrectionis mortuorum. Jacobi ex Lea, Bilha, Zilpa, Rachel liberi. 14 Jacobus miſſionem petit à Socero Tergiverſatio Soceri, & oblata per fraudem mercedis optio Quid נחשתי? Quo ſenſu Jacobus dicat, Deum Labani benedixiſſe לרגלי in pede ſuo? Namphamones ſeu Namphamones qui fuerint Pœnis? 15. Novum Jacobi cum Labane pactum initum ea Lege, ut Laban ſeparatis pecudibus variegatis ab unicoloribus, & his Jacobo commiſſis, relinquat eidem quicquid variegatum naſcatur ex unicoloribus. Quid כל שה נקוד? Στικτὰ, κατάστικτα. Quid Syro ſit pecus קרח? Quid טלוא? Ovis διάλευκοι. Quid חום? κημία. Quid oves עקדים? 16 Prudenterne fecerit Jacobus, qui ſub conditione mercedis incertæ novum pactum iniverit? 17. Labanis conſenſus in conditionem à Jacobo latam. Separatio gregum. Vulgati Interpretis circa eam error. 18. Jacobi artificium in procuranda fœtura diverſicolore. Virgæ variegatæ ejus deſcribuntur. Quid מקל לבנה לח? Ῥάβδος στυρακίνη. Quid מקל לוז? Quid מקל ערמון? Quid Chaldæis & Arabibus דלב Dulb? פצלות. Quid oves המקשרות & העטופים? Valeſius notatur. An diſtinguatur iis vocibus fœtura vernalis ab autumnali? Ovium fœtus autumnales vernalibus præſtare oſtenditur. הוריבא 19. An naturæ vel divinæ potentiæ opus fuerit, quòd Labanis oves fœtus vel virgis vel agnis objectis concolores pariebant? Patrum Græcorum & Latinorum diſſenſus. 20. Cum natura ſpecialem Dei providentiam concurriſſe oſtenditur. Phantaſiæ vires in imprimendis fœtui notis autho-

authoritatibus & exemplis probatæ. Quomodo ejuſmodi notæ imprimantur fœtibus? 21. An jure ejuſmodi artes adhibuerit Jacobus, quibus ſocerum ſpoliavit magna parte gregis? 22. Jacobus diſceſſum meditatur. Occaſiones propoſiti illius, invidia fratrum, mutatio vultus Labanis, & præceptum Dei. Quo ſenſu Jacobus dicatur à fratribus abſtuliſſe כל הכבוד וגו׳: ? *Quid* כתמול שלשם ? 23. *Jacobi cum uxoribus conſultatio. LXX Interpretes notati. Quomodo Laban decies Jacobo mutaverit mercedem? 24. Uxorum Jacobi de Labanis iniquitate querela. Quomodo dicatur Laban comediſſe* כסף *pretium filiarum ejus? An querela filiarum Labanis de parente eas decuerit? Hebræorum de eo opinio improbata. 25. Jacobus Labane ad tondendum oves peregrè profecto fugam adornat. Rachelis furtum τῶν Teraphim. De Teraphim pluſcula. Boulduci de Teraphim inſana opinio. 26. Quo conſilio, & quàm rectè Rachel abſtulerit Teraphim parentis? 27. Jacobus quo ſenſu furatus dicatur cor Labanis? Ludovici de Dieu & Abarbanelis expoſitio probata. 28. Jacobi in montem Gilead adventus. Quo ſenſu Laban Jacobum inſectatus dicatur* דרך שבעת ימים *itinere ſeptem dierum, & unde ſeptem illi dies numerandi? Quo ſenſu Laban prohibitus fuerit à Deo loqui* מטוב עד רע *à bono ad malum? Abarbanelis expoſitio rejecta. 29. Labanis expoſtulatio cum Jacobo tum de fuga, tum de furto Teraphim thraſonica. 30. Jacobi reſponſio primò modeſta. Quo ſenſu Jacobus dicat: Apud quem inveneris Deos tuos, non vivat?* נגד אחינו *An verbis iis inſit imprecatio? An propter eam mox mortua Rachel? Labanis rigida inquiſitio in idola ſua. Jacobi ſeria adverſus ſocerum proteſtatio. Cur Deum vocet* פחד יצחק *pavorem Iſaci? An ad parentis merita & obedientiam reſpexerit? Hebræi pulſati. 31. Fœdus Jacobum inter & Labanem initum. Explicatur ambiguus verſus 43. cap. XXXI. 32. Fœderis Labanem inter & Jacobum initi ſignum, nempe* מצבה *titulus &* גל *tumulus. Junii de eo expoſitio ventilatur. Fuerintne duo diverſa ſigna?* יגר גלעד שהדותא *Quo ſenſu tumulum eum vocaverit Jacobus* מצפה ? *Interpres Vulgatus perſtringitur. Suffetes Carthaginenſium unde dicti?*

יצף

יצף יהוה 33. *Fœderis illius ſubſtantia. Conditio gemina à Labane præſcripta. Explicatur de eo verſus* 52. *Abarbanelis erudita expoſitio. Fœdus hoc fuiſſe* ἐπιμαχίας *oſtenditur.* 34. *Fœderis ejus ſanctio per juramentum & convivium. Diverſæ Jacobi & Labanis jurandi formulæ. Quid Laban intellexerit per* אלהי אברהם ואלהי נחור אלהי אביהם? *An Deos alienos, quos patres ejus coluerunt, an verum Abrahami Deum cum falſis conjungat? An Jacobus admittere potuerit juramentum Labanis idololatricum? Cur ad convivium non invitaverit Labanem?* 35. *Digreſſio Labanis à Jacobo & filiabus, nec non Jacobi ex monte Gilead progreſſus in Mahanaim. Qui fuerint Angeli Dei ipſi occurrentes. R. Levi ben-Gerſon, Jarchius, Bonfrerius refutati. Cur* מחנים *nomen indiderit illi loco? Occurſus illius Angelorum finis exponitur.* 36. *Jacobi legatio ad Eſavum in monte Seir, ejusque cauſa. Cur fratrem ſuum Dominum, ſe verò ejus ſervum appellet? Junii erudita ſolutio.* 37. *Legatorum ex Seir reducum expeditio. Abarbanelis conjectura perſtringitur.* פולמוסין. *Qua intentione Jacobo Eſavus cum* 400. *viris obviam venerit?* 38. *Jacobus ſe præparat in occurſum Eſavi conſultatione, precibus ad Deum, & munerum delectu. Quo ſenſu Jacobus acceperit* מן הבא בידו *de iis quæ venerunt in manum ejus? Hebræorum* παρερμηνείαι. *Caprarum, ovium & hircorum delectorum proportio.* תישים *arietes an hircos denotent? Jacobi in diſponendis gregibus prudens ſolertia. An juſtum fuerit tot ſplendida munera profundere?* 39. *Jacobi transfretatio per torrentem Jaboc & Angelomachia. Viſo Eſavo Jacobus turmas diſponit. Cur ſeptem vicibus ſe Eſavo inclinaverit? Salutatio mutua fratrum. Eſavus munera detrectans urgetur à Jacobo. Quo ſenſu Jacobus dicat, ſe vidiſſe faciem Eſavi* כראות פני אלהים *ac ſi videret faciem Dei?* 40. *Eſavus munera admittit. Ejus digreſſuri erga Jacobum benevolentia. Quid* אתנהלה לאטי? *Qua fide Jacobus promiſerit Eſavo, ſe venturum ad fratrem in Seir, quod nuſpiam præſtitiſſe legitur? Uſusne fuerit reſtrictione & amphibolia?* 41. *Amica & placida fratrum digreſſio.* 42.

I. Duæ Abrahami peregrinationes fuerunt, una in Ægyptum, in Gerar altera. Totidem fuerunt etiam Jacobi nepotis, una nempe in Meſopotamiam, in Ægyptum altera. De priori illa inpræſentiarum agere conſtituimus. Parentes igitur Jacobi, filiorum quieti hac maximè ratione conſuli poſſe rati, eum ad exteros mittunt, cognatos & affines. Ille parentum dicto audiens morem geſſit, & benedictione paterna comitatus ſeſe in iter propere conjecit. Tria autem ut expendamus, ratio ordinis præſcribit, nimirum iter ipſum in Meſopotamiam, ejus in Meſopotamia fortunam & res geſtas, ac denique reditum in terram Canaan.

II. Iter ipſum quod attinet, in eo id duntaxat memoratu dignum occurrit, quòd in itinere eo loco, cui ipſe nomen impoſuit Bethelis, per ſoporem Dominum vidit, & Angelos in ſcala aſcendentes & deſcendentes. Atque ob id locum ſomnii ſacratum habens, lapidem ex eo ſumpſit, vovitque ſi proſperis rebus reverſus fuerit, titulum ſibi domus Domini futurum, decimáſque omnium, quæ acquiſita ſibi forent, domino daturum. Hanc *Scalæ Jacobi* hiſtoriam, ne præſens exercitatio nimium exceſcat, ſeorſim exponendam duximus.

III. Bethele Jacobus perrexit ארצה בני קדם *verſus terram Orientalem*, Geneſ. XXIX. I. Græci ita circumſcribunt: Εἰς γῆν ἀνατολῶν πρὸς Λάβαν τὸν υἱὸν Βαθουὴλ τοῦ Σύρου, ἀδελφὸν τῆς Ῥεβέκκας μητρὸς Ἰακὼβ καὶ Ἠσαῦ. *In terram Orientis ad Laban filium Bethuel Syri, fratris autem Rebeccæ, matris Jacob & Eſau.* Prope Haranem incidit in puteum more loci lapide impoſito clauſum, ad quem tres greges recubabant, ut in eo paſtorum operâ aquarentur. Paſtores eos Harane oriundos Jacobus compellatos de cognatione ſua interrogat. Cúmque ex iis de cognatæ ſuæ adventu cognoviſſet, conſuluit, ut devoluto puteali aquarent pecudes, & amplius paſcerent. Quam rem cum abnuerent ob lapidis gravitatem ad Rachelis uſque adventum, poſtea ipſa adventante communi opera cum aliis paſtoribus puteal devolvit. Quæ quidem omnia humanitatis & honeſtatis officia Jacobum reddiderunt Rebeccæ commendabiliorem. Interea in ipſius Rachelis notitiam pervenit Jacobus ſancto oſculo, fletu & generis explicatione. Nam ישק יעקב לרחל *oſculatus eſt Jacobus Rachelem, levavítque vocem ſuam & flevit. Et renuntiaverat Jacob Racheli, quòd frater patris ſui eſſet, quòdque filius Rebeccæ eſſet*, verſ. 11, 12. Notant Hebræi ad hæc verba in Bereſith rabba Sect. 70. כל נשיקה להפלות בר מן הלת נשיקה של גדולה נשיקה של פרקים נשיקה של פרישות ר' תנחומא אמר אף נשיקה של קריבות שנא' שנשק יעקב לרחל שהיה קרובתו *Omnis oſculatio eſt ad fatuitatem* (fatua, ſtolida) *exceptis tribus,*

quæ

quæ ſunt, *oſculum magnificentiæ & dignitatis*, (cujus exemplum eſt 1. Sam. x. 1.) *oſculum compitorum ſive occurſus* (vide Exod. IV. 27.) *oſculum ſeparationis, vel diſceſſus* (vide Ruth. 1. 14.) R. Tanchuma addit etiam oſculum propinquitatis, ſicut dicitur: *Et oſculatus eſt Jacob Rachelem, quia erat propinqua ejus*. Eadem habentur in Schemoth rabba. Ubi נשיקה להפלות notat *oſculum fatuum*, *laſcivum*. Unde הפלות in gloſſa explicatur per פריצות *protervia, laſcivia*. Perperam Druſius in Geneſin cap. 11. 8. & in Exod. cap. 12. per נשיקה תפלות *oſculum fatuitatis*, oſculum precum, & per נשיקה של פריקים *oſculum compitorum ſeu occurſus*, oſculum propinquorum intelligit, uti oſtendit Cl. Buxtorfius in Lexico Thalmudico Rad. נשק. Oſculum Jacobi omnino fuit oſculum *ςοργῆς* & propinquitatis, erga eos, qui ſe ſanguine contingunt, uſurpatum. Hinc cum eo mixtæ lachrymæ, quæ præ gaudio & naturali affectu effundebantur. Tale oſculum caſtum & honeſtum habebatur. Unde nec Jacobus, qui illud dederit, nec Rachel, quæ non repulerit, culpari poteſt. In primitiva Eccleſia uſitatum erat *φίλημα τῆς εἰρήνης oſculum pacis* ſeu charitatis, quo tanquam pacis & fraternitatis Symbolo olim ſe ſalutabant: quod apud Pontificios converſum eſt in ludicram actionem, qua omnes invitantur ad oſculum orbiculi, quem *patenanem* appellant, nempe operculum calicis miſſatici. Cœterùm quòd de fletu Jacobi additur, mirè explicatur ab Hebræis. Jarchius fleviſſe ipſum docet, שצפה ברוח הקדש שאינה נכנסת עמו לקבורה *eò quòd prævideret ſpiritu, fore ut cum ipſo non ſepeliretur*. Alii etiam cauſam urgent apud eundem, non minùs fabuloſam. Nos fletus illius cauſam non aliam fuiſſe putamus, quàm gaudium ſingulare, quod lachrymis aliquando homines teſtari ſolent.

IV. Rachel agnito variis argumentis Jacobo, curriculo ad Labanem parentem cucurrit, eique ejus adventum nuntiavit: qui & ipſe re audita accurrens, Jacobum amplexu, oſculo, denique domo excepit, & res ſuas narrantem amicè audivit. Etſi verò Moſes disertè narrationis illius Jacobi argumentum non deſcribit: tamen tum ex conditione rerum illarum, tum ex Labanis reſponſione facilè colligi poteſt, quid narrationis Jacobus adhibuerit. Primò enim dicit, narrâſſe eum כל הדברים האלה *omnes res iſtas*, nempe quæ inde à cap. 26. expoſitæ fuerunt. Unde Abenezra explicat דברי הברכה *res benedictionis*. Deinde conditio præſens Jacobi poſtulare illud videbatur, cùm vacuus & inops omnium rerum in Meſopotamiam adventaret: cùm tamen ante plures annos famulus Abrahami Eliezer eò venerit inſtructiſſimus auro, argento, & muneribus variis. Sed & Labanis reſponſio tanquam interrumpentis narrationem Jacobi id confirmare videtur.

Digitized by Google

videtur. Dicit enim verſ. 14. אך עצמי ובשרי אתה *Profectò os meum & caro mea es.* Perinde ac ſi diceret: Quid multis opus eſt? Etiamſi horum, quæ à te dicuntur, nihil eſſet: cùm tamen mihi ita ſis propinquus ſanguine, ut vix propinquior mihi quiſquam eſſe poſſit, &, quod proverbio dicitur, *os meum & caro mea ſis*; ego aliis rebus omnibus miſſis cupio te de meo favore atque ſtudiis certum eſſe, & apud me commorari. Benigniſſima hac invitatione motus ישב עמו חדש ימים *habitavit cum eo menſem dierum,* hoc eſt, uti Interpretes plerique exprimunt, menſem integrum. Eſt nempe חדש ימים *menſis dierum*, menſis conſtans omnibus diebus ſuis. Hoc temporis ſpatium adhibere placuit, ut alter alterum exploraret, & videret, utrum conditio utrinque placitura eſſet.

V. Sequuntur nunc Jacobi apud Labanem res geſtæ & fortuna anceps. Potiſſima ſunt matrimonia ejus, & iniqua ſervitus. Matrimoniis Jacobi occaſionem dedit ſtipulatio Labanis, qui ſibi mercedem à Jacobo pro ſervitute indicari poſtulabat. Cùm igitur duæ eſſent filiæ Labani, nimirum לאה *Leah* & רחל *Rachel*, Jacobus pro ſeptem annorum ſervitute paciſcitur Rachelem, ab ſe præ Lea adamatam. Erant enim עיני לאה רכות ורחל היתה יפת תאר ויפת מראה *oculi Leæ teneri: Rachel verò pulchra forma & aſpectu.* v. 17. Quod de Leæ oculis narratur, diverſimodè acceperunt Interpretes. LXX Interpretes habent: *οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ Λείας ἀσθενεῖς. Oculi autem Leæ erant debiles.* Vulgatus: *Sed Lia lippis oculis erat.* Hi igitur ad vitium oculorum, quale eſt lippitudo, ſeu teneritudo oculorum nimia, & exceſſus humoris, referunt. At Chaldæus paraphraſtes & Arabs de pulchritudine oculorum Leæ accipiunt. Chaldæus enim ita habet ועיני לאה יאין *& oculi Leæ erant pulchri.* Arabs verò: ועינא ליאא חסנתאן *Et oculi Leæ erant pulchri.* Qui tamen eam pulchritudinem ad oculos reſtringentes innuere videntur, fuiſſe Leam reliquo corpore deformem. Vitium tamen aliquod oculorum notari non dubitem. Allegatur enim hæc cauſa, cur amore ſuo Jacobus inclinaret potiùs in Rachelem quàm Leam. Itaque etiam Joſephus Leæ tribuit *τὴν ὄψιν οὐκ εὐπρεπῆ aſpectum minùs formoſum.* Mercerus generaliùs accipiendum illud vitium putat, quòd non eſſent vivaces oculi, quales *χαροπὰς* Græci dicunt. Sed de Lippitudine teneritudo illa accipi poteſt. Quia enim teneri nimis oculi & molles, pituitoſum humorem non retinebant, ſed ſtillare ac fluere ex oculis patiebantur. Cùm igitur magna pulchritudinis pars in oculis ſit poſita, hac obſervatione Moſes non formoſam fuiſſe, ſicut Rachel, indicare voluit. Atque hæc cauſa, cur Rachelem præferret Jacobus, quanquam non ſola. Nam & primus ille occurſus Rachelis, quem Deus ita ſapienter dirigebat, converſationi familiari occaſionem dederat, & præter formam

Digitized by Google

formam virtutibus non contemnendis prædita fuit. Neque in eo peccavit Jacobus quòd pro Rachele ſeptem annorum ſervitutem ſpondet. Fecit enim hoc ex more temporis & loci, in quo vivebat. Apud veteres enim Orientales mos erat, ut uxores emerent, vel pretio ſibi compararent viri. Ita David centum præputiis Philiſtæorum Saulis filiam ſibi uxorem comparavit. Hoſeas uxorem adulteram ſibi uxorem fecerat quindecim argenteis, hordei coro & dimidio Hoſ. III. 2. Apud Romanos etiam matrimonia iniri ſolebant per *coemptionem*, de qua vide Briſſonium lib. de ritu nuptiarum.

VI. Laban conditionem oblatam accepit & Rachelem Jacobo ſpoſpondit his verbis: *Melius eſt, ut eam dem tibi, quàm ut eam dem viro alteri; mane mecum.* verſ. 19. Perplacebat nempe conditio homini avaro, quòd filiam ſuam tanquam mancipium ſine pretio ita collocaret, ut etiam ex genero filiáque diuturna commoda eſſet percepturus. Atque ſic rata erant ſponſalia. Jacobus verò conditioni ſatisfacturus יעבד לרחל שבע שנים *ſervivit pro Rachel ſeptem annos.* verſ. 20. Franciſcus Junius in verbis iis ponit ὕστερον πρότερον. Putat enim priusquam ſervire cæpiſſet Jacobus, adeóque ante ſeptem illos annos, quibus pro Rachele ſerviiſſe dicitur Jacobus, accidiſſe, quæ narratur verſ. 21, 22. &c. nempe nuptias Jacobi & impoſturam inſignem Labanis. Quòd verò dicit Jacobus verſ. 21. *Da mihi uxorem, quia completi ſunt dies mei,* id non ad completum tempus *ſervitutis*, ſed potiùs ad maturitatem *ætatis* Jacobi refert, quaſi is Rachelem ſibi extrudi petiiſſet, quia jam ad ætatem plus ſatis juſtam pervenerit, neque expediat exſpectare diutius, ne orbus maneret, & tum hæredibus tum hæreditate privaretur. In eadem ſententia ſunt viri doctiſſimi Thomas Lydiat de *Emend. temp.* p. 14. Jacobus Uſſerius *Chronol. S.* pag. 163. Fateor tamen, rationem ὑστερήσεως, adeóque perturbandi ordinis hiſtoriæ idoneam mihi non apparere. Imò verſus 25. arguit, tum cùm nuptias celebraret Jacobus, tempus ſervitutis jam effluxiſſe. Dicit enim ibi Jacobus deprehenſa Labanis fraude: *Quid hoc feciſti mihi?* הלא ברחל עבדתי עמך *Annon pro Rachel ſervivi apud te?* Ubi de ſervitute tanquam jam præterita loquitur. Et verſ. 27. petit Laban à Jacobo, ut pro Rachele ſerviret שבע שנים אחרות *ſeptem annos alios.* Ergo ſeptem anni priores jam tum tranſiverant. Suppetunt & alia argumenta. Hæc tamen ſufficere poſſunt. Igitur ſtatim poſt ſtipulationem Labanis & Sponſionem Jacobum ſervitutis ſuæ annos auſpicatum eſſe, & iis demum exactis cum Rachele nuptias celebrâſſe, ſit probabilius. Hæc enim mora etiam Jacobi tum temperantiam & continentiam, tum fidem & conſtantiam abundè demonſtrat. Nam cùm in eadem habitaret familia, in

Digitized by Google

in qua ſibi deſponſatam haberet dilectiſſimam, non quæſivit tamen prævertere tempus quod ipſe ſibi præfixerat. Cúmque ipſi promiſſa fuiſſet numeroſa poſteritas, & ad ſenium vergeret, quippe jam tum natus ſeptuaginta ſex vel ſeptem annos, non exiſtimavit tamen ſibi feſtinandum nimis eſſe, ut decreti divini exſecutio promoveretur: ſed potius acquieſcendum divinæ providentiæ putavit, cui ſe ſuáque in ſolidum commiſit. Illud temperantiæ, hoc fidei ejus documentum præbuit.

VII. De ſeptem illis ſervitutis Jacobi annis narrat Moſes verſ. 20. fuiſſe eos בעיניו כימים אחדים באהבתו אתה *in oculis ejus inſtar dierum paucorum, eò quòd diligeret eam.* Cùm verò amanti quævis mora eſſe longa ſoleat, non immeritò quæſitum eſt: quomodo ob amorem enixum Rachelis ſeptem annorum mora brevis, imò inſtar paucorum dierum fuerit Jacobo? Sanè id non admodum è conſuetudine amantium dictum videri poteſt, quibus vel breve tempus longiſſimum eſt, diésque anni, anni ſecula ſunt, dum potiantur, quam expetunt. Spes dilata cruciat, in amore potiſſimum ubi mora eſt. *Si mihi non hæc lux toto jam longior anno eſt*, dicebat ſtolidus amator. Et ſanè quod valde expetimus, ſemper ferè ſerius nobis accidere videtur. Nec ſine cauſa monet Sapiens: *Spes protracta ægrum afficit animum; arbor autem vitæ eſt deſiderium adveniens*, Prov. XIV. 12. Non malè hunc nodum expedit Abarbanel, cujus verba adſcribere non pigebit: ספר הכתוב שעבד יעקב את לבן בצאנו שבע שנים שנדר לעבד בעד רחל ושהיו בעיני לא כשנים שבעה שהוא זמן רב אבל בימים אחדים כי היתה אהבתו ככ׳ רבה וחזקה שלא הרגיש בעמל ויגיעה כל הימים כאלו היו השנים ימים והשבעה או שני ימים כי מרוב חשקו בה נראה לו שלקחה בזול ורקנה בזול יפרע בעין יפה׳ *Ait Scriptura, Septennem operam navâſſe Jacobum ipſi Labano in paſcendis gregibus pro Rachele, quemadmodum promiſerat, totúmque illud ſeptennii ſpatium alioquin longum, Jacobo viſum fuiſſe paucorum dierum inſtar: ſiquidem tanto tamque vehementi illius amore flagraret, ut nihil ſentiret iſtius temporis labores, ac ſi anni ſeptem unus duóve dies eſſent. Námque præ illius amore videbatur ſibi illam vili pretio acquirere. Qui autem quid acquirit vili pretio, lætum oculum ac frontem exporrigit.* Igitur dies illi pauci erant, collati nempe non cum ipſo tempore per ſe, ſed cum præſtantia rei, quam ſibi ſervitute illa comparavit, fruitione nempe Rachelis longè optatiſſima; ut ſenſus ſit; quia amabat Rachelem enixiſſimè, qua exacto ſeptennio ſe potiturum ſperabat, ideò ſervitutis moleſtiam alacriter cum devorâſſe, quæ propterea etiam brevis ei viſa fuerit. *Non quod*, verba ſunt Pellicani noſtri, *deſiderium dilatum non afflixerit illum, ſed quia diutius laborare voluiſſet pro ea, quàm carere, ideò dies videbantur, & facilis labor, pro quo tam grata eum merces maneret à Domino præparata.* Eodem ſpectat R. Bechai, qui ita exponit:

ponit: היה ראוי שיהיו בעיני כימים מרובים אבל לענין טורח העבודה אמר כן כי היו אצלו ימים אחדים לא מנין שנים ולא מנין חדשים וכן אמר כי מלאו ימי ולא אמר שנותי וזה להמעיט בעיניו טורח ז' שנים *Erat cur potius illi viderentur dies multi: ſed hoc de ipſa opera & labore miniſterii intelligendum. Pro paucis enim diebus non pro annis, non pro menſibus apud illum fuerunt: quo ſenſu ipſe Jacobus mox Labano ait: Da uxorem meam: quia completi ſunt dies mei, ut ingrediar ad illam. Anni mei non dicit, quò extenuaret magis ſeptennii laborem.* Addimus præterea, videri verba illa כימים אחדים alludere ad illos ימים אחדים *dies paucos*, quos Jacobum commorari cum Labane juſſerat Rebecca Geneſ. XXVII. 44. Ut ita innuat Moſes, ſeptem annorum tempus æſtimâſſe Jacobum pro illis ימים אחדים *paucis diebus*, hoc eſt, exiguo tempore, quod apud Labanem manere juſſus eſt, idque propter rem adeò pretioſam & unicè adamatam, quam hac mora ſibi comparaverat.

VIII. Exacto ſeptennii tempore Jacobus Rachelem Sponſam quam vocat אשת *uxorem* ſuam, quia nempe nuptias conſenſus non concubitus facit; quomodo Sponſæ in Scriptura quamvis nondum nuptæ appellantur uxores, dedi ſibi poſtulat. Hic Laban ille candidus nomine, ſed ater pectore inſignem in re ſacratiſſima dolum admittit. Nam tanquam bona fide gratificaturus, magnam civium Charrenſium partem invitat, & convivium nuptiale inſtruit. Ita enim habetur verſ. 22. *Congregavit Laban omnes viros illius loci,* ויעש משתה *& facit convivium.* Helleniſtæ ita vertunt: ἐποίησε γάμον, *fecit nuptias.* Sed Aquila & Symmachus, ἐποίησε πότον *fecit convivium* uti etiam Onkeloſus, Paraphraſtes Uzielides dictus. Hieroſolymitanus & Arabs. Vulgatus: *vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.* Nocte verò appetente adduci curat in tentorium ejus non Rachelem pridem deſponſam ſibi, ſed Leam, quam ipſe Leam eſſe non cognoverat. Ad fraudis illius, quam Laban frauſus eſt, intelligentiam ritus priſci nuptiales Græcorum, quos haud dubiè à Syris acceperunt obſervandi ſunt. Nam primùm intempeſta nocte in thalamum deducebantur. Deinde Sponſus prior intromittebatur. Poſt adducebatur Sponſa cum luce quidem ad thalami uſque aditum, ſed ita velata, ut à nemine in os videri poſſet. Poſtremò intrudebatur ſine luce in thalamum, & tradebatur viro ad pudoris muliebris & honeſtatis ſignificationem. Hinc factum eſt, ut apud Græcos ipſos alioquin honeſtatis & pudicitiæ malos cuſtodes, poſterus à nupties dies ἀνακαλυπτηρίων diceretur, quia nimirum tum nubes aut calyptra, qua obnubebatur Sponſa, eximebatur, & revelata prodibat in virorum conſpectum. Tales ritus apud Aramæos in uſu fuiſſe olim probabile eſt, quia aliâs commodè Jacobum Laban fallere non potuiſſet.

IX. Jaco-

IX. Jacobus impii Soceri fraude deprehenſa, pro mitiſſimo ingenio ſuo non alia vindicta defunctus eſt, quàm expoſtulatione. *Quid hoc*, inquit, *feciſti mihi? Annon pro Rachel ſervivi apud te? Cur ergo decepiſti me?* verſ. 25. Laban excuſat factum conſuetudine. *Non ita fit*, inquit, *in loco noſtro, ut detur minor ante primogenitam.* Quaſi videlicet non ita convenerit prius, vel Laban eam conſuetudinem, cùm ante ſeptennium paciſceretur Jacobus, ignoraverit. Receperat autem tum conditionem Jacobi ſine omni conditione. Fruſtra igitur & nequiter nunc conſuetudinis obtentu ſe purgat. Perfidiæ huic addidit majorem, quòd filiam Leam alieno, imò ſororis marito proſtituit, adeóque nefarium ſe lenonem geſſit. Neque verò ipſa Lea parentis *πραγματείᾳ* conſentiens à culpa liberari poteſt. Non debuit enim impiæ parentis voluntati morem gerere, quæ Jacobum ſuum maritum non eſſe probè noverat. Mirum verò quòd Joſephus homo Judæus tantam gentis ſuæ Patri injuriam illatam non ſolùm non verbis exaggerat, ſed etiam optimum virum inſimulat, quòd vino & tenebris fallentibus cum Lea congreſſus fuerit; introducítque Labanem paciſcentem initio cum Jacobo de ſeptem annis, non ex avaritia ſed ex prudentia, ut dato virtutis ſpecimine magis cognoſceretur, quinam vir Jacobus eſſet.

X. Mirantur verò nonnulli, quî fieri potuerit, ut Jacobus tota illa nocte in eo verſaretur errore, ut Rachelem eſſe putaret, quæ Lea fuit. Jarchius aliique ex Hebræis fingunt Rachelem à Patre in fraudis conſortium aſcitam, & ab eodem ſubornatam, ſigna quæ à Jacobo acceperat dediſſe ſorori, quò minùs improba machinatio ſuboleret Iacobo. Quaſi videlicet ipſa etiam Rachel nefandi lenocinii fuerit rea; quam credibile tamen eſt doli hujus, vel omnino non conſciam fuiſſe, vel certè maxima cum ægritudine animi eum pertuliſſe. Neque opus eſt longa diſceptatione, quomodo fraudem Jacobus non perceperit uſque ad matutinum tempus. Etenim noctu eam niſi ſermone dignoſcere non poterat. Fieri autem poterat, ut Lea vel ita à parente inſtituta planè non loqueretur, atque id verecundiæ ſignum interpretaretur Jacobus; vel voce non abſimiles eſſent ſorores; vel ſubmiſſè loqueretur Lea, adeóque Jacobi auditum falleret. Quibus rationibus vir antiquæ ſimplicitatis, & priſci integrique moris decipi tantò faciliùs potuit, quantò minorem ſuſpicandi occaſionem ille habuit. Nihil itaque egit Jacobus pro imprudente, quia fraus talis fuit, ut deprehendi facilè non poſſet. Neque etiam opus eſt, ut cum Joſepho dicamus *ὑπὸ μέθης καὶ σκότους ebrietate & tenebris* ſeductum Leam à Rachele diſcernere non potuiſſe. Neque etiam ſtupri aut adulterii labe aſpergi omnino poteſt, quippe qui affectu maritali aliam cognoverit pro ſua.

XI. Frau-

XI. Fraudem ſuam Laban levare conatur oblato etiam altero conjugio Rachelis, quod Jacob ſolum ambiverat, & antecedentis contractus iterata conditione. Hoc nempe intenderat homo avarus, & vaferrimus Euclio. Dicit igitur verſ. 27. מלא שבע זאת ונתנה לך גם את זאת *Exple hebdomadam hujus: poſtea dabimus tibi & hanc pro ſervitute, quam ſervies apud me adhuc ſeptem annos alios.* Ambigunt hîc eruditi, qualis שבע *ſeptimana*, annorum nempe ſervitutis, an feſti nuptialis intelligatur à Labane? Non deſunt ſanè, qui putent, ſtipulatum Labanem his verbis fuiſſe hebdomadam annorum, hoc eſt, ſeptem annos, ante cujus finem Rachelem non duceret. Ita Joſephus: καὶ διελθούσης ἄλλης ἑπταετίας τὴν Ραχήλαν παρέλαβε. *Cúmque tranſiviſſet alterum ſeptennium, Rachelem accepit.* Chryſoſtomus homil. 57. in Geneſin Labani verba hæc tribuit: Λήψῃ δὲ καὶ ταύτην ἣν ποθεῖς, ἐὰν τὰ ὅμοια ἔτη καὶ ὑπὲρ αὐτῆς δουλεύσῃς. Ταῦτα ἀκούων ὁ δίκαιος ἑτοίμως ἅπαντα κατεδέξατο. *Accipies autem & hanc, quam deſideras, dummodo ſimiles annos ſeptem pro ea ſerviveris. Hæc cùm audiviſſet juſtus ille, promptè omnia ſuſcepit.* Verùm hebdomadum annorum mentio non eſt niſi in ſcriptis Propheticis de rebus futuris, non item in hiſtoricis, & ubi de contractibus agitur. Tum ſolennitatem nuptialem definitam fuiſſe tempore hebdomadæ dierum, ſeu ſeptem dierum, ſatis colligi poteſt ex Judic. XIV. 12. Deinde Laban homo callidus hac ratione Jacobum voluit obligare ſervituti, & confirmare ſimul matrimonium, quod noverat ex jure non valere, niſi poſt errorem agnitum accedente conſenſu. Præterea rerum geſtarum ordinem ſatis pandit verſus 30. ubi Jacobus dicitur ingreſſus ad Rachelem, dilexiſſéque eam magis quàm Leam, & ſerviviſſe apud Labanem adhuc ſeptem annos alios. Primò igitur ingreſſus ad Rachelem, poſtea ſervitutem auſpicatus eſt. Denique nec Chronologia ætatis filiorum Jacobi patitur, ut hebdomadam annorum exactam ante initum cum Rachele matrimonium dicamus. Nam ex cap. 30. conſtat, Joſephum natum eſſe anno paternæ ſervitutis decimo quarto, quia poſt natum Joſephum adhuc ſervivit ſex annos. Commorationis autem in Meſopotamia totum tempus fuit annorum viginti. Eſt autem extra controverſiam, Rachelem non peperiſſe Joſephum, niſi diu poſtquam in matrimonio fuerat. Neque enim credibile eſt, Rachelem in ancilla ſua quæſiviſſe ſemen, niſi poſt moram aliquam in matrimonio conſumptam, qua ſterilitatem ſuam experta erat. Cùm autem ex Jacobo nati fuerint duo liberi ante Joſephum, manifeſtè ſequitur, ante exactum illud ſervitutis ſeptennium Rachelem jam in matrimonio Jacobi fuiſſe. Ratum igitur eſto, matrimonium cum Rachele initum eſſe ante initium ſecundi ſeptennii ſervitutis Jacobi. Atque in eo, ſi à Joſepho &

Digitized by Google

Chryſoſtomo diſceſſeris, conſentientes habemus tum Chriſtianos tum Hebræos pleroſque omnes. Manet tamen quæſtio quid per שבע *hebdomadam* intellexerit Laban? Rabbi Nachmanides putat, defuiſſe Jacobo aliquid de primo ſeptennio. Proinde Labanem hortari, ut id quod erat reliquum prius abſolveret, quò ſciatur, unde poſtea initium ſit ſumendum ſecundi ſeptennii, quod pro Rachele pactus fuerat. Atqui Jacobus Rachelem poſcens dixit: *Da mihi uxorem meam,* כי מלאו ימי *quia impleti ſunt dies mei*, verſ. 21. Jam ergo impleverat priorem annorum hebdomadam. Doctiſſimus Mercerus fatetur nobiſcum, matrimonium cum Rachele ſucceſſiſſe ante ſeptennium ſervitutis poſterius. Nihilominus שבע *hebdomadam* interpretatur pro hebdomada prophetica annorum. Sed obſtat, tum quòd in hiſtoricis locutio illa prophetica nuſpiam uſurpatur; tum quòd dicit Laban: *Exple hanc hebdomadam,* ונתנה *& dabimus,* ſeu *poſtea dabimus etiam hanc.* Et ſubjicitur: *Et fecit Jacob ſic. Explevit enim hebdomadam illius* ויתן לו *& dedit ei Rachel filiam ſuam in uxorem.* verſ. 28. Præceſſit expletio hebdomadæ & ſequitur elocatio Rachelis. Omnino igitur per hebdomadam intelligi debet hebdomada dierum, qua celebratum eſt pro more nuptiale convivium. Id expreſſerunt Interpretes Vulgatus & Syrus. Vulgatus enim tranſtulit; *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ.* Syrus verò: שלם משתותא דהדא *Perfice convivium iſtius, & dabo tibi etiam illam pro opere quod ſervies apud me adhuc ſeptem annis aliis.* Hieronymus in quæſt. Hebraicis: *Poſtquam Lea Jacob fraude deceptus pro Rachel uxorem acceperat: dicitur ei à Socero Laban, ut ſeptem dies poſt nuptias ſororis prioris expleat, & ſic accipiat Rachel, pro qua iterum ſeptem annis aliis ſerviturus ſit. Non igitur, ut quidam malè exiſtimant, poſt ſeptem annos alios Rachel accepit uxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum uxoris primæ.* Auguſtinus quæſt. 89. ſuper Geneſin: *Quòd itaque ait: Conſumma ſeptimanam iſtius, ad nuptiarum celebrationem pertinet, quæ ſeptem dies celebrari ſolet. Hoc itaque ait: Imple dies nuptiarum ſeptem, pertinentes ad iſtam quam duxiſti, & dabo tibi & hanc pro eo, quod operaberis apud me adhuc ſeptem annos alios.* Ita etiam Thargum Hieroſolymitanum, Abenezra, Jarchius, Seder Olam, R. Eliezer, Uzielides, quos citat ὁ πάνυ Seldenus de J. N. & G. Hebræorum lib. v. cap. v.

XII. Labanis quamvis iniquæ conditioni & petitioni calculum addidit Jacobus. *Nam fecit Jacob ſic. Explevit enim hebdomadam illius: dein dedit ei Rachel filiam ſuam in uxorem* verſ. 28. Utrique huic uxori Laban conjunxerat ancillas: Leæ nimirum: את זלפה *Zilpam*, Racheli verò את בלהה *Bilham.* Joſephus æmulatus pro natalibus Patriarcharum eas fuiſſe ait δούλας μὲν οὐδαμῶς *nequaquam ancillas, ſubditas tamen.* Quaſi videlicet ingenuæ fuerint,

rint, quas tamen ubique Scriptura משפחות *ancillas* vocat, quæque pretii loco & quaſi in partem dotis Racheli & Leæ datæ fuerunt. Neque apparet libertate eas donatas eſſe, quando filiabus à Labane conceſſæ ſunt. Sic enim non filiabus, ſed ancillis gratificatus eſſet. Vanum etiam eſt, quod Author Teſtamenti Patriarcharum Bilham filiam Rhetæi, fratris Deboræ, nutricis Rebeccæ, quæ eadem die, qua Rachel, nata fuerit. Fuiſſe autem Rhetæum de genere Abrahami Chaldæum, Deum venerantem, liberum & nobilem, quem captivum emerit Laban, eíque ancillam ſuam Evam in uxorem dederit. Miror nugas has placuiſſe Saliano, qui tamen in Joſephum, ſi quid ille afferat nulla authoritate munitum, ſe acerbiſſimum iniquiſſimúmque gerit.

XIII. Hîc igitur Jacobum Scriptura nobis ſiſtit polygamum. Nam duas uxores in matrimonio retinuit; neque duas uxores duntaxat, ſed duas uxores ſorores. Imò ſuperinduci paſſus eſt duas ancillas, Zilpam nimirum & Billham, ex quibus Patriarchas genuit. Non eſt nobis hoc loco animus repetere ea, quæ adverſus polygamiam diximus alibi. In univerſum id verum eſſe & dignum obſervatu putamus, aut impios homines authores fuiſſe polygamiæ, aut pios infirmitate fidei lapſos. Repugnavit enim naturali juri, quòd deſcriptum à Moſe Geneſ. II. 24. accuratiſſimè perſequitur Propheta Malachias capite II. Sed & in eo, quòd duas ſorores duxit, à communi jure naturæ exorbitavit. Proinde non aſſentimur vel Luthero, qui non moralibus, ſed heroicis exemplis, quæ legis regulam ſine peccato perrumpunt, nec poſt ſe exempla relinquunt, deputandum eſſe hoc Jacobi conjugium cenſet; vel Martyri, Pellicano, aliiſque, qui eo tempore fuiſſe hujuſmodi rem liberam & ἀδιάφορον putant. Neque etiam rectè fecit Bellarminus, qui lib. de Matrimonio cap. 17. ex his Jacobi cum duabus ſororibus nuptiis concludit, gradus cognationis & affinitatis prohibitos in Levitico non pertinere ad commune jus naturæ, aut ad legem divinam, ad quam omnes obligantur, ut nimirum Pontificis ſui poteſtatem extendat in diſpenſationibus. Atqui peccâſſe Jacobum, & à lege communi poſtea lege Moſis ſtabilita deflexiſſe nulli dubitamus. Objicit quidem Bellarminus, potuiſſe quidem Patriarchas ut homines aliquando peccare, tamen perpetuò in peccato manere non eſſe Sanctorum. Quo quidem cum nodo non eadem ratione luctantur Theologi. Reſpondent nonnulli, verum non eſſe, amicos Dei receſſiſſe ab omnibus peccatis, & nonnullos Judæorum Reges ut Aſam & Joſaphatum ita laudari, ut *qui cor integrum habuerint coram Domino*, de quibus tamen additur, *quòd excelſa non abſtulerint*. Cl. Rivetus aliam inſiſtit viam reſponſionis. Putat enim, interceſ-

Digitized by Google

terceſſiſſe divinam diſpenſationem, & conſcientiam Jacobi duas illas ſorores in eodem thalamo retinentis, in ea diſpenſatione ſingulari revelatione divina inſinuatâ acquieviſſe. Verùm cùm naturalis lex ſit ſanctitatis divinæ expreſſa imago, non libenter diſpenſationem ejuſmodi Deo tribuo. Potius eſt, ut dicamus Patriarchis, ac in ſpecie Jacobo conjugia ejuſmodi naturali legi repugnare, non innotuiſſe. Talis enim hæc lex eſt, quæ poſt obliteratam primævam inſtitutionem in animis etiam fidelium obſoleſcere potuit, cùm nec principium ſit legis naturalis, nec concluſio ἀμέσως à principiis emanans, ſed paulò ab iis remotior. Quòd ſi igitur Jacobo non innotuit diſtinctè, peccatum eſſe, quòd admiſit, cenſendus eſt pœnitentiam egiſſe generalem & implicitam, juxta formulam Pſal. xix. 13. *Errores quis intelligat? ab occultis libera me Domine.* Sunt etiam alia, quæ Jacobi cum duabus ſororibus matrimonium contrahentis culpam nonnihil imminuunt. Inter quæ potiſſimum illud eſt, quod etiam P. Martyr monet, non à libidine aut petulantia id proceſſiſſe, cùm ille unam duntaxat petiiſſet, atque in unam conſenſiſſet: habuiſſe autem duas, quia ſoceri improbitate altera obtruſa fuerit. Ex reliqua etiam vita & moribus Jacobi ſuppetunt argumenta, quibus adverſus Fauſti Manichæi criminationes, quaſi libidine incitante conſenſiſſet in polygamiam cum duabus ſororibus eum vindicari poſſe cenſemus. Etenim ultra octoginta annos cælebs vixerat, neque ullius tamen in Scriptura intemperantiæ inſimulatur. Uxorem duxit non pro lubitu, ſed in eo paternæ voluntati dicto audiens fuit. Sponſus fuit integros ſeptem annos,& quamvis ardentiſſimè Rachelem diligeret & hæredum promiſſorum ac hæreditatis recordatio haud dubiè animum ejus ſubiret, non ſuſtinuit tamen nuptias urgere ante exactum plenè ſeptennium. Unde ſatis patet, non eſſe eum inſimulandum flagitii, ſed neceſſitatis telum eum adegiſſe, cui adjungi poteſt mira in patribus illis ad procreandos liberos propenſio. Vide etiam ea de re diſſertationem Auguſtini contra Fauſtum Manichæum lib. xxii. 47, 48.

XIV. Sic igitur poſt geminas celebratas nuptias cum utraque conjuge Lea & Rachele vixit Jacobus, & ſervitutis ſuæ annos ſuſtinuit. Gravibus tamen cum incommodis conflictatum eſſe prodit hiſtoria, qui amorem ita partiri non potuerit, ut una non præferretur alteri. Hinc dicitur ipſum poſt adeptam Rachelem eam dilexiſſe impenſiùs, idque מלאה *præ Lea ſorore* verſ. 30. Vulgatus: *Amorem ſequentis priori prætulit.* Imo Leam fuiſſe שנואה *exoſam* Jacobo, dicitur verſ. 31. Quod quidem accipiendum non abſolutè, quaſi odio habuiſſet Leam, ſed συγκριτικῶς ſeu *comparatè* ad Rachelem, quòd minùs Leam dilexerit quàm Rachelem. Quæ explicatio fluit ex verſu

Digitized by Google

verſu præcedente, ubi Rachelem dicitur dilexiſſe Jacobus præ Lea. Unde etiam Kimchius notat, non tam odium hîc notari quàm amorem remiſſiorem. Sed Deus ex ſingulari miſericordia temperamentum attulit utiliſſimum. Cùm enim Rachelem dilexiſſet ob elegantiam, ut amoris argumentum etiam Lea haberet, Deus יפתח את רחמה ורחל עקרה *aperuit vulvam ejus, & Rachel erat ſterilis.* Sic igitur Leam etſi initiò contemptam, ob fœcunditatem nunc amabilem reddit. Author libri מעשה תורה citans hunc locum, tres claves Dominum ſibi retinuiſſe docet, vitæ, pluviarum, & reſurrectionis. Verba ejus ſunt שלוש מפתחות לא נמסרו ביד שליח ואלו הן של חיה ושל גשמים ושל תחיית המתים׳ של חיה דכתיב יפתח ״ לך את רחמה של גשמים דכתיב יפתח ״ לך את אוצרו הטוב של תחיית המתים דכתיב וידעתם כי אני ״׳ בפתחי את קברותיכם *Tres claves non ſunt datæ ulli legato Dei: Sunt autem hæ, clavis vitæ, clavis pluviarum, & clavis reſurrectionis mortuorum. Clavis vitæ, ſicut ſcriptum eſt:* Et aperuit Dominus vulvam ejus. *Clavis pluviarum, ſicut ſcriptum eſt:* Aperiat tibi Dominus theſaurum ejus bonum. *Clavis reſurrectionis mortuorum, ſicut ſcriptum eſt:* Ego Dominus aperiens ſepulchra eorum. In Thargum verò Hieroſolymitano ad Geneſ. xxx. 22. habetur, quatuor claves eſſe in manu Domini, quas non tradiderit ulli vel Angelo, vel Seraphino, nempe מפתח מטרא *clavim pluviæ* כפתח פרנסא *clavim ſuſtentationis* מפתח קבריא *clavim ſepulchrorum*, & מפתח עקרתא *clavim ſterilitatis.* Pro עקרתא in Thargum Jonathæ Deut. xxviii. 12. habetur רחיתא *partus* ſeu *parturientis.* Deſumpta ſunt hæc ex Thalmudicis, libro Taanis cap. 1. & Sanhedrin fol. 113. Aptè ſatis innuit, fœcunditatem inter alia eſſe ſingulare donum Dei, quod etiam Jacobus palam profitetur poſtea cap. xxx. 2. Sic igitur per vices Jacobo filios pepererunt Lea, Billha, Zilpa, Rachel. Lea ei peperit Patriarchas quatuor, Ruben, Simeonem, Levi & Judam. Ancilla Rachelis Billha duos, Danem & Nephtalim. Ancilla Leæ Zilpa Gad & Aſer. Lea Iſſchar, Zabulon & Dinam. Rachel denique Joſephum & Benjaminem. Intra ſeptem annos decem liberorum proventus Jacobo fuit. Id quomodo factum fuerit, oſtendit Petavius *de Doctrina Temporum* lib. ix. 19. & nos fuſè inferiùs, ubi de duodecim Patriarchis.

XV. Poſt toleratam diutinam nempe 14 annorum ſervitutem & ancipitem in Meſopotamia fortunam, cùm nuntius promiſſus à matre non ſequeretur, ipſe tandem de reditu cogitat, tum deſiderio parentum, tum ſervitutis tœdio, nec non avaritiæ & fraudulentiæ ſoceri. Interim non vult abire inſalutato hoſpite. Sic igitur compellat ſocerum Geneſ. xxx. v. 25, 26. *Dimitte me, ut abeam ad locum meum, & ad terram meam. Da*

mihi uxores meas & liberos meos, pro quibus ſervivi apud te. Tu enim nôſti ſervitutem meam quam ſervivi tibi. Liberam petit dimiſſionem, neque aliud donativum, quàm uxores & liberos. Quid ad hæc Laban? Conatur eum retinere, non propter amorem filiarum, & virtutes Sanctiſſimi viri, ſed privatum commodum. *Si nunc inveni gratiam*, inquit, *in oculis tuis* נחשתי (*Expertus ſum, quòd benedixit mihi Jehova propter te.*) *Dixit inquam* נקבה שכרך עלי *conſtitue mercedem tuam mihi, & dabo eam* verſ. 27,28. Nihil eſt in his verbis candidi pectoris. Primò ſerviliter & ineptè eum obteſtatur: *Si inveni gratiam in oculis tuis*, hoc eſt, ſi me amas, ſi tibi ſum gratus. Deinde ut ad deſiderium ſuum flecteret Jacobum, dat auribus ejus id quod res erat, nempe ſe ex ejus famulitio divinam benedictionem conjectâſſe. Verbo utitur נחשתי quod Vulgatus reddit: *Experimento didici.* Græci: *οἰωνισάμην ἄν Auguratus ſum utique.* Thargum Onkeloſi, נסיתי *expertus ſum.* Ita etiam Syrus & Arabs. Bibliander in M. S. vertit: *Serpentinavi*, id eſt, *exactè, aſtutè, diligenter, more ſerpentum inſpexi tua negotia, & facilè tuam fidem ac induſtriam animadverti.* De experientia per Teraphim ſeu divinatione videtur hoc accepiſſe Abenezra. Sic enim ſcribit נחשתי כמו נסיתי כי הולך היה לקראת נחשים ויש לו תרפים *Et auguratus ſum*, ſicut נסיתי. *Uſus enim erat divinationibus, & erant ei Teraphim.* Quicquid verò de hoc fiat, agnoſcit, ob Jacobum Deum ſibi benedixiſſe. Propterea ut pro mercede ab ipſomet conſtituenda maneat, inſtanter petit. Jacobus petitionem rejicit humaniſſimè. *Tu nôſti*, inquit, *qualiter ſervierim tibi, & quantus fuerit grex tuus mecum.* Nam paucum erat quod habebas ante me, & crevit vehementer, benedixitque Jehova tibi לרגלי ad ingreſſum pedis mei. Nunc autem quando operabor etiam ego pro domo mea? verſ. 29. 30. Aperta eſt ejus ſententia. Pro לרגלי habent Græci: *εὐλόγησέ σε ὁ Θεὸς ἐπὶ ποδί μου, benedixit tibi Dominus in pede meo*, hoc eſt, quocunque greſſum tuli. At Thargum Onkeloſi ſimpliciter: בריך יי יתך ברגלי *Benedixit tibi Dominus propter me.* Ita etiam Arabs & Syrus. Senſus Jacobi omnino eſt, quamprimum in familiam Labanis Jacobus pedem intulit, Deum ei benedicere cœpiſſe. Atque ita rectè explicat Abenezra: והטעם כי התברכתה כשעה שבאתי לביתך *Senſus eſt, te benedictum fuiſſe inde ab ea hora, qua in domum tuam veni.* Neque malè Jarchius בשביל ביאת רגלי באת אצלך הברכה *Propter ingreſſum pedis mei ingreſſa ſimul eſt ad te benedictio.* Talis ergo erat Jacobus, ut quocunque ſe conferret, divinam benedictionem comitem haberet. Tales erant, quos *Namphaniones* lingua Punica dictos teſtatur Auguſtinus Epiſt. 44. *Boni pedis*, ut ait, *homines, quorum adventus aliquid affert felicitatis; ſicut ſolemus dicere, ſecundo pede introiſſe, cujus introitum felicitas aliqua conſecuta ſit.* Confert Virgilium,

qui

Digitized by Google

qui Herculum ad ſacra, quæ illi & Evandro celebrantur, invitat hoc modo: *Et nos, & tua dextero adi pede ſacra ſecundo.* Sed vocem eam *Namphanio*, quam *boni pedis* hominem ſignificare notat Auguſtinus, leviter corruptam eſſe, & ἀντὶ τοῦ *Namphanio*, reſcribendum eſſe *Namphamo*, quod eſt Punicè ſive Hebraicè נעם פעמו *pulcher eſt pes ejus*, obſervavit doctiſſimus Samuel Petitus Miſcell. lib. II. 36. & poſt ipſum Bochartus Geograph. S. lib. II. 16. Talis Namphamo erat Jacobus, in quo impletum illud Davidis de homine juſto Pſal. I. 3. *Quicquid facit proſperabitur.* Cùm verò propter ipſum Labani proſperrima quæque divinitùs evenerint, æquiſſimum eſſe & naturæ ipſi conſentaneum, ut ſuæ jam familiæ proſpiciat Jacobus monuit. Nam tot habebat jam uxores & liberos, & filius erat opulentiſſimi patris, conſtitutus hæres omnium. Non igitur ſibi vivendum eſſe ſecurè, nec curam omnem conjiciendam in patrem exiſtimat.

XVI. Ad hanc modeſtam æquiſſimámque excuſationem inſtat Laban, cui proinde inito cum eo novo pacto gratificatur Jacobus, uti erat optimus & benigniſſimus. Optionem ei faciebat conſtituendæ ſibi pro ſervitio novo mercedis Laban. מה אתן לך *Quid dabo tibi* inquit verſ. 32. Jacobus præcavens ſibi à ſoceri avaritia tot jam experimentis cognita, non indicit mercedem ullam pecuniariam, ſed ex divina revelatione novum genus mercedis petit à ſocero, quod ex ſola benedictione Dei pendeat, quia vix Jacobo de juſta mercede cum avaro Socero conveniſſet. Curaturum igitur ſe greges Soceri ſpondet, ſed conditione certa. Conditio hæc erat, ut ex gregibus ſuis educat & ſeparet, aliiſque paſtoribus committat omnes oves & capras fuſcas maculatas & notulis variegatas: ſibi verò relinquat cæteras unicolores, puta totas albas vel totas nigras. Ex unicoloribus autem quicquid poſtea naſcetur variegatum pro mercede cedat Jacobo: quicquid nigrum vel album ſeu unius coloris, id maneat Labani. Verba Jacobi ſunt verſ. 32, 33. *Tranſibo per omnes oves tuas, hodie, removendo inde* כל שה נקוד וטלוא וכל שה חום בכשבים וטלוא ונקד בעזים *omnes oves varias & ſparſo vellere: & quodcunque furvum & maculoſum variumque fuerit tam in ovibus, quàm in capris, erit merces mea. Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te. Et omnia quæ non fuerint varia & maculoſa, & furva tam in ovibus quàm in capris, furti me argues.* Ita Vulgatus. Helleniſtæ verò: Παρελθέτω πάντα τὰ πρόβατά σου σήμερον, καὶ διαχώρισον ἐκεῖθεν πᾶν πρόβατον φαιὸν ἐν τοῖς ἀρνάσι, καὶ πᾶν διάλευκον καὶ ῥαντὸν ἐν ταῖς αἶξιν, ἔσται μοι μισθός: &c. *Tranſeant omnes oves tuæ hodie, & ſepara inde omnem ovem fuſcam in agnis, & omne ſubalbum, & ſparſum in capris. Erit mihi merces.* Thargum Onkeloſi: אעבר בכל ענך יומא דין אעדי מתמן כל אימר נמור ורקוע וכל אימר

אמר שהום באבריא ורקוע ונמור בעזיא ויהי אגרי *Tranſibo per univerſas oves tuas bodie. Auſer inde omnem agnum varium & ſparſo vellere, & omnem agnum nigrum in agnis, & ſparſum & maculoſum in capris. Et hoc erit merces mea.* Syrus: איעבר בכלה ענך יומנא ואפרוש לי מן תמן כל כדא דקיח ופיסני וכל אמרא דכם בחורתא ופיסכי וקרח בעזי ונהוא אגרי *Tranſibo per totum pecus tuum hodiè, & ſeparabo mihi inde omnem agnum carentem cornibus & verſicolorem, omnémque agnum nigrum cum albedine, & verſicolorem atque carentem cornibus in capris. Eritque merces mea.* Arabs: אמר אליום בינמן ואעזל מנהא כל מער כנקט ואבלק וכל שא חמא פי אלצאן ואפלק ובנקט פי אל מעז ויכון דלך אגרתי *Tranſibo hodie per oves tuas, & ſeparabo ab eis omnes capras coloratas & maculoſas, & omnem ovem verſicolorem in ovibus & maculoſam, & punctis reſperſam in capris. Eritque id merces mea.* Sed ſingulæ voces nunc paucis explorandæ. Petit Jacob removeri primò כל שה נקוד *omne pecus*, ſeu *omnes oves* נקוד. Hebræis נקוד propriè eſt στικτὸν *punctatum* à נקד στίζειν *pungere*, vel *puncta adſcribere in Magiſtrorum ſcriptis*. Ita Cant. I. v. II. נקודות ſunt στίγματα, *puncta*. Itaque etiam hoc loco Labanis gregum epitheton נקוד rectiùs tranſtuliſſent στικτὸν, quàm ῥαντὸν *aſperſum* aut *inſperſum maculis*, aut ποικίλον *varium*. Maximè cum à Græcis στικτὰ & κατάστικτα, *compuncta* dici ſolebant, quæcunque animalia varia ſunt & maculoſa. uti pluribus locis probat Bochartus Hieroz. p. I. lib. II. 45. Hebraiſmi elegantiam optimè expreſſit Arabs, qui pro נקד habet מנקט vocem tum notionis tum originis ejuſdem cum Hebraica. Punctum enim ut Hebræis נקודה ſic Arabibus נקטה *Daleth* & *Ta* permutatis dicitur. Ex נקטה formatum מנקט notat κατάστικτον *compunctum*. Vulgatus reddit *varium*; Onkeloſus, Jonathan, Samaritanus נמור quaſi dicas παρδάλειον aut παρδαλωτὸν, *pantheræ in modum varium & maculoſum*. Hieroſolymitanus & Syrus pro נקד habent קרוח & קרח quod *excornem*, ſeu *carentem cornibus* vertunt Gabriël Sionita, Johannes Baptiſta Ferrarius, Thomas à Navaria, alii Scriptores. Utque ita verterent inducti videntur, quòd ex Thalmudiſtis, aliiſque animadverterent, קרח *glabrum*, adeóque *calvum* propriè ſonare. Potuerunt igitur קרח uſurpare pro *excorni*, prout agni aut capri glabra frons cornutæ arietis aut hirci fronti opponitur. Hîc verò nihil tale innuit Laban. Proinde Syrus voce קרח intellexit *arietem* aut *hircum*, *cujus albæ maculæ vel in fronte, vel toto corpore ſparſæ calvarium imitantur*. Hactenus de voce נקד. Altera vox eſt טלוא quam Hebræi omnes explicant *magnis maculis*, ut נקוד *pannis* ſive *punctis aſperſum*. Eſt enim טלה propriè *conſuere ex multis pannis & coloribus*, quomodo cento conſui ſolet. Ezech. XVI. 16. *Sumpſiſti de veſtibus tuis & feciſti tibi* במות טלואות *excelſa*, ſeu *aras multicolores*, hoc eſt, *variis pannis, & multorum colorum illuſtratas*. Aquila

&

& Theodotio tranſtulerunt ἐμβαδίσματα, hoc eſt, *diverſos pannos hinc inde conſutos*, quaſi veſtimentum πολύῤῥαφον. Sunt igitur oves ſeu capræ טלואה *quæ maculas habent aſperſas*, aut *tanquam aſſutas*, ut in centone particulas & aſſumenta. Sed plerique maculas intelligunt albas. Ita Onkeloſus vertit רקוע, Arabs אבלק & כובלק *latera alba habens*, Græci διάλευκον, quod non *ſubalbum*, ſed *in medio album*, cùm extrema ſint diverſi coloris, notat. Eſt enim idem quod μεσόλευκον. Proinde ovis διάλευκος eſt, quæ in nigro aut rufo vellere modicas habet maculas albas. Quod ipſum ab Hebræis voce טלוא ſignificatum. Symmachus λευκόποδας, *albos pedes habentes* reddit. Reſtat חום quod *fuſcum* notat, à חמם quod Hebræis & Arabibus eſt *calere* aut *calefacere*; ſed Arabibus inſuper in conjugatione ſecunda & quarta *denigrare*. Unde אחם notat *nigrum*. Et Ægyptii, teſte Plutarcho in Iſide τὸ μέλαν ἐν ὀφθαλμῷ vocant χημία *Chemia*. Hinc eſt, quòd tum Syrus אכם tum Chaldæus שחום *nigrum* hoc loco reddunt. Sed rectiùs Græci φαιὸν *fuſcum*. Additur verſ. 39. aliud ovium diverſi coloris Synonymon. Fit enim ibi mentio etiam עקדים quæ vox derivata à עקד *ligare*, non quidvis, ſed ovem tondendam aut mactandam ſignificat. Quia porro vel mactandum vel detondendum pecus pedibus vincire moris erat, inde עקדים explicat R. Solomon משונים במקום עקידתם ים קרסולי ידיהם ורגליהם *varios in loco ligationis, id eſt, in malleolis anteriorum & poſteriorum pedum.* Ita etiam Kimchius, Pomarius & Hebræorum alii. Neque aliud voluit Onkelos, qui vertit רגולין *pedibus varios, faſciatos*. Nunc igitur Jacobi petitio nullo negotio intelligi poteſt. Petit nempe à Labane, ut ex omnibus gregibus ſuis amoveat כל שה נקד *omne pecus*, nempe ſive oves ſive capras, *punctatum*, ſeu maculis parvis reſperſum, וטלוא & *maculis ſeu coloribus latis* vel *albis conſperſum*; inter oves כל שה חום *omne pecus fuſcum*, inter capras טלוא ונקוד *maculis latis* ſeu *albis & punctis conſperſum*. והיה שכרי *& erit merces mea*. quaſi diceret: pecudes quæ iſtis ſimiles poſthac naſcentur, mihi cedent mercedis loco. Quæ alba & unius coloris provenient, tua: quæ multicoloria ac variegata, mea erunt. Verſus ſequentis 33 ſenſus hic eſt: Si quando rationem habere volueris mercedis, quam mihi ex pacto ſumpſerim, videbis nihil omnino me in grege meo habere præter id, quod ex pacto mihi debebitur, pecora nimirum fuſca, punctata maculoſa, ex unicoloribus mihi demandatis nata. Si quid igitur reperies in grege meo non fuſcum, non punctatum, non maculoſum, non prohibebo, quò minùs furti me reum peragas. Quòd ſi verò non alia in grege meo deprehenderis pecora, quàm variegata ejuſmodi, utique וענתה בי צדקתי לפניך *teſtificabitur de me juſtitia mea coram te*, adeóque abſolves me, & agnoſces in eo me juſtè ambulâſſe.

Digitized by Google

bulâſſe. Proinde juſtitiam prædicat non perſonæ ſed cauſæ ſuæ, non coram Deo, ſed coram hominibus. Quæ expoſitio anſam præripit illis, qui hîc de merito Jacobi diſputant.

XVII. Quæri hîc poſſit, prudentérne fecerit Jacobus, qui ſub conditione mercedis incertæ hac pactione Socero ſe denuo obligaverit? Quid enim, annon præſtabat paciſci de certo aliquo ſtipendio? Annon hæc ipſa incerta mercedis conditio induxit poſtea Labanem, ut toties conditiones immutaret? Cùm enim incertus eſſet eventus, hominum ratione, viderétque creſcere quotidie mercedis pretium, conditiones pacti invertit toties, quod caveri poterat hac ratione, ſi definitam mercedem petiiſſet Jacobus. Verùm imprudentiæ Labem Jacobo aſpergi nullam poſſe cenſemus. Etenim cùm toties jam Labanis fraudes expertus eſſet, neque poſſet amplius ei confidere, integrum ei non fuit de certa aliqua mercede paciſci, quæ aliunde quàm ex proventu ovium veniret, ut ſperare poſſet, ſibi à Labane eſſe reddendam ſine contentione. Cùm igitur eo in loco verſaretur, in quo ab omni auxilio humano deſtitutus eſſet, maluit omnia ſua Deo ſimpliciter committere, quàm denuo Soceri perfidiam & inclementiam experiri. Si ex grege certum petiiſſet ſingulis annis numerum, difficiliorem ſe Laban præbuiſſet. Eam ergo elegit conditionem, in qua acquieturum ipſum ſperare potuit, quippe ejus opinione incertam, & ſi maximè certa foret, exiguam. Interim certa fide ſibi pollicitus eſt, Deum, cujus largiſſima hactenus benedictione fruebatur, ejuſmodi mercedem ſibi conceſſurum, quæ laboribus ejus utcunque reſponderet. Noverat enim Deum eſſe ſuorum vindicem, & memor erat promiſſionum Dei & ſingularis ejus curæ ac protectionis.

XVIII. Conditionem à Jacobo oblatam avarus Laban primùm apud ſe expendit: deinde probat voto: poſtremò confirmat, ut ratus inter ipſos contractus haberetur. Dicit enim: הן לו יהי כדברך *Ecce! utinam ſit ſecundum verbum tuum,* verſ. 34. Cogitavit nempe ex unicolore grege diſcolores fœtus pauciſſimos orituros, quia colores ferè corporis ſequuntur temperamentum, quod plerumque à parentibus propagatur in ſobolem. Unde Poëta: *Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos* &c. Igitur ſepoſuit procul nimirum דרך שלשת ימים *itinere trium dierum interpoſito*, varias pecudes à reliquo grege unicolore. Et gregem quidem variegatum ſeu diverſicolorem filiis ſuis, unicolorem verò Jacobo paſcendum commiſit. Hanc diſtributionem quamvis tum textus Hebraicus, tum res ipſa poſtulat: tamen Vulgatus Interpres inſigni errore verſ. 35. Labanem gregem unicolorem, id eſt, albi & nigri velleris tradidiſſe in manum filiorum ejus, habet.

Digitized by Google

habet. Quem quidem notorium à veritate Hebraica & re ipſa diſſenſum fruſtra figmentis ſuis & undique conquiſitis ratiunculis palliare conantur Vulgatæ verſionis hyperaſpiſtæ, qui tamen ipſi parum inter ſe amicè conveniunt. Alii nempe per *filios* quibus unicolores traditas Vulgatus habet, Jacobi non Labanis filios intelligunt. Quaſi videlicet pueri Jacobi, quorum primus natu ſextum forte annum attigerat, gregibus paſcendis præfecti eſſent. Alii hyſtorologiam fingunt, aſſerentes, greges unicolores filiis Labanis datos intelligi non in prima illa diſtinctione poſt pactum, ſed poſt ovium partum, cùm iniit rationem cum Jacobo. Tunc enim accepiſſe eum novas pecudes unicolores, & filiis ſuis paſcendas tradidiſſe. Ita Pererius. Sed Cornelius à Lapide ſolutionem hanc *duram & diſtortam* vocat. Agitur enim manifeſtiſſimè de prima executione pacti, & diſtributione gregis pactum à Labane initum confirmante. Cornelius à Lapide aliam ſectatus eſt rimam elabendi. Nempe Jacobo quidem datas fuiſſe oves ait unicolores; ſed Labanem ei adjunxiſſe filios ſuos, ne Jacobus dolo contra pactum, oves unicolores clanculum ſubduceret. Sed reperit quod pueri in faba. Jacobus in pacto juſtitiam ſuam, non filiorum Labanis teſtificari voluit. Si præſto fuerunt Jacobo filii Labanis, quo pacto virgarum artificio uti potuit? Addo nec Hebræorum textum, nec Vulgatum Interpretem dicere, greges unicolores, Jacobo & filiis Labanis unâ datos eſſe: ſed Hebræum, greges diſcolores, Vulgatum greges unicolores traditos eſſe *filiis* ſolis nempe, Labanis. Aliam ſolutionem commentus eſt Marius, aliam Bonfrerius, aliam alii. Denique ita anxiè ſe torquent, ut non poſſim non eorum miſereri, qui contra apertam textus Hebræi veritatem ſine ulla alia idonea authoritate tam liberè nugari, & neſcio quas in latebras ſe abdere, quàm veritati herbam porrigere malint.

XIX. Cœterùm poſt initum pactum, & factam diviſionem unicolorum à diverſicoloribus, Jacobus ut in fœtura gregum Labanis quicquid erat eximium, ad ſe transferret, triplici arte uſus eſt. Primò enim virgis ſumptis ex arboribus, quæ in illis locis ſuppetebant, earum amovit corticem per certa intervalla uſque ad alburnum, quod apparens inter eminentem corticem fuſcum, diſcolores virgas efficiebat. Has virgas ſic adaptatas aquarum canalibus, ipſe admiſſuræ tempore circumpoſuit, ut ex earum aſpectu matres fœtus diſcolores conciperent, & ſuo tempore in lucem ederent. De eo ſic Moſes ויקח לו יעקב מקל לבנה לח ולוז וערמון ויפצל בהן פצלות לבנות מחשף הלבן אשר על המקלות: ויצג את המקלות אשר פצל ברהטים בשקתות המים אשר תבאן הצאן לשתות לנכח הצאן ויחמנה בבאן לשתות: Quæ verba ſic tranſtulit Vulgatus: *Tollens ergo Jacob virgas populeas virides & amygdalinas,*

nas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerunt, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent, verſ. 37, 38. In Hebraico textu omnino enodanda nonnulla ſunt. Tres virgas variegatas confeciſſe dicitur Jacobus. Prima fuit מקל לבנה לח quod Vulgatus reddit *virgas populeas virides*. Sed Helleniſtæ ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν *virgam ſtyracinam viridem*. Eſt autem Græcis στύραξ non tantùm cuſpis teli ſeu haſtæ, ſed etiam arbor Syriæ, quæ malo Cydonio fertur eſſe ſimilis. cujus etiam lachryma vocatur στύραξ, & unguentum ex ea confectum στυράκινον μύρον, apud Dioſcoridem. Onkeloſus cum Vulgato reddit חוטרין דלבן *virgas populeas*. At Syrus in genere אכתא וורתא *virgas candidas humidas*; Arabs עצי לבני רטב *baculos Libani humidæ*. Notat verò propriè לבנה arborem, quæ habet *album* corticem. qualis populus alba vel betula eſt. Secunda virga erat מקל לוז Pro לוז amygdalinam habent Vulgatus, Onkeloſus & Syrus. At Græci reddunt *καρυΐνην nucinam*. Ita etiam Arabs. Gloſſ. Philonis in nomine de Jeſu Nave: *Luza amygdalon licet quidam interpretentur κλοιὸν torquem videlicet damnatorum, quam vulgò bojam vocant*. Et ſanè Arabibus לוזה *amygdalum & amygdalam* notat. Tertia denique virga vocatur מקל ערמון Vulgatus vocat *virgam ex platanis*. Ita etiam ῥάβδον πλατάνου *virgam platani* convertunt Græci. Et Onkeloſus virgam דדליב reddit. Id Fagius interpretatur *virgam caſtaneæ*. Rectiùs alii virgam *platani*. Idque docent ex lingua Arabica, in qua ea arbor vocatur דולב *Dulb*: quæ vox extat hodiéque apud Stephanum Arabicarum vocum collectorem, & in Pandectis Medicinæ. R. Solomon Jarchi ſcribit, in lingua Magiſtrorum hanc arborem vocari דולפי quod literis inverſis videtur idem eſſe quod דלוב Beth in Phe verſa. Syrus tamen & Arabs *populeam* hîc interpretantur. Sed potiùs eſt, ut ערמון *platanum* exiſtimemus, ob authoritatem antiquiſſimorum Interpretum. In his virgis tribus ſeu trium generum Jacobus יפצל פצלות לבנות ἐλέπισε λεπίσματα λευκὰ *decorticavit decorticationes albas*. Sunt nempe פצלות id quod remanet detracto cortice, quod in his virgis album erat. Hoc ergo fecit Jacobus, virgas illas variavit, partem corticis tollendo, alia manente, ita ut partim virides manerent, partim albæ. Proinde in iis imitatus eſt varietatem illam, quæ in ovibus mixti aut varii coloris cernitur. Atque ita virgis illis in aqualicolis depoſitis, cùm incaleſcerent, & inirentur oves, videntes has virgas diverſicolores, ſimilem colorem fœtibus ſuis imprimebant. Hæc prima Jacobi ars fuit. Huic ſimilis altera fuit, quòd poſtquam

res

Digitized by Google

res ſucceſſiſſet, & hac arte agni maculoſi nati eſſent aliquammulti, illos à reliquo grege ſejunctos, & in unum collectos, Labanis ovibus ſemper objiciebat, ut fœtas matres feriret perpetuum hoc objectum, & ad agnos ſimiles procreandos induceret. Ita in grege curabat, ut antecederent perpetim diverſicolores & ſequerentur unicolores, ut illi his in oculis ſemper verſarentur, hi verò illis nunquam, ne earum aſpectu conciperent unicolores venturas in partem Labanis. Tertia ars in eo fuit, quòd virgas non appoſuerit niſi habitioribus & vegetioribus Labanis ovibus, cœteris ideò neglectis, ut ne ſibi parerent, ſed potiùs Labani. *Fuitque*, inquit Moſes, *ut quandocunque incaleſcerent oves* המקשרות *fortiores, poneret Jacob virgas illas in oculis ovium in canalibus, ut incaleſcerent ad virgarum aſpectum.* ובהעטיף *Quando autem ſerotina faciebant* (ita vulgò reddunt) *pecudes, non ponebat. Ac ita erant* העטפים *ſerotinæ Labanis, fortiores verò Jacobi*, verſ. 41, 42. Diſtinguuntur oves primæ & ſecundæ fœturæ, & prioris fœturæ vocantur המקשרות *robuſtiores*, poſterioris verò עטפים *ſerotinæ*. Franciſcus Valeſius vocibus his diſtingui putat conceptum ovium matutinum & veſpertinum; & illum quidem fœcundiorem eſſe ſolere & meliorem, hunc verò deteriorem: cujus rei cauſam refert ex ratione victus animalium & circumſtantia temporis. Verùm ea expoſitio nullo fundamento nititur. Neque enim vel matutini vel veſpertini conceptus meminit hiſtoria. Hebræi & Orientales plerique duplicem fœturam, vernalem & autumnalem diſtingui putant. Igitur המקשרות reddit Onkeloſus בכיריא primitivas aut primogenitas, Syrus בכירתא primogenias, Arabs אלרביעיה *vernales*; Aquila πρωΐμους, Symmachus πρωτογόνους, Hieronymus, *quæ primi temporis*. Intelligunt priorem fœturam ſeu vernalem, quam Kimchius, Abenezra, Pomarius & Hebræorum alii referunt ad menſem Niſan, Martio noſtro reſpondentem. Et agnos hos vernales, ſeu primæ fœturæ ideò קשרים ſeu *vinctos, ligatos* dici aſſerunt, quia corpus habent compactius. His oppoſitas oves העטפים autumnales eſſe cenſent iidem. Unde Arabs reddit אכחריפיה Syrus & Chaldæus לקישיא *ſerotinas* ſeu *autumnales*, Aquila ὀψίμους, Symmachus δευτερογόνους. Et poſteriorem hanc fœturam referunt Hebræi ad menſem Tiſri, Septembri noſtro reſpondentem. Ita igitur plerique cenſent, artificium hoc Jacobi in eo conſtitiſſe, quòd in vernali fœtura poſuerint virgas, non item in autumnali. Unde factum ſit, ut ex vernali illa fœtura robuſtiores fœtus diverſicolores provenirent. Sed obſtat huic ſententiæ non contemnenda ratio, quòd in ovibus fœtus autumnales & hyberni, vernalibus utplurimum præferri ſoleant. Plinius lib. VIII. 47. *Multi hybernos agnos præferunt vernis, quoniam magis interſit ante ſolſtitium, quàm ante brumam firmos eſſe, ſolùmque hoc animal brumâ naſci.* Columella lib. VIII. 3. *Melior*

 eſt

eſt agnus autumnalis verno, ſicut ait veriſſimè Celſus, quia magis ad rem pertinet, ut ante æſtivum, quam hibernum Solſtitium convaleſcat, ſolusque ex omnibus animalibus brumâ commodè naſcitur. Hinc ab Hebræo חורף quod *hyemem*, vel ab Arabico ח־ר־ף quod *autumnum* ſonat, Chaldæis & Syris חורפא *Churpha*, dicitur & Arabibus ח־ו־ף tanquam χειμερινὸν & ὀπωρινὸν ζῶον, quaſi *hyeme* vel *autumno naſci ſolitum*. Miſſa igitur illa duplicis fœturæ diſtinctione, hic ſenſus Moſis omnino eſſe videtur, quòd Jacobus virgas poſuerit ante oculos ovium vegetiorum & robuſtiorum, quò ſimiles fœtus diſcolores ſibi naſcerentur: at omiſerit eam artem erga עטופים *debiliores*, quò illarum partus itidem debiliores & unicolores naſcerentur Labani. Nempe, ut ait Poëta Venuſinus, *fortes creantur fortibus & bonis.* Itaque è robuſtis matribus robuſti naſcebantur agni. At eædem ſi debiles erant, ſimiles fœtus protrudebant. Sicut igitur המקשרות notat oves obeſas & pingues, adeóque vegetas, & robuſtas à קשר *ligare*, quo verbo ad corporis & animi vigorem ſignificandum ſæpe utuntur Orientales linguæ: ita contra עטפים ſunt oves debiles & viribus defectæ. Nam עטף ſignificat *languere, deficere* & *labaſcere.* Atque hinc etiam eſt, quòd Græci Interpretes duplicis fœturæ non meminerunt, ſed oves ſeu πρόβατα diſtinguunt in ἐπίσημα *nobiles*, & ἄσημα *ignobiles*, atque illas Jacobo, has Labani ceſſiſſe memorant. Eventus porro harum artium Jacobi fuit, quòd ויפרץ מאד מאד *crevit vehementiſſimè, fueruntque ei oves multæ, & ancillæ, & ſervi, & cameli & aſini.*

XX. Circa has Jacobi artes duplex incidit quæſtio non levis momenti, altera facti, juris altera. Prior: An naturæ fuerit opus, vel divinæ omnipotentiæ, quòd Labanis oves fœtus vel virgis vel agnis objectis concolores pariebant? Poſterior: An Jacobo licuerit Labanem avunculum ſuum gregum parte maxima & optima, his artibus ſpoliare? Quoad prius, Græci Patres plerique ad miraculum referunt, quòd ad virgarum oblatum fœtus diverſicolores peperére matres. Ita Chryſoſtomus homil. 57. in Geneſin. Cyrillus Glaphyr. in Geneſin lib. 5. p. 547. Theodoretus in Geneſin quæſt. 89. ubi ait: Τὰς ῥάβδους ἐλέπισεν, οὐ ταύταις θαῤῥῶν ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν προσμένων. *Virgas decorticavit, non iis fretus, ſed divinum auxilium exſpectans.* In contrariam ſententiam inclinant Patres Latini. Quos inter primo loco numeramus Hieronymum in Quæſt. Hebraicis. *Nec mirum*, inquit, *hanc in conceptu fœminarum eſſe naturam, ut quales perſpexerint ſive mente conceperint in extremo voluptatis æſtu, quo concipiunt, talem ſobolem procreent: cum hoc ipſum etiam in equarum gregibus apud Hiſpanos dicatur fieri. Et Quintilianus in ea controverſia, in qua accuſabatur matrona quòd Æthiopem peperiſſet, pro defenſione ipſius argumentetur, hanc conceptus eſſe naturam*

quam

quam ſupra diximus. Et ſcriptum reperitur in libris Hippocratis, quòd quædam ſuſpicione adulterii fuerat punienda, quòd pulcherrimum peperiſſet, utrique parenti generique diſſimilem, niſi memoratus Medicus ſolviſſet quæſtionem, monens quærere, ne forte talis pictura eſſet in cubiculo: qua inventa mulier à ſuſpicione liberata eſt. Idem refert Galenus libro de Theriaca. Et Auguſtinus de Civ. D. XVIII. 5. refert, nunquam deeſſe in Ægypto bovem certis quibuſdam maculis inſignitum, quem pro Deo colebant, Apímque vocabant, dæmone id agente, & ejus coloris imaginem Phantaſiæ beſtiæ ipſo congreſſus tempore objiciente, quò in ſua impietate Ægyptios retineret. Et in Geneſin quæſt. 93. *Multa dicuntur ſimiliter fieri in animalium fœtibus: ſed & mulieri accidiſſe traditur. Et ſcriptum reperitur in libris antiquiſſimi & peritiſſimi Medici Hippocratis.* Iſidorus Orig. XII. 1. *Jacob contra naturam colorum ſimilitudines procuravit. Nam tales fœtus oves illius concipiebant, quales umbras arietum deſuper aſcendentium in aquarum ſpeculo contemplabatur.* Quod igitur Græci Doctores naturali Jacobi induſtriæ tribuerunt, id virtuti divinæ ſupra naturam operanti Latini adſcribere non dubitant.

XXI. Nos eam ſententiam tutiſſimam arbitramur, quæ cum natura ſingulare Dei inſtitutum & ſpecialem providentiam conjungit: Naturam quod attinet, ſatis conſtat, matrum prægnantium oculis aut imaginationi objecta fœtui aliquando ſimiles & indelebiles notas imprimere. Qua in re conſentiunt naturæ conſulti. Apud Galenum in hiſtoria Philoſophica Empedocles vetuſtiſſimus Philoſophus docet, τῇ κατὰ σύλληψιν ὄψει τε καὶ φαντασίᾳ τῆς γυναικὸς, μορφοῦσθαι τὰ βρέφη, πολλάκις γοῦν ἀνδριάντων καὶ εἰκόνων ἠράσθησαν. καὶ ὅμοια τούτοις τετόκασι, *viſu & imaginatione mulieris inter concipiendum formari fœtus, ita ut ſæpe mulieres ſtatuas & imagines adamaverint, iiſque ſimiles liberos procreaverint.* Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem memorat exemplum deformis cujuſdam opibus potentis, qui cùm formoſum procreare vellet puerum, pingi curaverat in lato ligno puerum alium valde elegantem, & uxorem in ipſo complexu juſſerat picturam eam aſpicere. Illam defixis in picturam oculis non patri ſed picto ſimilem procreâſſe. Tale quid narrat Oppianus de Laconum arte, ut formoſos liberos conſequantur, Cynegeticon libri I. v. 357. nec non de equis v. 327. de columbis v. 353. Narrat iis locis, Lacones uxoribus prægnantibus ob oculos ſtatuere ſplendidas formas, eos ſcilicet adoleſcentes, qui olim inter homines emicuerunt, unde evenire ſoleat, ut formoſos pariant. Equos pariter verſicolores procurare homines picto, & oculis congredientium objecto marito formoſo, & uſque quaque totum corpus variis coloribus inſignito. Unde pariter evenire, ut πολυανθέα παῖδα *florentem filium* procreent. Denique

nique idem in columbis tentare homines, prope fœminas dædala multa veſtimenta collocantes, unde illæ limis oculis conjectis animóque oblectatæ purpureos pullos pariant. Ariſtoteles Problemat. Sect. 12. fœtus in brutis parentum naturas ideo expreſſiùs referre, quàm in hominibus docet, ὅτι ὁ μὲν ἄνθρωπος πολλαχῶς διατίθεται τὴν ψυχὴν κατὰ τὴν ὁμιλίαν, ὅτι καθῶς δ' ἂν ὅτε πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ διατεθῶσιν, τὰ μὲν πλεῖστα πρὸς αὐτὸ τοῦτό εἰσι. *quia ſæpe in ipſo congreſſu hominis animus variè afficitur. prout autem affecti fuerint pater & mater, ita fœtus variant: at reliqua animalia pleraque ad hoc ſolum intenta ſunt.* Plinius lib. VII. 12. *Similitudinum quidem in mente reputatio eſt, & in qua credantur multa fortuita pollere, viſus, auditus memoria, hauſtæque imagines ſub ipſo conceptu. Cogitatio etiam utriuslibet animum ſubitò transvolans, effingere ſimilitudinem aut miſcere exiſtimatur. Ideóque plures in homine, quàm in cæteris omnibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum animique celeritas & ingenii varietas multiformes notas imprimit: cùm cæteris animalibus immobiles ſint animi, & ſimiles omnibus, ſingulíque in ſuo cuique genere.* Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib. IV. 7. refert, quòd ſuo tempore ovicula prodierit, habens caput phocæ ſeu vituli marini, quòd inter concipiendum ovis mater hujusmodi belluam marinam conſpexiſſet. Exempla plura videri poſſunt apud Petrum Meſſiam in ſuis Lectionibus p. 2. cap. 7. Hieronymum Torquemada apud Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 1. cap. 3. Leonhardum Varium de Faſcino lib. 1. cap. 2. Thomam Vienum in tractatu de imaginatione. Quo pacto autem ejuſmodi notæ imprimantur fœtui, oſtendit Vir Doctiſſimus G. J. Voſſius *de Origine & progreſſu idololatriæ* lib. III. cap. 22. Phantaſia nempe vehemens & diuturna, ſpecies conceptas imprimit tum ſpiritui, qui eſt virtutis formatricis inſtrumentum, tum ſanguini, qui fœtus eſt alimentum ac materies. Eadem phantaſia in congreſſu dirigit ſpecies verſus ſemen, eique eas imprimit, ut quandoque & patris imaginatio veniat in partum. Sed poſt conceptum ſola aliquid poteſt mater, cujus anima ſemper fœtui præſens eſt. Quamvis verò tum experientia tum ratio allata demonſtret, naturam nonnihil conferre potuiſſe, ut objectis ejuſmodi tum virgis tum ovibus diſcoloribus generarentur: tamen exiſtimandum non eſt imaginationem pecudum totam hujus rei cauſam fuiſſe. Quippe ſi tanta ejus vis fuiſſet, ut effectus ſemper, imò plurimùm conſequeretur, ſanè hodiéque opiliones noſtri ſatis ſuæ artis gnari, imitarentur exemplum. Proinde fatendum, imaginationem pecudum cauſam fuiſſe tantùm adjuvantem: ac plus in hoc negotio virtuti tribuendum eſſe divinæ, quæ ſuo concurſu ſic debilem adauxit cauſæ ſecundæ vim, ut quod ſola non poſſet ſecundùm naturam, id divina benedictione

Digitized by Google

præſtaret ſupra naturam. Idque Jacobo ſignificatum eſt per viſionem Angeli maculoſos illi admiſſarios oſtendentis, qui admiſſuræ tempore capras & oves inibant, & Deo patere aſſerentis, quicquid à Labane paſſus eſſet, ut ſe à Deo protegi, & illi res ſuas curæ eſſe cognoſceret, Geneſ. XXXI. 11, 12, 13. Addo, quòd cap. XXXI. 8. ait Jacobus, omnes pecudes peperiſſe tales, quales ipſi in mercedem putabat Laban. *Hæc profectò*, inquit P. Martyr, *non poteſt niſi divinæ diſpenſationi apponi.* Concludimus cum Riveto: *Statuendum eſt ergo, Deum peculiari ſuo concurſu, ut benediceret Jacobo, & eum ditaret, applicaſſe phantaſiam ovium ad hanc verſicolorum virgarum imaginationem, & ita cauſas ſecundas moviſſe, ut in effectu ſuo producendo nihil impediret, quò minùs omnia procederent ſecundum intentionem Jacobi.*

XXII. Altera nunc quæſtio paucis etiam expedienda, utrum nimirum jure has artes occupaverit Jacobus, quibus avunculum ſuum atque ſocerum ſpoliavit gregis ſui parte maxima atque præſtantiſſima? Convenerat quidem inter eos, ut variæ oves eſſent Jacobi; nempe quæ ſorte ſeu caſu, non quæ arte ſic naſcerentur. Etenim erat mens Labanis. Reſpondent nonnulli, licuiſſe Jacobo clavum clavo trudere, & artem arte eludere, nec niſi graviter læſum ita illum cum avunculo egiſſe. Laban enim Rachelem, quam gratis dare debuerat, eámque non indotatam, vendiderat ſeptem annorum ſervitio. Quibus peractis ſumma fraude Leam ei ſubſtituerat, & aliud ſervitii ſeptennium pro ea extorſerat, denique in omnibus cum genero iniquiſſimè egerat. Nec ulli erant judices, apud quos de illatis ab avunculo injuriis poſſet conqueri. Proinde planè coactum fuiſſe jus ſibi ipſi dicere, & ſuum modo quo poterat, optimo repetere. Cœterùm ea Jacobi defenſio minimè juſta eſt. Neque enim fas eſt privatis malum malo repellere, & propriis injurias ulciſci, acceptáque damna reſarcire: ſed potiùs decet verè fideles malum bono vincere, & vindicem atque ultorem Deum exſpectare, Rom. XII. 21. Deut. XXXII. 35. Et verò id ipſum à Jacobo ſanctè & religioſe obſervatum eſt, qui toties ab avunculo læſus nunquam tamen frœnum momordit aut jugum excuſſit, ſed potiùs illi ſe ſervum fidelem præſtitit: donec ea, quam explicavimus, arte ſuum petiit. Ante omnia fatemur, in harum artium uſu dolum quempiam interceſſiſſe. Cœterùm dolus, ut natura & attributum docent, apud homines duplex eſt, bonus & malus. Utriuſque circumſcriptio partim ex conſilio & fine, partim ex modo ſumenda eſt. Ex conſilio, quia in rebus moralibus conſilium vel finis formam dat actionibus: modus verò mediáque ſunt quaſi materia illarum. Si igitur vel conſilium & finis, vel modus & media, quæ adhibuit hìc Jacobus mala ſunt, ipſe etiam dolus malus, non

 bonus

bonus fuerit oportet. At neutrum, nec conſilium nec modus adhibitarum artium in vitio fuit. Nam conſilium ejus quod attinet, non fuit illud humanum, ſive reſpiciamus ad conſilii authorem, ſive ad propoſitum vel ſubſtantiam ipſius. Author enim conſilii Deus fuit, qui per Angelum illud ei in ſomno ſuppeditavit, uti liquet ex Geneſ. XXXI. 11, 12, 13. Sed & propoſitum ac ſubſtantia conſilii non fuit, ut rem alienam interciperet, ſed ut tantum perciperet, quantum ſua benedictione Deus largiturus eſſet. Quapropter Jacobus quamvis, ut probabile eſt, nondum ea media noviſſet, quæ poſtea Deus ipſi imperavit, certâ fiduciâ promiſſionum Dei in contractu ineundo dicebat Labani: *ita atteſtabitur mihi juſtitia mea.* verſ. 33. Quibus verbis ſi fraudem vel malum dolum cogitaviſſet Jacobus, impiè nomine Dei & juſtitiæ abuſus eſſet. Neque etiam media quæ adhibuit injuſta fuerunt aut illegitima, quia nec naturæ nec inſtitutioni juſtæ adverſabantur. Non naturæ, quia ex natura fuerunt. Non inſtitutioni, quia nec publicæ, nec privatæ. Publica enim cum nemine interceſſit. Privata quidem interceſſerat cum Labane, & contractus bonæ fidei. Atqui bona fide Labani dixerat, ſe ab ipſo non petere quicquam, ſed à Domino exſpectare qui ſua adminiſtratione effecturus ſit, *ut ipſius juſtitia atteſtetur ipſi.* Et ſanè hac unica exceptione probatur bona fides Jacobi, quia totam actionem voluntati Dei ſubjecerat. Deus autem voluntate ſua ad juſtè diſpenſandam mercedem Jacobo media imperavit, quæ is bona fide ſecundùm Deum, non mala fide ſecundum homines executus eſt. Cùm igitur artibus his ſuum repetierit, auctore Deo, qui partem opum, quas Laban ex Jacobi labore comparaverat, in Jacobum juſtè tranſtulerit, eo planè modo, quo vaſa Ægyptiorum ab Iſraëlitis voluit auferri, in duriſſimæ ſervitutis mercedem, ingratis dominis abſque ullo ſtipendio per plures annos exhibitæ: patet manifeſtè, nullam culpæ vel mali doli ſuſpicionem in Jacobum cadere omnino poſſe. Proinde dolus Jacobi à Deo imperatus non malus & vitioſus, ſed bonus extitit, qualem ἀψεκτὸν *reprehenſioni non obnoxium* vocat Euſtathius ad Iliados ο. Non eſt igitur quòd Jacobum ſibi patronum aſciſcant, qui perfidis & fraudulentis hominibus fraudes opponunt, & artem arte eludere ſatagunt. Is enim authoritate divina & extraordinario mandato fecit, quod hi nulla idonea authoritate muniti ſibi licere fingunt.

XXIII. Poſt quatuordecim ſervitutis pro utraque uxore annos in Meſopotamia exactos, ſex integros annos novo eo, quod explicavimus, pacto inductus denuo apud Labanem conſumpſit. At iis finitis non amplius ferens iniquæ ſervitutis tædium, & magis etiam patriæ ac parentis, nec non curandæ

curandæ propriæ familiæ deſiderium, ad abitum omnia parat. Occaſiones autem & cauſæ ad maturandum reditum impellentes peculiares commemorantur potiſſimùm tres, nimirum invidentia non obſcura affinium, mutatio vultus Labanis, & mandatum ac promiſſio divina. Invidentia ac murmuratio affinium exprimitur Geneſ. XXXI. 1. *Et audivit verba filiorum Laban, dicentium: Abſtulit Jacob quicquid erat patri noſtro, & ex his quæ erant patri noſtro* עשה את כל הכבד הזה *fecit omnem gloriam illam.* Furti & rapinæ ipſum inſimulant atroces illorum calumniæ. quaſi omnis illa benedictio, quæ intercedente pacto cum Labane, ei evenerat, non eſſet aliud, quàm opulentia fraudibus & furtis quæſita. Ita enim כבר *gloriam*, quam dicunt ipſum ex paternis bonis confeciſſe, interpretatur Paraphraſtes Chaldæus כל נכסיא האלין *omnem ſubſtantiam iſtam.* Et Arabs: מן מאלה אצטנע חמיע הדא אליסאר *Ex bonis ejus* (patris noſtri) *compoſuit omnes has divitias.* Syrus: *Ex his quæ erant patris noſtri* קנא הנה קנינא כלה *comparavit hanc poſſeſſionem omnem.* Græci poſt πάντα τὸν πλοῦτον infra verſ. 16. in verbis uxorum, addunt καὶ τὴν δόξαν, ſorte interpretantes gloriam hanc, cujus verſ. 1. mentio erat. Per כבר nempe non gloriam duntaxat, ſed etiam gravitatem, divitias & opulentiam ſignificari notum eſt. Hoc ſenſu Abrahamus Geneſ. XIII. 2. dicitur כבר מאד *gravis valde* pecore, argento & auro, hoc eſt, dives. Vulgatus utrumque conjungit his verbis: *De illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.* Nempe etiam gloriam conciliant divitiæ. Unde illud: Τὰ χρήματ᾽ ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους αὖθις τε τιμάς. Et alterum Poëtæ Latini: *Et genus & formam regina pecunia donat.* Sed gravius pupugit & perculit Jacobum animus Labanis, quem non potuit non vultus ejus prodere. Vidit enim Jacobus, vultum Labanis non eſſe erga ipſum כתמול שלשום *ſicut heri & nudiustertius*, verſ. 2. hoc eſt, uſitata in Scripturis Synecdoche, *ſicut olim.* Confer Exod. IV. 10. Hac loquendi forma, tanquam adagio uſi ſunt veteres. Irenæus lib. I. 12. *heri & nudius tertius, quod dici ſolet.* Epiphanius lib. I. τὸ λεγόμενον καὶ χθὲς καὶ πρώην γεγόνασιν, ὡς λόγος, *quod heri & hodie cœperint, ut ajunt.* Quanquam proverbii hujus ſenſus nonnihil discrepat à ſenſu Jacobi, qui tempus intelligit præteritum cum aliqua extenſione, pro eo quòd dicimus *olim*: cùm in proverbio eo uſurpetur phraſis pro eo quod dicimus *non ita pridem.* Sic ergo mutatus Laban. Antea dixerat: *Caro mea & os meum es: Propter te iſta mihi benedictio obvenit.* At nunc mutatus vultus indicium præbet animi hoſtilis & infeſti. Quæ cùm meritò Jacobum ancipitem animi & perplexum redderent, quippe deſtitutum omni humano auxilio, DEUS providâ curâ ſuâ interveniens ipſi diſceſſum à Labane imperat. Sicut igitur conſilio parentum diſceſ-

 ſit ex

ſit ex patria: ita nunc juſſu divino eodem ſibi revertendum videt.

XXIV. Has maturandi diſceſſus ſui cauſas Jacobus uxoribus aperiendas duxit, ut & ipſas velut conſortes divini & humani juris in conſilium adhiberet. Illis proinde in agrum, ubi pecudes curaverat, invitatis, remotis arbitris omnibus narrat tum occaſiones promovendi diſceſſus, nempe mutatum Labanis vultum, & divinam authoritatem, tum res ante actas, nempe Labanis ſoceri indignum factum, nec non divinum conſilium & authoritatem, quâ fretus artes adhibuerit antea narratas. Factum ſoceri indigniſſimum in eo ſitum erat, quòd mentiretur ei, & mercedem condictam decem vicibus immutaret. Verba ejus ſunt: אביכן התל בי והחליף את משכרתי עשרת מנים *Pater veſter mentitus eſt mihi, & mutavit mercedem meam decem vicibus; non tamen permiſit ei Deus, ut malefaceret mihi.* verſ. 7. Pro עשרת מנים Græci habent τῶν δέκα ἀμνῶν, quaſi mutaverit ei Laban mercedem *decem agnorum.* quæ verba unde irrepſerint, negat ſe videre Hieronymus. Putat Druſius, retinere voluiſſe Hebræam vocem μνῶν, cui à ſciolis vel librariis additum ſit α. Sed obſtat huic conjecturæ, uti rectè monuit Sixtinus Amama, verſus 41. ubi habetur, δέκα ἀμνάσι. Decem vicibus ſibi immutatam mercedem Jacobus queritur, juxta reliquos interpretes omnes. Quomodo verò decies immutata ipſi ſit merces, quæſitum eſt. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis: *Ex conſequentibus hic magis ſenſus probatur, quòd per ſingulos fœtus ſemper Laban conditionem mutaverit. Si videbat varium naſci pecus, poſt fœtum dicebat; volo ut in futurum varia mihi naſcantur. Rurſum cùm vidiſſet unius coloris naſci pecora (Jacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat, ut futuros fœtus, unius coloris ſibi pecora procrearent. Et quid plura? Uſque ad vices decem ſemper à Laban pecoris ſui ſive Jacob mutata conditio eſt. Et quodcunque ſibi propoſuerat, ut naſceretur, in colorem contrarium vertebatur. Ne cui autem in ſex annis decem pariundi vices incredibiles videantur: lege Virgilium, in quo dicitur:* Bis gravidæ pecudes. *Natura autem Italicarum ovium, & Meſopotamiæ una eſſe traditur.* Hactenus ille. Auguſtinus quoque in Geneſin quæſt. 95. *Bis pariebant in anno.* Et quia videtur inde ſequi, Labanis oves ſexennio illo duodecies peperiſſe, adeóque Jacobi mercedem mutatam fuiſſe duodècim vicibus, reſpondet primo anno à pacta mercede nonniſi ſemel peperiſſe, quia hoc eodem anno jam pepererant ſemel ante pactam mercedem: & rurſus ultimo anno tantùm ſemel peperiſſe, quia Jacob diſcedere coactus ante ſextum annum prorſus completum, ſecundum partum non exſpectavit. Atque ita è toto partuum numero duos eximit, ut nonniſi decem ſuperent. Verùm nihil opus eſt tam accuratè calculos ſubducere. Nam עשרת מנים *decem vicibus,* non

non aliud eſt, *quàm multis vicibus*, numero finito pro infinito poſito. Similia exempla occurrunt alibi. Num. XIV. 22. *Tentaverunt me jam per decem vices.* Job. XIX. 3. *Decies mihi pudorem incutitis*, id eſt, multoties. Ita Druſius, Vatablus, Clarius, alii. Et ante eos Euſebius: Σύρος δεκάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις. *Syrus habet decies* pro *ſæpenumero.* Sic Latini dicunt *millies & ſexcenties*, pro *ſæpenumero.* Quamvis autem Moſes perfidiam illam & frequentem mutationem mercedis injuſtè à Labane factam non recenſeat: tamen ex uno illo, quod narrat exemplo, tum iniqua Labanis adminiſtratio, tum ſumma Jacobi patientia abundè conſtare poterat.

XXV. Narratione Jacobi commotæ uxores ſimul & ipſæ iniquitatem Labanis agnoſcunt, gravitérque accuſant, ſimul conſenſum ſuum in apparando diſceſſu teſtificantur. *An adhuc eſt*, inquiunt, *nobis pars & hæreditas in domo patris noſtri?* הלא נכריות נחשבנו *Numquid non extraneæ reputatæ ſumus ab eo? vendidit enim nos, & conſumpſit etiam conſumendo pecuniam noſtram. Quia omnes divitiæ quas abſtulit Deus patri noſtro, noſtræ ſunt, ac filiorum noſtrorum. Nunc igitur omnia quæ dixit tibi Deus facito.* verſ. 14, 15, 16. Iniquitatem patris tribus potiſſimùm nominibus exagitant. Primum quod cùm jus filiarum ſit, ut dotem à parentibus accipiant, & hæreditatem conſequantur, ipſæ indotatæ, ac velut exhæredes fuerint elocatæ. Secundò, quòd non ſolùm filiarum jure privatæ, verùm etiam quod iniquius, velut extera mancipia venditæ ſint à patre, & à viro emptæ ſervitutis pretio. Poſtremò quòd etiam poſt tantam indignitatem, ſi quid habeant peculii, id tanquam ſuum non dubitet pater conſumere ויאכל גם אכול את כספנו *& conſumpſit conſumendo pecuniam noſtram*, vel ut habet Vulgatus, comedítque pretium noſtrum. Græci: καταβρώσει κατέφαγε τὸ ἀργύριον ἡμῶν; *Devoratione abſorpſit argentum noſtrum.* Jarchius ita [illegible]: אפילו בשעה שדרך בני אדם לתת נדוניא לבנותיו בשעת נישואין התנהג עמנו כנכריות כי מכרנו לך בשכר פעולה ויאכל גם אכול את כספנו שעכב דמי שכר פעולתך *Quo etiam tempore homines ſolent filias dotare, videlicet nuptiarum tempore, egit nobiſcum quaſi cum extraneis. Vendidit quippe nos tibi pro laboris mercede.* Comeditque etiam comedendo pecuniam noſtram, hoc eſt, *fraudavit quippe pecunia operi & labori tuo debitâ.* Brevius Abenezra: כאילו מכרנו שלא עשה כמשפט האבות עם הבנות רק אמר שכור צאני וקח בנותי במשכרתך *Perinde eſt ac ſi nos vendidiſſet. Non egit enim nobiſcum quemadmodum alii patres cum filiabus ſolent: ſed nos tibi pro mercede curæ pecuariæ tradidit.* An verò ſatis modeſtè & pro filiabus conquerantur Lea & Rachel? Reſpondent Hebræi, & inter illos Abarbanel & Iſacus Arama, quos ſequitur Doctiſſimus Simeon de Muis *Variis Sacris* pag. 203, 204. Leam & Rachelem minimè conqueſtas eſſe de patre,

 ſed

ſed uti ſapientes filias decebat, decreviſſe, non prius ſe abituras, præſertim inſcio atque inconſulto parente, quàm illum minùs iniquo animo ſuum diſceſſum laturum certis argumentis ſtatuiſſent, utpote quo parum æquo hactenus uſæ eſſent pro alienis ab illo habitæ, nulla in ipſis nuptiis dote conſtituta. Verùm querelam verbis earum ſatis acerbam contineri nullus dubito. Sed in ea quæſtione diſtinguamus oportet, rei veritatem, loquentium affectum, & eorum ad quos ſermo habitus eſt, rationem. Rei veritatem ita ſe, ut loquuntur, habuiſſe ſatis teſtatum eſt præcedente narratione Moſis. Affectus porro earum duobus modis ſpectari poteſt, aut ſimpliciter aut ſecundum quid. Simpliciter hoc fuit fœminarum illarum ſtudium, ut conſilio ſuo viri ſui rationibus etiam adductis ſubſcriberent. Secundum quid verò ſpectatur, ſi animo perturbatiore ſtudium per ſe non malum expoſuerunt. Ratio eorum ad quos habetur ſermo, aperta eſt, cùm illæ virum ſuum alloquantur, iſtarum rerum diuturna experientia ſcientiſſimum. Igitur rei veritas, deliberationis & conſilii capiendi ratio, & viri authoritas conſcientiáque fœminas obſtrinxerat, ut bona fide in hoc argumento loquerentur. Non igitur ſimpliciter hoc factum illarum improbari poteſt. Poteſt tamen improbari hactenus ſi quid, ut credibile eſt, fervidè & perturbatiore animo in parentem ſuum cogitaverint aut effutiverint. Ita eruditiſſimè pro more quæſtionem ſolvit graviſſimus Theologus, Franciſcus Junius, in Analyſi ad Geneſ. 31.

XXVI. Impetrato uxorum conſenſu, liberos fœmináſque camelis inſtruxit, & poſſeſſionem totam commodè ad profectionem inſtituit. Opportunitas temporis quo fugam arriperet admodum commoda ſe obtulit, Labane ad tondendum oves peregrè profecto. Eadem occaſione, quòd *παρέργως* interſeritur à Moſe, Rachel תגנב את התרפים אשר לאביה *furata eſt Teraphim quæ erant patri ſuo*, verſ. 19. De Teraphim actum à nobis Exercit. 1. Sect. 38. Pauca nunc addimus. Etymon quod attinet תרפים illud ſatis incertum eſt. Alii derivant à רפה *quieſcere*, quòd è Templis vel ædibus nunquam dimoverentur, ſed ibi quieſcerent. Alii à רפא *ſanare*, quòd iis tribuerentur morborum curationes, cui convenit Græcum *θεραπεύειν*. Bibliander noſter in MS. תרף *eſt truncus. Sed ex Syro ſermone petenda eſt etymologia.* תרף *illis turpitudinem ſignificat. Indicat rem qualis ſit coram Deo & hominibus ſanctis. Docetur etiam qualiter æſtimanda ſint illa idola vel imagines.* Angelorum imagines faciunt alii, quas Spiritus Angelicus ſubiens oracula conſulentibus ediderit. Ex qua conjectura תרפים Doctiſſimo Viro Lud. de Dieu idem eſſent quod שרפים notiſſimum Angelorum nomen, mutato ex Syrorum more ש in ת. Quia verò ex hoc loco conſtat fuiſſe Deos pena-

tes,

Digitized by Google

tes, qui ad tuendam amplificandámque rem domeſticam colerentur, ideò idem Vir Doctiſſimus referri poſſe putat ad Arabicum תרף *uberem & affluentem reddidit.* quam ſignificationem etiam in lingua Æthiopica habet, ubi ſignificat *reſtare, reliquum eſſe* Matth. XIV. 20. Inde תרף לב *abundantia cordis* Matth. XII. 34. Ex quo etymo תרפים eſſent *Dii qui rem familiarem abundare faciunt.* Quæ conjectura non planè improbabilis eſt. Variæ porro deſcriptiones תרפים extant apud Hebræos, ſed omnes nulla vel exigua probabilitate elaboratæ. Kimchius exiſtimat, imagines fuiſſe ab Aſtrologis factas, quales ſunt horologia vel σκιατήρια, ac futura prædixiſſe. Aliis placet fuiſſe inſtrumenta ænea, temporum ac horarum diſtinctioni inſervientia. Abenezra obſervat, fuiſſe imagines humana facie adornatas, recipiendis cœleſtium corporum influentiis idoneas. Quales tamen fuerint, negat ſe exponere poſſe. Boulducus artis fingendi callentiſſimus vult Teraphim fuiſſe ſtatuas defunctorum Raphaim, quos finxerat θεραπευτάς, curatores & reſtauratores religionis, ut dicti fuerint תרפים *Teraphim* quaſi *Tau Rephaim*, eò quòd eſſet typus aut ſignum Rephaim. Diſtinguit autem Teraphim à Cherubim hac nota, quòd Teraph exprimeret hominem cum ejus, dum viveret, dignitatis ſignis: Cherub autem in effigie Symbolica, quæ cum ejus ſidere nonnullam relationem haberet. Vide lib. II. cap. 19. *de Eccleſia ante legem.* Verùm miſſis his aliisque ſive incertis & ex traditionum colluvie hauſtis, ſive merè fabuloſis, lubet ea duntaxat memorare, quæ ex divinis pandectis de Teraphim certò conſtare poſſunt. Igitur uſum Teraphim inter idololatras viguiſſe, & reſponſa conſulentibus dediſſe, manifeſtè docet locus Ezech. XXI. 21. ubi Rex Babyloniæ in bivio quærens oraculum, dicitur interrogâſſe Teraphim. Reſponſa dediſſe in rebus dubiis indicatur Zach. X. 2. *Teraphim locuta ſunt vanitatem.* Humana facie fuiſſe elaboratas, ſignificat hiſtoria I. Sam. XIX. 16. ubi dicitur Michal imaginem diſpoſuiſſe in lecto ſpecie Davidis ægrotantis ac decumbentis, ut hac arte Saulis inſidias eluderet; ut fuerit ſtatua panno, ligno, palea, aliisve rebus ſuffarcinata, & membra humani corporis ſimulans. Fuiſſe effigiem non hominum, ut nugatur Boulducus, ſed Dei ipſius, indigitat hiſtoria Labanis, qui vocat [illegible] *Deum ſuum*, Geneſ. XXXI. 19. 30. Denique fuiſſe Deos penates, liquet ex hiſtoria Michæ Judic. XVII. 5. nec non Michalis uxoris Davidis I. Sam. XIX. 13. Hæc nobis ſufficere poſſunt.

XXVII. Quo porro conſilio, & quàm rectè Rachel parentis ſui Teraphim ſuffurata ſit, diſcutiendum eſt. Hebræorum nonnulli, quos inter eſt Nachmanides, abſtuliſſe Rachelem Teraphim Labanis docent כדי שלא יגלו לאביה אם ישראל בם כי בורח יעקב *ne patri ſuo proderent, ſi forte*

forte, ut ſolebat, ea conſuleret, aufugiſſe Jacobum. Nempe Labanem pro Diis coluiſſe Teraphim, & per illas divinationes, & auguria exercuiſſe. Ita in Midras legitur: ל״ה נגבה אותם שלא יהיו מגידים שיעקב ברח וכי התרפים מדברים והלא כתיב לא יהגו בגרונם אמר ל״ה אין דכתיב והתרפים דברו און *Quare furata eſt idola? Ne indicârent, quòd Jacobus fugiſſet. Et quî Teraphim loqui poſſunt, cùm ſcriptum ſit*; non muſſant in gutture ſuo. *Excepit alter. Imò loqui poſſunt, quòd ſcriptum ſit* (Zachar. 10. 2.) *Teraphim locutæ ſunt vanitatem.* Chananeel furatam Rachelem idola Patris docet, *quò illi daretur occaſio reſipiſcendi, ac ſi diceret: Nihil ſolidi Deus, qui ſe ſivit furto auferri, habere poteſt.* Simile argumentum vide Judic. VI. 31. Ezech. XXVIII. 9. R. Bechai aliam cauſam affert, nimirum לעקור עבודה זרה מבית אביה *ad extirpandum idololatriam è domo patris ſui.* Ita etiam Jarchius, להפריש את אביה מע״ז נתכונה *quò abduceret patrem ab idolorum cultu, id fecit.* Sed Abenezra refellit hanc ſententiam, quia ſi ita, ut illi volunt haberet, cauſa nulla fuerit, quamobrem ea idola ſecum aſportâſſet, ac non potiùs alicubi in via defodiſſet. Addunt alii, credibile non eſſe, quod ſperaverit Rachel, fore ut pater inde ab ineunte ætate idololatriæ addictus, eo pacto ab idolorum cultu revocaretur. Nam ut omiſiſſet ille ſua idola, nonne poterat iis ſimilia fabricari? Cenſet igitur idem Abenezra, probabilius fuiſſe, Aſtrologiæ peritum fuiſſe Labanem, ideóque veritam Rachelem, ne in idolis ſuis conſuleret & contemplaretur aſtra, diſcerétque quâ viâ fugiſſet Jacobus. Cui ſententiæ etiam favet Abarbanel. Aliam affert ſublatorum horum idolorum cauſam Joſephus Antiq. l. 19. Τὰς δὲ τύπους, inquit, ἐπεφέρετο τῶν Θεῶν ἡ Ῥαχήλα, καταφρονεῖν μὲν τῆς τοιαύτης τιμῆς τῶν Θεῶν διδάξαντος αὐτὴν Ἰακώβου, ἵνα δ' εἰ καταληφθεῖεν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς διωχθέντες, ἔχοι τούτοις προσφυγοῦσα συγγνώμης τυγχάνειν. *Sigilla verò Deorum ſecum ferebat Rachel: non quod Deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat: ſed ut ſi fortè pater fugientes aſſequeretur, haberet quò confugeret veniam impetratura.* Alii imaginum iſtarum pretioſâ materiâ pellectam, eas furatam eſſe putant, ut in rem ſuam verteret. Ita Pererius, qui eam propterea excuſari poſſe putat, quia acceperit illa loco mercedis debitæ marito. Sed id parum certum, quia imagines illas præſertim familiares tanti pretii fuiſſe non conſtat: prout etiam exemplo Michalis confirmatur 1. Sam. XIX. Præterea falſum eſt, Rachelem jure abſtuliſſe hæc idola loco mercedis marito debitæ. Satis enim à marito intellexerat, Deum abundè compenſâſſe laborem ejus, in quo acquieſcere debebat. Cœterum ex variis his ſententiis probabiliores ſunt duæ, altera, quòd abſtulerit Teraphim, ne de itinere eas conſuleret Laban; altera, ut parentem ab idololatria, ſublatis ejus inſtrumentis, retraheret. Sive autem

hoc,

Digitized by Google

hoc, ſive illud fuit conſilium Rachelis, factum planè excuſari nequit, quia ejus modus iniquus erat. Neque etiam finem aſſecuta eſt, ſi maximè pio ſtudio idola abſtulit. Fit enim potiùs ut idololatræ his occaſionibus inardeſcant, & furentiùs ruant in idololatriam, quàm ut hoc argumento reſipiſcant. maximè cùm argumento furti aut vis publicæ in hoc caſu confirmari ſoleant.

XXVIII. Sicut parentis idola Rachel: ita Jacobus יגנב את לב לבן הארמי *furatus eſt cor Labanis Aramæi, eò quòd non indicaret ei fugam*, verſ. 20. Quomodo verò Jacobus furatus eſt cor Labanis? Etenim Abſolom 2. Sam. xv. 6. dicitur *furatus cor filiorum Iſraëlis Davidi*, nempe affectum eorum blandis verbis ſibi conciliando, & illos à Patre ſuo abalienando. At hic Jacobus furatus cor Labanis dicitur, quia fugam molitus eſt ipſo inſcio. Ita enim furatur etiam cor alterius, qui aliquid molitur præter conſcientiam alterius. Ita hoc loco ſe ipſum explicat Moſes in ſequentibus. Alibi ſimpliciter Scriptura dicit furari aliquem, pro, clam eo aliquid facere. Ita 1. Sam. xix. 41. *Cur furati ſunt te fratres noſtri, viri Juda?* Seneca in Agamem. Furandi verbum uſurpavit pro abſcondere: *Germane vultus veſte furabor tuos*, hoc eſt, abſcondam. Plautus in Bacch. *Ædipol feciſti furtum in ætate malum, quia iſthac me celâſti & patrem.* Hinc eſt, quòd Interpretes Græci, Chaldæus & Arabs, verba illa *furatus eſt cor Labanis*, non aliter convertunt, quàm notione *celandi*. Græci: Ἔκρυψε Ἰακὼβ Λάβαν τὸν Σύρον. *Celavit Jacob Labanem Syrum.* Onkeloſus: וכסי יעקב מן לבן *Et celavit Jacob à Laban.* Arabs וכתם יעקב לבאן *Et celavit Jacob Laban.* Rectè igitur Abenezra: לא גנב יעקב כי אם דעתו כי עיקר הדעת בלב *Non furatus eſt Jacobus niſi notitiam ejus, quia ſedes notitiæ eſt in corde.* Ludovicus de Dieu ita vertit: *Et fefellit Jacob mentem Labanis.* Eodem nempe ſenſu quo apud Græcos κλέπτειν *furari* pro *fallere* uſurpatur. Ariſtoteles Rhetoric. III. οὕτω γὰρ κλέπτεται ὁ ἀκροατής. *Sic enim fallitur auditor.* Sophocles: Εἰ τὸν Αἵμονος φθόγγον συνίημι, ἢ θεοῖς κλέπτομαι; *Vocémne Æmonis intelligo, an à Diis decipior?* Sic גנב דעת *furari mentem* uſurpatur apud Maimonidem in דיעות cap. 2. paragr. 6. אסור לגנוב דעת הבריות ואפילו דעת הכותי *Vetitum eſt fallere homines, etiam Samaritanos.* Atque ſic גנב רלב eſſet non ſimpliciter *celare*, ſed *celando alia omnia meditantem fallere.* Hanc expoſitionem etiam habet Abarbanel inter tres illas, quas affert ſecundo loco. Non pigebit verba ejus recitare. אפשר לי לפרש

על אחת מ״ג פנים : הא׳ שאמר שגנב יעקב את לב לבן מבלי הגיד לו דבר ממה שנזכר
למעלה כל׳ דברי בניו ושפניו אינו עמו כתמול שלשום כי הנה במה שלא הגיד לו
יעקב דבר מזה בו בטח לבו ולא הבין אם היה רצונו לברוח ההו כי בורח הוא׳ והב׳ כי
הספיקה חכמת יעקב וערמימותו לעשות מעשיו באופן שגנב את לב לבן עד שאפילו לב לבן לו

 עלה

עלה בדעתו ולו הגיד לו כי בורח הוא רל' שהיה רוצה לברוח כי להורת כי לב האדם לפעמים יגיד לו מה שיהיה מכח הדברים שיראה הנה יעקב נסתתר במעשיו באופן שלבו של לבן לא הגיד לו כי ברח הוא · והג' שהודיע הכתוב הזה שהסבה לשגנב יעקב את לב לבן בזה הוא כפני שלא הגיד לא כשבא כבית אביו כי ברח הוא מפני עשו שלא הגיד לו דבר מזה אלא שבא מפני הקטטה שהיה ביניהם ובעבור שלא הגיד לו כי ברח הוא מפני עשו בטח לבו שלא יברח גם כן מלפניו *Poſſum uno ex his tribus modis verba illa explicare. Primus eſt, dicere Scripturam, quòd furatus ſit Jacobus cor Labanis, ne indicaret ei quidquam eorum quæ ſuperiùs memorata ſunt, nempe verba filiorum ejus, & quòd facies ejus non ſit ſicut heri & nudius tertius. Quia igitur nihil eorum indicavit Labani Jacobus, propterea ei cor ejus confiſum eſt, neque intellexit inſtitutum ei eſſe fugam arripere. Secundus modus eſt, Jacobum ita prudenter & callidè in rebus ſuis proceſſiſſe, ut furaretur cor Labanis, quia nec in mentem ejus tale quid ei veniebat, nec ipſi quidquam ſignificabat, quòd nimirum vellet fugere. Sæpè enim cor hominis præſagit ipſi quid futurum ſit vi rationum probabilium. Ecce verò Jacobus erat abſtruſus in ſuis actionibus. Propterea animus Labani non præſagivit fore, ut fugam arriperet Jacobus. Tertia ſententia eſt, indicare hîc Scripturam, quòd cauſa ob quam Jacobus Labani furatus eſt cor, in eo conſiſtat, quia non ſignificabat ei, cùm veniret ex domo patris, quòd fugiſſet à facie Eſavi fratris, ſed tantùm quòd huc venerit propter diſſidium nonnullum inter eos intercedens. Cùm igitur non ſignificaverit, ſe à facie Eſavi fugiſſe, confiſum eſſe Labanem fore, ut nec ab ipſo fugiat unquam.* Cœterum ex his tribus expoſitionibus placet maximè ſecunda, cujus ſenſus huc redit, Jacobum in actionibus ſuis abſtruſum omnia ſua ita comparâſſe, ut fugiturum ipſum ne in mentem quidem Labani venire potuerit; cujus proinde animum alia omnia meditantem, celando inſtitutum ſuum, nec quidquam ſignificando, fefellerit. Cœterùm Jacobus inſalutato & nec opinante hoſpite diſcedens, & filias ejus ſecum abducens nullius culpæ ſe reum fecit: quia id omne authoritate divina, extrema jam ab inclemente ſocero perpeſſus, aggreſſus fuerat.

XXIX. Fugam ingreſſus Jacobus cum uxoribus atque impedimentis ſuis, transfretato Euphrate *faciem poſuerat* ſeu contenderat verſus montem גלעד *Gilead* ita per anticipationem dictum. Nihil neceſſum hic eſt cum Judæis fingere miraculum ſiccati Euphratis.. Nihil tale Moſes, rem tantam ſilentio haudquaquam præteriturus. Die poſt fugam initam tertio demum ea innotuerat Labani. Nempe trium dierum ſpatio ſejuncti erant greges. Non opus eſt cum Judæis, quis nuntius ſeu index ille fuerit, inquirere, cùm nec referat multum illud cognoſcere, nec à Moſe de eo quidquam proditum ſit. Accepto eo nuntio Laban πνέων ἀπειλῆς comitibus fratribus ſuis, hoc eſt, amicitiâ vel genere conjunctis, Jacobum properè inſectatus

tus eſt דרך שבעת ימים *itinere ſeptem dierum* verſ. 23. Unde verò ſeptem illi dies numerandi? A profectionéne Jacobi, an Labanis? A profectione Jacobi numerant nonnulli; ita ut tertio poſt diſceſſum Jacobi die fuga ea innotuerit Labani; ſexto Laban à tonſura ovium redierit domum, & ſeptimo eóque unico Jacobum perſecutus fuerit. Ita Petrus Martyr. Sed & Jarchius docet, Labanem uno die ſeptimo nimirum confeciſſe iter, quo perſequebatur Jacobum. Jacobum nempe toto triduo abfuiſſe à ſtatione Labanis, & tantò Euphrati, qui trajiciendus erat, propinquiorem. Cùm igitur nuntius è loco ſtationis Jacobi ad Labanem triduo perveniret, jam ſex dierum itinere Charane abſuiſſe Jacobum. Proinde cùm ſeptimo die Jacobum attigerit Laban, confici inde, uno die tantundem itineris emenſum eſſe Labanem, quantum ſeptem diebus emenſus fuerit Jacobus. Verùm cùm ex topographia conſtet, adeò diſſitam eſſe Charanem monte Gilead, ut uno die iter illud confici nullo modo potuerit, malumus cum aliis ſeptiduum illud numerare à perſecutione cœpta Labanis. Is enim accepto de fuga Jacobi nuntio, & comperto, idola ſibi ablata, quâ potuit maximâ feſtinatione, Jacobum inſecutus eſt eo conſilio, ut fugitivum, ejusque uxores impedimentáque omnia retraheret, & Jacobum perpetuæ ſervituti manciparet. Aſſecutus eſt eum in monte Gilead, ſub veſperam, uti videtur. Adventus ejus haud dubiè graviſſimum metum incuſſit Jacobo. Deus igitur fidelem ſervum ſuum ex præſenti periculo aſſerens, eadem nocte in ſomno apparuit Labani cum tali imperio: *Cave tibi ne loquaris cum Jacobo* מטוב עד רע *à bono ad malum uſque*, verſ. 24. LXX reddunt: Μήποτε λαλήσῃς μετὰ Ιακὼβ πονηρά. *Ne loquaris cum Jacobo mala.* Vulgatus: *Cave ne quidquam aſperè loquaris contra Jacob.* Abenezra ſenſum eſſe putat, ne Laban conetur ſive verbis *bonis*, puta blanditiis, ſive *malis*, minis nempe revocare in Meſopotamiam. Qui ſenſus ſatis commodus eſt. Alii ſenſum hunc eſſe putant, ne quidquam mali loquatur Laban cum Jacobo, ſed bonum duntaxat, hoc eſt, nonniſi pacificè & amicè cum eo agat: non tantùm manum ab eo abſtineat, ſed ne verbo quidem eum offendat, eique contradicat. Ita Geneſ. XXIV. 25. *Non poſſumus tibi loqui bonum vel malum*, hoc eſt, contradicere tibi non poſſumus. Pellicanus ita [illegible] *Proſpice tibi, ſerva te ipſum, ne incipiens à verbis pacificis loqui ad Jacobum, deflectas paulatim decidásque ad contumelioſa improperia, damna & injurias.* Abarbanel alium ſenſum ſed minùs idoneum conficit. Putat enim præcepiſſe Labani Deum, ut ſiquidem cum Jacobo expoſtulare inſtituerit, incipiat à verbis malis, & deſinat in bona, non exorſus à bonis in mala deſinat. Verba ejus ſunt הזהירו השם ללבן אם תרצה להוכיחו מרע אל טוב שתתחיל בדברים רעים

ותמים

והסים בטובים הגדת מה טוב וכדת נעים: אבל השמר לך מדבר עם יעקב באופן אחר שהוא מכוב עד רע שהתחיל בטוב והסים ברע כי הכל הולך אחר ההתימה וכן עשה לבן ולא עבר: *Docuit Deus Labanem, ſi voluerit expoſtulare cum Jacobo, inciperet verbis malis, & deſineret in bona. Hoc enim fore bonum & jucundum. Sed caveret ſibi, ne quidquam ea in re loquatur à bono ad malum, ita ut à bono incipiat, & deſinat in malum. Omnes enim ſpectare potiſſimùm concluſionem. Atque ita fecit Laban, neque transgreſſus eſt.* Fateor ita feciſſe Labanem. Sed mentem hanc fuiſſe Dei, ut aſperis verbis & improperiis orationem exordiretur, non video. In univerſum prohibuit, ne vel verbis vel rebus ad noxam comparatis moleſtiam Jacobo faceſſeret. Permiſit tamen poſtea, ut expoſtulationi habenas laxaret, ad Jacobi confirmationem ac conſolationem, & confuſionem ipſius Labanis, cujus vitia in apricum protraxit Jacobus.

XXX. Hac divina monitione præparatus Laban, Jacobum in monte caſtrametatum acceſſit, & locutus eſt ei *à malo ad bonum.* non tamen, ut Deus præceperat. Exprobat ei tum fugam, tum furtum imaginum. Fugam exprobrat verbis acerbis. *Quid feciſti? furatus es cor meum, & abduxiſti filias meas* כשבוית חרב *tanquam captivas gladio. Ut quid abſcondiſti te, ut fugeres, & furatus es me, nec indicâſti mihi, & dimiſiſſem te cum lætitia, & canticis, cum tympano & cythara? Quare non permiſiſti mihi, ut oſcularer filias meas?* עתה הסכלת עשו *Nunc ſtultè egiſti faciendo hoc,* verſ. 26, 27, 28. Ita ſplendidè mentitur homo, & manſuetudinis ſchema induit. Cui nihil minùs in animo erat quàm vel pace bona vel honorificè dimittere Jacobum vel filias, is poſtquam tempus officii hujus præteriiſſet, talia ſe facturum fuiſſe jactat. Et qualia quæſo officia hæc fuiſſent, dimittere Jacobum cum lætitia, canticis, tympanis, oſculari filias? Labanica nempe, nihil commodi allatura vel Jacobo vel puellis, qui fucatis his benevolentiæ ſignis non indigi erant. Hoſtes quoque ejuſmodi officiis ſimulare amicitiam poſſent. Addit יש לאל ידי לעשות עמכם רע *Eſt fortitudo in manu mea ad faciendum vobis malum.* Onkeloſus אית חילא בידי *Eſt poteſtas in manu mea, ut facerem vobis malum.* Thargum Hieroſolymitanum: אית לי חיל ואוכלוסין *Eſt mihi exercitus & copiæ.* Ubi אוכלוסין eſſe ex Græco ὄχλος rectè conjectat Druſius. Jactat vires ad expetendam vindictam, à qua tamen cohibitum ſe fatetur à Deo Patre Jacobi. Furtum porro exprobrat his verbis למה גנבת את אלהי *ut quid verò furatus es Deos meos.* verſ. 30. O inſanum idololatram! Deus bone, quales Dii ſunt, qui furto ſubjici poſſunt, quibus inſidet menſtruata mulier, qui in cloacas abjici poſſunt? Ita hodierni idoloduli clamitant contra noſtros, & idolorum vel clam ſublatorum vel fractorum palam, tanquam horrendi piaculi, Labanico more reos peragere tentant. Sed ſtultitiam

Digitized by Google

titiam illi ſuam cum Labane non pii zeli pro gloria Dei indicium ullum produnt. Labanem rident, & tamen Deum ſuum appellant & adorant, qui ſe à muribus & vermibus, nedum ab unguibus piperatis hominum vindicare nequit.

XXXI. Jacobi reſponſio omittit illa in Labanis oratione mulſa verborum, & ad populum phaleras. Indigna judicat, quibus reponatur quidquam. Neque criminationem ſtultitiæ penſi quidquam habet. Reſpondet igitur ad exprobrationem fugæ, modeſtè ſatis: *Quia timui. Dixi enim: forte raperes filias tuas mihi.* verſ. 31. quaſi diceret: Quòd inſcio te diſceſſum, factum metu juſto eſt. Talem te expertus ſum inde ab annis viginti, ut aliquid ſperare abs te minimè potuerim. Poterat addere plura, Labanis nimirum ſævitiam, ingratitudinem, dolum, avaritiam, potentiam, odium, ſed defungitur paucis. De furto autem reſpondet acerbiùs, etſi pro vero omnia. *Is apud quem inveneris*, inquit primò, *Deos tuos, non vivat* נגד אחינו *coram fratribus noſtris. Agnoſce ſi quid apud me* rerum tuarum, *& cape* verſ. 32. Morti adjudicat, vel ſaltem conſentit in mortem illius, apud quem tale quid repererit. Verba נגד אחינו referunt ad præcedentia, non ſequentia Interpretes Vulgatus, Græci & Arabs. Atque ſic facerent ad ſolennitatem proteſtationis, quaſi diceret: *Ego dico hoc coram fratribus noſtris, ut moriatur qui hoc fecerit.* At Thargum Onkeloſi & Syrus rectiùs videntur ad ſequentia referre, hoc ſenſu: *Coram fratribus noſtris, teſtibus præſentibus & inſpectantibus iis accuratè ſcrutare omnia mea.* Quem ſenſum arguere videntur verba Jacobi inferiùs verſ. 37. Cœterùm in verbis his Jacobi imprecationem agnoſcunt Hebræi nònnulli propter quam Rachel uxor ejus rea furti mox fato ſuo oppetierit. Jarchius: ובאותה קללה מתה רחל בדרך *Propter eam imprecationem mortua eſt in itinere Rachel.* Et Abenezra: יא׳ שהיה דרך תפלת על כן מתה רחל בדרך *Sunt qui dicunt, in verbis his eſſe formam imprecationis. Et propterea mortuam eſſe Rachelem in itinere.* Puto tamen, non imprecationem fuiſſe mortis, ſed conſenſum in mortem ejus, qui reus peragetur. quaſi diceret, minimè ſe repugnare, quò minùs mortis ſupplicio expiet furtum, qui culpæ ejus ſe alligaverit. Ita vir ſanctus innocentiæ ſuæ confiſus, & nihil tale de uxoribus reliquisque domeſticis ſuſpicatur, ſententiam præcipitat, cujus, ſi res fuiſſet prodita, aut ipſum pudere debuiſſet, aut in extremum vitæ diſcrimen chariſſima uxor adducta fuiſſet. Poterat ſeriæ huic generi, nullius mali doli hactenus comperti, proteſtationi acquieſcere Laban. Sed Jacobi ipſi candor immeritò ſuſpectus ſubegit ipſum, ut quicquid erat in tabernaculis omnibus contrectaret. Dumque omnia ſcrutatur, venit poſtremò ad tabernaculum Rachelis, quæ prompto commento pater-

 nam

nam aviditatem eluſit, inſidens cameli clitellis, ſub quibus Teraphim abſconderat, &, ne parenti aſſurgere cogeretur, mulierem morbum prætexens. Sic Rachel peccatum ex peccato nectebat, cum furtum illud ſuum furtivis artibus & mendacio cumularet. Laban verò muliebri aſtu deluſus à ſcrutando abſtinuit. At Jacobus, quòd ſocer innocenter, ut rebatur, furti accuſâſſet, irâ percitus nunc demum graviter eum ob præſentem illam perſecutionem & iniquam furti accuſationem, objurgat. Simul anteactam ſuam viginti ampliùs annorum adminiſtrationem memorat. *Jam viginti annos*, inquit, *fui tecum. Oves tuæ, & capræ tuæ non abortiverunt. Arietes pecudum tuarum non comedi.* טרפה *Raptum non attuli tibi. Egò pœnas luebam pro eo. De manu mea requirebas illud, quod furto ablatum fuerat tam diu quàm noctu. Interdiu abſumebat me æſtus, & gelu noctu, recedebátque ſomnus meus ab oculis meis. Jam mihi viginti anni in domo tua. Servivi tibi quatuordecim annis pro filiabus tuis, & ſex annis pro pecudibus tuis. Mutâſti autem mercedem meam decem vicibus. Niſi Deus patris mei, Deus Abrahami & pavor Iſaci affuiſſet mihi, certè nunc vacuum me demiſiſſes. Sed afflictionem meam & laborem manuum mearum vidit Deus, & increpavit te nocte præteritâ*, verſ. 38.-43. Recti conſcientia, ac inprimis divinæ revelationis, quam Labani factum cognoverat, denique injuriarum atrocitas, animoſum eum reddiderunt. Neque in ea objurgatione Soceri & excandeſcentia reprehenſionem meretur. Nam & juſtiſſimas habuit cauſas, neque verbo ullo, quo Labani injuria fieret, modum exceſſerat, & ad juſtos judices atque arbitros provocat, eos maximè, qui Labani eſſe ſuſpecti minimè poterant, cùm eos ſecum adduxiſſet & auxiliatores advocâſſet. Tota etiam Oratio ita compoſita & adaptata eſt, ut ab homine valde perturbato talis fieri vix poſſit. Proinde Spiritus S. peculiarem motum & impulſum adfuiſſe loquenti nulli dubitamus. Providentiam Dei paternam in ſe agnoſcit, ex fœdere & promiſſionibus Abrahamo & Iſaco factis. Ubi Deum vocat פחד יצחק *pavorem Iſaci.* verſ. 42. uti etiam verſ. 53. Pro quo non malè Thargum Onkeloſi habet דדחיל ליה יצחק *ille quem timebat Iſacus.* Hinc timoris nomine יראה Hebræi Deum tremendum intelligunt. Et in precibus ſuis hæc repetunt: עננו פחד יצחק *exaudi nos pavor Iſaci*, hoc eſt, Deus extimeſcende & pavende. Nempe metus non tantùm eſt vitioſus, ſed etiam laudabilis aliquis. Vide Proverb. XIV. 16. XXVIII. 14. XXIX. 25. Ita capiendum illud Perſii: *Metuens Divûm matertera.* Et Tibullus *timidum* dixit pro religioſo. Videſis Taubmannum ad Plautum 868. 1. *Formidatum Iſaco Deum* reddit Caſtalio. Doctiſſimus Junius in Analyſi exiſtimavit, alluſiſſe Jacobum ad pavorem illum, quo quaſi frœno Deus cohibuit Iſacum, ne collatam in Jacobum benedictionem

nem revocaret ſupra cap. XXVII. 33. Sed id minùs placuit Riveto, quia cum id factum Iſaci ſingulare fuerit & ignotum Labani, Jacobus contra debuerit Deum ſignificare communi nomine iis omnibus quorum erat Deus. Quemadmodum ita dicitur Deus Abrahami, ut Deus ſit omnium poſterorum Abrahami: ſic dicitur *timor Iſaci*, ut etiam ſit Deus omnium poſterorum Iſaci, hoc eſt, fidelium. Hebræi varias etiam rationes afferunt, cur *Iſaci pavorem* Deum ſuum appellaverit Jacob. Abarbanel putat, pavorem ſeu timorem Iſaci intelligi illum, quo is timuit Deum in ligatione ſua, cùm eſſet ſub ictu Abrahami. Hujus timoris merito agnoſcere Jacobum ſibi obveniſſe omnem benedictionem illam. Verba ejus ſunt: ופחד יצחק היה לי שפחד בעת העקדה כשראה המאכלת ביד אביו לשוחטו שאותה זכות עמדה לי *Et pavor Iſaci adfuit mihi. Ille nempe pavor, quo pavit tempore ligationis, cùm videret cultrum in manu patris ſui ad mactandum ipſum. Hæc ejus juſtitia, ſeu juſtitiæ ejus meritum adſtitit mihi.* Quaſi videlicet parentis juſtitiæ & meritis potiùs, quàm divinæ gratiæ acceptam benedictionem tuliſſet. Abenezra non multùm diverſus id ita explicat, quaſi parentis juſtitia univerſa ipſi profuerit hactenus, ne lædi à Labane poſſet. Ita nempe loquitur: פחד יצחק' יראת יצחק את השם היא הועילתני כי זכות האב תועיל לבן *Pavor Iſaci, hoc eſt, timor Iſaci, quo timuit Deum, profuit mihi, quia innocentia parentis prodeſt filio.* Jarchius, cui miror aſſentiri Grotium, frivolam magis affert rationem, quòd Jacobus Deum non vocaverit *Deum Iſaci*, ſicut vocaverat *Deum Abrahami*, nempe quia Iſacus adhuc in vivis extiterit. Viventibus autem Deum nomen ſuum non tribuere, quia fieri poſſit, ut deficiant à ſua juſtitia. Verba ejus ſunt: לא רצה לומר אלהי יצחק שאין הק"בה מיחד שמו על הצדיקים בחייהם *Noluit Jacobus Deum vocare Deum Iſaci, quia benedictus non tribuit nomen ſuum juſtis adhuc viventibus.* Quæ ratio falſa eſt. Deus enim Deum Abrahami dixit, dum viveret adhuc: *Ego ſum Deus tuus.* Indignum etiam eſt Jacobo tribuere eam opinionem, quòd pater ejus fidelis Dei amicus & ſervus divino fœderi innixus, & benedictionis paternæ hæres inſtar funambuli nutabundus fide & bona conſcientia excidere, & naufragium facere poſſit.

XXXII. Sequitur nunc fœdus & conciliatio inter partes. Ejus author fuit ipſe Laban blanda quadam deprecatione uſus, & proteſtatus, non eſſe ſibi animum nocendi, vel Jacobo, vel uxoribus ejus vel liberis. Verba ejus ſunt verſ. 43. הבנות בנתי והבנים בני והצאן צאני וכל אשר אתה ראה לי הוא ולבנותי מה אעשה לאלה היום או לבניהן אשר ילדו quæ ſic tranſtulit Vulgatus: *Filiæ meæ & filii & greges tui, & omnia quæ cernis mea ſunt. Quid poſſum facere filiis & nepotibus meis?* Omittit verba ולבנותי. *filiabus meis*, quæ expreſ-

expreſſit Græca editio, quæ ita habet: ἐμά ἐστι καὶ τῶν θυγατέρων μου, *mea ſunt & filiarum mearum.* At Thargum Onkeloſi, Syrus & Arabs, quos ſequuntur Pagninus, Junius & Tremellius לבנותי conjungunt cum ſequentibus: *Sed filiabus iſtis meis quid faciam hodie?* Ad expoſtulationem Labanis hæc referunt nonnulli, quaſi iſta omnia ſibi tanquam propria vendicaret, eo modo, quo etiam Benhadad Rex Syriæ jactavit, ſuum eſſe aurum, argentum, uxores, liberos Achabi 1. Reg. xx. 3. Ad στοργὴν paternam, ejusque teſtificationem ſive ſeriam, ſive hypocriticam referunt alii. quaſi diceret: Mei ſunt liberi iſti omnes. Cur illos ſpoliarem? Cedam vobis hac in re. Clementior ero. Age fœdus potiùs ineamus: Hic nempe hypocritarum mos eſt, ut deprehenſi & convicti rerum argumentis, involucris quibusdam facta ſua implicent. Ita exponit etiam Jarchius: איך תעלה על לבי להרע להן *Quomodo in mentem mihi veniret lædere filios & filias meas?* Abarbanel utramque ſententiam conjungit. Putat enim ſenſum eſſe Labanis hunc: Mea ſunt quæ habes. Poſſem ea mihi poſtliminio vindicare. Sed quid tum fiet filiabus meis & filiis earum, quos educavi & amavi velut meos. An patiar eos fame perire? Quin potiùs tecum percutiam fœdus. Verba ejus recenſebimus: רל׳ אם יראת מהאנשים יותר היה לך לירא מהבנים ויותר מהצאן שהצלת מצאני הכי בנים ובנות וצאן היו שלי והיה לי ללקחם אבל אם אעשה כן מה אעשה לבנותי היום ולבניהם אשר ילדו אשר טפחתי ורביתי וגדלתי ואהבתי אותם כבנותי וכבני ׃ ויכבה אוכל וראיתי שישארו בחוסר כל רעבים גם צמאים ולכן נכרתה ברית׃ *Vult dicere: Si timuiſti tibi propter viros, magis timere debebas propter filios, & magis propter oves, quas ex ovibus meis ſpoliâſti. Nam omnes filii & filiæ, & oves ſunt meæ, poſſemque eas jure repetere. Sed ſi ita facerem, quid facturus eſſem hodie filiabus meis & filiis quos genuerunt, quos educavi & amavi tanquam filias meas & filios meos. Quomodo videre poſſem eos relinqui in egeſtate, famentes & ſitientes. Propterea age, fœdus percutiemus.*

XXXIII. Fœderis ipſius, quod Laban pepigit cum Jacobo, expendenda ſunt ſignum, ſubſtantia & ſanctio ſeu confirmatio. Signum quod attinet, uti vocat verſ. 44. Laban, העד *monumentum* initi fœderis, Jacobus dicitur *tuliſſe lapidem & erexiſſe illum* מצבה *in titulum* ſeu *ſtatuam* verſ. 45. Cui ejuſdem Jacobi monitu fratres quoque accumulantes lapides יעשו גל *fecerunt tumulum.* De מצבה alibi agimus. גל Græci vertunt βουνόν. Thargum Onkeloſi דגורא *acervum.* Unum idémque deſignari vocibus מצבה & גל exiſtimat Rivetus & alii. Igitur v. 45. in genere ſignificari eam rem factam fuiſſe: at verſ. 46. quâ ratione & quibus adjutoribus. Nihil tamen obſtare puto, quò minùs aliud ſignificet hoc loco מצבה aliud גל. Et מצבה quidem notat omninò *titulum*, στήλην *ſtatuam.* Hunc more ſuo collocavit Jacobus

Jacobus ſolus. At circum illum fratres Jacobi, comites nimirum Labanis lapidum aggeſtu fecerunt גל *tumulum* ſeu *acervum*, ex ſtatua à Jacobo collocata & lapidibus à fratribus congeſtis compoſitum: ita tamen ut emineret titulus Jacobi. Proinde nec Doctiſſimi Junii ſententiam, quam video tenere etiam Abarbanelem, probare poſſum, aſſerentis, duo diverſa hæc ſigna fuiſſe. Atqui Jacob & Laban loquuntur tanquam de uno. Laban vocat העד *teſtem, monumentum*, verſ. 45. Idem apparet ex nominis impoſitione, quæ ex utraque confœderatorum parte ita facta eſt, ut de ſignificatione convenerint, etſi quisque linguæ ſuæ voces retinuerit. Nam Laban monumento illi nomen indidit יגר שהדותא *acervus teſtimonii*, linguâ Chaldaicâ ſeu Aramicâ, quâ tota familia poſterorum Nachor tunc utebatur ex conſuetudine incolarum regionis, quam inhabitaverant. Syriaco idiomate יגר denotat acervum non quemvis, ſed lapidum duntaxat. Ferrarius: *Cumulus, acervus, congeries lapidum, maceria, tumulus.* Gloſſarium Syro-Arabicum תל הגארה בגיר טין אנבאר *tumulus lapidum abſque luto, acervus.* Eſſe autem יגר non alium quàm lapidum acervum ex lingua Æthiopica probat L. de Dieu, in qua uſitatum eſt verbum וגר pro *lapidare.* At Jacobus Hebraica dialecto eidem monumento nomen indidit גלעד *Galhed* ſeu *βουνὸς μαρτυρεῖ acervus teſtatur* vel *teſtis*, uti habent Græci. Fuit autem גלעד *Galhed* proprium nomen illius monumenti & tractus, in quo poſitum fuit, etſi poſtea, inflexo quodammodo nomine Galaad dictus fuit, imò tota regio, ſed à proprio nomine viri ex poſteris Joſephi, de quo vide Num. XXVI. 29. Aliud etiam tumulo illi nomen impoſuerat Jacobus, nempe מצפה *Mizpah*, verſ. 49. Quæ vox notat סכותא *ſpeculam*, uti rectè τῷ παραφραστῇ Thargum Onkeloſi. Ita etiam Syrus רוקא *ſpeculam* convertit: Arabs אלחנר אלטלין *lapis intuens.* Græci habent *ὅρασις viſio*, eodem ſenſu. Melius hi omnes, quàm Vulgatus, qui ſimpliciter reddit: *Intueatur & judicet Dominus inter nos.* quaſi מצפה non proprium, ſed appellativum nomen foret. Rectiùs Marius ex Hebræo reddit: *Et Mizpah*, id eſt, *ſpecula* &c. Ratio *ὀνομαθεσίας* hujus redditur in textu: *quia dixerat* Laban nimirum, vel potius uti Jarchius cenſet, כל אחר אל חברו *quiſque ad ſocium ſuum* יצף ה׳ ביני ובינך *ſpeculetur Jehova inter me & te.* Quaſi diceret Laban: Speculabitur, contemplabitur poſtea Dominus, quæ faciemus, congruántne cum hoc pacto nec ne. Non malè Abenezra obſervat יצף יהוה *ſpeculabitur Dominus* idem eſſe quod illud Abrahami יהוה יראה *videbit Dominus.* Eſt igitur מצפה à צפה *ſpeculari.* A qua voce derivat Suffetes Ephoros Carthaginenſium, imò & Africanarum civitatum omnium, Scaliger ad Feſtum: *Porro qui Hebraïcè ſciunt*, inquit, *& non ignorant Pœnos Tyriorum colonos eſſe,* conce-

Digitized by Google

concedent mihi Sufes idem eſſe quod ἔφορον, ἐπίσκοπον, ἐπόπτην, צופה. Sed nemo non videt, *Suffetes* dictos eſſe non à צפה ſed potius à שופט ut idem ſint quod *judices*. Nomen autem מצפה *Mizpah* poſtea manſit non tantùm ei loco, in quo erectus fuerat acervus: ſed etiam civitati in vicinia ædificatæ, loco celebri propter habitationem arcæ, in quo Samuel judicavit Iſraëlem. 1. Sam. VII. 5, 6. In erecto hoc & gentilibus utrinque nominibus inſignito monumento dicuntur comediſſe, Laban nimirum, Jacob & comites utriusque verſ. 46. Quod per anticipationem dictum. Nam poſt ſancitum juramento fœdus demum convivium celebratum eſt, uti apparet ex verſ. 54.

XXXIV. Subſtantia fœderis Labanem inter & Jacobum initi conſtituebatur in communi officio in poſterum exhibendo. Stipulatur Laban à Jacobo integram erga uxores fidem, & ut neuter alteri noceret. *Speculetur*, inquit, *Jehova inter me & te.* כי נסתר איש מרעהו *quando abſcondemur alter alteri. Si afflixeris filias meas, & ſi acceperis uxores præter filias meas. Nemo eſt nobiſcum. Sed vide quòd Deus teſtis eſt inter me & te. Adjecitque Laban ad Jacob: En tumulus iſte, & en ſtatua, quam jeci inter me & te. Teſtis erit tumulus iſte, teſtis quoque ſtatua iſta, quòd ego non transibo ad te ad tumulum iſtum, & quòd tu non transibis ad me ad tumulum iſtum & ſtatuam iſtam ad malum.* verſ. 49.--53. Duplex hic exprimitur conditio, una ſingularis, communis altera. Singularis eſt pro filiabus, ne eos affligat, vel alias unquam iis ſuperinducat. Hanc conditionem præſcribit hypocrita, quaſi videlicet filiarum ſuarum curam haberet, qui erga eas per viginti annos integros paternum affectum nunquam declaraverat. Altera conditio juxta vulgarem expoſitionem communis eſt, quâ voluit cavere ſibi, & poſteritati ſuæ, ne Jacobus aut poſteri aliquid in ſe attentarent. Igitur vetat transgredi fixum monumento acervi limitem, ſeu montem, qui populum utrumque diſtinxerat. Laban repetit animo ſuo injurias & contumelias Jacobo illatas, atque ſimul benedictionem, quâ Deus eum hactenus proſecutus fuerat, ex qua futuram poſteritatis ejus potentiam utcunque augurari ei licuit. Metuit igitur ne quando reverſus de illo vindictam ſumeret. Quamobrem ut periculum declinaret fœdus hoc cum Jacobo ineundum putavit. Verùm in verbis Labanis verſ. 52. עד הגל הזה ועדה המצפה אם אני לא אעבר אליך את הגל הזה ואם אתה לא תעבר אלי את הגל הזה *Teſtis acervus iſte & teſtis ſtatua illa, ſi ego non tranſibo ad te tumulum iſtum* &c. difficultas eſt, quam movet doctiſſimus Abarbanel his verbis: וקשה לפירש׳ אמרי אם אני לא אעבר אליך ואם אתה לא תעבור אלי בלשון שולל כי היה לו לומר אם אני אעבר אליך ואם אתה תעבר אלי בלשון כתיב *Difficilis explicatu eſt ſermo Labanis: Si ego non tranſivero*

vero ad te: & ſi tu non tranſiveris ad me, ſenſu negativo. Dicendum enim fuerat: Si ego tranſivero ad te, & tu tranſiveris ad me, ſenſu affirmativo. Quam difficultatem auget etiam verſio Helleniſtarum, quæ ita verſum 52. reddit: Καὶ εἶπε Λαβὰν τῷ Ιακώβ. Ἰδοὺ ὁ βουνὸς οὗτος καὶ μάρτυς ἡ στήλη αὕτη. Ἐάν τε γὰρ ἐγὼ μὴ διαβῶ πρός σε, μήτε σὺ διαβῇς πρός με τὸν βουνὸν τοῦτον καὶ τὴν στήλην ταύτην ἐπὶ τῇ κακίᾳ. Ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ ὁ Θεὸς Ναχὼρ &c. *Et dixit Laban ad Jacob: Ecce acervus hic & teſtis titulus hic. Sive enim ego non transgrediar ad te, neque tu transgrediaris ad me acervum hunc, & titulum hunc ad malum. Deus Abraham & Deus Nachor judicet inter nos.* Hic ſenſus ſi obtinet, uti eum Hebræa poſtulare videntur, juraverint igitur utrinque, non ſe non tranſituros, ſed ſe omninò tranſituros acervum iſtum לרעה ἐπὶ κακίᾳ *ad malum.* Nodum illum ſic expedit Abarbanel, ut non tam ſe non transgreſſuros limitem ad nocendum, quàm ſe transgreſſuros limitem tempore neceſſitatis ad opem contra hoſtes ferendam, mutuo ſtipulati dicantur. Verba ejus ſunt: ולבן נראה לי לפרש שלא היה בריתם שלא יבא להרע את חבירו אלא שיתחייבו בבא רעה צרה וצוקה לאחר מהם שהאחד יבא לעזרו ולהצילו ממנה כדרך האחים נאמנים שאח לצרה יולד ולבן אמר אם אני לא אעבר ואם אתה לא תעבר בלשון שולל כי יהיה אז הגל והמצבה עדים על רשעתו: *Propterea videtur mihi dicendum, fœdus eorum non in eo ſitum fuiſſe, ut promitterent mutuò, ſe non tranſituros acervum ad nocendum ſibi. Sed ſenſus eſt, ingruentibus hoſtilibus anguſtiis teneri eos ſibi mutuò venire auxilio, & ſe mutuò liberare, ſicut decet fidos fratres: ſiquidem frater natus eſt ad anguſtias. Propterea dixit: Si ego non tranſibo, & ſi tu non tranſiveris, ſenſu negativo, tum acervus & ſtatua hæc teſtabuntur de iniquitate.* Quo ſenſu fuerit fœdus hoc non *pacis* duntaxat mutuæ, ſed etiam *ſocietatis*, adeóque ἐπιμαχίας, quo ſe obligaverint ad tuendos fines & depellendos mutuò hoſtes. Et ſanè difficultate ea, quomodo Laban dicere potuerit Deum teſtem fore, ſi non tranſeat ad inferendum malum, motus videtur etiam Tremellius, qui propterea in verbis illis ellipſin agnoſcens, ita verſum reddit: *Teſtis cumulus iſte, & teſtis ſtatua illa eſt; ſive ego prætergrediar, me non prætergreſſurum ad te cumulum hunc: ſive tu prætergrediaris, te non prætergreſſurum ad me cumulum hunc, & ſtatuam illam ad malum.* Quomodo etiam Jarchius putat hoc loco אם eſſe משמש לשון *ſervile.* Verùm ut ad ejuſmodi ellipſin confugiamus, neceſſitas nulla urget. Alioquin etiam verſ. 50. ejuſmodi particulæ אם ellipſis uſurpari à Labane in eadem oratione debuiſſet. Quo argumento premitur etiam expoſitio R. Levi ben Gerſon allegata ab Abarbanele, qui אם אני poſitum putat pro שאני. Eodem enim modo etiam verſ. 50. אם explicari deberet, quomodo ſenſus contrarius efficeretur. Aſſentior igitur Abarbaneli, cujus interpretatio clara eſt & textui

 Hebraico

Digitized by Google

Hebraico congrua. Abundare tamen quemque ſuo ſenſu patior.

XXXV. Fœdus hoc ſancitum confirmatumque eſt partim religione juramenti, partim convivio ultro citróque exhibito. Juramenti forma habetur verſ. 53. אלהי אברהם ואלהי נחור ישפטו בינינו אלהי אביהם *Deus Abrahami & Deus Nachoris judicet inter nos, Deus Patris eorum.* De Jacobo verò ita habetur: וישבע יעקב בפחד אביו יצחק *& juravit Jacobus per pavorem patris ſui Iſaci.* Utrinque invocatur Deus judex. Hæc nempe fœderum eſt religio & Sanctitas, Deum utrinque invocare, ut inultam perfidiam non ſinat. Laban jurat per אלהי אברהם ואלהי נחור אלהי אביהם *Deum Abrahami & Deum Nachoris, Deum patris eorum.* Jacobus verò per פחד אביו יצחק *pavorem patris ſui Iſaci.* In formula Labanis ambiguitas eſt. Græci reddunt ſimpliciter: ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ναχὼρ κρίναι ἀνὰ μέσον ἡμῶν, *Deus Abrahami & Deus Nachoris judicet inter nos.* Thargum Onkeloſi אלהיה דאברהם ואלהי דנחור ידונון בינגא אלהא דאבוהון *Deus Abrahami & Deus Nachoris judicent inter nos, Deus patrum eorum.* Non malè utrinque, quamvis ſuccinctiùs Græci. Neque abludit Arabs. Sed Syrus perperam pro אביהם habet אבהתן *patrum noſtrorum.* Non conſtat ſatis, an Laban intelligat Deos alienos, quos patres eorum coluerunt in Meſopotamia, Joſ. XXIV. 2. an verò Abrahami verum Deum cum falſis illis Diis conjungat. Jarchius putat per אלהי אברהם Deum Abrahami intellexiſſe אלהי קדש *Deum Sanctum,* per אלהי נחור *Deum Nachoris* אלהי חול *Deum profanum.* Mihi tamen probabilius fit, jurâſſe ipſum non per verum Deum Abrahami, ſed potiùs per Deum Abrahami & Nachoris ſeu patris eorum, puta Thærachi. Qui autem Thærachi erant Dii? Nempe אלהים אחרים *Dii alieni* Joſ. XXIV. 2. Sic nempe Laban more ſuperſtitioſorum hominum religionem ſuam ab antiquitate & ſucceſſione à patribus acceptam probari poſſe exiſtimavit. Jacobus verò Labanis ſive profanitatem ſive ambiguitatem evitaturus, jurare maluit per *pavorem patris ſui Iſaci,* hoc eſt, verum Deum, quem Iſacus Abrahamum divinitùs inſtitutum ſecutus coluit. De quo vide ſupra. An verò Jacobus acceptare potuit juramentum Labanis cum idololatria conjunctum? Non detuliſſe eum juramentum Labani, manifeſtum eſt. At oblatum ſub ea forma acceptare potuit, quia aliter ipſum inter & Labanem tranſigi non potuiſſet. Noverat etiam Labanem quanquam ſub falſis notis, generali tamen complexione Numen intuitum eſſe, ideóque Deum verum, ſi pejeratum foret, in ſuam injuriam id factum interpretaturum. Juramento adjunctum eſt convivium. De quo ſic Moſes. verſ. 54. ויזבח יעקב זבח בהר ויקרא לאחיו לאכל לחם ויאכלו לחם וילינו בהר: *Et immolavit Jacobus victimam in monte, & invitavit fratres ſuos ut comederent. Comederuntque panem, & pernoctârunt in monte.* Quale fuerit

convi-

convivium illud, θύσιμον an συνηδυςικὸν, à nobis ventilatum obiter diſcuſſumque eſt tomi prioris Exercit. xv. 22. Neque hîc operam ludimus. Quærit Abarbanel: Quare Jacobus dicatur ad convivium invitâſſe fratres, non item Labanem? Reſpondet his verbis: ולא ק״א ללבן חמיו כבני כבורו כאלו אכל ברשותו והכל שלו כמו שכתב הרמבן *Et non vocavit Laban ſocerum ſuum propter honorem ejus, utpote qui comedere poſſet ſuo arbitrio, & omnibus uteretur tanquam ſuis, uti ſcripſit Ramban.*

XXXVI. Finito fœdere Laban filiis ac filiabus ſuis oſculo & benedictione impertita valedixit, & Charanem reverſus eſt. Sive autem benevolentia illa Labanis vera fuit, ſive ficta & expreſſa, expertus eſt Jacobus veritatem dicti ſapientis Prov. xvi. 7. *Cùm benevolentia perſequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus ei conciliat*; nec non Poëtæ illius: *Ponuntque ferocia Pœni corda, volente Deo.* Igitur Jacobus digreſſus ex monte Gilead iter Cananæam verſus perſequitur. Cœterum in ipſa via יפגעו בו מלאכי אלהים *occurrerunt ei Angeli Domini.* Geneſ. xxxii. 2. Quos, quàm primùm vidit Jacobus, pronuntiâſſe fertur: מחנה אלהים זה *Caſtra Dei ſunt hæc*, & inde ipſi loco, in quo ei viſi ſunt, impoſuit nomen מחנים *Mahanaim* ſeu *caſtrorum.* Quales fuerint hi *Angeli Dei*, & quomodo ei occurrerint, non conſentiunt docti. Rabbi Levi ben-Gerſon eos Angelos Dei putat fuiſſe מנביאי הדור *de prophetis ejus ætatis.* Abarbanel putat dici poſſe, fuiſſe Angelos Dei עוברי דרכים אנשים מדינים סוחרים *viatores ejus regionis viros, mercatores*, qui eum prætereuntes narraverint, Eſavum in procinctu eſſe, ut hoſtili exercitu occurreret Jacobo. Vocari autem מלאכי אלהים *Angelos Dei* כי היו בעיניו כמלאכי אלהים מודיעים הדברים הצריכים לו *quia fuerunt in oculis ejus inſtar Angelorum Dei, quippe qui ipſi indicârunt res ipſi admodum neceſſarias ſcitu.* Verùm cauſam non video, cur à proprietate literæ diſcedamus. Neque putavit Jacobus, Eſavum fratrem in procinctu jam & in itinere eſſe, cùm poſt hunc demum occurſum miſerit nuntios ad Eſavum in terram Seir. Omnino igitur veros angelos occurriſſe Jacobo exiſtimo. Cœterùm Jarchius putat, fuiſſe eos Angelos מלאכי הארץ *Angelos terræ* Meſopotamiæ nimirum, qui ipſi occurrerint ללוהו לארץ *ut ipſum comitarentur in terram uſque* Canaan. In ipſam verò terram Canaan ingreſſo ei occurriſſe aliam Angelorum turmam, qui Cananéæ regionis Præſides fuerint, quique deinceps ſalvum ei conductum exhibuerint in terra Canaan, & ab omni periculo immunem reddiderint. Atque hinc factum quòd loco illi indiderit nomen non מחנה ſed in plurali מחנים *bina caſtra*, quaſi duplex exercitus eſſet. Huic Hebræorum ſententiæ ſuffragatur Bonfrerius, aliique Papiſtæ, ut tutelarium Angelorum figmentum palliarent. Verùm Moſes non habet,

 exerci-

Digitized by Google

exercitum illum Angelorum perpetuò comitem hæſiſſe Jacobo. Quin potiùs cùm occurriſſe ei caſtra ea, & ex occurſu illo, loco nomen illum dediſſe narrat, ſatis innuit fuiſſe occurſum illum transeuntem non permanentem. Alii alia de his Angelis fingunt. Patet ex ipſo textu, turmam Angelorum Jacobo proficiſcenti non in viſione prophetica, ſed extra quamcunque viſionem occurriſſe, forma hominum indutos, quos notâ aliquâ Angelicâ inſignitos, Angelos eſſe cognoverit Jacobus. Hæc turma ſeu exercitus Angelorum ſe conjunxit caſtris ipſius Jacobi. Hinc loco occurſus nomen indidit non מחנה ſed מחנים *caſtra*, puta vel gemina caſtra, quia conjuncta fuerint Jacobi & Angelorum caſtra, vel maximâ Angelorum turmâ, in duo nempe caſtra diſtincta. Nomen hoc loco impoſuit, quò memores eſſent poſteri, Angelicâ ſe tutelâ ſemper & ubique defendendos, ſi fide Domino, ut pater illorum Jacob, inhærerent. Hinc etiam nomen obtinuit civitas munitiſſima Mahanaim in tribu Gad, quæ Levitis ceſſit Joſ. XXI. 38. in qua etiam Isboſeth regnâſſe putatur 2. Sam. II. 8. Joſephus finem illius occurſus ita explicat: Ἰακώβῳ δὲ εἰς Χαναναίαν προϊόντι φαντάσματα συνετύγχανον ἀγαθὰς ἐλπίδας ὑπαγορεύοντα περὶ τῶν ἐς ὕστερον. *Jacobo in Canaan proficiſcenti, phantaſmata occurrerunt, in bonam ſpem eum erigentia de iis, quæ in poſterum ei obventura.* Cauſa tamen illius occurſus non illa tantùm fuit, ut muniretur adverſus inſtans malum & hoſtilem fratris occurſum, quem jam tum haud dubiè animo agitaverat, & anxius volutaverat Jacobus: ſed etiam ut fidem promiſſionis in viſione Angelorum per ſcalam aſcendentium & deſcendentium factæ, fore ut Deus illum reduceret in patriam. Geneſ. XXVIII. 15. nunc impleri cerneret, certúsque adeò eſſet de felici ad parentem reditu, nequicquam obnitente infeſta ſigna contra ipſum laturo fratre. Hæc nempe viſio actu refert, quod poſtea David in genere docuit Pſal. XXXIV. 8. *Caſtrametantur Angeli Jehovæ circa timentes eum & eripit eos.* Similis viſio fuit Eliſæi, cùm in Dothan obſidione cinxiſſent eum Syri, 2. Reg. VI. 16, 17. De eo occurſu Angelicorum caſtrorum ita habet Chryſoſtomus homil. 58. in Geneſin: Ἐπειδὴ γὰρ παυσαμένου τοῦ φόβου τοῦ Λάβαν καὶ τέλος εἰληφότος, διεδέχετο λοιπὸν ὁ φόβος τοῦ ἀδελφοῦ, διὰ τοῦτο ὁ φιλάνθρωπος δεσπότης παραθαῤῥῆναι τὸν δίκαιον βουλόμενος καὶ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν δειλίαν ἀποσκεδάσας, παρεσκεύασεν αὐτὸν τῶν Ἀγγέλων τὴν παρεμβολὴν ἰδεῖν. *Sublato jam & finito metu, quem ob Labanem conceperat, ſucceſſit metus fratris. Propterea Deus ille humaniſſimus ſecuro animo eſſe Jacobum, omnemque metum ipſum exuere volens Angelorum hæc caſtra ut videret, curavit.*

XXXVII. Angelico hocce occurſu confirmatus Jacobus, non negligenda tamen ſibi putavit media, quibus utcunque infenſus fratris animus

mus ipſi conciliaretur. Miſit enim ad Eſavum fratrem legatos in terram Seir regionis Edom, iiſque mandavit, nuntiarent fratri, ſe in procinctu eſſe, ut in patriam poſt diutinam apud Labanem exactam moram, & perceptum variis documentis benedictionis divinæ ſenſum, revertatur. *Sic dicetis*, inquit, *Domino meo Eſavo: Sic dicit ſervus tuus Jacob: Apud Laban habitavi, & moratus ſum uſque ad hoc tempus. Et ſunt mihi boves & aſini, pecudes & ſervi & ancillæ: mittóque ut nuntiem Domino meo, ut inveniam gratiam in oculis tuis.* verſ. 4, 5. De montis Seir & Iduméæ diſtinctione actum nobis eſt Exercit. XII. 16. Sed quæ cauſa fuit, cur legationem eam ad fratrem expediret? Etenim noverat jam eum ex terra Canaan in Iduméam ad cognationem uxorum ſuarum migrâſſe, ibique effectum ampliſſimum, ut opus non fuiſſe videatur, cur fratrem in regione extera agentem tanto ſtudio compellaret. Verùm expediendæ hujus legationis cauſa non alia Jacobo fuit, quàm charitas. Nam primò inter fratres charitatem eſſe natura jubet. Itaque vel ex charitatis officio Jacobum neceſſe fuit ſalutare fratrem. Deinde antecedentium offenſarum neceſſaria fuit obliteratio: præſertim cùm Jacobus ignarus non eſſet, quomodo frater ex antecedentibus offenſis de nece ipſius cogitâſſet. Denique metus etiam futurus fuiſſet à nova offenſione, ſi Jacobus patrem, patriámque promiſſam, tanquam juſtus hæres, virtute antecedentium promiſſionum, quas quodammodo fratri ſubripuerat, ſine hac veluti cautione adiviſſet. His igitur cauſis tum communibus charitatis, tum ſingularibus enumeratis Jacobus ad fratrem nuntios ablegavit. Cur verò, inquias, fratrem ſuum Dominum, ſe verò ejus ſervum appellavit ille, qui paterna benedictione noverat ſe antelatum fratri, ejusque conſtitutum dominum? Natura quidem prior erat Eſavus. Proinde ſecundum naturam omnino anteverti omni honore fratrem à Jacobo conveniebat, non ſolùm propter urbanitatem aut civilem honeſtatem, ſed etiam propter conſcientiam naturæ lege obligatam. Verùm objici poſſit naturæ legi ſingulare inſtitutum & declarationem Dei adverſari. Cœterùm ſi rectè expendamus ordinem agendi, quem tenere ſanè Jacobus debuit, facile nodus expediri poterit. Etenim Jacobus declaratus erat hæres & Dominus Eſavi. Sed ordo à Deo inſtitutus perfectus nondum erat. Revelata erat Dei voluntas & cognita, ſed nondum reddita, & effecta. Poſtquam autem effecta fuit, tum primæ ſimpliciter ad Jacobum pertinuerunt. Itaque primogeniture jus primò natura pertinuit ad Eſavum: deinde poſt revelationem divinam & declarationem ex facto ad Eſavum, jure ad Jacobum: poſtremò autem ordine perfecto ex jure & facto ſimul ad Jacobum pertinuit. *Poſita ergo*, inquit Doctiſſimus Junius, *ſed nondum*

Digitized by Google

dum effecta illa actione divina, non modo ſimiliter vero, ſed etiam ſecundum conſcientiam Jacobus fratrem dominum ſuum appellavit, ut David Saulem, ut legimus 1. Sam. 24. & 25. capitibus. Ita etiam Abrahamus hæres jam conſtitutus terræ Canaan, pronus ſe incurvavit coram Hetthæis, tanquam terræ tunc dominis. Nempe jure erat Dominus terræ Canaan: ſed promiſſionis divinæ effectus adhuc in ſuſpenſo erat. Proinde exſpectare debuit, donec eum Deus in poſſeſſionem mitteret. Sic etiam Jacobus voluntatis divinæ executionem æquo & patiente animo exſpectavit, & in præſenti rerum ſtatu intra naturæ fines ſe continuit. Accidit in hoc facto, quod in jure dici ſolet, potiorem eſſe cauſam poſſidentium. Eſavus autem primatum ratione temporalium (ſpiritualium enim alia omnino ratio fuit) adhuc poſſidebat, donec Jacobi poſteri hæreditatem terræ Canaan adirent. Nihil igitur præter officium vel decorum Jacobus deſignavit, ſed ſalva pietate & prudentia tempori inſervivit. Hoc modo rectiùs expediri dubitationem puto, quàm illo, quem R. Menaſſe ben-Iſraël Concil. quæſt. 49. ubi ut ſubmiſſionem Jacobi conciliet cum paterna benedictione & translata in Jacobum primogenitura, fingit reſponſum illud Rebeccæ à Deo perhibitum in hæc verba: ורב יעבד צעיר ambiguum eſſe, ita ut eo ſignificetur viciſſitudo parendi & imperandi in utroque fratre. Cùm igitur dominium primò cœperit ab Eſavo, conveniens fuiſſe, ut ipſum dominum agnoſceret, eique ſe incurvaret Jacobus. qua Jacobi demiſſione & ſervitute conſummata cœperit demum imperium Jacobi æternum & durabile. Quaſi videlicet Spiritus S. flexiloquo ejusmodi & ἐπαμφοτερίζοντι reſponſo ancipitem tenere Rebeccam propoſuerit. Quòd verò Jacobus Eſavo per legatos annuntiat ſe apud Jacobum hucuſque peregrinatum, ibidémque facultatem nactum eſſe boum, aſinorum, pecudum, ſervorum & ancillarum; id ipſum ad aucupandam fratris gratiam, & ciendum commiſerationis affectum totum comparatum fuit. Inſinuat enim, haud altos ſe gerere ſpiritus, neque ambitionis œſtro ſtimulari, qui tamdiu peregrinus & ſervus in aliena domo commoratus fuerit. Deinde ne videretur paternæ familiæ futurus oneri, hæreditatique inhiaturus, vel fratris gratiam privati potiùs emolumenti, quàm amicitiæ gratiâ ambiturus, commemorat opes in Meſopotamia acquiſitas. Prudenter omnia removet, quibus fratris indignationem concitari poſſe exiſtimavit. Jarchius hunc orationis legatorum ſenſum facit: לא נעשיתי שר וחשוב אלא גר אינך כדאי לשנא אותי על ברכות אביך שברכני הוא גביר לאחיך *Non factus ſum Princeps aut vir magnæ authoritatis, ſed inquilinus: quare cauſam non habes me odio habendi ob benedictionem Patris tui, quâ is benedixit mihi, & me fratribus tuis præpoſuit.* Quaſi videlicet paternam benedictionem

parum

parum penſi habitam ipſemet elevare voluiſſet. Frigidior eſt, quam ſubjicit his verbis expoſitio : דא׳ גרתי בגימטריא תרי״ג כלומר עם לבן הרשע גרתי ותרי״ג מצות שמרתי ולא למדתי ממעשי הרעים *Alia expoſitio :* גרתי *per Gematriam facit* 613. *præcepta. quaſi diceret : Cum Labane impio peregrinatus ſum, & 613. præcepta cuſtodivi, neque didici quicquam ex actionibus ejus malis.* Quòd verò ſibi copiam eſſe boum & aſinorum profitetur Jacobus, id eum in ſenſum interpretatur idem Jarchius quaſi indicare voluerit, aliunde hæc provenire quàm à paterna benedictione. Patrem enim promiſiſſe benedictionem מטל השמים ומשמני הארץ *de rore cœli & pinguedinibus terræ.* At boves hoſce & aſinos non proveniſſe ſibi מן השמים ומן הארץ *ex Cœlo vel terra.* Ita Jacobum non obſcurè incuſat ingratitudinis erga paternam benedictionem.

XXXVIII. Legati ex terra Seir regionis reduces, ejuſmodi nuntium aſportant Jacobo : *Venimus ad fratrem tuum ad Eſavum, qui etiam pergit* לקראתך *in occurſum tui cum quadringentis viris ſecum.* verſ. 6. Non videntur prolixè egiſſe cum Eſavo legati. Proinde reſponſum afferunt nullum, ſed Eſavum duntaxat comitibus quadringentis viris properare obviam Jacobo, referunt. Abarbanel cenſet, nuntios hos ne quidem in Seir profectos eſſe, ſed in Eſavum ejusque copias medio in itinere incurriſſe, & territos ejus potentia ne quidem eum alloqui ſuſtinuiſſe. Atque hinc eos dicere : *Venimus ad fratrem tuum Eſavum :* non : *venimus ad Eſavum in monte Seir.* Verùm id minùs certum. Unde enim tam brevi tempore Eſavo innotuiſſet reditus Jacobi, niſi ex his nuntiis. Pro *quadringentis viris* Jonathan & Paraphraſeos Hieroſolymitanæ author habet פולמרכין *Polemarchos quadringentos,* hoc eſt, quadringentos belli duces. Cùm verò probabile non ſit, tot belli Duces Eſavum comitatos eſſe ; conjectat Druſius, abuſos eſſe eos voce ea ad ſignificandos bellatores, quos infra cap. XXXIII. 15. פולמוסין appellant, à ſingulari פולמוסי *πολεμιστὴς bellator.* Igitur etiam Lexicon vetus *πολεμάρχην belligeratorem* explicat. Cœterum Scriptura non explicat, quadringenti illi viri armati fuerint, nec ne. Incertum etiam quo conſilio tot comitibus inſtructus obviam Jacobo Eſavus proceſſerit ? Sediſſe eam opinionem nuntiis : quaſi hoſtili animo occurreret Eſavus, cenſuit omnino Jarchius, qui ita παραφράζει verba nuntiorum : שהייתה אומר אחי הוא אבל הוא נוהג עמך כעשו עודנו בשנאתו *Is de quo dixiſti, frater meus eſt, adbuc tecum agit, ut Eſavus, permanens in odio ſuo.* Etiam Bibliander in M. S. putat hoſtili animo proceſſiſſe fratri obviam Eſavum. At bona intentione & fraterna dilectione permotum Eſavum, poſt tot annos ab exilio redeuntem fratrem voluiſſe amicè amplecti, tenent alii, Pellicanus, Junius,

Rivetus, qui poſtremus his utitur argumentis. Primò quòd in mitiorem partem interpretanda ſint omnia, cùm id fieri poteſt ſine præjudicio veritatis: deinde quia probabile non ſit Eſavum, qui offenſione recente ad furorem uſque commotus, abſtinuit manus à fratre, exſpectans donec luctus parentis adveniſſet, cùm poſt tot annos deferbuiſſet ira, parentibus adhuc viventibus & ſenio confectis, voluiſſe in fratrem peregrè venientem ſævire; denique quòd eventus docuerit, eum animo planè benevolo ad fratrem acceſſiſſe. Hæc quidem argumenta fidem faciunt, Eſavum conſilio non malo obviam proceſſiſſe fratri. Cœterùm quæ ſequuntur, arguunt, Jacobo occurſum illum ſuſpectum omnino fuiſſe. Nam non tantùm יירא מאד *timuit valde*, ſed etiam copias ſuas diviſit, ne utraque ſimul ſævitiæ fratris pateret.

XXXIX. Tria autem ſunt, quibus ſe præparavit in occurſum fratris Jacobus, nimirum conſultatio, preces & munera. Quoad primum, diviſis turmis ſuis dixit: *Si venerit Eſavus ad turmam unam & percuſſerit eam, tunc erit turma quæ remanſerit* לפליטה *in evaſionem* verſ. 8. Innuitur conſilium Jacobi copias dividentis, ut cæſa una acie fugâ ſe ſalvaret altera. Conſilium hoc militare fuiſſe volunt Hebræi. Unde Jarchius Jacobum ſe præparâſſe ad מלחמה *bellum* aſſerit. Verùm ſequentia arguunt, Jacobum non conſtituiſſe vim vi armata repellere, ſed potiùs eam cautionem ſervare voluiſſe, ut ſi omnino Eſavus hoſtilia meditaretur, non internecione delerentur omnes, ſed pars altera locum haberet fugâ ſaluti ſuæ conſulendi. Preces porro calidiſſimas & emphaticis tum verbis tum rationibus munitas concipit Jacobus, quibus Deum Patris ſui Abrahami & Deum patris ſui Iſaci, Jehovam, qui ei reditum in patriam imperaverit, cujusq; benedictioni & promiſſionibus ſuam opponit indignitatem, orat & obſecrat, ut ſe de manu fratris vindicare dignetur, *ne veniat & percutiat ſe* אם על בנים *matrem cum filiis*, verſ. 9--13. Denique exactâ eâ nocte munus paravit fratri offerendum, quò commotum forte ejus barbarum animum utcunq; ad mitiora conſilia inflecteret. Noverat nempe veriſſima eſſe quæ cecinit Poëta:

> *Munera crede mihi placant hominésque Deósque,*
> *Flectitur iratus Jupiter ipſe datis.*

Vires autem & facultates ſuas exeruit ſine maligno delectu. Nam יקח מן הבא בידו *accepit ex iis quæ occurrebant ad manum ſuam*, hoc eſt, quæ erant ברשותו *in poteſtate ſua*, uti explicat Jarchius. Apud eundem *Midras Agada* hoc explicat de אבנים טובות ומרגליות שאדם צר בצרור ונושאם בידו *lapidibus pretioſis & margaritis, quæ colligi ſolent in faſciculum, & in manu geſtari.* Sed perperam. Eſt enim phraſis uſitata de omni eo quod in facultate alicujus poſitum

ſitum

ſitum & præſens ac promptum eſt. Notat Abarbanel, non conveniſſe Eſavo, utpote potenti & Principi munus offerre lovidenſe, neque aliud, quàm quod ex propriis facultatibus depromptum שלא ישלחוה כפי כבוד השר שהובאה לו כי אם מהבא בידו והנמצא אצלו *eò quòd non conveniat mittere munus principe dignum, niſi poſitum in alicujus propria facultate.* Sed hæc puto otioſa, quia non aliud ſibi vult Moſes, quàm prompſiſſe Jacobum munus ἐκ τῶν παρόντων ex iis quæ in promptu ipſi erant. Non malè igitur exponunt Græci: καὶ ἔλαβεν ὧν ἔφερε δῶρα, *& ſumpſit, de quibus ferebat dona.* Arabs: ערל רבמא נא בה מעה *ſepoſuit ex iis quæ attulerat ſecum.* Delegit autem *capras ducentas, oves ducentas* תישים *hircos viginti, camelos lactantes & pullos eorum triginta, vaccas quadraginta, juvencos decem, aſinas viginti & pullos decem.* תישים *arietes* vertit Hieronymus hîc & Prov. xxx. 31. Pagninus *hædos*, alii *hircos minores* reddunt. Nos ſimpliciter *hircos*, ſecuti ſeptuaginta Interpretes, Chaldæum, Syrum & Arabem. Et ſanè Chaldæis & Syris תישא Arabibus תיס *hircum* notat. Avicennæ lib. II. אלחיה אלתיס eſt τραγοπώγων *barba hirci.* Prov. xxx. 31. תיש recenſetur inter animalia מיטיבי צעד *magnificè incedentia.* Veteres intelligunt de hirco præcedente gregem. Munus ipſum ſanè fuit propenſiſſimum, & quod Jacobi divitias haudquaquam mediocres arguit. Obſervant Hebræi in hoc munere additos eſſe mares pro neceſſitate fœminarum. Nempe in capris & ovibus ſervata eſt proportio decupla. Eandem Varro *de Re Ruſtica* lib. II. cap. 3. commendat ſuo exemplo. *De maribus*, inquit, *fœminis idem ferè diſcrimen, ut alii ad denas capras ſingulos parent hircos, ut ego.* Similis proportio obſervata eſt 2. Paralip. XVII. 11. Sed in Bereſith rabba multa de eo fabulantur otioſè non minus quàm profanè, uti apparet ex iis quæ citantur apud Jarchium. Cœterum Jacobus in diſponendis iis gregibus prudentiſſimum ſe gerit. Non ſimul enim offert munus, ſed magno ſpatio diſtinctum, ut ornatius ſit. Primum agmen tenere voluit eum, qui gregem caprarum agebat, ſecundum opilionem, tertium camelarium, quartum bubulcum, quintum aſinarium. Poſt hos greges ipſemet Jacobus ejuſque comites incedebant duas in cohortes diſtincti. Servos etiam, quid quærenti Jacobo de gregibus his reſpondere debeant, inſtruxit. An verò juſtum fuit, tam numeroſos greges, & tantum benedictionis divinæ proventum magnis laboribus acquiſitum ita profundere? De eo non multum ambigendum putaverim. Fuit nempe Jacobus rerum ſuarum Dominus. Ita elargitur dona, ut ſe ipſum tamen non defraudet, ſed potiùs ſibi ipſi neceſſaria reſervet. Cauſam etiam elargiendi habuit juſtam. Offenſum enim fratris animum ſibi reconciliare voluit. Ita Abigail obtulit munus ad placandum Davidem. Sapienter Solomon

Digitized by Google

lomon Proverb. XXI. 14. *Donum in abdito avertit iram, & munus in ſinu excandeſcentiam vehementem.*

XL. Præmiſſis muneribus ſplendidiſſimis, armentorum nimirum gregibus, Jacobus cum turmis ſuis pernoctavit in Machanaim. Cúmque multa adhuc nox eſſet, trans torrentem Jaboc (ita appellatum per anticipationem à Jacobi lucta ibi ſubita cum Angelo. Eſt enim ab אבק *luctari*) transmiſſis uxoribus, ancillis, liberis, ipſe ut bonus Paterfamiliâs agmen claudens, revertitur, recogniturus, ſi quid fortâſſe per oblivionem aut negligentiam famulitii intercidit. Hac occaſione eum ſolum Deus humana ſpecie aggreſſus, & lucta diu exercens firmè colluctantem, adverſus Eſavi metum munivit. Qua de Jacobi lucta ſeu Angelomachia ſeorſim poſtea Σ. 9. acturi ſumus. Poſt luctam illam victoriámque in ea reportatam Jacobus eminùs vidit adventantem cum viris quadringentis fratrem Eſavum. Hic Jacobus ante omnia diſpoſuit familiam Eſavo occurſuram. Tres enim inſtituit turmas, ancillarum cum liberis, Leæ cum liberis, & Rachelis cum Joſepho. Ipſe autem עבר לפניהם προῆλθεν ἔμπροσθεν αὐτῶν *præivit ante eos, & inclinavit ſeſe in terram uſque ſeptem vicibus, donec accederet uſque ad fratrem ſuum* verſ. 3. Quòd ſeptem vicibus ſe inclinâſſe dicitur, alii ita intelligunt, ut numerus definitus pro indefinito ſit poſitus: quomodo accipitur etiam Pſal. XII. 7. alii verò interpretantur de conſuetudine per id tempus in Oriente recepta, qua Magnates ſalutaturi toties ſe incurvare ſoliti fuerint. Ita hodiéque Turcicum Imperatorem adituri ſæpius ſe incurvant. Viciſſim Eſavus accurrens amplexatus eſt fratrem, & oſculo ipſi fixo fraternum affectum teſtificatus eſt. Sed & ancillæ atque uxores Jacobi earúmque liberi acceſſere comiter & demiſſè Eſavum ſalutantes. Qua in proceſſione ancillas Jacobi & Leam ſecuti ſunt liberi: at Rachelem præceſſit Joſephus. Hujus rei cauſas anxiè rimantur Hebræi. Sed conjecturæ eorum vel nullæ & ſtolidæ vel incertæ ſunt, uti videre eſt apud Virum Doctiſſimum Simeonem de Muis Variorum Sacrorum p. 238, 239. Munera quod attinet à Jacobo oblata, primo cœtu Eſavus ea rigidè aſpernatus eſt & rejecit. Inſtabat tamen Jacobus hiſce verbis: *Ne quæſo! ſi nunc inveni gratiam in oculis tuis, accipe munus meum è manu mea.* Nam iccirco ראיתי פניך כראת פני אלהים ותרצני *vidi faciem tuam quaſi viderem faciem Dei. Eſto mihi propitius.* verſ. 10. Hebræi poſteriora hæc ita interpretantur, ac ſi Jacobus injecta mentione Dei ſeu Angeli puta Angeli Eſavi abs ſe viſi & ſuperati, Eſavum territare, & ad accipiendum munus compellere voluiſſet. Ita Jarchius: תקבל מנחתי מידי כי על כן ראיתי פניך והן חשובין לי כראיתי פני המלאך שראיתי שר שלך ועוד על שנתרצית לי למחול סורחני ולכה הזכיר לי ראיתי המלאך

המלאך כדי שיתירא היכנו ויאמר ראה כלאכים ונצול אינו יכול לו מעתה *Accipies munus meum, eò quòd vidi faciem tuam. Et ecce reputata eſt mihi ſecundùm viſionem faciei Angeli, quem vidi Principem tuum. Porro eò quòd reconciliatus es mihi, ad condonandum peccatum mihi. Cur autem meminit viſionis Angeli? Ut territetur & cogitet ſecum: Vidit Angelos & ereptus eſt. Ego non potero exhinc ſuperior eſſe illo.* Thargum Onkeloſi aliter hæc explanat, quaſi profeſſus eſſet Jacobus, ſe vidiſſe faciem Eſavi ſicut אפי רברביא *faciem Principum.* ut cùm quis magnatum faciem videns lætatur. Ita etiam Interpres Arabs: פאן ראית וגהך כנטר וגה אלאשרף *Nam vidi faciem tuam, quaſi aſpectum faciei nobilium.* Abarbanel comparari munus Jàcobi cum eo quod Deo offerri ſolet, putat, quia ſicut homines Dei faciem videre, ſeu ad Deum accedere ſolent non vacui ſeu ſine munere, haud eum in finem, ut Dei neceſſitati ſuccurrant, ſed potiùs ut ſibi inde proſint & emolumentum afferant: ita etiam Jacobum innuere, ſibi Eſavi faciem viſam ſicut faciem Dei, cui proinde munus hoc non offeratur ad ſublevandam ejus neceſſitatem, ſed potiùs ad conciliandam ejus gratiam. Hac nempe ratione excepiſſe Jacobum ad verba Eſavi præcedentia: *Eſt mihi multum, frater mi, ſit tibi quod tuum eſt.* quaſi diceret ſe opibus affluentem non indigere fraternis muneribus. Verba ejus aſcribere non pigebit: כלומר שאין כנחתי אלא בערך הארם המקריב קרבן לגבוה שהוא לתועלתו לא לצורך האל כן היא המנחה שהבאתי אליך מכוונת להתועלתי לא לתועלתך כי על כן ראיתי פניך כראות פני אלהים ובעבור המנחה הזאת ראיתי פניך כראות פני אלהים שיביאו לפניו מנחה כשום ולא יראו פני ריקם ובעבור שעשו אמר לו אחי יהי לך אשר לך רצה לאמר שלא היה צורך והיה בזה צורך וחסרון כים ליעקב *Vult* Jacobus verbis his *dicere*: *Simile eſt munus meum muneri hominis, quod is offert ſuæ potiùs utilitatis gratiâ, quàm ut inde Dei ſublevetur neceſſitas. Ita munus illud quod tibi offero, diſpoſitum eſt ad meam potiùs, quàm tuam utilitatem. Vidi enim faciem tuam ſicut faciem Dei. Nempe propter hoc munus vidi faciem tuam, quaſi vidiſſem faciem Dei, cui offerre ſolent homines munus. Propterea quod non ſolet videri facies Dei ſine munere. Nempe quia Eſavus dixerat ei; frater mi ſit tibi quod tuum eſt; vult nunc dicere Jacobus, non propter neceſſitatem ejus ſe hoc munus offerre.* Sic igitur Jacobus non Eſavum compararet cum Deo, ſed munus ſuum, quod Eſavo obtulit, cum eo munere, quo ſacrificantes *videre* ſolent *faciem Dei*, ſui potiùs emolumenti gratia, quàm ut inde quicquam commodi acceſſurum Deo ſperent. Eandem ἐπεξήγησιν obſervo etiam in MS. Bibliandri noſtri. Quam ſi teneamus ceſſabunt quæſtiones, annon Jacobus Deo faciat injuriam, quem comparet cum homine profano; &, annon mentitus fuerit idem, aſſerens, Eſavi vultum ſibi viſum ſicut faciem Dei, cùm tamen ſi ea data fuiſſet optio, nihil is optâſſet magis,

Digitized by Google

quàm fratris vitare occurſus. Quanquam his objectionibus etiam occurre-re poteſt expoſitio Calvini, Merceri & Junii, Jacobum nempe in vultu Eſavi agnoſcentem eum ſibi reconciliatum eſſe, agnoſcere etiam Dei vultum hilarem ac placidum: ut videns Eſavum placatum Deum ſe videre judicet hujus placationis authorem. Sic ubi quis conciliatum aliquem videt, in eo Deum agnoſcit authorem ejus rei, qui corda immutat, & quò vult flectit. Ita in conſpicuo ſigno rem latentem vidiſſet. Poteſt etiam explicari tanquam adagium non infrequens in Scripturis, ubi volunt extraordinariam vultus alicujus vel dignitatem vel benignitatem explicare. Confer 2.Sam. XIV. 17. Eſth. cap. XV. 16. Cujus phraſeos veſtigia ſunt etiam in profanis authoribus ut apud Senecam in Octavia: *Membráque & vultus Deo ſimiles.* Et apud Virgilium Æneid. I. *Os humeroſque Deo ſimilis.* Quo ſenſu hoc loco, *ſicut vultum Dei*, eſſet periphraſis vultus benigni & arridentis. Iccirco addit ותרצני *& placatus es mihi*, vel ut Syrus habet הטבית בי *& gratum me habuiſti.* Neque verò fictè loquitur Jacobus, vel aliud ſimulat, quàm habet in animo. Ipſe enim omni odio vacuus ac purus, in præcipuis votis habebat, quibuſcunque poſſet officiis erga fratrem defungi, modo viciſſim ille fratrem ſe præſtaret.

XLI. Inſtantiâ hacce obnixâ motus Eſavus oblatum munus capeſſivit. Sed & digreſſuris ab invicem utriſque, novam humanitatem obtulit Eſavus, deducturus nempe fratrem. Verùm Jacobus excuſans ſe ob impedimenta ſua, jubet fratrem præcedere, eíque ſe ſecuturum pedetentim uſque in Seir promittit. *Tranſeat quæſo*, inquit, *Dominus meus ante ſervum ſuum:* ואני אתנהלה לאטי לרגל המלאכה אשר לפני ולרגל הילדים עד אשר אבא אל אדני שעירה *Ego verò incedam pedetentim ad pedem gregis qui eſt ante me, & ad pedem puerorum, donec veniam ad dominum meum in Seir.* verſ. 14. Ubi אתנהלה לאטי propriè ſonat: *Lentiùs me deducam*, id eſt, familiæ & pecoris ducem præſtans, ibo lentiùs, & temperabo gradum, quia ſi matres lactantes urgerent pecuarii, periret grex univerſus. Hebræum נהל propriè eſt *minare*. Sic Pſalm. XXIII. 1, 2. *Dominus paſtor meus eſt* &c. *Ad aquas tranquillas* ינהלני *minat me*, nempe ut ovem ſuam. Eſai. XLIX. 10. *Ad Scaturigines aquarum* ינהלם *minabit eos*, inter paſcendum ſcilicet. Ad quem locum Johannes alludit Apoc. VII. 17. *Paſcet & deducet eos ad vivos fontes aquarum.* Unde etiam נהל aliquando ſignificat *paſcere, ſuſtentare*, ut Geneſ. XLVII. 17. Hoc loco Thargum Onkeloſi reddit appoſitè: ואנא אדבר בניח *Et ego ducam paulatim.* Syrus, ואנא אהלך רביבאית *Et ego incedam ſenſim.* Qua verò fide promiſerit hîc Eſavo Jacobus, venturum ſe ad domum Eſavi in Seir, quod præſtitiſſe nuſpiam legitur, quæſitum eſt. Quam quæſtionem etiam movet Auguſtinus

quæſt.

Digitized by Google

quæſt. 106. in Geneſin his verbis: *Utrum mendaciter promiſerit Jacobus fratri ſuo, quòd venturus ad eum eſſet in Seir, cùm tamen id Scriptura quidem indice, non fecerit?* Variè ad hoc ζήτημα reſpondent tum Hebræi tum Chriſtiani Interpretes. Hebræorum ſententias refert Abarbanel, qui dubium illud refert his verbis: ואמר עד אשר אבוא אל אדוני שעירה יראה זר כי לא מצאנו שהלך יעקב אל שעיר ולמה כזב ושקר בדבריו *Quòd dicit: Donec veniam ad dominum meum in Seir, videtur alienum. Non invenimus quippe in Seir ipſum ambulâſſe. Quare igitur in verbis ſuis mentitus eſt & fefellit?* Jarchius illuſiſſe Jacobum Eſavo docet his verbis: הרחיב לו הדרך שלא היה דעתו ללכת אלא עד סוכות אמר אם דעתו לעשות לי רעה ימתין עד בואי אצלו והוא לא הלך ואימתי ילך בימי המשיח שנ' ועלו מושיעים בהר ציון לשפוט את הר עשו ומדרשי אגדה יש לפרשה זו רבים *Dilatat ſibi viam, quia non erat mens ejus ire niſi in Socoth. Cogitabat, ſi mens ejus eſt mihi facere malum, expectet donec veniam ad eum. Ipſe igitur non ivit. Quando autem ibit? In diebus Meſſiæ, quia dicitur Obad. verſ. 21.* Et aſcendent Salvatores in monte Sion ad judicandum montem Eſau. *Et Midraſim Aggadah in hunc verſum plures ſunt.* A qua ſententia non abludit Jeſuita Bonfrerius, qui dici poſſe putat *hanc promiſſionem fuiſſe conditionatam, animo ſaltem reſtrictionem apponente, niſi aliud iter mihi commodius judicavero.* Sed abſit Viro Sancto impingamus ejuſmodi reſtrictionis, amphiboliæ & illuſionis dicam. Nachmanides putat, Jacobum ab Eſavo invitatum fuiſſe in terram Seir, in qua conſtituerit ipſum honorificè excipere. Fuiſſe enim tranſeundum Jacobo per terram Seir. At Jacobum noluiſſe quidem deduci ab Eſavo, cœterùm ſe paulatim ſecuturum recepiſſe & ſtetiſſe etiam promiſſis. Verùm notatur ab Abarbanele, eò quòd nec invitatus legatur ab Eſavo, nec veniſſe in terram Seir ipſum memoret Scriptura. Ipſe verò Abarbanel agnoſcit in hoc verſu סרוס ſeu *transpoſitionem verborum.* Putat nempe, שעירה *Seiram* referendum eſſe ad verba Jacobi: *Tranſeat quæſo Dominus meus ante ſervum ſuum,* nempe *Seiram*; vocem verò אדני refert ad Iſacum patrem, non Eſavum. Sic igitur legendus hic verſus, & interpungendus foret: *Tranſeat quæſo Dominus meus ante ſervum ſuum (Ego verò incedam pedetentim ad pedem gregis qui eſt ante me, & ad pedem puerorum, donec veniam ad Dominum meum,* puta Iſacum) *Seiram.* Verùm trajectio hæc violenta nimis eſt. Neque convenit voce אדני poſteriori Iſacum, cujus hactenus non meminerat, priori verò in eodem verſu Eſavum intelligi. Doctiſſimus Rivetus non dubitat, quin Eſavum ſequentibus diebus paulatim ſubſecutus fuerit Jacobus, & ad fratrem pervenerit. Putat tamen non diu apud eum perſtitiſſe, quia aliter ſtatuerit Deus, nec fuerit è re eorum, ut ſimul habitarent. Non memorari igitur in Scriptura ejus in Seir adventum, quia tantùm per occa-

ſionem,

Digitized by Google

ſionem, ut fratri gratificaretur, per paucos dies ibi manſit, non ut in familia propria, ſed veluti fratris hoſpes. Atqui non exigua res fuit, ſi ſtabiliendæ pacis gratiâ Jacobum in Seir excepit Eſavus, proinde id ſilentio Scriptura vix præteriiſſet. Aſſentior igitur S. Auguſtino, qui paucis ad quæſtionem eam abs ſe propoſitam ita reſpondet: *An forte veraci animo promiſerat, ſed aliud poſtea cogitando delegit?* Quam ſolutionem probant etiam Lyranus & Mercerus. Addit P. Martyr, monitum videri Jacobum à Domino, ne in Seir pergeret, ſicut Magi moniti erant, ne redirent ad Herodem Hieroſolymam. Ita etiam Paulus conſilium mutavit 1. Cor. IV. 19. & 2. Cor. II. 1.

XLII. Tandem id officii Eſavus offert fratri Jacobo, ut partem ſui comitatus apud ipſum relinquat. Verba ejus ſunt: אצגה נא עמך מן העם אשר אתי *Dimittam quæſo tecum de populo, qui mecum eſt*, verſ. 15. Vulgatus reddit: *Oro te, ut de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocii remaneant viæ tuæ.* Verum & hoc oblatum officium recuſat Jacobus his verbis: למה זה אמצא חן בעני אדני *Ad quid hoc? Inveniam gratiam in oculis Domini.* Negat ſe indigere ejuſmodi comitatu, dum Eſavum ſibi habeat æquum & faventem. Neque enim ullum ſibi à quoquam alio hoſte metum eſſe adverſus quem ſe munire neceſſum habeat. Hunc ſenſum eſſe reſponſionis Jacobi, Abarbanel obſervat his verbis: ר"ל למה זה תשלח אנשך עמי לשמר אותי כיון שאמצא חן בעני ארוני כי בהיותי בשלום עמו לא אירא מפח יקוש *Vult dicere: Cur mecum mitteres hoſce viros cuſtodiæ meæ gratiâ, ſiquidem gratiam inveni in oculis tuis. Si enim tecum pacem confecero, nullus mihi ulterius metus ſupererit à laqueo venatoris.* Hac mutua benevolentiæ & officiorum teſtificatione finita, ambo fratres à ſe invicem digreſſi ſunt, Et Eſavus quidem in Seir, Jacobus verò in Succhoth. De ſtationibus porro Jacobi in Succoth, Sichom & Migdal-Eder, nec non adventu ejus ad parentem chariſſimum Hebrone commorantem, actum nobis prolixè ſuperiùs Exercitatione XIII. de Jacobo.

EXER-

EXERCITATIO XVI.

DE

SCALA JACOBI.

Breviarium.

Viſio Jacobi in Bethel. Diſtributio argumenti. 1. *Locus viſionis diſceptatur. Fueritne mons Moriah? Hebræorum & Thalmudiſtarum ſententia refellitur.* 2. *Tempus oblatæ viſionis. Plures an unum lapidem adhibuerit pro cervicali? Jarchius & Lyranus notantur.* 3. *Modus quo ſe Deus Jacobo communicavit, explicatur. Somnia diſtinguuntur. Ariſtoteles ſomnia divina rejiciens refutatur. Cur in ſomno Deus arcana ſua ſanctis revelaverit? Onirocriticorum, Syneſii, Artemidori, Cardani præpoſteræ artes. Libri Oniropolici ſuppoſititii.* 4. *In Jacobi ſomnio diſtinguitur viſio &* χρηματισμὸς *ſeu oraculum. Viſio exponitur.* סלם. *Alcaſaris & Hebræorum de latitudine & ſitu ſcalæ figmenta.* 5. Χρηματισμὸς *ſeu oraculum viſioni adjunctum explicatur. Promiſſio facta Jacobo de hæreditate, hæredibus & ſingulari aſſiſtentia Dei. Particula,* עד אשר *donec, exponitur.* 6. *Scalæ viſio congruit cum ipſo oraculo. Proinde finis viſionis ſcalæ eſt, ut confirmaretur Jacobi animus adverſus præſentem anxietatem.* 7. *Scala cujus rei typus fuerit, inquiritur.* Ἄρσις *ſententiarum erronearum. Philonis Judæi de ſcalæ myſterio allegoriæ.* 8. *Hebræorum, Jarchii, Eliezeris, Cabbaliſtarum, Nachmanidis, Levi ben Gerſon, Abarbanelis, aliorum, de ſcalæ myſterio expoſitiones ad partes vocatæ.* 9. *Origenis, Euſtathii, Auguſtini, Diodori, Tertulliani, Gregorii M. eodem de myſterio interpretamenta.* 10 Θέσις *veræ ſententiæ. Scala Jacobi ſymbolum fuit divinæ providentiæ tum in genere circa fideles omnes, tum in ſpecie circa Jacobum. An gradus ſcalæ denotent multiplices providentiæ divinæ vias?* 11.

Digitized by Google

An Angeli aſcendentes & deſcendentes Jacobi in Meſopotamia itum & reditum adumbraverint? 12. *Scalam eandem Symbolum eſſe fœderis gratiæ in Chriſto cum fidelibus initi, oſtenditur ex analogia oraculi. Locus Joh.* 1.52. *explicatur.* 13. *An ex ſcala Jacobi ortum ſit figmentum aureæ catenæ Jovis Homerici?* 14. *Viſionis & Oraculi in Jacobo efficacia. Quo ſenſu Jacobus ex ſomno experrectus cognoviſſe demum dicatur, quod Jehova eo in loco ſit? Quo ſenſu idem locus vocetur terribilis, domus Dei, porta Cœli?* 15. *Monumentum eodem in loco erectum, lapis nimirum oleo delibutus, & in titulum conſecratus. Unde olei copia fuerit Jacobo? An lapidem inungens oleo ſecutus ſit vel morem illorum locorum, vel naturæ ductum? Grotius & Bellarminus notati. Cur Jacobus lapidem inunxerit oleo?* 16. *Hebræorum de lapide illo putidæ aſſertiones. Cur lapidem illum vocat* אבן השתיה *lapidem fundationis? Fuiſſe eundem typum Chriſti aſſeritur.* 17. *Lapidis ejuſdem cultus apud Phœnices. Bætulia, Bætuli quid notent apud Sanchoniatonem? Philo Biblius emendatus. Lapis Saturno Sacer cur dictus Abdir, Abadir?* 18. *Libri apocryphi ſub nominibus Scalæ Jacobi & Tituli Jacobi in veteri Eccleſia vulgati.* 19. *Loco viſionis imponitur nomen Bethel. Quid* אולם לוין*? Græcorum Interpretum ſeu potiùs librariorum, qui* Οὐλαμλοὺζ *vertunt, nec non Iſaci Voſſii eis patrocinantis error perſtringitur.* אולם. 20. *De ſitu urbis Bethel. Fueritne Bethel Moriah? Jarchii delira de translatione montis Moriah aſſertio. Fueritne duplex Bethel?* 21. *Votum Jacobi. Ejus conditiones quatuor. Verba illa* והיה יהוה לי אלהים & erit mihi Jehova in Deum, *pertineántne ad conditiones, an ad promiſſionem votivam? Conditionem Jacobi cum præcedentibus promiſſionibus analogia. An Jacobus ajens: Si fuerit Deus mecum &c. hæſitanter locutus fuerit?* 22. *Promiſſionis votivæ partes. Ex quibus rebus decimas Jacobus promiſerit Deo? An promiſerit eas Deo immediatè?* 23. *An ex voto Jacobi, quo Deo decimas promiſit, concludi poſſit, juris naturalis eſſe, ut decimæ Miniſtris Eccleſiæ perſolvantur?* 24.

I. In

Digitized by Google

I. In recenſendo Jacobi in Meſopotamiam itinere omiſimus ἐπεξήγησιν viſionis Jacobi, quæ ei in ſtatione nocturna Bethelis contigit. Eam nunc ſeorſim aggredimur, utpote digniſſimam, quæ paulò altiùs accuratiúsque expendatur, tum propter ſignorum claritatem, tum propter dignitatem myſterii. Quinque autem potiſſima erunt inſtitutæ diſſertationis capita, nempe oblatæ viſionis divinæ locus, tempus & modus, viſio ipſa cum ſuis circumſtantiis, viſionis in Jacobo efficacia, ejusdem factum circa viſionis locum, denique voti nuncupatio, qua ſe ſpeciali obligatione devinxit.

II. De loco viſionis hujus ita habet Moſes Geneſ. XXVIII. 11. ויפגע במקום *& venit ad quendam locum.* Ex verſ. 19. patet, locum illum fuiſſe vicinum Betheli oppido antiquitùs *Luza* inſignito. De quo inferiùs. Proinde aſſenſum non impetrant Hebræi, quibus videtur, locum eum, in quo Jacobo tam illuſtris viſio obtigit, fuiſſe montem Moriah, in quo poſtea Templum conditum eſt. Jarchius notat, Rabbinos verbum ויפגע interpretatos eſſe לשון תפלה *notione precationis*, additque inſinuari, שתקן תפלת ערבית *quòd diſpoſuerit orationem veſpertinam.* Sed & in Codice Sanhedrin fingunt Magiſtri, Jacobum jam Charane appellentem demum ſibi in animum revocâſſe, quòd locum illum in quo Patres adorârunt, puta montem Moriah ſine precibus ibi fuſis prætervectus fuerit. Reverſum igitur, ut ſacro defungeretur officio ad eundem locum, ibique ei terram ſubſiliiſſe, & montem Moriah ſuo loco revulſum ipſi præceſſiſſe uſque in Bethel, tam eundo quàm redeundo ex Meſopotamia. Nempe Jacobum ibi numerant inter tres illos, quibus ſubſultavit terra. *Tres,* inquiunt, *fuerunt, quibus ſubſultavit terra, Eliezer ſervus Abraham, Jacob pater noſter, & Abiſai filius Saruiæ.* Verùm hoc figmentum, quamvis probatum etiam Lyrano, Cajetano, Lipmanno, aliiſque, narrâſſe eſt refutâſſe. Repugnant enim & ratio itineris ex Beerſeba Charanem, inter quæ loca Hieroſolyma devia & procul remota eſt; & textus ipſe, qui Bethelem fuiſſe non montem Moriah verſ. 19. palam teſtatur. Neque ſtringit Hebræorum ratio petita ex verſ. 17. ubi Jacobus viſionem ruminans in hæc verba erumpit: *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt locus iſte aliud, quàm domus Dei & porta cæli.* quaſi inde ſequeretur locum in quo dormivit Jacobus, eundem fuiſſe, in quo poſtea Templum ædificatum eſt. Alium enim fuiſſe verborum illorum ſenſum, inferiùs videbimus. Ratum igitur habeamus, non in Moriah contigiſſe hanc viſionem, ſed in Luza ſeu Bethel, de cujus ſitu itidem inferiùs.

III. Tempus oblatæ viſionis exprimitur his verbis: *Et pernoctavit ibi,*

Digitized by Google

quia occubuerat Sol. Et tollens de lapidibus illius loci, poſuit ſub capite ſuo, & dormivit in eodem loco. verſ. 11. Tempus ergò fuit nocturnum, cùm non procul à civitate Luza, ad quam nocte oppreſſus pertingere non potuit, coactus eſt ſub dio pernoctare. Tunc enim lapide cervicalis loco ſuppoſito, quietem capeſſivit, expertus hoſpitem Deum, & domum Dei ac portam Cœli, qui humani diverſorii compos fieri non potuit. Neque enim accedo Joſepho, qui putat διὰ τὸ πρὸς τοὺς ἐπιχωρίους μῖσος *ob odium erga indigenas*, apud neminem divertere voluiſſe, agitaturum potiùs ſub dio. Nam neceſſitate noctis, quæ ipſum occupaverat, ulterius pergere ipſum non potuiſſe, ſatis manifeſtum. Quod dicitur accepiſſe מאבני המקום *de lapidibus loci*, rectè Abenezra exponit accepiſſe ipſum אחד מאבני המקום *unum de lapidibus illius loci.* Nam unius duntaxat lapidis meminit etiam verſ. 18. Proinde Jarchius, qui eò quòd verſ. 11. Moſes loquatur de אבני *lapidibus*, at verſ. 18. de אבן *lapide*, fingit, plures lapides à Jacobo כמין מרזב *ſecundum ſpeciem tubi* circum caput metu ferarum beſtiarum ſtructos, divinitùs unum in lapidem coaluiſſe, delirat. Ex lapidibus tuliſſe Jacobum memorat Moſes. At unum tulerit, vel plures, non exprimitur. Cùm Jarchio etiam ineptit Lyranus, qui inde myſterium elicit. *Dicunt Hebræi*, inquit, *quòd accepit lapides. Et ſatis videtur ex textu, quòd accepit plures ex ea, quia dicitur* de lapidibus. *Et quando evigilavit, invenit, quod illi tres lapides facti erant unus. Et hoc videtur per literam ſequentem infra:* Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo. *Et dicunt, quòd hoc fuerit in ſignum, quòd Dominus cum eo, aſſociando eum. Nos autem poſſumus exponere, quòd hoc fuit in ſignum unitatis eſſentiæ in Deo & Trinitatis perſonarum, de cujus apparitione hic agitur. Vel in ſignum trium naturarum in Chriſto, ſcilicet corporis & animæ & Deitatis in unitate perſonæ, quia de benedicta incarnatione fuit hæc revelatio facta ipſi Jacobo.* Hæc argutiora ſunt, quàm ut in numerum pervenire debeant: inprimis cum de lapidibus cervici ſuppoſitis nihil Scriptura habeat.

IV. Modus quo Deus ſe communicavit Jacobo, fuit *ſomnium.* ויחלם *& ſomniavit.* verſ. 12. Tribus modis Deus olim ſanctis ſuis ſe manifeſtavit, *per viſionem, ſomnia, ore ad os*, uti ex Num. XII. 6. liquet. De ſomniis ita commentatur Gregorius M. in cap. 13. Jobi: *Aliquando ſomnia ventris plenitudine vel inanitate; aliquando verò illuſione; aliquando cogitatione ſimul & illuſione; aliquando revelatione; aliquando autem cogitatione ſimul & revelatione generantur.* Ubi ſomnia omnia ad tria potiſſimùm revocat genera, ut quædam ſint *naturalia*, quæ pro diverſa corporum diſpoſitione & ipſa variant, ubi mens *Quod vigilans cogitat, per ſomnum cernit id ipſum*; alia *Diabolica*, ex dæmonis illuſione profecta; alia denique *Divina*, quæ Deum ipſum authorem

thorem habent. Divinorum ſomniorum exempla ſunt plurima tum in veteri tum in Novo Teſtamento. Ita enim latentes eventus in ſomniis Deus aperuit Abrahæ, Abimelecho, Labani, Joſepho, Pharaoni, Solomoni, Nebucadnezari, Danieli, Judæ Machabæo, Joſepho, Magis, Uxori Pilati, Paulo. Quibus abundè diluitur tum Stoicorum omnia omninò ſomnia aſpernantium error, tum Ariſtotelis opinio, quando argumento illo probat, non eſſe à Deo ſomnia ulla, quia μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, ἄτοπον: *non optimis & ſapientiſſimis, ſed vilibus ac plebejis ea immittere ſit abſurdum*. Nec enim ſimplicibus ac imperitis ſolùm ea inſinuari, exempla allata docent. Sed fefellit Ariſtotelem, quòd ſomnia, quæ pro divinis jactabant gentiles, ferè hominum eſſent vulgarium. Nempe ſimplicioribus ac credulis faciliùs abuti Diabolus poterat. At quos antea adduximus, & ipſe Jacobus Patriarcha noſter, propè omnes viri fuêre ſapientiâ & ſanctimoniâ, plerique etiam ſublimi dignitate illuſtres. Quòd verò non tantùm lectione aut prædicatione verbi ſui de myſteriis cœleſtibus ac voluntate ſua homines certos reddere, ſed etiam non videntes nec audientes, arcanorum ſuorum facere participes Deus voluit, cauſa eſt præter liberam ejus εὐδοκίαν, quòd mens humana magis in ſomniis idonea ſit ad recipienda cœleſtia, quia tum vacua eſt, & immunis à curis terrenis. Etiam experrectis ac ſomnium ruminantibus, tenebræ ac nocturnùm ſilentium majorem erga res divinas venerationem gignunt. Sanè nox idonea eſt rerum gravium meditationi. Unde eam εὐφρόνην, παρὰ τὸ εὐφρονεῖν *à rectè ſapiendo*, dixit Pindarus Nemeor. Od. 7. v. 4. Metum etiam incutit ſacra tractanti: cujus nec ignari gentiles, Sacra Iacchi & Eleuſinia, nonniſi noctu celebrari voluerunt, teſte Cicerone lib. 2. de Legg. Imò hoc quoque ad venerationem conferebat, quòd ſomnia non ſemper eſſent aperta. Simul & eo pacto accendebantur homines ad expoſcendam eorum à Deo aut viris divinis intelligentiam. Itaque etiam gentilibus Regibus Deus quandóque ſomnia immiſit. Sed quorum interpretationem non à Magis ſuis haurirent, verùm à viris ſanctis: ut Pharao à Joſepho, Nebucadnezar à Daniele. Hoc pacto enim & Reges & eorum ſapientes, imò ſubditos univerſos Deus ad agnitionem cœleſtis veritatis & reſipiſcentiam à peccatis invitavit. Interea conſtitutum nihil habemus cum Onirocriticis illis, qui ex quolibet ſomnio futura conjectant, etiam ea, quæ à natura non dependent. Ita Syneſius lib. de Somniis, ſuperſtitioſum ſuggerit conſilium, quo ſuadet, ut quisque ſuis ex ſomniis, cum eorum quæ poſtea perpeſſus comparatione, artem quandam conjectandi efficiat. quod inutile ſtudium, vaniſſimúmque commentum Franciſcus Picus accuratè confutavit lib. 6.

Digitized by Google

de Prænot. cap. 8. Sed & addictos ſtudio huic plus æquo videſis Artemidorum lib. 1. cap. 2. ubi ex eo cùm quis ſomniat, cœcum ſe factum, colligi poſſe docet, ſe amiſſurum filium, quia is oculi inſtar ametur; & Cardanum lib. IV. de Somniis cap. IV. ubi ſomnio de ſtella in atrium concidente, ac mox extincta, ſignificari putat, fruiturum gratiâ Principis, ſed minimè diuturna. Noti ſunt etiam libri ejuſmodi Oniropolici, etiam hypobolimæi, ut libri Abrahami, Solomonis & libellus ſomnialis, qui Danielis Prophetæ nomine falſò circumfertur, de quo agitur in decreto Gratiani *d. c. non obſerv.* Sed de ſomniis in univerſum ſatis.

V. In Jacobi illo Somnio obſervamus tum *ὅραμα viſionem*, tum *χρηματισμὸν oraculum divinum.* Viſio deſcribitur v. 12. ויחלם והנה סלם מצב ארצה וראשו מגיע השמימה והנה מלאכי אלהים עלים וירדים בו והנה יהוה נצב עליו: *Et ſomniavit, & ecce ſcala erecta erat ſuper terram, & caput ejus tangebat Cælum. Ecce præterea Angeli Dei aſcendebant & deſcendebant per eam. Et ecce Jehova ſtabat ſuper eam.* Verba plana ſunt. Vidit Jacobus סלם *κλίμακα, ſcalam,* ab aſcendendo ita dictam. Eſt nempe inſtrumentum aſcendendi ab imo ad altiora. Ea porrecta erat inde à terra Cœlum uſque, Empyræum nempe, quippe quod à Jehova & Angelis incolitur. Per eam deſcendebant & aſcendebant Angeli, *πνεύματα* illa *λειτουργικά, ſpiritus miniſtratorii.* In vertice conſiſtebat Jehova, qui ex eo faſtigio verba fecit ad Jacobum plena gratiæ & conſolationis. Perperam igitur Alcaſar in Apoc. IV. 1. cenſet, Deum ad ſcalam hanc non in Cœlo ſed in terra ad imos ſcalæ gradus conſtitiſſe, ut eam teneret & firmaret, quia Jacobo in terris ad ſcalam dormienti non potuerit niſi vicinus loqui. Etenim cùm locutio hæc non ſenſibilis fuerit, ſed imaginaria, vel intellectualis, patet eam inter remotiſſimos intercedere potuiſſe. De latitudine nec non ſitu ejus multa fingentes Hebræos, Jarchium, qui ſcalam háncce nugatur pedibus innixam eſſe Beerſebæ, ſummitate contigiſſe Bethelem, & media ſui parte Hieroſolymam; nec non Thalmud Cholin fol. 91. Maimonidem More lib. II. cap. 10. aliósque non moramur, cùm Scripturæ præſidio omni deſtituantur. Potior nobis cura eſſe debet extricandi typi. Fuiſſe enim ſcalam ſymbolum & ſignum rei cujuspiam inſignis, cujus ſignificandæ gratiâ potiſſimùm dormienti oblata eſt, minimè ambiguum eſt.

VI. Quia verò dubium non eſt, quin idem ſcopus ſit viſionis, qui eſt χρηματισμοῦ ſeu oraculi, & verba Jehovæ inſidentis ſcalæ explicent ipſum myſterium ſcalæ: idcircò alienum non fuerit, antequam viſionem ipſam evolvamus, ipſum χρηματισμὸν ſeu oraculum paucis exponere. Dixit igitur Jehova inſidens ſcalæ, ad Jacobum: *Ego Jehova Deus Abraham patris tui & Deus Iſaci: terram in qua tu dormis, tibi dabo & ſemini tuo: Eritque ſe-*

Digitized by Google

men tuum ſicut pulvis terræ. multiplicaberis enim ad occidentem & ad orientem, & ad Aquilonem & ad meridiem: & benedicentur in te omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo. Et ecce ego tecum, & ſervabo te quocunque perrexeris, & reducam te ad terram iſtam: quia non deſeram te, donec fecero quod locutus ſum tibi. verſ. 13, 14, 15. Exordium petitum eſt à commemoratione fœderis, quod Deus cum Abrahamo primò inivit, cum Iſaco poſtea continuavit, & per Iſacum Jacobo in prophetica benedictione transdidit. Promiſſiones trium ſunt generum, de hæreditate nimirum, de hæredibus & ſingulari Dei aſſiſtentia in toto itinere, futuráque deductione in patriam. Hæreditas promiſſa ſtatuitur *terra*, *in qua dormiebat* ipſe Jacobus. Id intelligendum non de ſpatio eo ſingulari, in quo cubabat, ſed per Synecdochen de tota regione, terra nimirum Canaan, cujus pars erat locus, in quo Jacobus cubabat. Quæ donatio facta Abrahamo, Iſaco & Jacobo etſi jus eis dedit ad terram, nondum tamen eos in poſſeſſionem intromittebat, donec appeteret tempus poſteris divino decreto definitum. Interim ipſis Patriarchis, qui fuerunt hoſpites & peregrini in illa terra, temporales eæ promiſsiones fuerunt arrhæ meliorum & præſtantiorum promiſsionum, uti declarat Apoſtolus Hebr. XI. 16. Promiſsio ſequens hæredum complectitur promiſſionem tum hæredum ex Judæis & gentibus, tum ipſius illius ſeminis benedicti Chriſti. Hæredes ipſi proventuros tum ex Judæis tum ex Gentibus promittit Deus iis verbis, quibus ex omnibus quatuor terræ plagis, Oriente nimirum, Occidente, Aquilone & Meridie ſemen ipſius כעפר *inſtar pulveris* multiplicatum iri prædicitur. Id quamvis ἀμέσως referendum eſt ad terram eam, in qua tum recubabat; tamen ſub promiſsionis illius velo agnoſcimus dilatationem Eccleſiæ in vero Abrahami ſemine, id eſt, in filiis promiſsionis per cunctas orbis regiones. Quæ promiſsio amplius inſinuatur in ſequentibus: *Et benedicentur in te omnes familiæ terræ.* eodem planè ſenſu, quo verba illa ſuperiùs in Abrahami hiſtoria explicavimus. Quòd verò addit Deus, ובזרעך *& in ſemine tuo*, nempe benedicentur omnes familiæ terræ, id non collectivè accipiendum, ſed propriè referendum ad Chriſtum, monente Apoſtolo Gal. III. 16. Denique ſpondet ſingularem aſsiſtentiam in toto hoc itinere, & deductionem domum, & veritatem ſuarum promiſsionum tantæ ſibi eſſe curæ prædicat, ut non ſit hominem deſerturus, quin omnia promiſſa exſolvat. Quòd verò dicit Deus: *Non deſeram te* עד אשר אם עשיתי *donec fecero, quod locutus ſim tibi*; non perinde accipiendum eſt, quaſi poſtea Deus Jacobum deſerturus fuiſſet. Nam particula illa עד אשר *donec* interdum quidem terminalis eſt: interdum verò, ut hoc loco, non terminalis eſt ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid continuatio-

Digitized by Google

tinuationem rei promiſſæ ad complementum ipſius uſque, aut etiam rei ipſius enuntiatæ tantùm diſterminat. Quod etiam probârunt multis exemplis veteres contra Helvidium, hac voculâ abutentem, ut perpetuam B. Virginis integritatem ex loco Matth. I. 25. oppugnaret. Exempla è multis ſunto Matth. XXVIII. 20. 2. Sam. VI. 23. Hîc igitur regula attendenda talis: *Donec, non negare aliquod tempus, ſed deſignare id, de quo dubitatio eſſe poſſet.* Proinde iis verbis perpetuum patrocinium Deus Jacobo pollicetur. Hactenus ſenſus fuit ipſius χρηματισμȣ̃ ſeu *oraculi.*

VII. Nunc igitur verba Dei Scalæ vertici inſidentis, ipſius ſcalæ myſterium nobis pandent. Ac in univerſum quidem dubitari non poteſt, quin ſicut oraculum, ita etiam viſio oblata ſcalæ eò tendat, ut teſtificetur Deus, ſibi Jacobum fugitivum, & ab omni ope humana conſilióque deſertum unicè curæ eſſe. Nempe cùm is verſaretur in tenebris & in loco deſerto ſolus, fieri non potuit, quin variis curis exerceretur ac diſturbaretur ejus animus, inprimis cùm reputaret, benedictionis ſibi impertitæ vel nulla vel certè obſcura hactenus effecta & veſtigia comparuiſſe. Ne igitur ſub hoc curarum & tentationum onere fatiſceret, Deus ipſi ſomnium hocce immiſit, ut clarè intelligeret, ſe quamvis humanis deſtitutum præſidiis, Dei tamen favore & gratia ſubniti, neque futurum omnino, ut ullis unquam periculis vel cautionibus benedictio divina per Iſacum enuntiata interverteretur. Atque hactenus nulla ſubeſt difficultas. Verùm applicare viſionem ad promiſsionem, & analogiam ſigni ac rei ſignificatæ dextrè indagare, hoc jam opus, hic labor, hic Rhodus, hic ſaltus eſt. Longum & operoſum nimis foret exponere Hebræorum & Chriſtianorum eo de myſterio ſententias & ſpeculationes æquo argutiores. Paucas tamen prius, quàm κατ̓ θέσιν id explicemus, delibare non alienum fuerit.

VIII. Philo Judæus lib. *de Somniis* pag. 585. &c. varias habet ſcalæ hujus allegorias. Primò enim docet, ſcalam in hoc univerſo, quod mundus dicitur, συμβολικῶς intelligi aëra, ȣ̃ βάσις μὲν ἐςι γῆ, κεφαλὴ ῆ ȣ̓ρανὸς *cujus baſis terra, caput cœlum eſt.* Aëra porro Cœlum inter & terram intercedentem eſſe ψυχῶν ἀθανάτων οἶκον, *animarum corpore carentium domicilium*, quia opifici mundi omnes ejus partes implere animalibus placuerit. Ideò terreſtria Deum terris attribuiſſe, mari fluviiſque aquatilia, Cœlo ſidera. Proinde etiam in aëre Deum animalia creâſſe. Hæc autem ſingula non tantùm animalia, ſed etiam νȣ̃ν καθαρώτατον *mentem puriſſimam* dici. Harum porro animarum alias deſcendere, illigandas corporibus mortalibus; alias ſurſum redire ſeparatas denuo poſt præfinitos à natura terminos. Et ex his alias tactas vitæ deſiderio rurſum ad eam recurrere, alias hujus vanitatem

Digitized by Google

nitatem pertæſas corpus ceu ſepulchrum aut carcerem fugere, & ad ſuperiora eniti. Sed & alias eſſe mentes, puriſſimas optimáſque omnium; quas *δαίμονας οἱ μὲν φιλόσοφοι, ὁ δὲ ἱερὸς λόγος ἀγγέλους εἴωθε καλεῖν*, *genios Philoſophi, at Angelos ſacræ literæ appellare conſueverint.* Hos tanquam internuntios patris mandata perferre ad filios, & ad illum viciſſim preces filiorum. Ideò induci eos aſcendere & deſcendere, non quòd Deus illis indicibus indigeat, ſed quoniam conducat mortalibus habere *μεσίτας καὶ διαιτητὰς mediatores & arbitros*, quò eum rerum omnium præſidem revereamur. Deinde eandem ſcalam Philo oſtendit in ipſo homine. In eo enim, inquit, *εὑρήσομεν τὴν ψυχήν. Ἡ βάσις μὲν τὸ σωματοειδὲς, ὡσπερεὶ γεωδές ἐστιν, αἴσθησις, κεφαλὴ δὲ ὡς ἂν τὸ οὐράνιον, ὁ καθαρώτατος νοῦς*, *inveniemus animum, cujus baſis eſt pene corporea & tanquam terrea, ſcilicet ſenſus; caput verò tanquam cæleſte mens illa puriſſima.* Per eam ſurſum deorſumque ferri indeſinenter divinas intelligentias: quoties aſcendunt, trahentes eam ſecum divellentéſque à rebus mortalibus, & pro dignitate tantùm oſtendentes ei ſpectacula: Sed non detrahentes ſecum, quando deſcendunt. Addit & duas allegorias alias. Nempe comparat ſcalam hanc tum cum meditatione, nunc proficiente in altitudinem nunc deficiente in contrarium, & inſtar navis nunc ſecundis nunc adverſis ventis navigante; tum cum rebus humanis, propter curſum inæqualem & inconſtantem, naturalem quandam ſcalæ imaginem habentibus: cui ſcalæ inſidens Jehova regat ac gubernet univerſa. Poſtrema illa allegoria propiùs rem attingit. Facit enim appoſitè ſatis ſcalam typum divinæ providentiæ. Reliquas utpote remotiores, ſuo loco relinquimus.

IX. Hebræorum varias de ſcalæ hujus myſterio ſententias refert doctiſſimus Abarbanel. Nos unam & alteram eorum opinionem allegare, & obiter ad partes vocare non gravabimur. Jarchius igitur de Angelis per ſcalam aſcendentibus & deſcendentibus, ita commentatur. עולים תחלה ואח״כ יורדים מלאכים שליווהו בארץ אין יוצאין חוצה לאר׳ ועלו לרקיע ויורדי מלאכי חוצה לארץ ללוותו׳ *Aſcendentes prius & poſtea deſcendentes. Angeli qui eum comitantur in terra, non egrediuntur extra terram: at aſcendunt in firmamentum, & deſcendunt Angeli extra terram, ut ei comites ſint.* Putat ergo Angelos per ſcalam aſcendentes fuiſſe eos, qui Jacobum per terram deduxiſſent: deſcendentes verò illos, qui extra terram eum deducturi erant. Atqui Jacobus nondum terram Canaan egreſſus erat, ut Angeli terræ Iſraël ſe in cœlum recipere aliique ex cœlo ad deducendum eum deſcendere neceſſum habuerint. Bethel enim non eſt in fine terræ Canaan. R. Eliezer in Pirke teſte eodem Abarbanele, nec non Nachmanides docent, שהראה הקב״ה בזה ממשלת ארבע

ארבע מלכיות ומעלתם וירדתם ולזה ראה הסלם מצב ארצה: וראשו מגיע השמים להודיע שמן השמים ישפטו ממשלותיהם והמלאכים שראה עולים ויורדים הם שריהם כמו שנאמר בדניאל שר מלכות יון ושר מלכות פרס שיעלו במעלת ממשלתם ואחר ירד ממנו והבטיח ליעקב שהוא יהוה עם זרעו בכל אשר ילך ויצילהו מידם ושמרתיך וגו: *quod monſtraverit Jacobo Deus in hac ſcala quatuor Imperia & Regna, & ſimul eorum tum exultationem tum depreſſionem. Idcirco ſcalam terram attingentem viſam eſſe. Faſtigium verò ejus pertingebat in cælum, ad ſignificandum, quod è cælo ſit Regnorum ipſorum conſtitutio. At Angeli quos vidit aſcendentes & deſcendentes, ſunt Principes eorum, ſicut dicitur in Daniele Princeps Regni Græcorum, & Princeps Regni Perſiæ, qui aſcenderunt in exaltatione Regni eorum. Et poſtea deſcendit alius, & certiorem fecit Jacobum, quòd ſit futurus cum ſemine ejus, quocunque iturus ſit, & è manibus hoſtium eum erepturus.* Atque ita plerique Hebræi veteres pertendunt Deum hujus ſcalæ oblatione Jacobo oſtendere voluiſſe ortum & occaſum quatuor Monarchiarum. Et Principem quidem regni Babel aſcendiſſe & deſcendiſſe gradibus 70. Ducem Regni Medorum gradibus 52. Principem Regni Græciæ gradibus 180. At Principem regni Edom aſcendiſſe quidem, at deſcendiſſe nunquam. Ita R. Levi apud Eliezerem cap. 35. Idem myſticus ſenſus de quatuor Imperiis affertur in Tanchuma, hoc tamen diſcrimine, quòd Princeps Græciæ ibi dicitur aſcendiſſe non 180. gradus, ſed 100. Verùm hunc fuiſſe ſcopum Dei Jacobo viſionem hanc offerentis quis fidem facere ſuſtinebit? Unde quoque conſtat tantùm quatuor fuiſſe Angelos aſcendentes & deſcendentes? Vel quemlibet Angelum per tot gradus, quot illi numerant, aſcendiſſe vel deſcendiſſe? Mitto, quòd Cabbaliſtici סלם vel סולם exponunt סיני montem *Sinai*, ubi danda erat Iſraëlitis Jacobi poſteris lex: vel סמל *ſimulachrum*, quo viderit Jacobus poſteros Deum irritaturos; vel ממון *opes* & עני *paupertatem*, quòd Deus veluti gradibus quibuſdam ſcalæ, quos vult extollat, quos vult deprimat. Nachmanides eúmque ſecuti plures Hebræi docent, prophetiam hanc Jacobo oſtendere, שכל אשר נעשה בארץ נעשה על יד המלאכים והכל בגזרת עליון כי המלאכים אשר ישלח בארץ לא יעשו קטנה או גדולה עד שובם להתיצב על אדון כל הארץ לאמר לפניו התהלכנו בארץ והיא יושבת שליה ושקטה או כלאה חרב ודם ואז יצוה אותם לעשות כהרצונו והודיעו עוד כי הוא לא יהיה ביד המלאכים אבל יהוה הלק י' ויהוה עמו תמיד *quòd omne id quod fit in terra, fiat miniſterio quidem Angelorum, ex decreto tamen Dei altiſſimi. Nam Angeli quos mittit in terram, non faciunt quidquam magnum vel parvum, donec revertantur & conſiſtant coram Domino totius terræ, dicendo coram eo: Perambulavimus terram: & ecce habitat ſecurè & tranquillè aut exagitatur bellis. Et tunc præcipit illis, ut faciant ſecundùm voluntatem ſuam. Et manifeſtarunt præterea,*

Digitized by Google

terea, quòd is (Jacobus) non ſit in manu Angelorum, ſed ſit peculium Dei, quódque is perpetim cum eo futurus ſit. Hinc Deus Angelis ſuis dicitur præcipere, ut cuſtodiat Sanctos in omnibus viis ſuis. Hanc ſententiam rejicit Abarbanel, quia כפי דברו היה ראוי שיאמר יורדים ועולים *juxta expoſitionem ejus dici debuiſſet, deſcendentes & aſcendentes.* Nam legatos Dei primo deſcendere percontaturos, quid rerum agatur in terra: poſtea redire ad Deum, & exponere ei quid agatur. Atque tum demum cum mandatis redire ſecunda vice. Ralbag ſeu R. Levi ben Gerſon aliam interpretationem eſt commentus. Putat nempe, ſcalam denotare אחדות הנמצאות והתקשרה בזה והיותם כלם כאיש אחד *unitatem eſſentiarum, ita ut una quaſi connexa ſit alteri, & omnia ſint quaſi unum quid.* Igitur quod ſcala ea conſtituta dicitur in terra, putat innui generationem & corruptionem, quæ principium ſit omnis cognitionis & contemplationis. Quod caput ejus in cœlum pertigiſſe dicitur, eo doceri ait, quòd res inferiores influxu ſuperiorum ſuſtententur. Angelos notare intelligentias corporum cœleſtium motrices. Aſcendentes deſignare cauſas: at deſcendentes cauſata. Denique Jehovam in faſtigio ſcalæ conſiſtentem denotare putat מציאות הסבה הראשונה *exiſtentiam cauſa primæ,* omnia ritè connectentis, & inſtar motoris primi moventis. Alias aliorum Rabbinorum allegorias ibidem affert Abarbanel, quas omnes fusè hic exponere nihil attinet. Tales ſunt, quòd ſcala hæc ſit ſymbolum vel animæ rationalis, vel quatuor Elementorum, vel mutabilitatis rerum creatarum. Has ſanè interpretationes omnes haud immeritò rejicit idem Abarbanel, non alio fretus argumento, quàm quòd tota hæc viſio utique referenda ſit לענין יעקב שהוא ברח מפני עשו *ad negotium Jacobi fugientis à facie Eſavi* ob benedictionem in ipſum translatam. Cur igitur, inquit, illi viſionem hanc non omnimodè applicant Jacobo, ſed adhibent potiùs להראות שהמלאכים אשר לווהו בארץ לא ילווהו חוצה לארץ או מעמד הר סיני או ממשלת ד' מלכיות או מהנשמה ומחשבות החכמה והנהגת העולם על יד המלאכים מקשור הנמצאות והמניע הראש וד' היסודות או שהיו דברים הזמניים משתנים: *ad docendum, quod Angeli Jacobum deducentes in terra, non ſint eum comitaturi extra terram: aut ad probandam ſtationem montis Sinai, vel quatuor Imperia & Regna, aut animam rationalem & cogitationes ſapientiæ aut gubernationem mundi per Angelos, aut concatenationem rerum exiſtentium in ordine ad motorem primum; aut quatuor elementa, aut quòd res temporales ſint mutabiles?* Nempe Jacobo nihil horum ritè applicari poſſe, neque etiam congruere hæc cum loco vel tempore, quo ei viſio hæc oblata. Ipſe porrò Abarbanel ſuam ſcalæ interpretationem de Templo in monte Moriah extruendo promit his verbis, quæ adſcribere non pigebit: ואחר שיעקב מפחדו מן עשו שהיה נחו וביהותו ברח מפניו עני ודל יחיד ומתנכר אולי

שכבר היה מתחרט ממה שסכן עצמו בלקיחת הברכות באמרו שמא לא ישר בעיני אלהים מה שעשה לאחיו ויבא עליו קללה ולא ברכה ולכן סבב יתברך ביאתו מקום כהר המוריה ושילן שמה והראהו בחלומו בנבואת אלהית קיום הברכות אשר ברכו אביו בו ובזרעו ושרצת אלהים את מעשיו והבטיחו שלא יפחד מעשו כי הוא יצילהו ממני ולפי שהיו היעודים האלהים שיעד הקב׳ה לאברהם שלשה סוגי׳ דבקות ההשגחה והשפע בו ובזרעו וירושת הארץ הקדשה ורבוי זרעו והם אשר בכללו בברכות יצחק לכן בזאת המראה נתקיים כל זה ליעקב מהאל יתברך כי הוא הראהו ראשונה סלם מוצב ארצה וראשו מגיע השמימה להודיעו שבמקום ההוא יבנה המקדש ושם יהיה השפע ודבקות ההשגחה העליונה אשר יעד לאברהם על זרעו כאלו היה שם סלם מוצב ארצה קצהו בקדש הקדשים וקצו מגיע השמימה שמשם ירד בו השפע האלהים וההשגחתו על אותו מקום מיוחד וקדוש ומפני אותו קשר ויחס עצמו שהית מאותו מקום שפל מקום מקדשנו לשמי יי׳ יהיו מלאכי אלהים עלים ויורדים בו שהם מלאכי עליון שלוחי השגחתו שהם עלים עם ריח הקרבנות, ותפלת המתפללים במקום ההוא ויורדים להושיעם ולהצילם ולהשפיע עליהם טובות כיד המלך ולהורות על עלום הדבקות ומעלות ההשגחה אמר והנה יי׳ נצב עליו על יעקב שתדבק השגחתו בו כמו שאמר לאברהם והייתי להם אלהים והמשיך מאמרו אני יי׳ אלהי אברהם אביך ואלהי יצחק ר׳ל הנה מקום הזה אשר הכינותי הוא להדבק שכינתי והשגתי בהשגחתך כמו יעדתי לאברהם וליצחק *Dico igitur quod Jacobus timens ab Eſavo, ne forte is eum interficeret, adeòque fugam ab ejus facie capeſſens, afflictus, pauper & ſolus peregrino in loco agitans, & forte jam pœnitudine ductus quod ob benedictionem illam tanto ſe periculo expoſuerit, dixerit: forte non rectum eſt in oculis Domini, quod feci fratri, & referam potiùs maledictionem quàm benedictionem. Propterea circumduxit eum Deus benedictus, ut veniret in montem Moriah, ibíque pernoctaret. Et oſtendit ei Deus in ſomnio per viſionem Propheticam firmitatem benedictionum, quibus benedixit ei, & ſemini ejus Pater; quòdque Deus beneplacitum habeat in operibus ejus. Eúmque bono animo eſſe juſſit, ne timeret fratrem Eſavum, quid futurum ſit, ut ab eo liberetur. Cúmque promiſſiones, quas Deus fecit Abrahamo fuerint trium generum nempe tum providentiæ Dei circa ipſum & ſemen ipſius, nec non abundantiæ omnis conjunctio; tum hæreditas terræ ſanctæ, tum multiplicatio ſeminis ejus; quæ omnia in benedictione etiam Iſaci conjuncta ſunt: propterea in viſione hac omnia hæc à Deo benedicto etiam Jacobo confirmata ſunt. Nempe is vidit primo ſcalam terræ innixam & pertingentem uſque ad cœlum, ad ſignificandum, quòd in loco eo ſit ædificandum Sanctuarium, in quo ſit futura omnis affluentia & conjunctio providentiæ ſupernæ, quam promiſit Abrahamo propter ſemen ejus, ac ſi ibi eſſet ſcala, cujus una extremitas innixa ſit Sancto Sanctorum, altera verò pertingat uſque in Cœlum, ut inde deſcenderet omnis abundantia divina & providentia in locum eum peculiarem & ſanctum. Et propter eum Deus ſe ipſum conjungit cum eo, quia nimirum ex loco humili futurus locus ſanctus nomini Dei. Per eam ſcalam aſcendebant & deſcendebant Angeli. Sunt hi*

Angeli

Digitized by Google

Angeli Dei altiſſimi miſſi ad exequendum providentiam ejus. Nam aſcenſuri erunt ex Templo ad Deum cum odore Sacrificiorum & precum, & deſcenſuri erunt ad ſalvandum & liberandum, omnique affluentia bonorum ditandum eos. Utque pateſieret mundo conjunctio, excellentiáque providentiæ, dicitur amplius. Et ecce Dominus conſiſtebat ſuper ea; propter Jacobum cui providentiam ſuam exerere voluit, ſicut dixit Deus Abrahamo: Et ero eis in Deum. Unde ſequitur ſtatim: Ego Deus Abrahami patris tui, & Deus Iſaci. Vult dicere: Ecce locus iſte quem præparavi, in quo reſidebit Majeſtas mea & providentia mea ſicut promiſi Abrahamo & Iſaco. Hæc paulò fuſiùs apponenda duxi, quia cùm cæterorum Rabbinorum de myſterio ſcalæ opiniones paſſim allegentur, hanc ſolam tamen Rabbini hujus cœteris ferè ſpecioſiorem nuſpiam memoratam obſervare potui. Malè tamen is ſupponit communem Hebræis errorem, quòd viſio hæc Jacobo oblata ſit in monte Moriah. Quod cum à veritate abludat, tota ejus interpretatio cœteroquin ingenioſa ſimul corruit.

X. Ab Hebræis nos convertimus ad Chriſtianos, qui & ipſi diverſimode ſcalam interpretantur. Abſurdiſſimus omnium Origenes ſcalam hanc eſſe μετεμψύχωσιν ſeu *migrationem animæ hominis ex corpore in corpus* nugatur. De eo ita Hieronymus epiſt. 161. ad Pammachium contra errores Johannis Hieroſolymitani: *Docet Origenes, per ſcalam Jacobi paulatim rationabiles creaturas ad ultimum gradum, id eſt, ad carnem & ſanguinem deſcendere, nec fieri poſſe, ut de centenario numero ſubitò quis ad unum numerum præcipitetur niſi per ſingulos numeros quaſi per ſcalæ gradus ad ultimum uſque perveniat, & tot mutare corpora, quot de cœlo ad terram mutaverint manſiones. Dat Exemplum: Finge aliquem tribunitiæ poteſtatis ſuo vitio regradatum, per ſingula militiæ equeſtris officia ad tyronis vocabulum devolutum, numquid ex tribuno ſtatim fit tyro? Non, ſed ante primicerius, deinde ſenator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tyro.* Sed hæc Pythagorica Origenis ſomnia ad Anticyras ableganda ſunt. Euſtathius hanc ſcalam facit crucem Chriſti. Sic etiam Auguſtinus Serm. 97. *Dominus*, ait, *ſcalæ incumbens eſt Chriſtus in cruce pendens.* Crux nempe eſt ſcala & via per quam Chriſtus, omnéſque adeò Chriſtiani in cœlum conſcenderunt, & conſcendunt indies. Ita in Martyrologio Romano 7. Martii, S. Perpetua & Felicitas, quarum fortitudinem prædicat Auguſtinus in Pſal. 47. omen & indicium martyrii à Deo per ſcalam in viſione oblatam accepiſſe feruntur. Sed & incarnationem Chriſti ſcalæ myſterio adumbrari putavit Diodorus, eumque ſecuti, Vatablus, Rupertus, aliique. Ita nempe Chriſtus per varios gradus venit in carnem, quorum ſummus fuit Adamus proximè & immediatè à Deo conditus: imus B. Virgo Maria ex Davidis progenie ſata. Duo ſcalæ latera faciunt miſericordiam & veritatem,

Digitized by Google

tem, totidem incarnationis Chriſti cauſas. Scala tetigit terram juxta atque cœlum. Ita Chriſtus incarnatus eſt in terra. Idem Cœlum tangit, quia filius Dei, qui cœleſtia terrenis, ima ſummis, denique Deum homini conjunxit. Tertullianus lib. III. contra Marcionem: *Scala,* inquit, *hæc eſt via, qua juſti aſcenſiones ſuas in corde ſuo diſponunt in Cœlum.* Gregorius M. lib. V. Moral. & ex eo Thomas Angelos aſcendentes ad Deum faciunt typum vitæ contemplativæ: deſcendentes verò ad humana vitæ activæ. Alias atque alias patrum ſive interpretationes ſive accommodationes omitto.

XI. Nos nunc ſecuti analogiam ſigni & promiſſionis à Deo ſcalæ inſidente enuntiatæ paucis, cujus rei typus ſcala fuerit, expediemus. Promiſſio inter alia Jacobo facta eſt ſingularis aſſiſtentiæ & providentiæ Dei circa ipſum, in hæc verba: *Ecce ego tecum: Ego ſervabo te, quocunque perrexeris, & reducam te ad terram iſtam, quia non deſeram te, donec fecero quod locutus ſum tibi.* verſ. 15. Ejuſdem igitur aſſiſtentiæ & providentiæ divinæ circa Jacobum typus conſpicuus fuerit ſcala. Etenim primò ſcala ea à ſummo ad imum deſcendebat. Ita ſapientia Dei *pertingit à fine uno ad alterum fortiter, omniáque ſuaviter diſponit,* Sap. VIII. I. Quamvis igitur cœlum à terra ſit remotiſſimum, nihil tamen obſtat, quò minùs curæ ſint Deo res humanæ. Is enim qui in cœlo glorioſam habet ſedem, non procul tamen abeſt ab unoquoque noſtrûm, imò, ut gentilis ille dicebat, mediis cogitationibus noſtris intervenit. Itaque cœlum terræ conjungit, intermedia voluntatis & decretorum ſuorum ſcala. Quòd verò Angeli per eam ſcalam aſcendiſſe & deſcendiſſe dicuntur, indicio eſt, Deum miniſterio Angelorum imperata ſua ſolertiſſimè exequentium apud fideles defungi. Sunt enim *πνεύματα λειτουργικὰ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν*, *Spiritus miniſtratorii emiſſi propter eos, qui hæredes fient ſalutis.* Hebr. I. 14. Itaque tanquam executores decretorum ſuorum eos Deus amandat, quorum obedientia per deſcenſum & aſcenſum ſignificatur. Deſcendunt ut exequantur mandata Dei: aſcendunt & redeunt, ut rationem ſuæ adminiſtrationis reddant. Hinc Job. I. v. 6. dicuntur adveniſſe filii Dei, ut ſiſterent ſe coram Jehova, intenti nimirum & veluti rigentes ad ejus mandata. Et Zach. I. v. 10, 11. mentio eſt eorum, quos miſit Jehova ad perambulandum terram, qui reſponderunt Angelo Jehovæ ſtanti inter myrtos, hoc eſt, Chriſto mediatori futuro: *Perambulavimus terram, & ecce terra deſidet & tranquilla eſt.* Sed & eodem ſenſu Angeli parvulorum in cœlis perpetuo videre dicuntur faciem patris cœleſtis, Matth. XVIII. v. 10. ſimilitudine petita ab apparitoribus & miniſtris, qui ſtant coram iis, qui in eos habent imperium, ut ad eorum nutum parati ſint.

Confer

Digitized by Google

Confer 1. Reg. x. 8. Eſther. 1. 14. Quòd verò Jehova ſtabat in faſtigio ſcalæ, indicium eſt Dei rebus omnibus præſidentis, & voluntatis ſuæ ſapientiſſimæ nutu omnia moventis & dirigentis. Scalæ hujus gradus ſollicitè nonnulli providentiæ divinæ accommodant, qui per eos ſignificari putant multiplices vias, & multiformes rationes modóſque, quibus res à ſe conditas variè Deus regit ac gubernat, quia alii gradus ſunt ſuperiores, alii inferiores. Quamvis ſit πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, tamen eam his gradibus ſignificari non putamus, quia in omni Angelorum, quæ fit in terris, adminiſtratione neceſſum eſſet, ut gradus omnes à ſummo ad imum uſque dimetirentur. Sed & illud parum ad rem facit, quòd latera ſcalæ duas divinæ providentiæ virtutes ſignificent, fortitudinem nimirum & ſuavitatem illam, cujus meminit liber Sapientiæ. Si enim ejuſmodi conjecturis aperiatur janua, earum nec finis nec modus erit. Nos igitur omiſſis ejuſmodi ambagibus non aliud in ſcala quoad ὑποτύπωσιν divinæ providentiæ ſpectamus, quàm quòd cœli & terræ diſtantia, quamvis maxima, non impeditura ſit, quò minùs Deus Angelorum ſuorum miniſterio uſus mundum gubernet, & ſingularem ſuorum curam gerat, adeóque Angelis ſuis præcipiat, ut conſervent eos in omnibus viis ſuis, ambabus ulnis ſuſtineant eos, ne forte pedem ſuum ad lapidem offendant, Pſal. xcı. 11, 12. Calvinus equidem non vult accipi ſcalam figuram divinæ providentiæ, eò quòd *aliud ſignum aptius dediſſet Dominus.* Verùm ſignum ſatis aptum eſſe liquet ex iis quæ diximus, nec non ex analogia ſigni & rei ſignificatæ.

XII. Hanc porro providentiæ divinæ ſub tali ſcalæ emblemate delineationem Jacobus cum anguſtiis maximis conflictatus ad ſe pertinere intellexit facilè. Ita enim ſingulariter ipſi ſignificavit Deus viſione ſcalæ, ſe providentiâ ſuâ iter ejus moderaturum, effecturumque ut ſicut à parentum complexu abſtractus eſt, ita in itinere præſente totáque peregrinatione paternè cuſtodiatur, & ſuo tempore reducatur. Quæ ſanè cogitatio mirè animum Jacobi adverſus incidentes caſus firmare ac munire potuit. Non aſſentimur tamen Diodoro Tharſenſi, cui ſuffragantem habemus Doctiſſimum Junium, qui per Angelos deſcendentes felicem abitum Jacobi in Meſopotamiam, per aſcendentes verò felicem ejus in Palæſtinam reditum portendi exiſtimant. Etenim ſi duo termini ſcalæ duos itineris terminos ſignificaret, cur repræſentaretur Deus innixus uni termino, non alteri? Cur unus cœli, alter terræ nomine diſtingueretur? *Deinde*, ita arguit Cl. Rivetus, *aſcenſus & deſcenſus Angelorum cùm manifeſtiſſimè ſignificet res diverſas, nempe eorum adminiſtrationem apud homines, & reditum ad Deum, vel ut executionis mandatorum rationem Deo reddant, vel ut nova capeſſant: quo-*

modo

Digitized by Google

rituum, Deum verum. Hæc, inquam, porro rectius intelligetis ex doctrina mea, ex ſignis ſive miraculis, ex morte, reſurrectione item glorioſa, & magnifica in cœlos aſcenſione. Sed & Calvinus in commentario graphicè admodum typum huncce explanat. *Solus ergo*, inquit, *Chriſtus eſt, qui cœlum terræ conjungit. Hic ſolus eſt mediator, qui pertingit à Cœlo uſque ad terram. Ille idem, per quem omnium bonorum cæleſtium plenitudo deorſum ad nos fluit, nósque viciſſim ad Deum conſcendimus. Idem cùm ſit caput Angelorum, efficit ut membris ſuis terrenis miniſtrent. Itaque, ut legimus Joh. 1.52. hunc ſibi honorem vendicat, quod poſtquam manifeſtatus fuerit mundo, Angeli aſcendent ac deſcendent. Ergò ſi ſcalam dicimus eſſe Chriſti effigiem, hæc expoſitio nihil habet coactum. Nam ſcalæ ſimilitudo optimè convenit Mediatori per quem miniſterium Angelorum juſtitia & vita, omnéſque Spiritus S. gratiæ gradatim ad nos deſcendunt. Nos etiam, qui non tantùm defixi eramus in terra, ſed in maledictionis abyſſo, inferiſque ipſis demerſi, ad Deum uſque conſcendimus. Scalæ autem inſidet Deus exercituum: quia in Chriſto habitat plenitudo: & hinc etiam fit, ut ad cœlum uſque pertingat. Tametſi enim humanæ etiam ejus naturæ data eſt omnis à Patre poteſtas, non tamen fidem noſtram verè fulciret, niſi eſſet Deus in carne manifeſtatus. Nec obſtat quòd Chriſti corpus finitum eſt, ut cœlum & terram minimè impleat: quia ubique diffuſa eſt ejus gratia.* Hactenus ille. Apponam etiam, quæ hac de re commentatur graviſſimus Theologus Rivetus Exercit. 124. in Geneſin: *Viſionem hanc referimus ad perpetuam Regni Chriſti adminiſtrationem in terris, ut ſcala Chriſtus ſit, qui capite attingit cœlum, quia æternus eſt cum Patre Deus, & in terra conſiſtit, quia humanam naturam aſſumpſit. Continuitas ſcalæ ab cœlo ad terram oſtendit ſublatam eſſe ſeparationem, & Chriſtum quia Mediator eſt, conjungere Deum cum hominibus. Idcirco ſe præbet pater videndum quaſi ſcalæ innixus, quia Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians, non imputando eis peccata eorum 2. Cor. v. 19. Hanc ob cauſam cœlum apertum dicitur apud Johannem, quod alioqui peccatoribus clauſum eſt. Angeli aſcendentes & deſcendentes, ſignificant ſpecialem Dei curam erga Eccleſiam, indicantque Angelos nobiſcum eandem in ſocietatem ſub uno capite Chriſto conveniſſe, & acceſſiſſe nos ad montem Sion, & civitatem Hieruſalem cœleſtem, & myriadas Angelorum, conventum & concionem primogenitorum, Hebr.* XII. 22, 23. Horum eminentium Theologorum verbis ſcalæ hoc myſterium explicâſſe ſufficiet.

XIV. Myſterii ſcalæ hujus, quatenus ad Dei refertur providentiam, idem Doctiſſimus Rivetus veſtigium aliquod extare putat apud Homerum Iliad. 8. Ubi Jupiter Homericus Deos, Deáſque omnes compellat, oſtenditque ſi catena aurea de cœlo ſuſpendatur, quæ terram pertingat, non

 poſſe

poſſe tamen omnes conjunctis viribus Jovem è cœlo trahere in terram. Se autem immiſſa è cœlo aurea catena, poſſe eam ad ſe trahere unâ cum ipſa terra & mari, eáque omnia ad verticem Olympi alligata ſuſpenſa tenere. Homeri de aurea illa catena Jovis verba ſunt:

Γνώσετ' ἔπειθ' ὅσον εἰμὶ Θεῶν κάρτιστος ἁπάντων.
Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε, Θεοὶ, ἵνα εἴδετε πάντες,
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες.
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε Θέαιναι.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίον τε
Ζῆν ὕπατον μήστωρ, οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε·
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσαι,
Αὐτῇ κὲν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ·
Σειρὴν μὲν κὲν ἔπειτα περὶ ῥίον οὐλύμποιο
Δησαίμην. Τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.
Τόσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ Θεῶν, περί τ' εἴμ' ἀνθρώπων.

Cognoſcet deinde quantopere Deorum fortiſſimus ſim.
Sin verò, age periculum facite, Dii, ut videatis omnes,
Catenâ aureâ de Cœlo ſuſpenſâ:
Omnes autem adhæreſcite Dii, Deæque.
Enimvero non traxeritis à cœlo in terram
Jovem ſummum conſiliarium, neque ſi plurimum laboretis.
Sed ſi ego cupidus velim trahere,
Cum ipſa terra traxerim ipſóque mari:
Cæterúmque porro ad verticem Olympi
Alligaverim: ipſa verò ſuſpenſa hæreant omnia.

Auream hanc Jovis Homerici catenam providentiæ divinæ ſymbolum nonnulli faciunt. Sicut enim Jupiter ille nutu ſuo omnia flexit & gubernavit, ipſe verò ſubjacuit nemini: ita Deus ab omni æternitate fataliter omnia deſtinavit. *Ex eo ſuſpenſa ſunt omnia, à quo ſunt omnes cauſæ cauſarum,* uti loquitur Seneca Quæſt. Natural. II. 45: 2.

—— Grave & immutabile ſanctis
Pondus adeſt verbis, & vocem fata ſequuntur.

Verba ſunt Statii lib. I. Thebaid v. 212. Cœterum Homerum auream hanc Jovis catenam deſcribentem alluſiſſe ad ſcalam Jacobi, vel ex traditione hiſtoriæ illius Patriarchicæ tale quid ad gentiles emanâſſe, non perſuadeor. Non enim eſt eadem ſcalæ & catenæ illius ratio. Jupiter thraſonicè hæc declamavit. Non miniſterium allegat Angelorum, aliorumque. Non conſolatur afflictos & jacentes. Non promittit opem indigis. Suas duntaxat

Digitized by Google

taxat vires jactat ſtolidè. Ad extremum Dei opificis & creaturarum connexio ex ea elucet. De quo ita Macrobius in Somnio Scipionis lib. 1. *Secundum hæc ergo cùm ex ſummo Deo mens, ex mente anima ſit; anima verò & condat & vita compleat omnia, quæ ſequuntur, cunctáque hic unus fulgor illuminet, & in univerſis appareat, ut multis ſpeculis per ordinem poſitis vultus unus: cúmque omnia continuis ſucceſſionibus ſe ſequantur, degenerantia per ordinem ad imum meandi: invenietur preſſiùs intuenti à ſummo Deo uſque ad ultimam rerum fæcem, una, mutuis ſe vinculis religans & nuſpiam interrupta connexio. Et hæc eſt Homeri catena aurea, quam pendere de cœlo in terras Deum juſſiſſe commemorat.*

XV. Nunc ad viſionis & χρηματισμȣ in Jacobo efficaciam. Is nempe experrectus ex ſomno exclamavit: אך יש יהוה במקום הזה ואנכי לא ידעתי *Verè eſt Jehova in loco iſto: Ego verò non noveram.* v. 16. Quomodo Deum in iſto loco eſſe ignoravit? Sanè non fugiebat Jacobum, Deum ubique eſſe, & invocandum ubique eſſe. Proinde haud dubiè etiam eo loco invocationis officio defunctus eſt. Non noverat autem Deum eſſe in loco iſto, nempe quoad ſpecialem ſcientiæ ac potentiæ ſuæ declarationem ac manifeſtationem. quomodo ordinariè dicitur eſſe in cœlo, extra ordinem verò magis in uno quàm in alio loco. Hoc innuit Patriarcha non cogitâſſe ſe, Jehovam etiam eo in loco ſibi ſe manifeſtaturum. Aliâs non omiſſurum ſe fuiſſe, quin aliquo ſingulari ritu ibi Deum coleret, vel etiam ſomno planè non indulgeret. Abarbanel exiſtimat, hoc velle Jacobum, ſe hactenus non putâſſe, quòd alibi ſe Deus manifeſtet, quàm in domo patris, vel eo loco, quo habitant viri timentes Dei. Nunc autem cognoſcere ſe, ſanctum eſſe illum locum tum propter Abrahamum & Iſacum eo loco ligatum ad ſacrificium, tum propter ſe ipſum viſione ibi beatum, tum propter Templum ſuo loco ibi ædificandum. Supponit, locum in quo dormivit Jacobus, fuiſſe montem Moriah, quod falſum. Neque etiam ex verbis Jacobi colligi poteſt, quod illi volunt. Noverat quippe Jacobus, variis in locis Deum ſe patefeciſſe Abrahamo & Iſaco. Præterea de Jacobo habet Moſes, ipſum timuiſſe, ac ingeminâſſe his verbis: מה נורא המקום הזה אין זה כי אם בית אלהים וזה שער השמים *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt locus iſte aliud quàm domus Dei, & iſte porta Cæli eſt.* verſ. 17. Thargum Onkeloſi hæc ita [illegible] מה דחילו אתרא הדין לית דין אתר הדיוט אלהין אתר דרעוא ביה כין קדם יי ודין תרע קביל שמיא *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt locus communis, ſed locus in quo eſt beneplacitum coram Domino. Et è regione loci hujus eſt porta cæli.* Non hîc Hebræos pleroſque moramur, quos pro more ſequitur Lyranus: qui ratione templi eo loco ædificandi hæc dici exiſtimant. Perperam enim ab iis locum hunc confundi cum monte

Moriah ſæpiùs jam animadvertimus. Nonnulli verba illa Jacobi non referunt ad locum terreſtrem, ſed ad locum illum in cœlo, ubi Deum ſcalæ innixum viderat Jacobus, ubi & cœli portam, qua deſcendentes Angeli egrediebantur, & quo aſcendentes ſe recipiebant, conſpexerat. Verùm ex nomine בית אל *Bethel* ſeu *domus Dei*, poſtea loco illi impoſito apparet, terreſtrem etiam illum, in quo dormiverat, locum epithetis illis inſignitum eſſe. *Domum* nempe *Dei* vocat locum illum, propter habitationem, hoc eſt, præſentiæ divinæ teſtimonium. *Portam* verò *Cœli*, quia Deus in eo exhibuerat viſionem ſcalæ uſque ad cœlum pertingentis. Hinc nempe collegit, aptum eſſe locum illum, qui cultui divino & religioſæ invocationi ſacretur. quòd poſtea redux ex Meſopotamia, erecto ibi altari, fecerat.

XVI. Eundem viſionis divinæ locum hactènus verbis ſacratum, nunc etiam monumento inſignit & conſecrat. Etenim poſtquam ſummo mane ſurrexiſſet, יקח ארת האבן אשר שם מראשתיו וישם אתה מצבה ויצק שמן על ראשו *tulit lapidem, quem poſuerat ſub capite ſuo, & poſuit eum in titulum, & effudit oleum ſupra ſummitatem ejus* verſ. 18. Lapidem nempe, ſive per ſynecdochen plures lapides in cumulum congeſtos, quos inter fuit præcipuus ille, quo cervicali uſus erat, fecit מצבה *στήλω*, *titulum*. Vide quæ de titulis & ſtatuis dicta nobis Exercit. XIII. 23. quæ hìc repetere otioſum fuerit. Lapidem illum ſeu titulum oleo inunxit. Libamina nempe ex oleo vel vino confecta uſum habuére tum in ſacrificiis, tum extra ſacrificia, ubi quid Domino dicandum vel conſecrandum fuit. Signum igitur fuit unctio conſecrationis & gratiæ Spiritus S. Sed duo hic in controverſiam veniunt: Unde olei copia fuerit Jacobo; & quo inſtinctu quamobrémque oleo lapidem illum inunxerit. Quoad prius comminiſcuntur Hebræi, è cœlo oleum illi delapſum eſſe. Solenne nempe iis eſt miracula fingere ſine neceſſitate. Potius eſt ut exiſtimemus, è viatico quod ſecum ſumpſerat, ut laſſitudini conſuleret, & ſua ſubinde membra refocillaret, tantum illi ſuperfuiſſe, quantum ad ejuſmodi unctionem requirebatur. Illis enim in regionibus olei uſus erat admodum communis, ſive ad ungendam faciem, ſive ad levandam viatorum laſſitudinem. Quoad poſterius, notat Hugo Grotius, Jacobum morem illorum locorum ſecutum eſſe, qui poſtea ad Græcos pervenerit, id quod teſtimonio Clementis Alexandrini, Arnobii, Apuleji & Minutii probat. Verùm credibile non eſt, Virum Sanctum Gentilium conſuetudinem ſuperſtitioſam ſecutum eſſe. Potiùs ejuſmodi unctiones gentilium, qui ſoliti ſunt procedente tempore, lapides ungere, & teſte Clemente Alexandrino *πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνεῖν*, *omnem lapidem pinguem adorare*,

adorare, ex cacozelia quadam ſeu Patriarcharum imitatione ortum habuit, ſicut falſa & vana idololatrarum ſuperſtitio multis in rebus veræ religionis æmula fuit. Bellarminus aliique ex Pontificiorum caſtris, ut ſuperſtitioſis ſuis ritibus & unctionibus fidem concilient, unctionem hanc lapidis vellent à naturali inſtinctu derivare. *In ſtatu naturæ* inquit Bellarminus *Jacobus erexit lapidem, ut ibi ſacrificaret, eúmque conſecravit, infundens oleum deſuper &c. Certè hoc non pertinet ad magiam, cùm laudetur id factum ab omnibus, & conſtet placuiſſe Deo. Nec etiam pertinet ad ceremonias legis, quæ adhuc data non fuerat. Cur igitur non liceat nobis idem facere?* de cultu Sanctorum lib. III. cap. 5. Verùm ineptus luſus eſt in voce *ſtatus naturæ*, ſimilis ei, quo Judæi omne tempus illud, quod legem Moſaicam præceſſit, vocare ſolent יכי תהו *dies inanitatis*. Quaſi videlicet ſolo naturæ ductu abundaverint Patriarchæ, quibus promiſſio facta, & tot revelationibus repetita ſignisque confirmata fuit. Sanè fidem Patriarcharum luculenter deſcribit Apoſtolus Hebr. cap. XI. Fides autem nititur non naturali inſtinctu, ſed verbo tum mandati tum promiſſionis. Mandatæ nempe ſunt etiam ante Moſen ceremoniæ, quales ſunt circumciſio, animalium mundorum & immundorum diſtinctio, ſacrificiorum materia & ritus, aliáque ejusmodi. Atque eodem referimus hanc unctionis ceremoniam haud dubiè Patriarchis mandatam, & ex eorum traditione à Jacobo uſurpatam. Non igitur magica fuit ea ceremonia, quia exercuit eam præeunte verbo, nec plus ei, quàm par erat, tribuit. Jam de fine inuncti lapidis. Abenezra putat inunctum eum eſſe à Jacobo להכירו בשובו *ad diſcernendum eum in reditu*, hoc eſt, ut locum in reditu agnoſceret. Id dilutum eſt. Quia libamen in V.T. ipſis ſacrificiis appendi conſuevit, exiſtimant nonnulli, loco ipſius ſacrificii, cujus materia eo in loco parabilis non erat, Jacobum effudiſſe in Dei honorem oleum, ſicut in honorem Dei David in terram effudit aquam, quam non ſine vitæ periculo hauſerant ſtrenui viri ex puteo Bethlehemitico 2. Sam. XXIII. 16. Magis tamen aſſentior iis, quibus videtur Jacobus hanc ceremoniam adhibuiſſe conſecrationis ergo, ut nimirum lapis iſte evaderet cultus divini inſtrumentum. Hoc indicat ipſe in voto ſuo Jacobus verſ. 22. ubi lapidem iſtum futurum docet בית יהוה *domum Dei*, ubi ſalvus redux factus fuerit. Proinde etiam in reditu ædificavit ibi altare, & lapidem, quem erexit in titulum, liquore perfudit, Geneſ. XXXV. 14.

XVII. Hebræorum portentoſa ſunt de lapide eo figmenta. Vocant eum אבן השתיה *lapidem fundationis*, eò quòd fundamentum ſit univerſæ terræ, atque Templi, ſeu in ipſo terræ centro ſitus ſit. Vide Pirke R. Eliezer cap. 35. ubi fingunt Magiſtri, Deum lapidem illum defixiſſe uſque ad

Digitized by Google

abyſſi profunditates, atque illum feciſſe paxillum vel juncturam cum terra, ſicut homo facit commiſſuram cum pice; hincque etiam vocari *lapidem fundationis*, quia inde ſit umbilicus terræ, atque inde ſe extendat univerſa terra, atque ſuper illo ſtet Templum Domini. Convenit cum hac fabella Jonathan in Thargum Exod. XXVIII. 30. ubi refert, Deum hoc lapide obſignaſſe os abyſſi magnæ. Occurrit etiam ejus mentio in Joma fol. 53, 54. Alibi nugantur nequiſſimi homines, lapidem eum à Solomone collocatum eſſe in ſanctuario, eique inſculptum eſſe nomen tetragrammaton, quo furtim ablato Dominus Jeſus miracula ſua patraverit. Quantò rectiùs ſancti Eccleſiæ Patres lapidem húncce typum fecerunt Chriſti? Auguſtinus de Civ. D. lib. XVI. 38. *Hoc quod Jacob fecit, ad prophetiam pertinet. Neque enim more idololatriæ lapidem perfudit oleo, quaſi faciens eum Deum. Neque enim adoravit eum lapidem, neque ei ſacrificavit. Sed quoniam Chriſti nomen à Chriſmate, id eſt, ab unctione, profectò figuratum hinc eſt aliquid, quod ad magnum pertinet Sacramentum.* Nempe in Scriptura paſſim Chriſtus lapidis & petræ nomine venit, inprimis 1. Cor. X. 3. *Petra erat Chriſtus.* Idem Meſſias & Pontifex noſter unctus eſt oleo lætitiæ ſupra conſortes ſuos. Vide Proſperum Aquitanicum in libro promiſſionum & prædictionum Dei, parte 1. cap. 25.

XVIII. Eundem Jacobi lapidem unctum prava quadam cacozelia adorârunt Phœnices. Hebræi ita referunt: אך על פי שהיתה מצבה אהובה לפני המקום בימי האבות אחרי כן שנאה מפני שעשוה כנענין לחוק לעבודה זרה *Quanquam ille cippus amatus fuit à Deo temporibus Patriarcharum, poſtea tamen odit eum, propterea quod Cananæi deduxerunt illum in ritum idololatriæ.* Neque tantùm hunc lapidem Phœnices coluerunt, ſed alios etiam coluerunt, & conſecrârunt, quos *Bætulia* & *Bætylos* nominârunt, in memoriam nempe lapidis Bethele erecti. Ita Sanchoniaton Interprete Philone Biblio: Ἐπενόησε Θεὸς οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος: *Excogitavit Deus Uranus Bætulia, cùm fabricâſſet lapides animatos.* Quomodo verò *lapides animatos?* Extricat nodum magnus Bochartus de coloniis Phœnicum lib. II. cap. 2. ubi Sanchoniatonem ſcripſiſſe conjectat אבנים נשפים *lapides unctos* à verbo נשף in ungendi notione apud Syros uſitata. Sed פ & ש transpoſitis pro נשפים ſcriptum נפשים. Unde factum, ut lapides uncti mutarentur in animatos. Photius ex Damaſcio Κατὰ τὴν Ἡλίου πόλιν Συρίας, εἰς ὄρος τὸ τοῦ Λιβάνου τὸν Ἀσκληπιάδην ἀνελθεῖν φησὶ καὶ ἰδεῖν πολλὰ τῶν λεγομένων Βαιτυλίων ἢ Βαιτύλων περὶ ὧν μυρία τερατολογεῖ, *Juxta Heliopolin Syriæ Aſclepiadem in Libani montem aſcendiſſe, & vidiſſe multa Bætulia vel Bætylos, quos vocant, de quibus multa miracula narrat.* Idem nomen inditum lapidi, quem Saturnus vocâſſe

fingitur

fingitur. Heſychius: Βαίτυλος, οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ, ἀντὶ Διός. *Bœtulus. Ita vocabatur lapis Saturno pro Jove dicatus.* Idem vocatur *Abdir*, *Abadir*, *Abaddir*, vel tanquam אב אדיר *Pater magnificus*, cujus nominis Punicos Deos memorat Auguſtinus epiſt. 44. vel tanquam אבן דיר *lapis ſphæricus*, quia talis forma Bœtuli. Plura de eo vide apud Bochartum l. c. nec non Scaligerum Notis in Fragmenta pag. 39.

XIX. Sicut libri Apocryphi ſub nomine *Scala Jacobi*, Ebionæis olim familiaris, quo introducebatur Jacobus veluti exponens in ſomnium ſcalæ à ſe per quietem viſæ adverſus Judæos, Templum, & eorum ſacrificia; meminit Epiphanius primo Panarii in confutatione Ebionitarum: ita etiam citatur à Stratonico in Collectaneis *Titulus à Jacob Patriarcha ſcriptus in Bethel Luzæ*. De quo utroque videri poteſt Sixtus Senenſis Biblioth. S. lib. 11. pag. 86. Titulum ſanè unxiſſe Jacobum legimus: at in eo quicquam excidiſſe vel ſcripſiſſe, non item. Proinde utrumque illum librum obelo notatum & confixum meritò Eccleſia negligit.

XX. Loco illi in quo inclyta viſio illa oblata Jacobo impoſuit nomen בית־אל *Bethel.* De quo ita Moſes verſ. 18. *Et vocavit nomen loci illius* בית אל *Bethel* ואולם לוז שם העיר לראשונה *quæ prius Luz vocabatur.* Ita poſteriora verba reddit Vulgatus. At Græci Interpretes אולם interpretantur tanquam nomen proprium. Sic enim reddunt: Καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον: *Et Ulamluz erat civitati nomen priùs.* De quo ita Jacobus Capellus in Hiſtoria S. & exotica. *Homines iſti dum feſtinantiùs quàm accuratiùs munere ſuo defungerentur, ex adverbio Ulam & nomine proprio confinxerunt portentoſum vocabulum Ulamlaus.* Errorem ſive Interpretum ipſorum ſive librariorum agnoverunt eruditi propemodum omnes. Conatur tamen & Vir Doctiſſimus Iſacus Voſsius tueri eam lectionem, quam portentoſam vocavit Capellus. *Duplex*, inquit, *fuit Luza; vetus Luza ſive Vlamluz, & altera huic proxima, ſimpliciter Luza dicta. Cùm itaque Geneſ.* xxxv. *Bethel adpellatur Luza, id intelligendum eſt de Luza vetere. Cùm verò apud Joſuam Luza à Bethel diſtinguitur, tum Luza diſtinguitur à Luza vetere. Vlamluz verò ad verbum* παλαιὰ ἀμυγδαλῆ. *Olim enim ut nunc quoque in Judæa termini agrorum & habitationum arboribus diſtinguebantur. Rectè itaque* LXXII. *reddidére* Οὐλαμλοὺζ. *Rectè quoque Samaritanus codex legit conjunctim* אולמלוז. *Sic* παλαίτυρος, παλαίπαφος, παλαίβυβλος *& ſexcenta alia*; de Tranſlatione LXX Interpretum cap. 13. Sed verò quomodo אולמלוז ſonabit παλαιὰν ἀμυγδαλῆν? Monſtrandus nobis locus vel authoritas aliqua, ex qua pateat אולם notare *veterem*. Id nunquam vir doctus præſtabit. Præterea cum de eadem Luza agatur Geneſ. xxxv. 6. de qua etiam hoc loco agitur, quæ cauſa eſt, cur hîc *Oulamluz*, ſeu vetus Luza,

Digitized by Google

Luza, ibi ſimpliciter Luza dicatur? Nondum equidem errorem Interpretibus impingere ſuſtineo. Librariis potiùs impingendum putem, qui Græcam verſionem cum codice Hebræo contendentes, vocem אולם putarunt ad urbem לוז pertinere, adeóque eam in textum ipſum tranſtulerunt. Rectiùs igitur Syrus Interpres illud אולם reddit ברם *verùm*, & Arabs אכנא *at.* Nempe אולם tributum ædificiis ſignificat porticum: acceptum autem de ligatura vel ſtructura orationis, ſignificat conjunctionem partium, & Latinis reddi poteſt *equidem*, *quidem*, *verum*, *veruntamen*, *profectò* &c. uti liquet comparanti loca Job. v. 8. Num. xiv. 20. Deſcendit enim ab אלם *ligavit manipulos*, *ſtrictim colligavit.* Igitur nomen loco, in quo dormiverat impoſuit Jacobus בית אל *Bethel*, quod appellativè ſignificat *domum Dei.*

XXI. De ſitu urbis Bethel nunc pauca. Et Hebræos quidem Bethelem confundere cum monte Moria, hoc maximè argumento, quòd nomen Bethel videatur urbi propheticè inditum ad ſignificandum, ibi aliquando futurum domum Domini ſeu Templum, quod nulli convenit niſi Hieroſolymæ, ubi Templum in monte Moriah: ſupra vidimus. Hebræos ſequuntur Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ, Lyranus, Cajetanus, Dionyſius Carthuſianus, alii. Sed toto illi cœlo aberrant. Nuſquam enim Hieroſolyma vocatur vel Bethel vel Luza. Et omnes regionum earum periti, Adrichomius, Brochardus, alii, has urbes diſtinxerunt. Præterea Hieroſolyma fuit partim in tribu Juda, partim in tribu Benjamin. At hæc Bethel vel in tribu Benjamin, vel in tribu Ephraim, diſtincta tamen ab Hieroſolyma, uti liquet ex Joſ. xviii. 22. Hoc cùm intelligerent Hebræi nonnulli, mirum commentum de monte Moriah revulſo & Jacobum comitante excogitârunt. De quo ita Jarchius: וזו לוז היה ולא ירושלם ומהיכן למדו לומר כן אני אומר שנעקר הר המוריה ובא לכאן וזו היא קפיצת הארץ האמורה בשחיטת חולין שבא בית המק״ש לקראתו עד בית אל וזהו ויפגע במקום *Luza erat, non Hieruſalem. Et unde didicit eum ita appellare? Dico ego, quòd translatus ſit mons Moriah, veneritque huc. Et hæc eſt illa ſubſultatio terræ, de qua agitur in* שחיטת חולין *quòd venerit domus Sanctuarii in occurſum ejus uſque Bethel. Et hoc eſt, quod dicitur: Et occurrit in loco.* Quo quidem nihil excogitari prodigioſius poteſt. Sed dubium adhuc eſt, fueritne hæc Bethel in tribu Benjamin, an in tribu Ephraim? Etenim Joſ. xviii. 22. inter urbes tribus Benjamin cenſetur Bethel. At cap. xvi. videtur Bethel Luza poni vel intra ſortem tribus Joſeph ſeu Ephraim, vel certè in ejus confinio. Imò non tantùm in ejus confinio fuiſſe, ſed etiam ad ſortem ejus tribus pertinuiſſe ſatis indicari videtur Joſ. xviii. 13. Ubi Aquilonaris terminus tribus Benjamin

Digitized by Google

jamin dicitur tranſire juxta Luzam ad meridiem. Ex quo neceſſariò ſequitur, Luzam fuiſſe in tribu Ephraim, & extra Benjaminitarum ſortem. Placuit hinc nonnullis, nominatim Kimchio & Pererio, duas fuiſſe Betheles, unam abſolutè Bethel dictam in tribu Benjamin, alteram Bethel Luzam in tribu Ephraim. Verùm eò ut confugiamus, neceſſum non eſt. Rectiùs igitur Andreas Maſius, Serarius, aliique Viri Doctiſſimi cenſent, unam duntaxat Bethelem fuiſſe, eámque modò diverſam à Luza, modò eandem dici: quia cum re ipſa locus ille, in quo divina viſio ſe Jacobo patefaciebat, paululum abeſſet ab oppido Luza primùm, poſterioribus temporibus adeò religionis opinione celebratus fuerit, ut Luzæ propinquæ nomen diluerit atque obſcuraverit. Idque facile fieri potuit, præſertim poſtquam Luza à filiis Joſephi deſtructa fuit. Unica igitur omninò fuit Bethel, quæ tamen ratione confinii & loci, qui Bethel à Jacobo dictus fuerat, modò tribui Benjamin, modò tribui Ephraim deputatur.

XXII. Reſtat votum Jacobi Deo nuncupatum. Ejus formula hiſce verbis concepta eſt: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via iſta, per quam ego ambulo, dederítque mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum. Reverſus quoque fuero in pace ad domum patris mei,* והיה יהוה לי לאלהים *& erit, vel & fuerit Jehova mihi in Deum: Et lapis iſte, quem poſui in titulum, erit domus Dei. Præterea ex omnibus quæ dederis mihi, decimas prorſus dabo Tibi.* verſ. 20, 21, 22. Voti hujus partes duæ ſunt, conditio ſeu ſuppoſitum una, propoſitum verò ſeu promiſſio altera. Suppoſitum ſeu conditio eſt ſumma illa repetitio promiſſorum, quæ Deus ipſi tum per Iſacum hoc ipſo cap. verſu 3. & ſequentibus, tum per ſe ipſum verſ. 13. &c. fecerat. Totum nempe promiſsionum illarum argumentum duobus his verſibus continetur, adjecta ſingulari determinatione vel circumſcriptione temporis. Sed verba illa והיה יהוה לי אלהים *Et erit Jehova mihi in Deum*, non ſatis conſtat, pertineántne ad conditionem an verò ad promiſsionem Jacobi. Ad promiſsionem referunt Syrus & Interpretes non pauci, qui inde concludunt, rem etiam præceptam atque neceſſariam cadere ſub votum. Ad conditionem verò Arabs, Junius, Rivetus, & inter Hebræos nonnulli. Fateor poſteriorem hanc interpretationem faciliorem videri, tum quia ita alluderet Jacobus ad præcedentes Dei promiſsiones Abrahamo & poſteritati ejus factas: tum quia ſic ceſſat objectio de conditione oppoſita, quaſi negativam ſupponeret, ſi Deus ei non largiretur, quæ in conditione expreſſerat. Præterea haud dubiè potiſsimam fœderis rationem in exprimenda conditione habuit Jacobus. Illa tamen non apparet niſi iis in verbis, *& fuerit mihi Jehova in Deum.* Sic igitur conditio hujus voti erit quadruplex,

nempe præſentia ſpecialis & cuſtodia in præſenti itinere, ſuppeditatio eorum, quæ ipſi ad victum & amictum neceſſaria erant: reductio ad domum patris ſui, denique quod utramque paginam facit, promiſsionum Abrahamo & poſteritati ejus factarum impletio. Notat Jarchius, ſingulas ferè has conditiones congruere præcedentibus divinis promiſsionibus. Verba ejus ſunt: אם יהיה אלהים עמדי׳ אם ישמור לי אבטחות הללו שהבטיחני להיות עמדי כמו שאמר לי הנה אנכי עמך : ושמרני׳ כמו שאמר לי ושמרתיך בכל אשר תלך : ונתן לי לחם לאכל׳ כמו שאמר כי לא אעזבך והמבקש לחם הוא קרוי נעזב שנאמר ולא ראיתי צדיק נעזב וזרעו מבקש לחם : ושבתי׳ כמו שאמר לי והשיבותיך אל האדמה : בשלום׳ שלם מן החטא שלא אלמד מדרכי לבן : והיה לי לאלהים׳ שיחול שמו עלי מתחלה ועד סוף שלא ימצא פסול בזרעי כמו שאמר אשר דברתי לך והבטחה זו הבטיח לאברהם שנאמר להיות לך לאלהים ולזרעך אחריך : Si fuerit Deus mecum: *Si ſervaverit mihi promiſſiones factas, fore ut ſit mecum, juxta illud quod dixit mihi: Ecce ego tecum*, verſ. 15. Et cuſtodiverit me: *Juxta illud quod dixit: Servabo te quocunque perrexeris*, verſ. 15. Et dederit mihi panem ad comedendum: *juxta illud quod dixit: Non deſeram te. Nempe qui panem quærit*, deſertus dicitur, ſicut dictum eſt: *Non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quærens panem.* Et reverſus fuero: *juxta id quod dictum mihi; Et reducam te in terram*, Salvum: *ſalvum nempe à peccato, ut non diſcas è viis Laban.* Et fuerit mihi in Deum; *permanebit nomen ejus ſuper me à principio, uſque ad finem, quia non inveniet profanum in ſemine meo, juxta id quod dixit: Et locutus ſum tibi. Et promiſſionem hanc fecit Abrahamo, cui dictum eſt, fore ut ipſi & Semini ejus Deus ſit in Deum.* Quòd verò Jacobus conditionaliter loquitur: *Si fuerit Deus mecum* &c. non ita accipiendum, quaſi inſtar mercenarii cum Deo paciſceretur, vel dubius hæreret de divina gratia & aſſiſtentia, an nimirum Deus, quod proponebat facturus eſſet, necne? Hoc enim ſervilem Jacobi animum & diffidentiam viro pio planè indignam argueret. Itaque particula אם *ſi* pro ſimplici conditionali hîc accipi non debet, ſed pro particula vel *rationali*, ut aliquando apud Latinos *ſi* pro *quia* accipitur; vel particula *ordinis* & *temporis*, poſtquam, vel cùm. Quomodo apud Terentium in Phormione eſt: *Herus ſi redierit, molendum eſt*; id eſt, poſtquam redierit. Atque ita etiam tranſtulit Junius: *Cùm fuerit Deus mecum*, &c. Tigurina verſio non malè: *Quandoquidem Deus mihi adfuit, & cuſtodiet me in via* &c. Obſervatum id etiam Nachmanidi apud Abarbanelem, cujus verba: והרמבן כתב שלא אמר אם יהיה אלהים עמדי כמסתפק אלא שכן הוא דרך הלשון כמו עד אשר אם עשיתי: *Et Ramban ſcripſit, non dixiſſe Jacobum; Si Deus fuerit mecum: tanquam ſi dubitaret, ſed juxta proprietatem linguæ, quomodo ſupra verſ. 15. dictum; donec fecero.*

XXIII. Pro-

XXIII. Promiſſionis votivæ partes duæ ſunt. Primò enim religioſè ſpondet, lapidem illum antea ſacratum, ſeu poſitum מצבה *in titulum*, futurum בית אל *domum Dei.* non quia lapis ipſe ſit futurus domus Dei, ſed quia locus iſte lapidem continens locus ſit futurus domus Dei, nempe ſanctificatione & applicatione. Domus nempe Dei vocatur, non quod in loco aliquo vel Templo manufacto habitet, ſed quia ibi Deus ab hominibus vult coli, & gratioſam ſuam præſentiam effectis teſtari. Rectè igitur Abenezra notat inſinuari hîc מקום קבוע להפלה *locum fixum precibus.* Hanc religioſam promiſſionem exſolvit redux ex Meſopotamia, Geneſ. xxxv. 7. Thargum Onkeloſi ita vertit: ואבנא הדא די שויתי קמא תהי דאהי פלח עלה קדם יהוה *Et lapis iſte, quem poſui in titulum, erit ſuper quem ſerviam coram Domino.* Altera pars eſt de ſolvendis eorum, quæ ipſi Deus donaturus, decimis: וכל אשר תתן לי עשר אעשרנו לך *Et ex omnibus, quæ dederis mihi, decimas prorſus dabo tibi.* verſ. 22. Abenezra ita [illegible]: *Erit domus Dei locus fixus precibus meis,* ולהוציא שם מעשר מכל אשר תתן לי מכון לתתו למי שהוא ראוי לקחתו לבכוד ה׳ ולהיות לוי עשירי דרך דרש כי אין בתורה שיתן האדם מעשר בניו רק מעשר בקר וצאן ותבואה *& ad offerendum illic decimas ex omnibus, quas dabis mihi divitiis, ut easdem illi, qui fuerit idoneus ad accipiendum in honorem Domini. Levi fore decimum eſt per modum Dras: quia non habet lex, ut homo decimas det filios ſuos, tantùm boves & oves & proventum.* Sentiunt nempe ex Hebræis nonnulli, Jacobum promiſiſſe decimas etiam ex filiis. Decimum autem hunc fuiſſe Levi. Sed rectè hanc opinionem pulſat Abenezra, eò quòd lex nuſpiam præcipiat decimare homines. Neque etiam præciſè decem fuerunt filii Jacobi. Non dubitamus igitur, quin intellexerit Jacobus in voto decimas ex animalibus & proventu, quas tum ſuo tum poſteritatis nomine promiſit. Decimas illas promiſiſſe non Deo ἀμέσως, ſed Melchiſedeco, vel Semo vel Heberi, cenſent nonnulli. Rectiùs Cajetanus: *Si quæras,* inquit, *cui Sacerdoti dandæ erant iſtæ decimæ, reſpondeo, nulli: ſed in honorem Dei fuiſſe offerendas Deo juxta ritum tunc ſolitum: & quod erat conſuetum comburi, comburebatur ſacrificando, reliquum autem comedebatur, non tanquam cibus profanus, ſed ut quid Deo oblatum: ſicut mos erat offerentes ad ſacrificandum, participes eſſe ſacrificiorum & libaminum.* Et Mercerus: *Non dubito, quin intelligat ſe in uſum rerum ſacrarum, altaris, & rerum ad cultum Dei neceſſariarum, & doctrinam verbi decimas de ſuis rebus Domino daturum. Domino enim dat, qui in uſum ſacrorum ejus dat. Et hoc tam pro ſe, quàm pro poſteris ſuis vovet.*

XXIV. Ex voto hoc decimarum Deo perſolvendarum concludunt nonnulli, jure naturali Miniſtris Eccleſiæ deberi decimas. Hanc ſententiam tuentur Canoniſtæ, & ex noſtratibus etiam Zepperus, Hoſpinianus, in-

Digitized by Google

primis Hierarchici Anglicani, inter quos Vir cœteroquin Piiſſimus & Doctiſſimus Johannes Prideaux Orat. 5. *de Decimis*, tantùm non hæreſeos ſtigmate inurit eos, qui cum fraterculo quodam Gulielmo Ruſſel *decimas perſonales eſſe jure divino* negant. Cœterùm ut id æquitati naturali conſentaneum putamus, ut Miniſtris Eccleſiæ honeſta ſuſtentatio aſſignetur, ſive id ex decimis proventuum, ſive aliunde fiat: ita non putamus, jure naturali, vel divino perpetuo præcipi, ut Eccleſiæ Miniſtris decimæ ſolvantur. Veriſſimum equidem eſt, quod monet Prideaux: *Paſtoribus ſi ſubſtrahatur pabulum, non tam ſtrigoſi futuri ſunt greges, quàm depexum ductoris pallium. Qui ſedent in porta, opprobriis nos obruent, & bibentes Schecar, ut loquitur Pſalmiſta, cantionibus eos exagitabunt. Siquidem non ignorantia tantùm Sacerdotum, ut voluit Panormitanus, ſed Sacerdotii ignominia tenuitatem beneficiorum neceſſariò ſequitur.* Atque id omnino arguit, Miniſtris Eccleſiæ honeſtè providendum eſſe, ne implicitè ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις demandati officii partes negligere debeant. Non tamen inde ſequitur præciſè ex decimis ſtipendia illis ſolvenda eſſe. Proinde *quota* vel *taxatio* ſtipendii naturali lege vel poſitiva perpetuâ determinata non eſt. Neque etiam, quia ante legem Moſis, Jacobus decimas Deo vovit, ſequitur id naturali inſtinctu ab eo factum eſſe, adeóque perpetuo jure neceſſarium eſſe: Etenim primò fuiſſe leges & conſuetudines forenſes ſeu politicas in familiis Patriarcharum, quæ juris naturæ non erant, neque adeò perpetuæ & immutabiles, indicat vel ſola illa lex de jure leviratus ſeu vidua fratris primogeniti à fratre ducenda Geneſ. 38. Deinde cùm Jacobus voto promiſerit Deo ſolutionem decimarum, patet id factum eſſe non ex lege, ſed motu & arbitrio peculiari. Præterea vovet decimas ex omnibus, adeóque etiam animalibus. Numquid igitur & has decimas deberi miniſtris pertendent? Exemplum Abrahami decimas Melchiſedeco penſitantis, quod inprimis urget Cl. Prideaux, expendit Rivetus Exercitatione. 126. in Geneſin.

Digitized by Google

EXERCITATIO XVII.

DE

MONOMACHIA JACOBI CUM DEO.

Breviarium.

Monomachiæ Jacobi locus & occaſio. 1. *Antagoniſtæ. Quis vir ille, quicum luctatus Jacobus? Fueritne Angelus Eſavi? an* Φάντασμα? *an Angelus communis? Fuiſſe Deum, & quidem filium Dei* ἀνθρωποειδῆ *probatur quinque argumentis.* 2. *Antagoniſtarum lucta. Verbum* אבק *exponitur. Palæſtritarum mos ſe aſpergendi pulvere.* 3. *In ſomnio ne, an vigilante Jacobo contigerit illa lucta? R. Levi ben Gerſon refutatur.* 4. *Fueritne corporalis, an ſpiritualis figurata? Origenis, Hieronymi, Procopii Gazæi opinio improbata. Veram fuiſſe luctam, non violentam duntaxat retentionem & tractionem viri colluctantis, aſſeritur adverſus Thomam Anglicum & Toſtatum.* 5. *Duratio luctæ uſque ad aſcenſum auroræ. Vulgati Interpretis* παρερμηνεία, שחר. 6. *Luctæ eventus. Victoria Jacobi. Quomodo Deus, cujus infinita eſt potentia, Jacobo prævalere non potuerit?* Ἀδύνατον *ſæpius referri ad* ἀβούλητον. 7. *Luxatio femoris Jacobi. Quid* כף? *Quid* תקע? *Læſio illa femoris argumentum fuit imbecillitatis Jacobi & potentiæ antagoniſtæ.* 8. *Scopus & ſignificatio quæ fuerit victoriæ à Jacobo reportatæ & luxati femoris ejuſdem? Allegoriæ Philonis, Auguſtini, Gregorii M. Hebræorum quæſitum in ea lucta myſterium eliditur.* 9. *Verus monomachiæ hujus ſcopus & myſterium panditur.* 10. *Jacobi antagoniſta petit miſſionem. Quomodo, cùm Deus ipſe fuerit, petat argumentum miſſionis ex eo, quòd aurora venerit? Jarchius notatur, ſtatuens An-*

Digitized by Google

gelorum officium eſſe, manè Deo hymnos cantare ob beneficium conditi Solis. 11. *Jacobus ſe dimiſſurum antagoniſtam negat, niſi prius impetrata ejus benedictione. Fletus & preces, quas Jacobo in hac lucta tribuit Hoſeas cap.* XII.4. *quo referendæ? An ad dolorem ex luxato ſemore? An ipſi Angelo miſſionem petenti tribuatur hic fletus? Kimchius & Jarchius refutantur.* 12. *Benedictio Dei impertita Jacobo in mutatione nominis. Nominis* ישראל *Iſraël verum etymon, rejectis vitioſis, aſſeritur. Quo ſenſu non amplius nomine Jacobi venire debuerit?* 13. *Novæ hujus* ὀνομοθεσίας *ſignificatio & myſterium eruitur. An Jacobus more athletarum ab antagoniſta petierit confeſſionem ſuæ victoriæ? Abarbanelis expoſitio improbata.* 14. *Jacobus antogoniſtæ nomen deſiderans, fert repulſam. Quæ ratio hujus repulſæ fuerit?* 15. *Gratiarum actio & ſolemnis teſtificatio duplex, una Jacobi, altera familiæ ejus explicatur.* פניאל *Peniel. Quomodo viderit Deum à facie ad faciem? Cur Jacobus miretur, ſeſe videntem Deum à facie ad faciem, ſuperſtitem manere tamen? Cauſæ, ob quas veteres videntes Deum, periculo mortis ſe ſubjacere crediderunt, explicantur.* 16. *Claudicatio Jacobi quouſque duraverit?* 17. *Inſtitutum familiæ Jacobi de non comedendo nervo contractionis. Quid* גידה הנשה? 18. *A quo & quem in finem obſervatio hæc inſtituta fuerit? R. Levi Barzelonitæ cauſa, quam aſſignat, hujus inſtituti ventilatur, & vera aſſeritur.* 19.

I. JACOBI celeberrimam cum Deo ipſo luctam, quam ſuo loco, ne excreſcens exercitatio tædium pareret lectori, non inſeruimus, ſeorſum nunc etiam exponere, aſpirante Dei gratia annitimur. Contigit illa non procul à Mahanajim, loco ab occurſu Angelorum ita inſignito. Inde loci uxores, liberos & impedimenta ipſa concubia nocte per torrentem Jaboc trajecerat. Omnibus verò trajectis ſolus ipſe remanſit, ſive ſcrutaturus inſtar boni patrisfamiliâs, an neglectum aliquid incuriâ famulorum eſſet, ſive precibus & cultui divino uſque ad illuceſcentem diem vacaturus. Hic locus igitur luctæ, hæc occaſio fuit.

II. Partes luctam ſuſtinentes ſeu antagoniſtæ fuerunt Jacobus & איש *Vir*. Dicitur enim Geneſ. XXXII. 24. *Relictus eſt itaque Jacob ſolus* ויאבק איש

עמו

Digitized by Google

עמו עד עלות השחר *& luctatus eſt cum eo vir, donec aſcenderat aurora.* Quis vir ille fuerit, in anteceſſum inquirendum fuerit, & more quidem noſtro, tum κατ' ἄρσιν ſententiarum erronеorum tum κατὰ θέσιν veræ. Fuiſſe eum Angelum Eſavi cenſent omninò Hebræi. Alii tamen Angelum illum Eſavi proprium, alii communem Eſavo, & toti nationi & poſteritati ejus; alii bonum, alii verò malum fuiſſe arbitrantur. Abarbanel: וחז״ל אמרו שהיה זה שרו של עשו : ואין ראוי שיובן מדבריהם שהיה לעשו בפרטותו ואישו שר בשמים כי הנה יתחייב שיהיה כן לכל איש ואיש ויהיו אם כן השרים העליונים בב״ת כמספר האישים אשר עברו ושיעברו עוד כל ימי הארץ : אבל דעתם כדברי הרא״בע שיש לכל עם ועם שר ומזל בשמים ולאמרו אדום אשר עשו התולדתו היה שר גם כן כמו שנזכר בדניאל שר מלכות יון שר מלכות פרס : ואותו שר המיוחד לזרע עשו ואמתו אמרו שנראה הלילה ההוא ליעקב *Et ſapientes noſtri p. m. dixerunt, fuiſſe virum hunc Principem Eſavi. Et non eſt probabile ex verbis eorum, quòd fuerit Princeps iſte proprius Eſavi, & quod vir ejus fuerit Princeps Cælorum. Sequeretur enim ſic, cuilibet viro proprium eſſe talem Angelum. adeóque eos eſſe infinitos juxta numerum hominum, qui unquam fuerunt, erúntque in mundo. Sed mens eorum eſt juxta verba Abenezræ, quòd unicuique populo ſit Princeps & aſtrum aliquod in cælo, & quòd talis Princeps Eſavus fuerit genti illi, cujus Princeps Eſavus fuerat. Sicut recenſetur in Daniele Princeps Regni Græcorum, Princeps regni Perſarum.* Joſephus vocat φάντασμα. quam vocem etiam in Gedeonis, & Manoæ apparitionibus uſurpat. Angelum creatum fuiſſe etiam Chriſtiani quidam Interpretes non abhorrent dicere, qui quidem *Deus* dicatur, non quòd naturâ fuerit Deus, ſed quia Deum repræſentaverit, ejusque mandato & authoritate cum Jacobo luctatus fuerit. Ita Pererius ad cap. 32. Geneſ. Diſp. 1. *Dicam breviter & apertè more ſcholaſtico: perſonaliter erat Angelus; repræſentativè authoritativéque erat Deus.* Rectiùs longè & vero convenientiùs Patres antiqui plerique virum hunc fuiſſe docent Deum ipſum, & quidem Chriſtum ἀνθρωποειδῆ. Id S. Thedoretus in Geneſin quæſt. 91. probat quatuor rationibus. Prima ipſi inde petita, quòd Dei nomen in hac narratione aliquoties repetatur, non item Angeli. Ita namque dicitur ſuperior & Princeps fuiſſe עם אלהים *cum Deo* verſ. 28. Loco luctæ nomen indidit פניאל *Peniel*, ratione inde petita, quòd viderit Deum פנים אל פנים *à facie ad faciem*, verſ. 30. Fatemur interim etiam Angelum dici apud Hoſeam ſed Angelum Jehovam, adeóque Angelum illum fœderis. Ita enim habent verba Hoſ. XII. 4, 5. וישר אל מלאך ויהוה אלהי הצבאות יהוה זכרו *Et prævaluit Angelo. Jehova erat Deus exercituum, Jehova memoriale ejus.* Vanum eſt, quòd Angelum creatum dici Deum & Jehovam aſſeruit, quia tanquam legatus Deum repræſentaverit. Verum eſt, Angelos aliquando Dei legatione

Digitized by Google

legatione apud homines defungi. Sunt tamen quædam, in quibus neceſſaria eſt immediata & perſonalis Dei præſentia, quæ legatis nunquam communicari poſſunt. Ita legatus nunquam venit legantis nomine. Hic autem vir ille vocatur Deus & Jehova. Ita benedictio viro illi tribuitur, quæ à legato Dei procedere non poterat. Secundum Theodoreto argumentum fuit, quòd vir ille quærenti Jacobo nomen indicare detractaverit. Διὰ τοῦτο, inquit, καὶ ἐρωτήσας τινὰ προσηγορίαν εἶχε, οὐ μόνον διαμαρτάνει τῆς αἰτήσεως, ἀλλὰ καὶ ἐπιπλήττεται ὡς ὑπερβὰς τὰ μέτρα τῆς φύσεως· ἵνα τί γάρ, φησι, ἐρωτᾷς τὸ ὄνομά μου. Καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν. *Propterea interrogans Jacobus de appellatione ejus, non tantùm repulſam fert, ſed etiam pulſatur tanquam is, qui naturæ fines ſupergreditur. Quid enim, inquit, interrogas de nomine meo, cùm illud ſit mirabile.* Tertium inde promit, quòd Vir ille Jacobo nomen mutaverit, atque ita in eo victoriam non obſcurè promiſerit. Quartum denique, quòd Jacobus γνοὺς τοῦ ἐπιφανέντος τὴν δύναμιν, τὴν εὐλογίαν *cognita illius qui apparuit virtute, ab eo benedictionem petit.* Neque ſatisfacit Pererius huic argumento reponens, quòd benedictionem petierit Jacobus, ſed *non ut ab authore & largitore, verùm ut à gratioſiſſimo apud Deum deprecatore.* Atqui à deprecatore hoc tantùm peti poteſt, ut ab alio petat, quod alterius eſt dare, non ut det ipſe, quod in ſua non eſt poteſtate. Addo & illud, quòd Jacobus agnoſcens, ſe in lucta illa vidiſſe Deum, ſtupet & admiratur, quòd ſalvus evaſerit. *Vidi*, inquit, *Deum à facie ad faciem* ותנצל נפשי *& ſalva evaſit anima mea.* Fuiſſe verò perſonam Chriſti, quo cum luctatus eſt Jacobus, probabile nobis fit tum inde, quia eum, qui Patriarchis apparuit, Chriſtum fuiſſe alibi probavimus: tum inde, quia perſonæ Chriſti illud maximè proprium eſt, ut ſe inaniat propter ſuorum ſalutem. Atque ita ſenſerunt etiam Patres Orthodoxi plerique. Quòd verò tum Hebræi, tum Tertullianus ipſe libro *de carne Chriſti*, urgent, Deum non fuiſſe, qui ſe vinci ab homine paſſus eſt, dilutum eſt. Nam ne Angelum quidem vinci humanis viribus poſſe certum eſt. Quo verò ſenſu Jacobus prævaluerit Deo, inferiùs explanabitur. Sunt qui & Angelum creatum & Deum ipſum fuiſſe putent, quicum luctatus eſt Jacobus. Ita Mercerus: *Nullum autem diſcrimen facio, ſive Angelum, ſive Deum fuiſſe dicas, qui cum Jacob ſit luctatus, quia in Angelo Deus erat, & in Angelo ſine dubio Dei majeſtatem Patres agnoverunt.* Putant nempe, in Angelo Deum fuiſſe, non quemadmodum ubique eſt, enter, potenter & præſenter, ut loquuntur in ſcholis, ſed aſſiſtentia & præſentia ſpeciali. Id quanquam Orthodoxum eſt, adeóque Hebræorum & Pererii aliorúmque ſententiâ tolerabilius: tamen recipiendum ut genuinum non puto. Nuſpiam

Digitized by Google

piam enim Deus in Angelorum creatorum ſchemate ſanctis apparuiſſe legitur.

III. Antagoniſtarum horum lucta exprimitur verbo יאבק verſ. 24. ויאבק איש עמו *Et luctatus eſt Vir cum eo.* LXX. ita reddunt: Καὶ ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ' αὐτοῦ, *& luctabatur homo cum eo.* Quæ vox ἐπάλαιεν à palæſtra deſumpta, notat luctam, qualis eſt Palæſtritarum in Palæſtra. Aquila & Symmachus: ἐκυλίετο, *verſabat & jactabat* ſe cum illo. Thargum Onkeloſi ואשתדל גברא עמיה *& luctatus eſt vir cum eo.* Syrus, ואתכתש גברא עמה *& decertavit cum eo vir.* Arabs פצארעה רגל *& luctatus eſt cum eo vir.* Conſtat ſatis ויאבק eſſe ab אבק quod *pulverem* paſſim notat. Unde Tigurina verſio concinne reddit: *Et deſcendit cum eo in arenam.* Nempe alludi quidam exiſtimant ad morem Palæſtræ Græcorum & Romanorum, in qua luctatores nudi ſe invicem pulvere aſpergebant, ut faciliùs & firmiùs alter alterum prehenſum teneret. De quo more vide Hieronymum Mercurialem in Gymnaſticis, & Petri Fabri Agoniſtica. Hebræi etiam nonnulli ab אבק quod *pulverem* notat, derivant, & luctam ea voce ſignificari probabilius putant, quia luctatores pulverem pedibus ſuis excitant. Alii tamen יאבק putant idem eſſe quod יתקשר *colligavit, connexuit.* Jarchius: מנחם פירש ויתעפר איש לשון אבק שהיו מעלים עפר ברגליהם על ידי נענועם ולי נראה שהוא לשון ויתקשר ולשון ארמי הוא בתר דאביקו ביה ואביק ליה מיבק לשון עניב' שכן דרך שנים שמתעצמין להפיל את רעהו שחובקו ואובקו בזרועותיו *Menahem exponit,* ויתעפר איש *ſignificatione pulveris, quia pulverem pedibus ſuis excitabant ob agitationem ſuam. Mihi autem videtur, quòd ſit ſignificatio* ויתקשר *ex idiomate Syro, notione connexionis, quia ſic modus eſt duorum, qui corpora nectunt, ut alter ſternat alterum, qui amplexibus ſe mutuò cingunt luctantes.* Ita igitur אבק juxta ſententiam Jarchii, quam etiam Abarbanel aliique ſequuntur, conveniret cum חבק *complexus fuit.* Conſtat nempe ח & א eſſe literas permutabiles. Luctantes nempe ſe invicem brachiis complectuntur, & alter alterum proſternere nititur. Sic Homerus Iliad. ψ. deſcribit luctam Ajacis & Ulyſſis: *Accincti autem hi iverunt in medium agmen, ulnis verò manibus corripuerunt validis* &c. Talem luctam ſignificari omnino perſuaſum habeo, quia ejuſmodi luctatorum cominus congredientium & ſupplantantium pugnam ſatis innuit læſum ex ea connexione Jacobi femur, de quo poſtea.

IV. Sed qualis fuerit hæc lucta, diſpiciendum nunc fuerit. Et primò quidem, in ſomnone contigerit illa, an vigilante Jacobo, ambigi poſſit. Non deſunt ſanè tum inter Hebræos, tum inter Chriſtianos, qui in viſione Prophetica ſubitum hoc certamen exiſtiment. Inter Hebræos ea in ſententia fuit R. Levi ben Gerſon, שהיה זה במראה הנבואה *quòd acciderit*

id omne in viſione Prophetica. Eandem ſententiam tribuit Abarbanel הרב המורה. Sed & Theodoretus idem opinatur. Verùm vigilante Jacobo accidiſſe id omne rectiùs contendunt Nachmanides, Abarbanel, aliique plures noſtrorum. Et Nachmanides quidem hac utitur ratione: אם היה זה במראה הנבואה איך בבקר היה צולע על ירכו *Si hoc fuit in viſione Prophetica, quomodo m.:ne fuit claudus in femore ſuo?* Abarbanel tamen putat, minùs ſolidàm eſſe hanc rationem, eò quòd etiam dormienti & tale quid ſomnianti ejusmodi læſio contingere poſſit. Sed quæ affert exempla ſimilia, aliena ſunt. R. Levi putat, Jacobo cùm vigilans meditaretur ſeriò, qua ratione reſiſteret Eſavo obviam venienti, rediiſſe eandem phantaſiam dormienti, & innovatum ſimul dolorem, quem in transvaſandis uxoribus, liberis & impedimentis, nec non ex frigore nocturno, ſenſerat, naturam ejus læſiſſe. Notum quidem eſt, phantaſiæ nonnullas vires eſſe in dormientibus. At eousque in Jacobo eas pertigiſſe, ut tam notoriam corporis mutationem efficerent, ſine ratione evidente non credimus. Deinde argutatur Abarbanel, Moſen ſcribere, relictum eſſe Jacobum לבדו *ſolum.* Unde ſic infert: ואם היה בחלום מה לו שיהיה יחידי או בחברה *Si fuit in ſomno, quid referebat, ſolúsne relictus eſſet, an cum ſodalitio?* Accedit, quòd Jacobus infra miratur, ſe, cùm vidiſſet Deum à facie ad faciem, nihilominus ſalvum & ſuperſtitem eſſe. Proinde ea viſio ſenſibilis fuerit oportet. Nunquam enim legimus ullum Sanctorum Patrum mortis metu perculſum, ſi Deus aliquando per ſomnium aut nocturnam viſionem ei ſe manifeſtâſſet, ſed tantùm ſi vigilantibus objecta fuiſſet ſpecies aliqua viſibilis Deum repræſentans. Denique cùm ſomnii nullo apice meminerit Moſes, neque eum vel dormiviſſe, vel experrectum memoret, reſtat, ut vigilanti luctam hanc Jacobo toleratam eſſe dicamus.

V. Non deſunt tamen, qui luctam eam extra viſionem & ſomnum accidiſſe equidem concedant, at corporalem eam fuiſſe potiùs quàm ſpiritualem figuratè ita dictam, inficias eant. Sentiunt nempe ſub corporalis colluctationis figura deſcribi ſpiritualem Jacobi luctam, qualis etiam deſcribitur à Paulo Eph. VI. Quæ quidem colluctatio fit per obfirmationem mentis & voluntatis per fidem aliáque ejusmodi arma ſpiritualia, contra tentationes Diaboli. Ita Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν ſcribit, Jacobum ſine dubio luctatum fuiſſe adverſus aliquam harum virtutum, quas humano generi & ſanctis præcipuè adverſari, & certamina movere, Paulus affirmat. Sed & Hieronymus in epiſt. ad Epheſios cap. 6. ſententiam contrariam faſtidioſè rejicit. *Quid grande, inquit, ſi ut illi ajunt luctans aut ſuperaverit, aut victus ſit? Sed juxta rationabilem & convenientem tanto Patriarchæ luctam*

Digitized by Google

luctam talem illi colluctationem fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent, qui poſſunt *dicere: Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem.* Itaque illud עִמּוֹ *cum eo* referunt non ad colluctatorem, ſeu antagoniſtam, ſed ad auxiliatorem Angelum; ut ſit: Vir luctabatur cum eo, id eſt, eum in luctâ ſuâ adjuvabat. Subintelligi autem adverſarium, Angelum nimirum malum, contra quem ab Angelo bono adjutus fuerit. Ita Procopius Gazæus memorat, accepiſſe ſe à docto viro, proditum eſſe à nonnullis, cum Jacobo certâſſe Diabolum in ſpecie Eſavi, à Jacobo autem ſtetiſſe Angelum auxiliarem, & iccirco Diabolum prævalere non potuiſſe. Sed refellitur hoc ex nomine Iſraël indito Jacobo, nec non ex verbis Angeli verſ. 28. *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis?* Non dubitamus equidem, quin in Jacobi anima fuerit ſpiritualis conflictatio cum variis Satanæ tentationibus, & quædam veluti æſtuantium cogitationum arietatio. Proinde etiam ſpiritualis illius animæ Jacobi luctæ ſymbolum quoddam fuit externa illa, quæ à Moſe deſcribitur. Eam enim non tam ſpiritualem fuiſſe quàm corporalem, evincunt omnes narrationis Moſaicæ circumſtantiæ. Inprimis verò illud, quòd ex ea lucta hiſtoria dicit, manſiſſe illum claudum in femore. Cùm enim claudicatio non imaginaria fuerit, ſed realis, ſequitur etiam realem, externam & corporalem fuiſſe colluctationem. Neque obſtat, quòd Deus ſpiritus ſimpliciſſimus corporalem luctam ſuſtinere non poſſe videatur. Cùm enim apparuerit in viſibili ſpecie, & corpore aſſumpto, quidnî in ſpecie ac corpore ejuſmodi ſuſtinere luctam potuerit? Hinc etiam Deus אִישׁ *Vir* appellatur, quia virili ſpecie Jacobo apparuit. Cœterùm nec probari poteſt Thomæ Anglici, Ruperti, aliorúmque ſententia, quibus placuit, non veram fuiſſe hanc luctam, qua ſe invicem complexi & conſtringentes conati ſint proſternere, ſed violentam potiùs retentionem & tractionem, qua Jacobus Virum illum abire volentem ad ſe retraxerit, ut diutius ejus aſpectu, colloquio, & denique benedictione frueretur. Etenim veram fuiſſe luctam ipſa vox אבק nec non læſio femoris, ac denique victoria Jacobi reportata innuit.

VI. Porro lucta illa durâſſe dicitur עד עלות השחר *donec aſcenderet aurora.* Malè & ambiguè Vulgatus, verſ. 22. *Cùm mane ſurrexiſſet*: & mox verſ. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque ad mane.* Utrobique *manè* vertit, tam in tranſitu, quàm in conflictu. At Hebræus textus habet, tranſiviſſe eum vadum, poſtquam ſurrexiſſet בַּלַּיְלָה *noctu*, & poſtea luctatum eſſe cum illo עַד עֲלוֹת הַשָּׁחַר *donec aſcenderet aurora.* Unde ſequitur, luctam quidem fuiſſe inchoatam noctu, media forte nocte, durâſſe verò uſque ad.

illuceſcentem auroram, ſeu inclareſcentem diem. Abenezra ita commentatur: עד עלות השחר' עד סור שחרות הלילה וי״א כי שחר דמות אור והוא הנראה בעבים טרם זרוח השמש וכן אשר אין לו שחר Uſque dum aſcenderet aurora: *donec diſcederet nigredo noctis. Alii dicunt, quòd* שחר *ſit ſimilitudo lucis, quæ videtur in nubibus ante ortum ſolis. Sic dictum eſt Eſai.* VIII. 20. *Non erit ei aurora.*

VII. Sequitur eventus luctæ. Et de viro quidem, ſeu Deo ipſo, quocum luctatus Jacobus eſt, dicitur, eum non prævaluiſſe Jacobo וירא כי לא יכל לו *Et vidit, quòd non prævaleret ei*, verſ. 25. Græci: Εἶδε γὰρ ὅτι οὐ δύναται πρὸς αὐτόν. *Vidit, quia non valet erga eum.* Sed quomodo Deus, cujus infinita eſt potentia, non potuit cum eo, hoc eſt, prævalere ei non potuit? Qui Angelum faciunt hunc antagoniſtam, facilè ſe expediunt. Dicunt enim, vel Deum non permiſiſſe ei, ut prævaleret Jacobo, ut Abarbanel: vel Deum non concurriſſe cum Angelo, & Jacobi contra vires auxiſſe, ut Bonfrerius. Sed Deum ipſum cum Jacobo luctatum eſſe oſtendimus. Quomodo verò is non prævaluerit Jacobo, ſeu non potuerit adverſus eum, non uno modo explicari ſolet. Gregorius Nazianzenus plures modos recitat, quibus aliquis hoc vel illud non poſſe dicatur. Inter alios ponit averſionem, vel defectum voluntatis. Ita non poſſe dicitur, qui non vult. Ita Marc. VI. 5. ubi Chriſtus dicitur non potuiſſe virtutem ullam edere Nazarethi, τὸ ἀδύνατον refert ad τὸ ἀθέλητον. Eodem modo commodè etiam hic illud *ἀδύνατον* ſeu *impoſſibilitas* explicari poteſt. Poterat ſanè illi prævalere, ſed prævalere ei non decreverat. Quin potiùs decreverat Jacobo in lucta illa concedere victoriam, ut in hominis externa figura ejus virtutem exerceret, ſimúlque oſtenderet, ita Deum moderari, quas immittit tentationes, ut nulla nobis immittatur niſi humana, etiamſi ab ipſo ſubminiſtretur, uti docet Apoſtolus 1. Cor. x. 12. Ubi & hoc animadvertendum, impoſſibilitatem illam non tam fuiſſe in Deo, quàm in organo illo, quod pro libera voluntate ſua movit & agitavit. Deo autem ea tribuitur, quia organum illud pro arbitrio ſuo moderabatur, & colluctationis author erat. Præterea cùm perſonam, quæ hæc omnia adminiſtravit, fuiſſe Dei filium antea oſtenderimus, is hac ſua συγκαταβάσει præludium quoddam edere futuræ ſuæ pro ſalute fidelium exinanitionis voluit. Sed & hoc animadverſione dignum, vires illas Jacobi, quibus Deo prævaluit Jacobus, non fuiſſe ei proprias & naturales, uti fingunt Judæi, ſed potiùs gratuito ab ipſo Deo antagoniſta conceſſas. Denique lucta illa, quà externa fuit, ſymbolica tota fuit, proinde ita à Deo adminiſtrata, ut ſignificare poſſet, quod intendebat in ſalutem Jacobi. Optimè Chryſoſtomus:

Digitized by Google

ſtomus: Ὅλον δὲ τοῦτο συγκαταβάσεως ἕνεκα ἐγίγνετο, ἵνα τὴν δειλίαν ἐξέλῃ τῆς τοῦ δικαίου ψυχῆς, καὶ πείσῃ ἐκτὸς πάσης ἀγωνίας τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν συντυχίαν ποιήσασθαι. *Totum verò illud factum eſt à Deo animo accommodandi ſe infirmitati Jacobi, ut formido animæ ejus eximeretur, eique perſuaderetur, fore ut occurſus ille fratris nullum omnino ei periculum creet.*

VIII. Quamvis verò Deus à Jacobo vinci noluerit, tamen ſe viribus vincendi omnino pollere, luculento ſpecimine demonſtravit. Cùm enim videret, ſe non prævalere, ויגע בכף ירכו ותקע כף ירך יעקב בהאבקו עמו *tetigit nervum femoris ejus & ſtatim emarcuit*, verſ. 25. Ita Vulgatus. Græci verò: Καὶ ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνάρκησε τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ἰακὼβ ἐν τῷ παλαίειν αὐτὸν μετ' αὐτοῦ. *Et tetigit latitudinem femoris ejus, & obtorpuit latitudo femoris Jacob, dum luctatur ipſe cum eo.* Thargum Onkeloſi: וקריב בפתי ירכיה וזע פתי ירכא דיעקב באשתדלותיה עמיה *Et tetigit in palmam femoris ejus, & commota eſt palma femoris Jacob, cùm luctaretur cum eo.* Arabs ſimpliciter habet: virum tetigiſſe חק ורך *iſchium femoris Jacobi.* Apparet diverſimodè reddi voces illas כף & תקע. Cœtera enim facilia ſunt. כף propriè notat ſuperficiem manûs interiorem & plantam pedis. Hîc verò capitur pro loco femoris habentis formam manus recurvatæ, uti optimè Kimchius exponit. Non malè igitur Tigurina verſio reddit *volam femoris*. Omninò enim curvitas femoris ſignificatur, ſive ea fuerit, quæ poſt genu eſt, qua parte genu cum femore conjungitur: ſive ea quæ in ipſo oſſe femoris eſt, qua parte cum altero ſolido oſſe, quod à genibus ad pedes deſcendit, committitur. Quamvis verò in ea cavitate nervum læſum eſſe dubitare non ſinat verſus 32. tamen propriè כף *nervum*, uti Vulgatus reddit, non notat. Rectiùs fortè acetabulum reddunt alii. Quoad verbum תקע malè etiam illud à Græcis & Vulgato redditur, *emarcuit*. Neque enim יקע habet notionem *marceſcendi*, ſed *movendi ſe*, aut *à loco ſuo recedendi* vel *luxandi*, uti etiam Thargum Onkeloſi & Syrus explicant. Jarchius notat, verbum illud habere לשון הסרה *notionem receſſionis*. Citat ſimilem locum Jerem. VI. 8. פן תקע נפשי ממך *ne anima mea recedat vel abſtrahatur à te.* Senſus igitur eſt, virum illum tetigiſſe acetabulum femoris Jacobi, hoc eſt, commiſſuram, compagem ſive juncturam oſſis ſacri atque coxendicis ita compreſſiſſe graviter, ut junctura illa luxaretur & hebeſceret. Cujus rei ratio ea haud dubiè eſt, ut agnoſceret Jacobus tum ſuam infirmitatem, tum robur antagoniſtæ, adeóque victoriam non ſuis, ſed ipſius victi viribus acceptam ferret. Rectè igitur animadvertit Theodoretus, hanc ei imbecillitatem immiſſam eſſe, ne cùm videret poſtea ſe fortiter reluctatum eſſe & reſtitiſſe, ſibi de ſuo robore nimiùm placens ſuperbiret & inſoleſceret, ſed potiùs agnoſceret, fortitudinem ſuam ipſi Deo

Digitized by Google

in ſolidum ſe debere, cùm inde manifeſtè agnoſceret, non ſolùm ſe vinci, ſed etiam occidi ab antagoniſta potuiſſe. Cúmque læſio ea ejusmodi fuerit, ut nullis humanorum lacertorum viribus inter luctandum fieri potuerit, ſimul eo indicio nunc demum ſenſit Jacobus, Deum eſſe, quicum luctatus eſt. Quæ cauſa fuit, cur ad preces & lachrymas converſus tantum antagoniſtam ad benedictionem ſibi impertiendam urgere & commovere poſtea ſategerit.

IX. Monomachiæ hujus, & Jacobi quidem tum victoriæ, tum luxationis femoris quis ſcopus fuerit, paucis nunc inquirendum. Non immorabimur expoſitionibus allegoricis vel Philonis Judæi, qui in libro de præmiis & pœnis, eam interpretatur de perfectioribus, qui ad contemplationem divinam aſcendunt, & vident Deum ab ipſo attacti, contracto tumentis animi & magnificè de ſe ſentientis faſtu; vel Auguſtini, qui de Civ. D. XVI. 39. putat, Angelum luctatorem præfiguràſſe Chriſtum, Jacobum verò gentem Judaicam, quæ luctata cum Chriſto pervicaciter ei repugnando, & hoſtiliter eum inſectando, viſa eſt ei prævalere, quia mortem ei intulit; vel Gregorii M. qui lib. 4. Moralium in Jobum, ſignificatum eſſe hac lucta putat, quantò ſpiritus humanus magis extollitur per viſiones & illuſtrationes divinas, eò magis deprimi carnem; quemadmodum luxatum fuit femur Jacobi, cùm videret Deum, & cum eo luctaretur. Ejusmodi ἀλληγορούμενα verum ſenſum obſcurant potiùs quàm illuſtrant. Hebræi Jacobo portendi eâ luctâ docent, futurum, ut ipſe quidem Eſavus ipſi negotium non faceſſat: at ſemen ejus (Romanum Imperium indigitant) poſteritati Jacobi graviter immineat, donec aſcenderit aurora, hoc eſt, uſque ad tempus futuræ liberationis Judæorum. Igitur victoriam Jacobi de ejus ab Eſavi injuriis immunitate; luxationem femoris Jacobi de ſervitute Iſraëlitarum ſub poſteris Eſavi, quos Romanos intelligunt, interpretantur. Ita Abarbanel: הנה התבאר צורך הנבואה הזאת ליעקב שהיא כלו להבטיחו שלא יירא כעשו כי הוא לא ירע עמו הן אמת שירע עם זרעו עד עלות השחר רוצה לומר עד יכור הגלות והוא בזמן הגאולה העתידה *Ecce explicata eſt neceſſitas Prophetiæ hujus Jacobo factæ hunc in finem ne timeret Eſavum, quia eum non ſit afflicturus malo. Id quidem verum, quòd afflicturus ſit poſteritatem ejus, donec aſcenderit aurora, hoc eſt, donec recedat ſervitus. Et hoc eſt tempus futuræ liberationis noſtræ.* Ita miſeri homines, qui ſalutis & redemptionis ſuæ rupem negligunt & contemnunt, amant nubes & inania prenſare. Novimus nos, non tantùm vana ſpe lactari infelices futuræ ſub Meſſia liberationis, ſed etiam Romanos Eſavi poſteros nullo modo cenſeri poſſe. de quo actum nobis ſuperiùs.

X. Verum

Digitized by Google

X. Verum certaminis hujus finem & ſcopum pandit ipſe Spiritus S. v. 28. his verbis: כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis prævalebis contra homines?* Ita non malè reddit Vulgatus. Nam ותוכל. etſi propter Vau converſivum in futuro verti poſſit, tamen manente futuri ſignificatione efficacior erit oratio: *quantò magis prævalebis?* Eodem ſenſu reddunt Græci: Ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ. *quia invaluiſti cum Deo, & cum hominibus potens eris.* Si quis tamen extra comparationem accipiat, velítque principatum illum Jacobi referre ad tempus præteritum illud, quo cum hominibus, puta fratre naſcendo, & poſtea benedictionem auferendo, nec non cum Labane variis modis colluctatus fuerat, & vicerat, eodem redibit oratio. Ita accepit Interpres Arabs cujus hæc translatio: לאנך ראסת ענד אללה וענד אלנאס ואטקת ראלך. *Quoniam excelluiſti apud Deum & homines & valuiſti ad hoc*, q. d. Cùm Deo & hominibus prævalueris, non eſt quod deinceps tibi metuas, vel ab Eſavo fratre tuo, vel ab aliis, qui adverſari tibi volunt. Eodem ſenſu Jarchius in ותוכל *prævaluiſti*, ſubintelligit להם *illis* Labani nempe & Eſavo. Ita igitur in genere oſtendit hæc lucta, fidelibus in hac vita plurima certamina incumbere certanda, & tentationes ab ipſo Deo immiſſas quandóque ſubeundas. Deum autem ſapienter & benignè hæc ita moderari; ut felix ſit certaminum horum exitus & homines fragiles, atque mortales quodammodo vincant precibus atque fletu ipſum immortalem Deum: non quòd inſitæ iis ſint hæ vires, ſed quia virtute & gratia ſpiritus ſui eos reddat inſuperabiles. Nam ab una quidem parte Deus ſe luctatorem conſtituit, ab altera pugnat ipſe in nobis pro nobis adverſus tentationes à ſe immiſſas, & adverſus impetus omnes, quibus fidem noſtram probat. Interim quid mereantur ipſi homines, & quàm nullæ vanæque ſint eorum in hac pugna vires, luxatum à fortiſſimo antagoniſta femur arguit, ſimulque docet veritatem illius quod Apoſtolus docet 2. Cor. XII. 9. potentiam Dei in infirmitate noſtra perfici. Hæc in genere lucta illa ſignificare potuit. In ſpecie verò Jacobo Deus indicare voluit, manere adhuc eum certamina varia, in quibus ei robore & virtute maxima opus eſſet, ne quietem & tranquillitatem meram fingeret, quamvis ad ſuos rediret. Quicquid autem ſibi accideret adverſi, id agnoſceret à Domino adminiſtrari, qui ipſe in omnibus ejus adverſariis & colluctatoribus præſens adeſſet, & de felici ſucceſſu certum redderet. Sicut enim in hac pugna valuit eam victoriam obtinere, neceſſariis ad vincendum ſubminiſtratis viribus, ita etiam deinceps idem eventurum in variis tentationibus, & in ipſo Eſavi fratris occurſu, quem velut hoſtilem futurum non parum horruerat. Non malè Joſe-

Digitized by Google

Joſephus, debuiſſe Jacobum hoc ἡγεῖσθαι σημεῖον μεγάλων ἀγαθῶν, καὶ μηδέποτε τὸ γένος ἐκλείψειν αὐτοῦ, μηδ' ὑπέρτερον ἕνα τῶν ἀνθρώπων τῆς ἰσχύος ἔσεσθαι τῆς ἐκείνου· *ducere ſignum magnorum bonorum: quòdque nunquam ejus genus deſiturum eſſet, neque ullum mortalium illius robore ſuperiorem fore.*

XI. Poſt reportatam à Jacobo victoriam, & luxatum ejusdem femur antagoniſta à Jacobo petiit miſſionem his verbis: שלחני כי עלה השחר *Dimitte me, quia aſcendit aurora*, verſ. 26. Quomodo verò Antagoniſta ille, qui Deus erat, adeóque non obnoxius vel nocti vel auroræ, cùm æterna lux ſit, argumentum dimiſſionis petit ex eo, quòd aurora venerit? Nempe non tam propter ſe, quàm propter Jacobum. Is enim appetente die feſtinare debuit ad ſuos, qui trans vadum Jaboc eum operiebantur. Cumque ea lucta adminiſtrata fuerit præcipuè in uſum ipſius Jacobi, non conveniebat, ut ejus ſpectatores eſſent alii, & myſterium tale pateret quorumvis oculis. Præterea ſufficiebat Jacobo, ſi obſcurè velut in crepuſculo vidiſſet corpus illud aſſumptum, & divinam in eo præſentiam. Abarbanel non male: ר'ל ואתה צריך ללכת לדרכך כי עשו יבא במהרה על כן להנאתך ולטובתך איעצך שתשלחני ותלך לדרכך *Vult dicere: Eſt tibi neceſſum, ut viam tuam proſequare, quoniam propediem aderit Eſavus. Propterea ad commodum tuum & in bonum tuum tibi conſulo, ut me dimittas, & viam tuam eas.* Sed Jarchius minùs rectè inducit Angelum loquentem: וצריך אני לומר שירה *Et opus eſt ut carmen auroræ dicam.* Sentiunt nempe Hebræi, Angelos mane Deo hymnos cantare ob Solis conditi beneficium. Proinde etiam hunc Angelum properâſſe ad illud officium. Sed hoc planè frivolum eſt.

XII. Jacobus agnito jam, ut ante diximus, antagoniſta, occaſione oblata utendum ſibi ratus, negat ſe dimiſſurum, niſi prius ſibi impertitus benedictionem fuerit. *Non dimittam te*, inquit, *niſi benedixeris mihi.* Chryſoſtomus: Αἰσθόμενος τοίνυν ὁ δίκαιος τὸ μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ ταῦτα εἰρηκότος, φησὶν, οὐ μή σε ἀποστείλω, ἐὰν μή με εὐλογήσῃς. *Sentiens magnitudinem potentiæ ejus, qui hoc ipſi dixerat, ait: Non dimittam te, donec mihi benedixeris.* Et ſanè quia benedictionem ab hoc athleta expetit, dubitari non poteſt, quin Deum eum eſſe agnoverit. Atque huc jam refero, quòd Hoſeas habet cap. XII. 4. *Prævaluit Angelo & ſuperior fuit*, בכה ויתחנן לו *flevit & rogavit eum.* Innuit nempe, eum poſt victoriam reportatam benedictionem petiiſſe non ſimpliciter, ſed cum fletu & enixis precibus. Nempe Jacobus etſi firmiter, quantum poterat, retineret colluctatorem, noverat tamen, apud ſe tantum virium non eſſe, ut eum detinere invitum poſſet. Itaque ad preces & lachrymas converſus ipſum detinuit, ut benedictionem expetitam flagrantiſſimo voto obtineret. Sunt quidam, qui fletum illum, quem Jacobo

Digitized by Google

Jacobo tribuit Hoſeas, referunt ad dolorem quem ex luxatione femoris Jacobus percepit. Verùm tam mollem fuiſſe non cenſemus, qui jam pridem duriſſimis laboribus ad omnes moleſtias obduruerat. Kimchius fletum & preces illas refert non ad Jacobum, ſed ad Angelum, quas ille miſſionem cum fletu & precibus expetierat. Ita enim habet in cap. XII. 4. Hoſeæ: בכה ויתחנן לו׳ זה לו נזכר בתורה ופי׳ כאלו המלאך בכה והתחנן ליעקב שישלחנו כמו שאמר ויאמר שלחני כי עלה השחר כל זה להודיע כי האל יתב׳ שלח המלאך לעזרת הצדיק ולעשות לו רצונו ובעבור זה לא נפרד ממנו אלא ברצונו *Flevit & rogavit eum. Hoc quidem memoratum in lege non eſt: ſed explicatio habet, quòd Angelus fleverit & rogaverit Jacobum, ut dimitteret eum, ſicut dixit: Dimitte me, quoniam aſcendit aurora. Idque omne factum eſt, ut ſignificaret, quod Deus benedictus miſerit Angelum in auxilium juſti, quódque is facere debuerit voluntatem ejus. Et propterea nonniſi volente eo ſeparari potuit.* Neque aliter etiam Jarchius. Verùm Angelum creatum fuiſſe malè ſupponunt. Deinde minùs aptè Angelo fletus ejusmodi tribueretur, quaſi videlicet ejusmodi ploratu conatus ſe fuerit ex eo officio, quod ſibi à Deo impoſitum noverat eximere. At Jacobo tribuitur commodiſſimè, quippe qui tantum bonum à tanto antagoniſta meritò efflagitare fletu & enixiſſimis precibus potuit.

XIII. Jacobum benedictionem expetentem voti ſui compotem Deus reddidit in mutatione nominis ejus. Quærit igitur ex eo: מה שמך *Quod eſt nomen tuum?* Noverat ſanè, Jacobo ipſi nomen eſſe. Sed ut animum ejus erigeret ad benedictionis, quam præparabat, exſpectationem, ab ipſo exigit nominis confeſſionem, ut ex alterius quod impoſiturus erat comparatione, quanto affectus honore eſſet, animadverteret. Igitur hoc ejus nomen commutat in nomen *Iſraëlis*, his verbis לא יעקב יאמר עוד שמך כי אם ישראל כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל *Non Jacob dicetur ultra nomen tuum, ſed Iſraël, quia princeps fuiſti cum Deo & cum hominibus prævalebis*, verſ. 28. Circa hanc ישראל *Iſraël* vocis Hebraicæ originem non parum deſudârunt Patres. Quidam vocis ſono decepti Ισραήλ interpretantur ישר אל *rectus Dei*. Ita ipſe Hieronymus, Hebraicæ cœteroquin linguæ callentiſſimus. *Sed fallit & fallitur*, inquit Druſius. *Nam Iſraël punctum in cornu ſiniſtro habet:* ישר *autem, id eſt rectus, in dextro.* Hieronymum tamen excuſat Vir Doctiſſimus Simeon de Muis *Variis Sacris* p. 235. eò quòd hæc ejus conſuetudo fuerit, ut ſæpe receptas celebriorum doctorum opiniones tanquam ſuas proponat, quamvis ipſe longè aliter ſentiat. Et ſanè in Quæſtionibus in Geneſin aliter eum ſentire palam eſt. Errant & illi, qui vocem illam explicant vel: *Mens videns Deum*, ut Origenes περὶ ἀρχῶν lib. IV. 4. vel, *Vir videns Deum*, ut Philo, Nazianzenus, Hilarius, Proſper, aliique

plurimi etiam Orientales, ut Iſa bar Ali; vel *Eſt videns Deum*, ut Auguſtinus Serm. 4. de verbis Domini, vel *Videns Deum*, ut Chryſoſtomus homil. 4. in Johannem, Euſebius Demonſtrat. Euang. v. 11. & idem Auguſtinus de Civitate Dei xvi. 39. vel denique *Vincens Potentiam*, ut Juſtinus in coll. cum Tryphone. Hi ſanè omnes ſi fontes vel conſulere potuiſſent, vel conſuluiſſent, nullo negotio ſe expediviſſent. Ratio enim & origo hujus nominis non obſcurè redditur in ipſo textu, in verbis nimirum כי שרית עם אלהים *quia Princeps fuiſti coram Deo.* Vox ergo compoſita eſt ex שרה *Principem eſſe, inſtar Principis ſe gerere, de Principatu contendere*, & אל *Deus.* Proinde notat *Principem cum Deo.* Quòd verò dicit: *Non amplius nomen tuum erit Jacob*, haud eum in ſenſum accipiendum eſt, quaſi poſthac Jacobi nomen ipſi adhæſurum ampliùs non eſſet. Etenim Scriptura ipſa etiam poſt hanc hiſtoriam crebrò nomine Jacobi ipſum indigetat. Senſus igitur eſt, non amplius ſolo hoc Jacobi nomine ipſum venturum, ſed etiam nomine Iſraëlis. Hoc rectiſſimè obſervavit Abenezra, ita commentans: לא יקרא שמך עוד יעקב לבדו כי גם ישראל *Non vocabitur nomen tuum ultra Jacob tantummodo, ſed etiam Iſraël.* Qua de re etiam ſuperiùs nobis actum. Conſulesis etiam de eo Menaſſen ben Iſraël Concil. in Geneſin, quæſt. 54.

XIV. Ipſa hæc ὀνομαθεσία non obſcuram in ſe benedictionem continebat. Deus enim declarat, Jacobum, qui in præſente lucta ſuperior extiterat, impoſterum quoque prævaliturum in adverſis, & pericula tum ſibi tum poſteris imminentia Deo duce feliciter diſcuſſurum. Sed & confirmatur ipſi primogenituræ jus, quod antehac ſibi divinis auſpiciis conciliaverat, adeóque τὰ πρωτεῖα ſupra Eſavum, & ejus progeniem. Qui enim Princeps ſe geſſerit cum ipſo Deo, ei ne homines moleſtiam ullam faceſſant, timendum non fuerat. Abarbanel benedictionis materiam in eo collocat, quod Angelus more athletarum confiteri debuerit, Jacobum in lucta extitiſſe ſuperiorem, ſe verò ab eo victum & ſubactum eſſe. Verba ejus aſcribam: וענין הברכה הזאת הוא שורה שהוא היה מנוצח ממנו ויעקב היה מנצחו כי זאת היא הברכה בין המתאבקים או שיפול האחד את חבירו ארצה ואז הוא הגובר עליו או שחבירו יברכהו ויודה שהוא גבור ממנו שאז אין צריך התאבקות עוד ולכן עשה האיש זה המתאבק עם יעקב שם שאמר לו מה שמו ואמר לו לא יעקב יאמר עוד שמך כלשון יעקב כי עתה התחזקת עלי בזרועותיך אבל תקרא ישראל כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל ר״ל ביכולת וכח גדול שרית וכשלת עלי להחזיקני נעל כרחי ולא בערמה כמותי גברת עלי: *Benedictio hæc in eo conſiſtebat, quòd confiteretur Angelus ſe victum à Jacobo, & Jacobum victorem eſſe. Hæc enim benedictio eſt inter athletas. Aut proſternit quis ſocium ſuum in terram, & tunc dominatur ei: aut ſocius ejus benedicere ei tenetur, & confiteri palam, quod is ſibi*

ſibi prævaluerit. Tunc enim non neceſſum eſt continuare luctam. Et ſic fecit Vir ille colluctans cum Jacobo, qui dixit ei; Quodnam tibi nomen eſt? Et dixit ei: Non ampliùs Jacob vocabitur nomen tuum, notione ſupplantandi, quia fortior jam me fuiſti brachiis tuis, ſed vocaberis Iſraël, quoniam prævaluiſti Deo, & hominibus, & valuiſti. Vult dicere, potentia & virtute maxima mihi dominatus es. Aperta vi, non per fraudem prævaluiſti mihi. Non dubito equidem, quin & hæc viri confeſſio pertinuerit ad gloriam Jacobi, adeóque pars fuerit benedictionis divinæ. Cœterum benedictio potior fuit in re per victoriam ſignificata. Neque etiam puto, ad hanc luctatorum conſuetudinem athletam nomen hoc Jacobo imponentem omnino reſpexiſſe.

XV. Poſtquam nomen auguſtiſſimum ſibi datum animadvertit Jacobus, is viciſſim inquirit in nomen ſui antagoniſtæ. *Indica quæſo*, inquit, *nomen tuum* verſ. 29. Mirum hoc videri poterat. Etenim non uno documento Jacobus diſcere poterat, Deum eſſe, quicum luctatus fuerat. Nam & luxatum in lucta femur altiorem humana ſorte antagoniſtam prodidit. Et benedictionem ab eo petierat, quam à ſolo Deo petendam haud ignoraverat. Et ex ipſo nomine impoſito diſcere poterat, Deum eſſe, quem ſuperaverat. Tremellius & Junius ὕστερον πρότερον putant hîc obtinere, ac ſi interrogatio ante benedictionem ſub nomine Iſraëlis incluſam facta eſſet. Proinde ſic vertunt: *Petenti autem Jacobo & dicenti: Indica mihi quæſo nomen tuum, dixerat: Quorſum interrogas de nomine meo? priusquam benediceret ei.* Verùm hyſterologia hac opus non eſt. Neque verba ויברך אותו שם eam ferunt interpretationem. Potiùs dicendum, Jacobum quidem non ignorâſſe Deum eſſe, à quo benedictionem efflagitaverat & acceperat, cœterum obſervantem ſingularem hancce Dei familiaritatem, auſum fuiſſe etiam de nomine interrogare, ut in notitia ejus magis ac magis proficeret. Votum equidem pium erat. Verùm quia nondum maturum erat tempus plenæ manifeſtationis, idcirco repulſam fert Jacobus hócce viri reſponſo: למה זה תשאל לשמי *ut quid interrogas de nomine meo?* Græci quidam codices addunt: καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστόν, *& hoc eſt mirabile.* Sed rectè Scholiaſtes notat: Τὸ, καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστὸν, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ. *Illud (& hoc mirabile eſt) apud nullum legitur in hexaplo.* Abarbanel cenſet virum illum celâſſe Jacobum nomen ſuum, quia noverit moris eſſe apud athletas, ut victor victum nomine ſuo tanquam ſervum ad ſervitia citare, quotiescunque lubet, poſſit. Atque ſic futurum, ut Angeli fiant ſervi hominum. Aliter Nachmanides apud Abarbanelem ſic [illegible] לכה תשאל לשמי כי אין לך בידיעת שמי תועלת יען כי אין היכלות בלתי ליהוה לבדו אם תקראני לא אענך ומצותך לא אושיעך אבל עתה אברך אותו כי כך צותי גם נכון הוא *Quare interrogas*

rogas de nomine meo, cum nullus ex ejus notitia ad te redundet uſus, neque ulla potentia ſit niſi à ſolo Jehova. Si enim maximè invocaveris me, non utique reſpondebo tibi, neque ex anguſtiis te liberabo. Sed nunc tibi benedicam, quia ita præceptum mihi æquumque eſt. Alii celâſſe virum illum nomen ſuum aſſerunt, quia varientur Angelorum nomina pro ratione functionum & munerum. Ita Lyranus, ſecutus R. Solomonem Jarchi. Alii, ne poſteri Jacobi ad idololatriam hoc nomine abuterentur. Neque deſunt etiam, qui arbitrentur, Angelum hunc quia referebat nomen filii Dei, noluiſſe de nomine ſuo reſpondere, quia verbi incarnandi nomen ante incarnationem tacitum & abſconditum fuerit. Verùm hæc omnia longè nimis petita, & à mente Dei loquentis, aliena eſſe nullus dubito. *Simpliciſſimum eſt*, ita optimè monet Rivetus, *Deum voluiſſe Jacobum eſſe contentum ea ſignificatione, quam Deus ipſi ſuggeſſerat, dum plenior lux ei affulgeret.* Eadem reſponſione defungitur Angelus Jud. XIII. 18. ad Manoah: *Ut quid interrogas de nomine meo, cùm ſit admirabile?* Sic curioſitatem minùs convenientem reprimit, ut ſimul manifeſtationem non tam nominis ſui, quàm rei per nomen ejus ſignificatæ, ſeu effectus veritatem nominis approbantis in futurum promittat. Alioquin nomen יהוה minimè incompertum fuit Patriarchis, uti liquet manifeſtè ex Geneſ. IV. 1, 26. XII. 8. XIII. 4. XIV. 22. XV. 2. XVI. 11. XVIII. 14. XIX. 12. XXII. 16. aliisque pluribus locis.

XVI. Supereſt gratiarum actio, & ſolemnis teſtificatio duplex, una Jacobi, altera familiæ ejus. Jacobum quod attinet, is celeberrimæ hujus luctæ loco nomen impoſuit פניאל *Peniel* verſ. 31. Græci interpretantur εἶδος τοῦ Θεοῦ *ſpeciem Dei.* Aquila πρόσωπον ἰσχυροῦ *faciem fortis Dei.* Ratio hujus nominis, ſimul & δοξολογία comprehenditur verbis ſequentibus: כי ראיתי אלהים פנים אל פנים ותנצל נפשי *quoniam vidi Deum facie ad faciem, & evaſit anima mea.* Negat quidem Deus Exod. XXXIII. 20. *Faciem ſuam à quoquam videri poſſe.* De Jacobo tamen hoc loco & de Moſe Exod. XXXIII. 11. enuntiatur, quod viderint Deum à facie ad faciem. Sed facilè expeditur τὸ ἐναντιοφανές. Faciem Dei vidit uterque tum Jacobus tum Moſes, nempe externum ſpecialis Dei præſentiæ ſignum. quo ſenſu etiam ore ad os Deus loquebatur Moſi, extraordinaria nempe & ſpeciali communicatione, qualis eſt eorum, qui inter ſe familiariter colloquuntur. Certum eſt enim, non aliud vidiſſe Jacobum, quàm Deum virili ſpecie ſeu in ὀργάνῳ ἐνυποστάτῳ ſibi apparentem. Neuter tamen nec Jacobus nec Moſes vidit faciem Dei, puta vel eſſentiam Dei, vel gloriæ ejus talem manifeſtationem, quæ in hanc vitam nullo modo cadere poſſit, ſed reſervata ſit futuræ & glorioſæ vitæ, in qua videbimus omnes Deum coram, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον *facie ad faciem.*

Digitized by Google

faciem. Quo ſenſu verò addit Jacobus de ſe vidente Deum à facie ad faciem: ותנצל נפשי *& ſalva facta eſt anima mea?* Nempe inſita fuit veteribus opinio, non poſſe videri Deum inprimis à vigilantibus, citra præſentiſſimum periculum mortis. Exemplum eſt in Gedeone Jud. VI. 22. in Hagare Geneſ. XVI. 13. Unde verò ea opinio proceſſerit, quæritur. Exiſtimari poſſit, opinionis hujus originem ductam eſſe ex Exod. XXXIII. 20. *Non videbit me homo & vivet.* Verùm Hagar & Jacobus jam pridem antea hac opinione imbuti fuerunt. Deinde Deus eo loco non agit de viſione tali, quæ fit in ſigno præſentiæ. Ipſemet enim Deum vidit in rubo, præſentiæ divinæ inſigni teſtimonio. Neque etiam agit de viſione eſſentiæ, ut Scholaſtici aliique exponunt, ſed de viſione faciei Dei, qualem petierat Moſes, puta formæ & ſpeciei excellentiſſimæ & fulgidiſſimæ, quæ gloriam ejus exactè repræſentat. Igitur opinio ea potiùs innata videtur fidelibus tum ex inſita de immenſo Majeſtatis divinæ ſplendore, & rerum omnium, quæ propiùs ad Deum accedunt, excellentia, opinione; tum ex conſcientiæ ſenſu & interiori quaſi accuſatione, quæ dictat hominibus eos propter peccata ſua indignos eſſe Dei aſpectu, & Dei miniſtros, tanquam juſti judicis apparitores illis terribiles reddit, donec benignitate ſua eos Deus confirmet. Probabile etiam eſt, procedente tempore opinionem hanc auctam eſſe tum ex malè intellectis Dei ad Moſen verbis, tum ex relationibus aliquorum, qui talem metum experti erant, tum è vulgaribus ſimpliciorum ſermonibus, qui ejusmodi terrores ſæpiùs augent.

XVII. Familiæ Jacobi gratiarum actio & ſolemnis teſtificatio in eo verſabatur, quòd propter Jacobi ex lucta hac contractam claudicationem in perpetuam rei memoriam abſtinuit à membro illo, quod Angelus in Jacobo contuderat verſ. 31, 32. De claudicatione Jacobi habet hiſtoria, quòd exorto ſole, cùm præteriiſſet Jacobus Penuelem, הוא צולע על ירכו *claudicaverat ſuper femur ſuum.* Quæ claudicatio arguebat, non planè diſſolutum fuiſſe compagem acetabuli, nec planè loco fuiſſe motum os, quod in iſchium inſeritur. Aliâs ne quidem progredi ei integrum fuiſſet. Igitur videtur Deus in lucta illa compagem illam luxâſſe quidem nonnihil, ita ut nervi aliqua extenſio inde oriretur. Vel certè ſanatus fuerit Jacobus non tam à Solis exortu, uti ſtatuit Jarchius, quàm à Deo ipſo diſcedente, ut tamen manſerit levis in parte affecta dolor, qui claudicationem illam effecerit: Ita tamen ut ad progrediendum omninò ineptus non eſſet. Quamdiu ea claudicatio duraverit, equidem incertum eſt. Perpetuam fuiſſe eam putant nonnulli. Alii intrantem in Sichem à claudicatione ſanatum ſtatuunt, ex Geneſ. XXXIII. 18. De quo egimus Exercit. XIII. 7. Probabile

 eſt,

Digitized by Google

eſt, etſi ad aliquod tempus manſerit in crure dolor, & ex eo claudicatio, ſanatum tamen fuiſſe, priuſquam accederet ad Eſavum. Nam in congreſſu illorum nulla fit claudicationis mentio, cujus haud dubiè rationem ex eo Eſavus ſciſcitatus eſſet. Cúmque Jacobus ſe excuſaret, quòd fratrem expeditè ſequi non poſſet, argumentum utique à claudicatione non arceſſebat; ſed ex eo, quòd ſenſim pergere debeat, ut ſe accommodaret greſſui tam rei ſuæ pecuariæ quàm natorum.

XVIII. Occaſione igitur hujus claudicationis memorat Moſes familiæ Jacobi perpetuum inſtitutum, & luctæ hujus *μνημόσυνον* verſ. 32. על כן לא יאכלו בני ישראל את גיד הנשה אשר על כף הירך עד היום הזה כי נגע בכף ירך יעקב בגיד הנשה *Idcirco non comedunt filii Iſraël nervum contractionis, qui eſt in acetabulo femoris uſque ad diem hunc, quia tetigit acetabulum femoris Jacobi & nervum contractionis.* גיד הנשה Interpres Syrus reddit גידא דנשיא & Arabs עירק אלנסא *nervum muliebrem.* Intelligunt membrum generationis. Atque ita etiam Hebræi nonnulli, quos meritò Aben-Ezra ipſe tanquam חסרי הדעת *deſtitutos mente* explodit. Plerique tamen Hebræi exiſtimant, his verbis nervum *oblivionis* denotari, שנשה ממקומו ועלה כלומר כאלו שכח מקומו וסר ממנו *quod motus fuerit loco ſuo & aſcenderit q. d. quòd oblitus fuerit loci ſui, & receſſerit ab eo.* De quo nervo ita ſcribunt Hebræi, referente Fagio: גיד הוא גיד ארוך וראשו מחובר בעצם האליה ויורד ומתפשט על הכף הוא עגל בשר הנתון על עצם ונקרא בתלמוד חיצון כי הוא נתון כלו בצד חיצון של ירך ולא נמצא בעוף *Nervus iſte eſt nervus oblongus, cujus caput conjunctum oſſi, quod caudæ adhæret, & deſcendens exporrigitur ſuper coxendicem: vocatúrque in Thalmud Hizon, eò quòd planè exteriorem partem femoris occupat, nec invenitur in ave.* Alii vocem נשה deducunt à נשה *diſſipatum eſt, periit, emarcuit.* Unde legunt *nervum emarceſcentem* vel *diſſipatum.* Ita Vulgatus: *Non comedunt Iſraëlitæ nervum qui emarcuit.* Eodem modo Græci νεῦρον, ὃ ἐνάρκησε, *nervum qui emarcuit.* Et Thargum Onkeloſi גידא דנשיא *nervum qui emarcuit.* Ita etiam Kimchius in Radicibus. Alii נשה derivant à נשא *elevari & exaltari*; quaſi diceres *nervum altum.* Sed reclamat punctatio. Nervum contractionis noſtrates plerique reddunt, eodem ſenſu quo Hebræi nervum oblivionis. Cùm enim נשה ſignificet *oblivisci, recedere, loco ſuo moveri* (quod enim loco ſuo movetur prioris loci obliviſcitur) perinde erit, ſive dicas *nervum contractionis*, qui ſe contraxit & dimovit è loco ſuo; ſive *nervum oblivionis.* Ita Jerem. XXIII. 39. ונשיתי אתכם נשא *& obliviſcar veſtri obliviſcendo*, ſive *diſlocabo vos diſlocando.* Eſt nervus primus è quatuor nervis in femur progredientibus, qui in externam femoris cutem per ramos diſſeminatus abſumitur in muſculis illis, qui exterius femoris latus occupant.

Quem

Digitized by Google

Quem quia deprehendere difficile eſt, Judæi totam illam carnem muſculoſam non comedunt. Cœterum de eo nervo fuſe agitur in Cholin cap. 7. ubi diſceptatur, quid hoc nervi nomine intelligatur, & in quæ animalia hæc cautela cadat. Avibus enim nonniſi analogicè tribui nervum, docet Maimonides, aliique.

XIX. A quo inſtituta fuerit, & quem in finem, hæc obſervatio, ſupereſt ut paucis inquiramus. Non deſunt, qui exiſtiment, poſteris Jacobi ſuperſtitionem hancce ceremoniam dictâſſe, eò quòd in lege Dei ejus expreſſa non fiat mentio. Sed ad ipſum Jacobum ejus origo refertur rectiùs. Procul dubio enim is divino inſtinctu & ipſe ritum illum obſervavit, & poſteris obſervandum mandavit. Sed quem in finem hoc inſtituerit, malè docent Hebræi, aſſerentes, typo hoc exprimere Jacobum voluiſſe partim calamitates Judæis exantlandas, partim redemptionem per Meſſiam reparandam. Ita R. Levi Barzelonita, moneri hac ratione Deum Iſraëlitas voluiſſe, שיסבלו צרות רבות בגליות מיד העמים ומיד בני עשו שיהיו בטוחים שלא יאבדו אלא לעולם יעמוד זרעם ושמם ויבא להם גואל ויגאלם מיד צר *ut licet varias afflictiones à Gentilibus & filiis Eſau in exiliis eſſent ſubituri, firmiter tamen crederent, ſe non perituros, ſed ſemen & nomen eorum perpetuò manſurum, & venturum Redemptorem, qui è manu hoſtis eos ſit erepturus.* Addit ibidem שאותו כלאך שנלחם עם יעקב היה שרו של עשו רצה לעקרו ליעקב מן העולם הוא וזרעו ולא יכול לו וצערו בנגיעת הירך וכן זרע עשו צער לזרע יעקב ולבסוף היתה להם ישועה מהם כמו שמצינו באב' שזרחה לו השמש לרפואתו ונושע מן הצער כן יזרח לנו השמש של משיח וירפאני מצערינו ויגאלנו אמן במהרה בימינו *Angelum illum, qui pugnavit cum Jacobo fuiſſe Principem Eſavi, quem voluerit extirpare ex hoc mundo cum ſemine, nec tamen potuiſſe: propterea arctâſſe eum contractione femoris. Atque eodem modo anguſtare ſemen Eſavi ſemen Jacobi, cui tamen tandem ab illo ſit futura ſalus. Quemadmodum enim invenimus in patre noſtro, quòd exortus ei ſit Sol in ſanctitatem ejus, & liberationem ab anguſtia: ſic & nobis orietur Sol Meſſiæ, qui ſanabit nos à calamitatibus noſtris, & liberabit nos. Amen. Fiat in diebus noſtris.* Sed hæc ſuavia ſunt delirantium & ὀνειροπωλούντων ſomnia. Non Eſavi Angelus, ſed Deus cum Jacobo luctatus eſt. Nec Iſraëlitæ ſub Eſavi poſteritate ſervitutem patiuntur. Nec manet eos ſpes ulla liberationis, niſi vera fide complexi fuerint Meſſiam orbi pridem exhibitum. Potius igitur eſt, ut dicamus Jacobum hunc ritum uſurpâſſe & poſteris præſcripſiſſe, velut monumentum & μνημόσυνον beneficii illius ſingularis & honoris à Jacobo in certamine iſto accepti.

Digitized by Google

EXERCITATIO XVIII.

DE

DUODECIM PATRIARCHIS.

Breviarium.

Jacobi liberi ex quatuor uxoribus ſublati recenſentur. Juſtini, Tarich Regum Perſiæ, & R. Benjaminis de numero Patriarcharum error perſtringitur. 1. *Patriarchæ undecim unâ cum Dina intra ſeptem annos in Meſopotamiâ quomodo naſci potuerint? Sententiæ de eo Junii, Uſſerii, Chronici Hebræi, Genebrardi Saliani, Petavii ventilatæ.* 2. *Rubenis nativitas &* ὀνοματοθεσία. *Quot modis Deus reſpicere homines dicatur?* 3. *Ruben invenit Dudaim.* 4. *Inceſtus Rubenis cum Billha. Flagitii illius enormitas. Verum fuiſſe inceſtum, non ſtratorum Billhæ conturbationem probatur adverſus Jonathanem Chaldæum Paraphraſten, Jarchium & Abarbanelem. Explicantur verba Geneſ.* XXXV. 22. וישכב ישראל. *An Jacobus connixerit ad facinus Rubenis.* 5. *Pœna inceſtus Rubenis.* 6. *Ejusdem probum, quo Joſephum liberavit, conſilium.* 7. *Simeonis nativitas, nomen & mores.* 8. *Levi nativitas & nominis ejus etymon. An nomen iſthoc ab Angelo ipſi impoſitum fuerit?* 10. *Judæ nativitas & nominis ejus ratio.* 11. *Ejus matrimonium cum Thamare & inceſtus exponitur. Cur hiſtoriam illam conjugii & inceſtus Judæ ex profeſſo proſecutus fuerit Spiritus S.? Abarbanelis conjecturæ rejectæ.* 12. *Quo tempore Judas ſeceſſerit à fratribus ſuis ad virum Adullamitem, ante venditionem Joſephi, an poſt? Abenezræ, Junii, Uſſerii, Merceri, Capelli de eo opinio rejecta.* 13. *Qualis fuerit ſeceſſus Judæ à fratribus? Adullamites quis fuerit?* 14. *Uxor Judæ quo ſenſu dicatur* בת כנעני*? Judæ nubentis peccatum detegitur.* 15. *Filii Judæ ex Bathſuah ſublati Er, Onan*

&

& Schela. Abarbanelis circa nomina ea luſus. Quo ſenſu Judas dicatur fuiſſe בכור *cum ipſi naſceretur Schela? 16. Filiorum Judæ conjugium cum Thamare. Eris malitia & cædes* ἐξήλατος. *17. Onanis cum Thamare conjugium. Præceptum* יבם *ſeu levirationis unde manaverit & quem in finem Patriarchis injunctum fuerit? 18. Onanis ſcelus & cædes divina. Judas cur Thamarem deſponſam Schelæ juſſerit ex familia ſua ad paternam ſecedere? An metuerit, ne Schela & ipſe, ſi juvenis nimis duceret Thamarem, occidatur? Illuſiſſe ipſum Thamari oſtenditur. 19. Obitus uxoris Judæ, ejúsque aſcenſus in Thimnath. Fueritne eadem Thimnath cum eâ, ad quam deſcendit Samſon? Thamaris fraus in pelliciendo ſocero ad concubitum. Ejusdem* צעיף *Quid* פתח עינים *ubi conſedit Thamar?* προσωπεῖα. *Meretricum in biviis conſidentium conſuetudo. 20. Contractus Judæ cum Thamare nefarius. Quid* פתיל*? 21. Judæ & Thamaris factum expenditur & Hebræorum juxta ac Chriſtianorum quorundam prætextus illi obducti diſcutiuntur. 22. Judas Thamari, quæ ſe jam ſubduxerat, mittit hædum. An promiſſio facta ob cauſam vitioſam obliget? 23. Eventus inceſtus Judæ & Thamaris. Judæ ſententia adverſus Thamarem lata fueritne accuſatoris an judicis? fuiſſe eam Judicis à ſupremo Magiſtratu delegati oſtenditur. Argumenta contraria Junii ſolvuntur. 24. Pœna Thamari indicta qualis fuerit? An tam atrocem meruerit Thamar? Judæ pro arbitrio pœnam hanc ſtatuentis errores varii. 25. Thamaris ad ſupplicium raptæ liberatio. Quo ſenſu fateatur Judas, illam ſe ipſo juſtiorem eſſe? Abarbanelis expoſitio rejicitur. 26. Explicantur verba* ולא יסף עוד לדעתה *Geneſ. XXXVIII. 26. An Judas Thamari nupſerit? R. Bechai & Pauli de Abbatia Pollicinii de eo error perſtringitur. An* יסף *Num XI. 25. ceſſandi notione veniat? 27. Nativitas Phares & Zaræ. Ejus miraculum & myſterium panditur. 28. Judæ reliqua geſta. 29. Rachelis hactenus ſterilis importuna expoſtulatio cum marito. Quo ſenſu mortuam ſe dicát ſi manſerit illiberis? Jacobi Rachelem objurgantis oratio. Billha à Rachele ſubſtituta quomodo genuerit ſuper genua heræ? 30. Danis*

Digitized by Google

& Nephtali nativitas & nomina. Explicantur verba Rachelis נפתולי אלהים נפתלתי עם אחותי *31. Gadis nativitas &* ὀνοματεσία. *Quid* בגר*? Cur Hebræi* גר *velint eſſe* מזל טוב *Sidus beneficum aut fortunam? An Lea fortunæ tanquam idolo litaverit? 32. Aſcheris nativitas & nominis ratio. 33. Iſaſcharis nativitas &* ὀνοματεσία. *An Lea Iſaſcharem dicat ſibi datum in mercedem præcedentis ſubſtitutionis Zilpæ? 34. Zebulonis ortus & nomen. Quid* זבדי. *35. Joſephi & Benjaminis nativitas. Quomodo Benjamin natus dicatur prope Bethlehem, cùm tamen Geneſ.* XXXV. *26. omnes Patriarchæ nati dicantur in Meſopotamia? Locus 1.Cor.* XV.*5. exponitur. Benjamin an ſonet filium dierum auſtri vel dexteræ? Dederítne originem Romanis? Græculi vetuſti de eo narratio apud Photium. 36. Cenſura libri vetuſti, ſub nomine Teſtamenti Patriarcharum ab Origene & Procopio citati & à Roberto Lincolnienſi ex Græco in Latinum converſi. 37: Patriarcharum mors & ſepultura. 38.*

I. JACOBUS in Meſopotamia ex Lea & Rachele, eorúmque ancillis Billhah & Zilpah liberos ſuſtulit duodecim, commutatis veluti parientium vicibus. Primò enim ex Lea ſuſtulit ראובן *Rubenem* שמעון *Simeonem* לוי *Levi* & יהודה *Judam* Geneſ. XXIX. v. 31--35. Poſtea ex Billha ancilla Rachelis דן *Danem* נפתלי *Nephtali* Geneſ. XXX. 1--9. Mox ex Zilpah ancilla Leæ גד *Gadem* אשר *Aſcherem* verſ. 9--14. Iterum ex Lea יששכר *Iſaſchar* זבלון *Zebulonem* דינה *Dinam* verſ. 14--22. Denique ex Rachele יוסף *Joſephum* 22--25. & extra Meſopotamiam in terra Canaan proximè Ephrata Bethlehem בנימין *Benjaminem* Geneſ. XXXV. 16--19. Proinde in univerſum duodecim filiorum & unius filiæ proventu Jacobus beatus fuit, ſecus quam tradit Juſtinus lib. XXXVI. 2, 3. *Iſrahelem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit.* Ubi videſis eruditam Berneggeri de Romanorum aliorúmque in rebus Judaicis ἀπαιδευσία notam. Sed & Tarich, Gade omiſſo, non niſi undecim filios Jacobo tribuit, teſte Doctiſſimo Schikhardo pag. 33. Quod in Perſa rerum Biblicarum imperito ferri poteſt: at nequaquam in Judæo Rabbino Benjamine, qui ſtatuam Rachelis juxta Bethlehem deſcripturus dicit eſſe, עשויה מאחת עשרה אבנים למנין בני יעקב *Factam ex undecim lapidibus pro numero filiorum Jacobi.* De Dinah ejusque raptu fuſè nobis actum in hiſtoria Jacobi. Joſephi etiam hiſtoriam, cùm fœcunditate Patriarcharum reliquorum

rum hiſtoriam ſuperet, ſeorſim tradere conſtituimus. Hac proinde exercitatione reliquos Patriarchas undecim exponere nobis animus eſt.

II. Patriarchas illos undecim una cum Dina Jacobo ex uxoribus & ancillis natos eſſe intra annos ſeptem poſteriores illos, quos in ſervitute Labanis pro Rachele exegerat, Exercit. xv. 14. monuimus. Cùm enim generare occeperit demum poſt datam in matrimonium Rachelem, atque eam duxerit in principio ſecundi non primi ſeptennii ſervitutis, uti liquidò veritati dedimus loco citato: ac præterea finito illo ſeptennio omnes hi duodecim liberi jam nati fuerint (quippe Joſepho, qui ultimus erat, nato petiit Jacobus à ſocero ſuo dimiſſionem, tanquam liber jam è ſervitute promiſſa) manifeſtè ſequitur, intra ſeptennium unum omnes eos liberos Jacobo proveniſſe. Quomodo id fieri potuerit, non exigua dubitatio eſt. Imprimis cùm ipſa Lea continuatis partibus Rubenem, Simeonem, Levi & Judam enixa fuerit: & cùm parere deſiiſſet, Rachelæ ſororis exemplo incitata Zilpam ancillam ſubſtituerit, quæ Gadem primo & ſequente anno Aſcherem illi peperit, ipſaque iterum Lea Iſaſcharem primum, deinde Zebulonem, ac poſtremò filiam Dinam pepererit. Quas novem conceptiones & partus, ſi non alio quam 40. dierum puerperii (ex more Levit. xii. v. 2. 4.) interpoſito intervallo, ſeſe invicem ſubſecutos, & novem menſium ſolarium ſpatio, unumquemque fœtum in utero materno geſtatum fuiſſe poſuerimus; ipſum ſeptennium tot producendis liberis non ſuffecerit. Quo argumento moti Viri Doctiſſimi, Junius, Uſſerius & Lydiat ſtatuunt, Rachelem ductam eſſe ſtatim poſt ductam Leam impleta nimirum hebdomade nuptiali, in principio nempe prioris ſeptennii, non poſterioris demum, adeóque duodecim hosce Liberos natos eſſe intra utrumque ſeptennium quatuordecim videlicet annos. Cœterùm eam ſententiam vim facere textui, ſuperius demonſtravimus. Hebræi nonnulli, quos ſequitur Genebrardus, ut partus ſeptem hiſce annis congruant, eos ſeptimeſtres fecerunt. Verùm ad illos ut confugiamus, quamvis experimentis aliquando probentur, nulla neceſſitas cogit. Salianus ad A. M. 2283. ex Demetrio, cujus calculus ſed mancus nonnihil & Scripturæ repugnans apud Euſebium *Præparat. Ev. Lib.* ix. 21. occurrit, ita ſeptem illos annos diſpeſcit, ut intra quadraginta menſes primos dicatur Lea peperiſſe Ruben, Simeon, Levi & Judam; deinde per quatuordecim menſes ceſſaverit Lea concipere ac parere, quo interim ſpatio Zilpa conceperit ac pepererit Gadem & conceperit Aſcherem, reliquis triginta menſibus Lea pepererit tres reliquos liberos Iſaſchar, Zebulon & Dinam: Rachel verò poſt ſex annos ſecundi ſeptennii conceperit ac pepererit Joſephum: denique Billha ancilla

Rachelis, dum Lea parere ceſſâſſet conceperit ac pepererit Danem & Nephtali. Proponit ibidem Salianus Schema, ex quo Demetrii menologiam ſuppleri & emendari poſſe putat. Verùm quia ex eo ſchemate ſequeretur, Aſcherem filium Zilpæ natum poſt Iſſaſcharem filium Leæ, contra ordinem quem tenet Moſes, ad evitandum hoc incommodum Vir Doctiſſimus Dionyſius Petavius *de Doctrina temporum* Lib.IX.19. & XIII. ad annum M. 2927. cenſet, paulò poſt admiſſam ſecundò Zilpam ipſam quoque Leam concepiſſe, indéque anno decimo tertio ſervitutis natum eſſe ex Zilpa Aſcherem; è Lea verò Iſſaſcharem ineunte anno,& exeunte Zebulonem. Ita igitur intra quadraginta primos menſes ſtatuamus natos eſſe ex Lea quatuor filios, Ruben, Simeon, Levi & Judam: ſpatio decem ſequentium menſium ex Zilpa conceptum eſſe & natum Gadem; ſpatio viginti duorum ſequentium menſium conceptos & natos primò ex Zilpah Aſcherem, deinde ex Lea paulò poſt admiſſam Zilpam imprægnata Iſſaſcharem & Zebulonem: denique ſpatio decem reſiduorum menſium conceptos & natos primò ex Lea Dinam, deinde ex Rachele Joſephum: Billhæ verò natos Danem & Nephtali ſtatim poſtquam parere deſiit Lea. Quâ quidem temporum computatione & ordo filiorum Jacobi à Moſe obſervatus retinetur, & παιδογονίας ſpatium idoneum aſſignatur. Quod enim Doctiſſimus Uſſerius inſtat, Sacram Scripturam natalium non ordinem ſimul, ſed interſtitium quoque nobis exhibere non admodum ſtringit. Fatemur enim, non ſolùm ordinem natalium, ſed etiam interſtitium exhiberi. Sed interſtitium qualecunque ſufficere poteſt. Neque probari poteſt, ejuſmodi interſtitium interjungi in omnibus his partibus, ut decem ſemper vel plures menſes interceſſerint. Neque ſolidius eſt quod addit argumentum: *Si Lea eodem ferme quo Zilpah tempore partui fuiſſet vicina, quis dubitet quin ſuo potius, quàm ancillæ filio Aſcheris nomen indidiſſet? Dicebat enim: ut beata dicar; quia me beatam dicent filiæ; ideòque vocavit nomen ejus Aſcher.* Etenim aptius & rei geſtæ convenientius erat nomen *Iſſaſchar* quod filio ſuo impoſuit quàm nomen *Aſcher*. Addo ipſum nomen *Aſcher* impoſitum filio Zilpæ, videri alludere non ad id tantùm, quod ex ancilla ſuſtulit prolem, ſed magis etiam ad id, quòd ipſa jam tum uterum tulit. Quòd verò ex ætate Rubenis mandragoras matri afferentis, quæ haud dubiè fuerit major quàm trium & dimidii annorum, qualem hæc computatio permittat, ſubjicit idem Vir Doctiſſimus, neque in eo argumento multum roboris invenio. Potuit utique Ruben etiam ea ætate, quæ ejuſmodi ſive floribus ſive fructibus inprimis delectatur, *Dudaim* in agro ſive caſu ſive alieno indicio inventas matri referre.

III. Nunc

III. Nunc ad ſingulos Patriarchas accedimus. Primogenitus igitur eſt ראובן *Ruben.* Natus is eſt ex Lea, à Jacobo quidem odio habita, hoc eſt non eo amore, quo Rachel adamata: ſed à Deo vulvam ejus aperiente hactenus Racheli prælata. Rationem impoſiti huic Rubeni nominis reddit pia mater כי ראה יהוה בעניי כי עתה יאהבני אישי *Quia vidit Jehova afflictionem meam, nunc igitur diliget me vir meus* Geneſ. XXIX. 32. Dictus igitur eſt à ראה *vidit* & בן *filius*, quaſi dicas *filium viſionis* uti Hieronymus reddit, vel filium *reſpectus gratuiti.* Reſpicere aut videre afflictionem Deus dicitur, cum afflictionum paternam rationem habet, nóſque ab afflictione liberat. Confer Pſal. LXXXVI. 16. Unde reſpectum Dei ita diſtinguit Auguſtinus, ut *reſpicere* aliquem Deus dicatur vel per *cognitionem*, vel per *judicium* vel per *gratiam.* Reſpicere autem per gratiam definit *prius abjectos & derelictos viſitare.* Atque hoc ſenſu Deus vidit ſeu reſpexit afflictionem Leæ.

IV. Ruben vix quarto anno expleto progreſſus in agrum tempore meſſis triticeæ, reperiſſe dicitur דודאים *Dudaim*, & matri Leæ eas attuliſſe. Qua de re peculiari exercitatione agere conſtituimus.

V. Poſt mortem Rachelis idem Ruben Jacobi tanti herois primogenitus filius inceſto flagitio paternum thorum contaminavit. De quo ita habemus Geneſ. XXXV. 22. *Fuit præterea, cùm habitaret Iſraël in ea regione* (Migdal-Eder) *perrexit Ruben & concubuit cum Billha concubina patris ſui. Et audivit id Iſraël.* De cujus flagitii enormitate non attinet dicere multa. Certè ejuſmodi facinus fuit, quod ne inter Gentes quidem nominari teſtatur Apoſtolus 1. Cor. V. 1. Fuerunt enim inter eos, qui à facinore hoc toto pectore abhorrentes, illud deteſtati unicè ſunt. Nota eſt hiſtoria Hippolyti & Phœdræ, necnon Antiochi Saleuci filii, qui Stratonicæ novercæ inſano amore captus tacitus tamen vulnus ſuum alebat venis quod nunquam detegere auſus fuiſſet, niſi à ſolertiſſimo Medico morbi cauſa detecta fuiſſet. Proinde in ſanctiſſimi viri familia ſcelus hoc patratum, & tantum Sathanam prævaluiſſe mirum eſt. Nam quod Rabbini nonnulli negant cum noverca concubuiſſe Rubenem, ajuntque eum duntaxat lectum Billhæ, quem Jacobus tranſtulerit in tabernaculum Rachelis (non Leæ uti malè recenſet Pererius) indignabundum inde expuliſſe atque hoc in ſuam contumeliam accepiſſe Jacobum, ridiculum eſt. De eo ita R. Salomon Jarchi מתוך שבלבל משכבו מעלה עליו הכתוב כאילו שכבה ולמה בלבל וחלל יצועו שכשמתה רחל נטל יעקב מטתו שהיתה נתונה תדיר באהל רחל ולא בשאר אהלים ונתנה באהל בלהה בא ראובן ותבע עלבון אמו אמר אם אחות אמי היתה צרה לאמי שפחת אחות אמי תהא צרה לאמי לכך בלבל: *Quia confudit ejus lectum, aſcendens ſuper eum ſcriptum eſt, ac ſi cum ea concubuiſſet. At cur confu-*

confudit & profanavit ſtrata ejus? Quia poſtquam mortua erat Rachel, portaverat Jacob lectum ſuum, qui fuerat aſſiduè conſtitutus in tabernaculo Rachel, & non in tabernaculis reliquis, eámque poſuerunt in tabernaculo Billhæ. Venit Ruben, & requiſivit injuriam matris ſuæ. Cogitabat enim ſic: ſi ſoror matris meæ fuit ipſi æmula, ancilla ſororis matris meæ ipſi magis æmula erit. Idcirco confudit. Atque ita etiam accepit Paraphraſtes Chaldæus Jonathan. Ita enim interpretatur בלבל ית מציעא דבלהה *Confudit ſtrata Billhæ.* Alii confudiſſe ſtrata Billhæ Rubenem nugantur, ne plures Jacobus ex ea gigneret liberos, adeóque ſibi primogenito, cui duæ partes debebantur paternæ hæreditatis, ex hæreditate nimium decerperetur. Abarbanel diverſas de eo Rabbinorum ſententias his verbis recenſet: ויש לחז"ל דעות בזה יש מי שאמר ששכב עמה ממש ויש כי שאומר שבלבל יצועו כדי שלא יוליד עוד כי להיותו בכור עשה זה מפני שני החלקים אשר חשב לקחת בנכסי אביו גם אמרו שלא עשה ראובן כן אלא לכבוד אמו בעבור שאביו אחרי שמתה רחל היה מיחד מטת עם בלהה להיותה שפחת רחל *Diverſæ ſunt hac de re ſapientum noſtrorum p. m. opiniones. Eſt qui dicat, concubuiſſe eum cum Billha verè. Eſt etiam qui dicat, quod confuderit ſtrata ejus, ne amplius liberos gigneret pater. Cùm enim eſſet primogenitus, putant eum hoc feciſſe propter duas portiones, quas ſperabat ex hæreditate paterna. Sunt etiam qui dicant, id omne feciſſe Ruben in honorem matris ſuæ Leæ, eo quod poſt mortem Rachelis thorum ſuum conjunxerit cum Billha, quæ antehac erat ancilla Rachelis.* Ipſe verò Abarbanel nihil determinat, ſubjiciens: יהיה איך שיהיה הנה *ſive ſit hoc modo ſive alio.* Cœterùm hæc figmenta ſunt verporum, qui hac ratione primogenitum Jacobi, in cujus carne gloriantur, liberare conantur à crimine. Verùm inceſto flagitio ipſum contaminâſſe paternum thorum, ſatis innuitur Geneſ. XLIX. 4. *Non excelles* כי עלית משכבי אביך אז חללת יצועי עלה *Quia aſcendiſti cubile patris tui, ex quo polluiſti ſtratum meum, evanuit excellentia tua.* Ubi חללת notat pollutionem inceſtam thori. Præterea שכב את בלהה *concubuit cum Billha*, non aliud utique quàm verum Rubenis concubitum notare poteſt. Quod verò ſubjicitur וישמע ישראל *& audivit Iſraël*, illud ita ſupplent Græci: Καὶ ἤκουσεν Ἰσραήλ, καὶ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτοῦ *Et audivit Iſraël & malum apparuit coram eo.* Id quanquam in textu Hebræo non habetur, tamen commodè ſubintelligi poteſt. Nempe pro rei gravitate vix ejus mœror deſcribi poteſt. Atque id paucis illis verbis ſpectâſſe videtur Moſes, quod pictor ille, qui Iphigeniæ immolationem delineabat. Is enim Agamemnonem patrem velo obtexit, quia lugentis in tanta anguſtia vultum ſatis exprimere non poterat. Proinde non validum eſt argumentum Abarbanelis, qui ex eo, quòd Jacobus audito Rubenis facinore nihil dixiſſe vel feciſſe omnino memoratur, arguit, non

Digitized by Google

non indigitari à Moſe inceſtum ejuſmodi concubitum. Verba ejus ſunt: הזקן כששמע הדבר הזה וידמה שבלהה ובניה גלוהו אליו הנה הוא לא צוה שיוציאו את ראובן מביתו ולא הוציאו מכלל בניו שלא ינחיל עמהם אבל החריש ועבר על משמעו וזה מורה שלא היה כ״כ מגונה כמו שיורה עליו פשט הכתוב האמנם עברתי שמר הזקן ובסוף נטל ממנו הברכה מדה כנגד מדה אבל הודיע הכתוב בזה שכבר היו בני יעקב שנים עשר כי לא נולד לו אחר *Senex ea re audita ſiluit. Billha enim & filii ejus ipſi retexerunt factum. Neque tamen Jacobus præcepit, ut Rubenem è domo ſua educerent, neque eduxerunt eum prorſus filii ejus, cum quibus in hæreditatem non eſt immiſſus, ſed ſiluit & diſſimulavit id quod audiverat, quod argumento eſt, non adeò turpe factum fuiſſe, uti litera Scripturæ ſonat, ſanè iram ſuam hanc diſſimulavit ſenex, & in fine vitæ ſuæ ei benedictionem ſubduxit, vicem rependens ipſi, ſed & docet Scriptura ea re, quòd jam tum fuerint duodecim filii, neque poſt illos alius Jacobo natus fuerit.* Sed argumentum non ſtringit. Nam ex ſilentio Moſis non ſequitur, nihil audito filii flagitio dixiſſe vel feciſſe Jacobum, ſed potiùs id, dolorem & ægritudinem, quâ affectus erat Jacobus audito eo nuntio, talem fuiſſe, ut idoneè deſcribi non poſſit.

VI. Inceſtus hujus pœnam ſubivit Ruben geminam, alteram in ſe, in poſteritate alteram. In ſe quidem pœnam hanc luit, quòd à Patre in agone conſtituto privatus eſt jure primogeniti Geneſ. XLIX. 3, 4. Quam quidem pœnam gravem ſatis fuiſſe, conſtat abunde ex prærogativis primogenituræ, de quibus in loco diximus. In poſteritate verò luit pœnam hanc, quòd tribus Ruben numero ſemper exiguo, & potentia cœteris inferior fuit. Id quod liquet non tantùm ex re ipſa, ſed etiam ex vaticiniis præcedentibus. Ita enim Jacobus habet Geneſ. XLIX. 4. אל תותר *non excelles.* Quæ verba nonnulli referunt ad poſteros Ruben. Unde liquet, Deum libidines & inceſtum afficere horribilibus pœnis, non tantùm in authoribus, ſed in ipſa etiam tota poſteritate.

VII. Id tamen laude dignum de Rubene Scriptura prædicat Geneſ. XXXVII. 20, 21, 22. quod cùm fratres reliqui judicatum habuiſſent, fratrem Joſephum nefariè occidere, ſéque invicem ad patrandum ſcelus animâſſent, ſolus obſtiterit ille, conſiliúmque Joſepho ſalubre ſuppeditaverit, ut in ciſternam mitteretur. Qua de re in hiſtoria Joſephi. De morte porro Rubenis nihil Scriptura memorat.

VIII. Secundus Jacobi filius fuit שמעון Simeon Σιμεὸν & Συμεὸν Græcis dictus, ex Lea oriundus. Dictus ita eſt à שמע *exaudivit*, quia ut inquiebat Lea שמע יהוה כי שנואה אנכי ויתן לי גם את זה *audivit Jehova, quòd odio haberer, dedit mihi etiam hunc* Geneſ. XXIX. 33. Ubi שמע notionem habet non tam *audiendi* quàm *intelligendi* vel exaudiendi, ut eruditâ

ditâ notâ oſtendit Druſius. Sicut igitur primus Jacobi filius dictus ראובן Ruben *ſeu filius viſionis & reſpectus:* Ita ſecundus dictus שמעון *Simeon ſeu filius exauditionis.* Hominem fuiſſe ſævum & ſanguinarium, liquet tum ex eo, quod ſtuprum ſorori Dinæ illatum æquo impotentius vindicavit Geneſ. xxxiv. 25, 26. de quo ſuperius in hiſtoria Jacobi; tum ex eo, quòd in fratre Joſepho occidendo facilè primas immanitatis partes tenuit, qui etiam veſte hircino tabo polluta ad Patrem delata, tantùm non miſerrimum ſenem enecuit, Geneſ. xxxvii. De quo inferiùs in hiſtoria Joſephi. Proinde non immeritò Jacobus Simeoni maledixit, eique diſperſionem in ſpiritu prænuntiavit Geneſ. xlix. 5, 6, 7. Unde poſteris ejus certa ſors in hæreditate terræ Canaan non fuit, quippe per univerſas tribus diſperſis.

IX. Tertius ſequitur ex eadem Lea oriundus לוי *Levi* Geneſ. xxix. 34. Etymon vocis pandit eadem Lea his verbis: עתה הפעם ילוה אישי אלי כי ילדתי לו שלשה בנים על כן קרא שמו לוי. *Hac quoque vice copulabitur mihi vir meus, quia tres jam filios ei genui. Propterea nomen ejus Levi.* Pollicetur ſibi certum impoſterum mariti favorem & benevolentiam, quippe quem tertia jam prole parentem fecerit. Proinde filium huncce ſibi natum boni ominis gratia nuncupat לוי *Levi* à לוה *adjungi, ſociari, copulari, adhærere.* Noverat nempe, filios eſſe *συνδέσμους vincula* parentum, uti ſcitiſſimè appellat Philo. Abarbanel narrat ſententiam ſapientum Hebræorum, quòd Lea edocta à marito, futurum ut ex uxoribus quatuor duodecim ſibi naſcantur Patriarchæ, exiſtimaverit ex ſingulis, adeóque etiam ex ſe tres filios Jacobum ſublaturum; cumque jam tres genuiſſet, ratam eſſe, finem ſibi gignendi impoſitum eſſe; proinde velut conſummato opere ſibi gratulatam eſſe, ſimulque mariti adhæſionem, hoc eſt fidem & conſtantiam ſibi impoſterum promiſiſſe. Sed opinione hac imbutam fuiſſe Leam minimè Scriptura habet. Nec ejus oratio illa id arguit. Nam etiam ſecundo filio nato ſibi mariti amorem pollicita eſt. Quòd verò Moſes ait, על כן קרה in maſculino non תקרה in fœminino ut in præcedentibus, ex eo Hebræi arguunt, nomen hoc Levi impoſitum eſſe non à Lea, ſed ab Angelo, & quidem Gabriele. Verba de eo Jarchii ſunt: תמהתי שבכו״ן כתיב ותקרא וזה כת׳ בו קרה ויש מדרש אגדה באלה הדברים רבה ששלח הק״בה גבריאל והביאו לפניו וקרא לו שם זה ונתן לו כ״ד מתנות כהונה ויעל שם שלוהו במתנות קראו לוי *Miratus ſum, cur in reliquis ſcriptum ſit* ותקרא *hic verò* קרה. *Et eſt Midras agada ſuper hæc verba, quòd ſanctus ben. miſerit Gabrielem, quódque ad eum filium hunc adduxerit, quem ipſe hoc nomine vocaverit, datis ipſi viginti quatuor muneribus Sacerdotii. Et quia eum ſibi junxit, in hiſce muneribus, vocavit eum Levi.* Quæ quidem collectio & ipſa præpoſtera eſt. Notum enim ex aliis locis, verbum

Digitized by Google

bum קרה in Conjugatione Kal aliquando paſſivam ſignificationem obtinere. Senſus igitur eſt, Levi eum vocatum eſſe; nempe à Lea.

X. De Levi hujus & Simeonis conjuratione adverſus Sichemitas ob raptum ſororis Dinæ aliâs à nobis actum. Sed & pœnam ei à Jacobo propterea denuntiatam videre eſt Geneſ. XLIX. 5, 6, 7.

XI. Quartus Jacobi filius ex eadem uxore oriundus fuit יהודה Juda, cujus vocis originem explicat eadem Lea Geneſ. XXIX. 35. his verbis הפעם אודה את יהוה *Vice hac confitebor Jehovæ*. Quam confeſſionem de Euchariſtia Leæ explicant Syrus & Arabs. Nempe Leam ſe magis atque magis ad Dei beneficia laudibus proſequenda devinctam agnoſcit, & hunc filium vult perpetuæ celebrationis Divinæ argumentum eſſe. Quâ in ὀνοματοθεσίᾳ haud dubiè eam direxit Spiritus S. cùm Judas fuerit is, qui inter Jacobi filios pater futuri Meſſiæ conſtitutus erat. Jacobus per παρῳδίαν egregiam Judam inducit non tam laudantem, quàm laudatum & celebratum à fratribus Geneſ. XLIX. 8. יהודה אתה יודוך אחיך *Jehudah tu, laudabunt te fratres tui*, nempe quia ex eo Meſſias naſciturus, atque ita ſalus ex Jehuda proceſſura Joh. IV. 22. Hebr. VII. 14. Apoc. V. 8.

XII. Patriarchæ Judæ tum matrimonium, tum inceſtus cum Thamare concubitus, tum res ex inceſto eo concubitu conſecutæ, recenſentur Geneſ. XXXVIII. Et matrimonium quidem ejus quod attinet, tria diſtincta de eo exponuntur, conjugium nempe ipſum, liberorum ex eo procreatio, & poſtremò ipſorum quoque liberorum illius conjugatio. In anteceſſum diſcutienda quæſtio, quam hic movent tum Hebræi, tum Chriſtiani Interpretes: Cur hiſtoriam conjugii hujus Judæ & inceſtus ejusdem cum Thamare adeò fuſè conſignari Spiritus S. voluerit, cùm in cœteris fratribus tale nihil factum ſit? Abarbanel in Peruſch tres recitat cauſas, ob quas hiſtoria Judæ à Moſe pertexta fuerit. Prima ipſi eſt, quòd demonſtrare hac narratione Scriptura voluerit, Joſephum & Judam futuros duo principia regni Judæ & Iſraëlis. A Juda enim regnum Judæ: à Joſepho per Manaſſem & Ephraim regnum Iſraëlis originem habuiſſe. Porro quia Manaſſes & Ephraim ſati ſunt ex muliere Ægyptiaca, indicari aſſerit injuſtitiam regni Iſraëlitici. Quia verò Judas ex Thamare, quam ipſe agnoverat juſtam, ſuſtulit Phares & Zara, ex quibus regnum Judæ proceſſit, portendi docet juſtitiam regni Judæ, & quòd ex ea tribu naſciturus ſit Meſſias Rex in ſecula benedictus. Secundò commemorati Judæ ſeceſſus à fratribus ſuis cauſam reddit idem Abarbanel, ut innoteſceret juſtitia Judæ, qui ob ſcelus fratrum cùm iis amplius degere noluerit neque etiam luctum paternum videre potuerit. Tertiam cauſam idem reddit,

providentiæ divinæ manifeſtationem in ſemine Abrahami, in ſpecie in Juda & ejus liberis, quorum mortem compenſaverit Deus mira nativitate duorum ejus filiorum ex Thamare. Verùm parum admodum hiſce cauſis tribuendum puto. Nos igitur duas potiſſimas rationes effeciſſe putamus, ut conjugii illius & inceſtus Judæ hiſtoriam tam ſollicitè pertexeret Moſes. Prior eſt, quia non parùm referebat agnoſcere, unde Meſſias ſecundùm carnem originem ducturus eſſet, & genealogiæ ejus ſeriem ita inſtitui, ut ab Abrahamo uſque ad ejus nativitatem de progenitoribus ejus conſtaret. Cùm igitur Schilo ſeu Meſſias ex tribu Juda naſci debuerit, conveniens fuit ut ejus potiùs, quàm reliquorum fratrum conjugium & ſoboles accuratius deſcriberetur. Altera ratio eſt, ut Chriſti futura exinanitio inde agnoſceretur, cùm minimè dedignatus is fuerit naſci ex eâ familia, cujus principia adeò fœda fuerunt, ut de iis ſine quodam horrore caſta mens ne quidem cogitare poſſit, & velo opus ſit ei, qui caſtis auribus aliquo modo ea inſinuare velit. Quare ſimul Scriptura oſtendere voluit: partim non ex ullis meritis familiam Judæ ad tantam dignationem perveniſſe, ut natales præberet Salvatori mundi; partim Chriſtum peccatores ad ſe venientes non rejecturum, cùm ex maximis naſci peccatoribus voluerit; partim denique Chriſtum ex familia ſua nullam omnino gloriam habuiſſe, ſed potiùs gloriam in eam intuliſſe, & maculas ejus morte ſua aboleviſſe inſtar ſolis, qui quidquid eſt in terra fœtoris, ipſe abſorbet, & lucem mundo præbet.

XIII. Ad conjugium ipſum Judæ pertinet primùm occaſio imprudenti oblata, ſeceſſus nimirum à fratribus ad virum עדלמי *Adullamiten*, cujus nomen erat חירה *Hirah* verſ. 1. Id factum dicitur בעת ההוא *in eo tempore.* Unde nata multorum judicio inextricabilis quæſtio de tempore eo, quo Juda ſeceſſit à fratribus ad virum Adullamiten. Conſtat ſatis, in proximè præcedentibus narrari venditionem Joſephi. Si igitur ſeceſſus ille Judæ factus eſt בעת ההוא *eodem tempore*, uti ſonant verba: ſtatim poſt venditionem Joſephi eum contigiſſe videtur conſequi. Nam verba ea quandam connexionem cum relatis præcedente capite, cum aliqua tamen conſequutione indicant. Neque ullam vel in ſpeciem excogitari rationem poſſe putant, cur à Moſe mutatus fuiſſet ordo narrationis, ſi, quæ narrantur cap. 38. contigiſſent ante venditionem Joſephi ſuperiori capite memoratam. Cùm potiùs ſatius fuiſſet hæc narrari ante venditionem Joſephi, ne inchoata de Joſepho hiſtoria interrumperetur, ſed continua potius ſerie referretur. Accedit quòd uſque ad venditionem Joſephi Juda unâ cum fratribus habitaverit, & communes familiæ paternæ greges, cum fratri-

Digitized by Google

fratribus ſuis uſque ad tempus illud curaverit. Occaſio autem hic narratur, quâ factum ut à fratribus diſcederet, & ad ſocerum Cananæum diverteret. Sed obſtat huic ſententiæ argumentum ſatis grave. Cùm enim tantùm viginti duo anni inter venditionem Joſephi & deſcenſum Jacobi cum familiâ in Ægyptum numerentur, non potuit tam brevi ſpatio Juda uxorem ducere, ternos liberos tollere, uxorem unam Thamarem nimirum duobus ſucceſſivè jungere, tertii conjugium ultra tempus differre, filios ex nuru ſuſcipere, & illorum unus nimirum Phares duos filios Eſron & Hamul gignere ante deſcenſum in Ægyptum. Nam hæc omnia ante Jacobi in Ægyptum adventum geſta eſſe, conſtat vel inde, quòd filii Phares Eſron & Hamul inter poſteros Jacobi, qui cum eo in Ægyptum deſcenderunt, memorantur Geneſ. XLVI. 12. Cogitari autem non poteſt, qua ratione viginti trium annorum ſpatio adoleſcere potuerint duæ generationes, nempe filiorum Judæ ex prima uxore, & ejusdem filiorum ex Thamare natorum, poſt nuptias priorum. Si enim unicuique generationi attribuantur anni quindecim, quod minimum videtur, ſaltem triginta quatuor annorum circiter numerus exurget. Argumento hoc motus jam olim Auguſtinus admittendam putavit ὑστερολογίαν, ita ut nuptiæ Judæ deſcriptæ poſt deſcriptam venditionem Joſephi contigerint aliquot ante venditionem illam annis. Eâdem in ſententia eſt Abenezra, cujus expoſitionem adſcribam: ויהי בעת ההוא אין זאת העת כאשר נמכר יוסף רק קודם המכרו וכמוהו משם נסעו הגדגדה בעת ההיא הבדיל יהוה את שבט הלוי ושבט הלוי נבחר בשנה השנית ונסעו אל גדגד בשנת הארבעים ובמקומו אפרשנו׳ ולמה הזכיר הכתוב זאת הפרשה במקום הזה והיה ראוי להיות אחר והמדנים מכרו אותו פרשת ויוסף הורד מצרימה להפריש בין מעשה יוסף בדבר אשת אדוניו למעשה אחיו Et factum eſt eo tempore. *Tempus hoc non eſt illud quo venditus fuit Joſephus, ſed anteceſſit ejus venditionem. Similis locus eſt Deut.* x. 7, 8. *Inde profecti ſunt Gadgad, & in tempore illo Dominus ſeparavit tribum Levi. At tribus Levi electa erat anno ſecundo, & profecti ſunt Gadgad anno quadrageſimo, quod loco ſuo exponam. Cur autem Scriptura hujus ſectionis meminit in hoc loco, cùm tamen conveniens fuerit, ut poſt verba:* Et Midianitæ vendiderunt ipſum; *ſequeretur paraſcha.* At Joſeph deportatus eſt in Ægyptum; *nempe ut pateret diſcrimen inter Joſephum & Judam, quàmque ille ſe innoxiè geſſerit in negotio heri ſui, ſecus ac Judas cum Thamare.* Abenezram laudat & ſequitur Doctiſſimus Uſſerius Chronol.S. pag. 169. Sequuntur eandem ſententiam etiam alii, Junius, Mercerus, Paræus, Jacobus Capellus. Cœterùm frigidè Abenezra ſolvit argumenta principio à nobis poſita. præterquam quod ratio ſolidiſſima inde petita, quòd tempore, quo Joſephus vendebatur Juda à fratribus necdum ſeceſſe-

 rit,

Digitized by Google

rit, ne quidem attingatur. Quid enim referebat hiſtoriam Judæ loco non ſuo inſeri, eum duntaxat in finem, ut diverſum Joſephi & Judæ ingenium innoteſceret? Sanè ea ingenii diverſitas ſatis intelligi poterat, etiamſi ſuo loco, hoc eſt, ut illi volunt, ſtatim poſt Jacobi in Canaan reditum, Judæ hiſtoriam contexuiſſet Moſes. Accedit, quòd ſi vel maximè integro ſeptennio, uti putat Paræus ante venditionem Joſephi contigiſſet Judæ matrimonium, vix tamen juſta temporum iniri ratio poſſit, quod intervallum inter conjugium Judæ & nativitatem Shelæ, nec non duabus generationibus ſufficiat. Nam quod Mercerus regerit, mirum non eſſe, ſi aliquando reperiantur tam præcoces ad generandum, cùm teſtetur Scaliger, ſuâ memoriâ accidiſſe in civitate Lacturatenſi Novempopulana, ut puer minor annis duodecim genuerit ex puella conſobrinâ ſuâ, quæ decimum annum nondum expleverat, minimè ſatisfacit. Neque enim ſequitur, id quod extraordinarium & rarum eſt, olim ordinarium fuiſſe & præciſum tamdiu & in tot perſonis. Aſſentior igitur iis, qui negant, hîc perturbatum eſſe hiſtoriæ ordinem, aſſerúntque, conjugium illud Judæ poſt venditum Joſephum accidiſſe, ipſo nimirum venditionis Joſephi anno. Quoad Eſronem verò & Hamul, eos natos putamus non in terra Canaan, ſed in Ægypto, poſt μετοικεσίαν nempe Jacobi. Quod ipſum etiam dicendum de tot filiis Benjaminis Geneſ. XLVI. 21. ubi numerantur decem ſive filii, ſive nepotes Benjaminis; cùm tamen Benjamin eo, quo in Ægyptum deſcendit, tempore viceſimum & tertium annum vix dum attigerit. Itaque cum Auguſtino aliisque per ingreſſum Jacobi in Ægyptum intelligere oportet totum illud tempus, quo Jacobus vixit in Ægypto ſeptendecim nempe annorum, uti ſuo loco oſtenſuri ſumus.

XIV. Porrò Juda eo tempore dicitur deſcendiſſe è fratribus ſuis וירד מאת אחיו *Et deſcendit à fratribus ſuis* verſ. 1. Satis conſtat, eo tempore quo venditus eſt Joſephus & Juda à fratribus ſeceſſit, Jacobum cum familia ſua habitâſſe in Mamre civitate Arbah, quæ eſt Hebron, adeóque in terra peregrinationum patris ſui Iſaci, ùti liquet ex Geneſ. XXXV. 27. & XXXVII. 1. Quò verò deſcenderit non æquè conſtat. Abarbanel putat, deſcenſum illum non fuiſſe מקומית ממקום עליון אל מקום התחתון אלא עזיבת חברתם בעניני הצאן ונתחבר עם איש עדולמי ושמו חירה מפני שחברתו עמו היתה ירידה מעלה בערך החברה שהיה לו עם אחיו *Deſcenſum localem ex loco ſuperiori in inferiorem, ſed relictionem ſocietatis fratrum in negotiis gregis & conſociationem cum viro Adullamita, cui nomen erat Hirah. Ita videlicet ſodalitium Judæ cum eo fuit deſcenſus ab excellentia reſpectu conſortii cum fratribus.* Argumentum affert, quod ſemper Judas familiæ paternæ hæſerit, & tempore famis

unâ

Digitized by Google

unâ cum fratribus in Ægyptum conceſſerit comparandi frumenti gratiâ. Cœterùm verum indigitari deſcenſum & ſeceſſum à fratribus vix dubitari poteſt: inprimis cùm Adullamites ille apud cujus civem nomine Hirah divertit Juda, poſtea nomen dederit oppido inter Eleutheropolin & Bethlehem, cujus mentio eſt Joſ. XII. & XV. necnon in hiſtoria Davidis, I. Sam. XXII. & XXIII. & Mich. cap. I. *Uſque hodie*, inquit Hieronymus, *vicus parvus eſt ad orientem Eleutheropoleos.* Nec obſtat, quòd poſtea cum fratribus in Ægyptum conceſſit. Fieri enim potuit ut poſtliminiò ad paternam familiam rediret, vel certè communionem nonnullam cum ea haberet.

XV. Uxor quam duxit Juda apud Adullamitem fuit בת איש כנעני ושמו שוע *filia viri Cananæi nomine Sua.* verſ. 2. ubi כנעני Thargum Onkeloſi interpretatur גבר תגרא *Virum mercatorem*, quem ſequuntur Hebræorum non pauci eò lubentiùs, ne fateri cogantur, majores ſuos ex Cananæis originem duxiſſe. Sed candidior Abenezra inquit: ויתכן להיות כמשמעו *quadrat ut ſimplici ſenſu ea vox accipiatur*, notione nimirum Cananæi. Neque obſtat Meſſiæ dignitati, quòd originem ducat inter alios ex muliere gentili. Multa enim, quæ hic leguntur, alioquin non ſatis pura, & in quibus reſpectu hominum admixtæ fœces fuerunt, ſalutis noſtræ myſteriis inſerviunt, ut agnoſcamus, Chriſtum datum eſſe Salvatorem omnibus populis, & in ipſo neque circumciſionem, neque præputium, neque barbarum neque Scytham, nec Judæum nec Græcum à beneficio redemptionis excludi. Interim excuſari non poteſt Juda, tum quòd ſeceſſu ſuo à fratribus malè conſulto ſe periculo expoſuerit, tum quòd parentibus nec ſcientibus nec volentibus uxorem duxerit, tum denique quod duxerit gentilem. Præcipitâſſe ipſum totum hoc negotium ſatis indicat Moſes paucis ſed efficacibus verbis: ירד, ירא, יקח, יבא אליה *deſcendit, vidit, accepit, ad ipſam ingreſſus eſt* verſ. 1, 2. Qua in re videtur omnino oculorum ſuorum ſecutus conſilium exarſiſſe in Cananæam, nulla habita ratione religionis, fœderis divini, vel officii erga parentes. Ipſius porro uxoris hujus nomen non exprimitur, niſi quòd verſ. 12. vocatur בת שוע *Bath-Suah* ſeu filia Suah viri illius Cananæi. Notat autem שוע uti Abarbanel obſervat נדיב לב *liberalem corde* additque ואולי שלזה בחר יהודה להתחתן עמו שנתן לו נכסים הרבה *& fortaſſe, quia talis is erat Judas, eum elegit, quocum affinitatem contraheret, quia ei amplas facultates donaret.*

XVI. Ex BathSuah tres filios ſuſtulit Judas, nimirum ער *Er*, אונן *Onanem* & שלה *Schelam* verſ. 3, 4, 5. Et *Erem* quidem appellatum monet Abarbanel, quia intentio fuerit Judæ שיהיה ער ומהיר ומשתדל במעשיו לא כבד ונרדם כלשון עורה גבורתך אבל רוח הקודש הביאו לקרא כן לפי שהיה עירי נבר לא יצלח

צלח בכ̇יו: *ut eſſet vigilans, induſtrius & diligens in operibus ſuis, non tardus & ſomnolentus ex ſignificatione Pſal.* LXXX. 3. *Excita robur tuum. Sed Spiritus S. duxit eum, ut ipſum ita vocaret quia fuit* ערירי *ſterilis homo, non fortunatus in diebus ſuis.* Onanem verò à matre ita nuncupatum מלשון און *notione potentiæ.* Sed Spiritum S. intendiſſe, ut vocaretur nomen ejus Onan, כי נפשו עליו היתאונן והתאבל *quia anima ipſius affligetur & luctu afficietur.* Denique tertium filium שלה *Schelah* vocatum eſſe ab eadem matre מלשון שלום *notione pacis*, ſed Spiritum S. dixiſſe שלה וכזב יהיה עכינו שעליו יכזב יהודה את תמר באמרו שבי אלמנה בית אביך עד יגדל שלה נזכר בזה הבן שם המקום: *errabundum & mendax futurum negotium ejus, quia cum eo decepit Juda Thamarem, cum dixit: Sede vidua in domo patris tui uſque dum adolevit Schela.* Et ideo commemoratur in hoc filio nomen loci. Ita quidem hæc nomina non malè interpretatur Abarbanel. Sed addit, vetuſtiores Rabbinos paulò aliter explicare וח״זל דרשו שמותם בענין אחר ער שהוער מן העולם אונן שהביא אנינות לעולם שלה פסקה: *Et ſapientes noſtri explicant nomina eorum modo alio, Herem nempe dictum quia* הוער *ablatus è mundo, Onanem quia introduxit* אנינות *Lamentationes in mundum, Schelam denique dictum tanquam ceſſationem.* Sed relicta hac filiorum ὀνοματεσία inquirendum, quid ſibi velint verba illa verſ. 5. והיה בכזיב בלדתה אותו: *Et erat* (Juda) בכזיב *in Chezib, cùm peperit ipſa eum*, Schelam? Quæ verba Vulgatus ita tranſtulit, *Quo* (Schelah) *nato parere ceſſavit.* Eodem modo Syrus ופסקת הות כד ילדתה *& ceſſavit parere, cùm genuiſſet eum.* Quia nempe כזב *non tantùm mentiendi* ſed etiam *negandi & deficiendi* notionem habet, idcirco interpretes illi expreſſerunt per *ceſſavit.* Ita etiam Aquila, *Et factum eſt ut mentiretur in partu, poſtquam genuit eum.* Ita Eſai. LVIII. 11. Sicut ſcaturigo aquarum cujus aquæ לא יכזבו *non mentientur*, hoc eſt, non deficient. Senſus ſanè commodus foret, ſi conſtructio ipſa eum admitteret. Sed repugnat verbum והיה quod cùm maſculinum ſit, ad Judam ſanè, non uxorem ejus referendum fuerit. Neque etiam hæc phraſis והיה בכזיב exponi poteſt: *& factum eſt in mentiendo*, vel *cùm mentiretur*, quia כזיב infinitivi formam non habet. Rectius igitur reliqui interpretes accipiunt pro nomine loci. Ita Græci: ἦν ἐν Χασβὶ, ἡνίκα ἔτεκεν αὐτούς. *Erat in Chasbi, quando peperit eos*, ubi tamen perperam ſingularem numerum in pluralem convertunt. Thargum Onkeloſi והיה בכזיב *Et erat in Ceſib*, Arabs וכאן יהודה פי כזיב *Et erat Jehuda in Cazib.* Eſſe autem כזיב urbem Palæſtinæ, notârunt Paulus Fagius & Vatablus, eandémque cum אכזיב *Aczib* Joſuæ facit Mercerus in notis ad Theſaurum Pagnini. Pro nomine loci exponunt etiam Hebræi, Abenezra, R. Levi, Hiſcuni, Jarchius, alii.

XVII. De-

XVII. Deinceps filiorum horum conjugium cum Thamare & fata exponit Moſes. Dicitur enim Juda Eri primogenito accepiſſe uxorem ושמה תמר *Cujus nomen erat Thamar* verſ. 6. Ex qua gente fuerit, non exponit Moſes. Probabile tamen eſt, Cananæam fuiſſe. Quòd verò Melchiſedeci filiam faciunt Hebræi nonnulli, frivolum eſt. Uti & illa incerta ſunt, quæ de Thamare refert Philo libro de *Nobilitate*. Cum uxore hac non diu vixiſſe Erem apparet. Dicit enim Moſes: *Fuítque Er primogenitus Judæ* רע בעיני יהוה וימתהו יהוה: *malus in oculis Jehovæ, & interfecit eum*. verſ. 7. Malitiam ejus in eo conſtitiſſe ait ex mente Hebræorum Abarbanel, quòd abegerit à Thamare fructum ventris, ne pariendo amitteret famæ ſuæ decus. Fuiſſe porro ſcelus illud ſupplicio mortis digniſſimum, eò quòd Deus voluerit ſemen Jacobi creſcere & multiplicari ſupra terram. Nam etiam ex judicio filiorum Noachi mortis reatum incurrere voluit המבטל פריה ורביה שהרי הם מצווים על פריה ורביה *eum qui ceßare facit fructificationem & multiplicationem, quia præceptum de fructificatione & multiplicatione acceperint*. Cœterùm conjectura hæc, non res eſt. Quomodo etiam id, quòd Jarchius flagitium Eris fuiſſe idem cum flagitio Onanis aſſerit, fundamento nititur nullo. Sufficit inſigniter ſceleratum fuiſſe Erem, quem non ſimpliciter malum vocat Moſes, ſed malum in *oculis Domini*, hoc eſt, inſigniter nequam. Ea enim vis eſt locutionis, qua uſus eſt etiam Moſes de Sodomitis Geneſ. XIII. 13. Proinde non ad unum ſcelus hancce malitiam reſtringendam putamus, ſed ad multa complicata. Quòd verò Deus eum interfeciſſe dicitur, pertinet ad extraordinarium ejus judicium, quod θεήλατον, adeóque immediatè à Deo adminiſtratum videtur.

XVIII. Occiſo divinitus Ere Judas præcepit filio ſecundo Onani: בא אל אשת אחיך ויבם אתה והקם זרע לאחיך *Ingredere ad uxorem fratris tui, & affinitatem contrahe cum eâ, & ſuſcita ſemen fratri tuo* verſ. 8. De jure hoc יבם ſeu *levirationis* tum Patriarchis, uti vel hoc exemplo liquet, uſurpato, tum per legem Moſis firmato egimus tomo I. Exercit. I. Sect. 16. ubi ipſum etiam Onanis exemplum diſceptavimus. Addam nunc Viri Doctiſſimi Franciſci Junii de eo Judæ filii ſecundi, primogeniti uxorem, deſpondentis facto, verba efficaciſſima: *Hic vero*, inquit, *quæſtio incidit, unde Juda illud hauſerit de filii defuncti conjuge filio alteri elocanda, & quo jure fecerit? Nam hanc legem videtur primùm tuliſſe Dominus in libro Deuteronomii. Reſpondeo: Quam legem Deus in Deuteronomio ſancivit de uxore fratris defuncti poſteriori fratri elocanda, ea lex tum primùm de ſcripto tradita eſt; ſed jam ante divina quadam revelatione apud populum obtinebat. Quapropter lex illa Deuteronomii non recens inſtitutio eſt, ſed antiqua obſervationis confirmatio & obſignatio. Hujus autem obſerva-*

Digitized by Google

obſervationis author idem qui confirmator ducendus eſt. Cauſa verò illius inſtituendæ fuit benedictionis divinæ in familiam continuatio, ſecundum quam benedictionem ad primogenitos quoque prærogativæ duæ pertinebant, una Sacerdotii, ad cultum Domini, altera verò potentiæ ad benedictionem terrenam pertinentis. Nam primogeniti & Sacerdotes erant in familia univerſa, & hæredes duplicarii. Atque hæc res quidem ceremonialis fuit, qua inde à conditu orbis dignitas Chriſti, qui primogenitus eſt inter multos fratres fuit adumbrata. Sed quemadmodum benedictionis illius ratio ceremonialis fuit, ita etiam continuatio illius; ſecundum quam factum eſt primùm, ut primogenitus ex primogenito primogenita obtineret: deinde ut extincto ſine liberis primogenito & ſine uxore, ſecundus filius divinitus in locum primogeniti adrogatus fuiſſe videretur: poſtremò ut ſi quis primogenitus ſine liberis occideret, ſed relicta uxore, hanc eandem uxorem ſequens frater unà cum benedictione à primogenito defuncto transfuſè ſibi aſſumeret. Atque hæc res alioqui non fuit licita ex lege, ſed excepta ſolùm hujus benedictionis cauſa. Hactenus ille.

XIX. Cœterùm Onan perverſè ſecum reputans, ſemen quod is excitare juſſus erat, non ſuum ſed fratris futurum eſſe, malignitatis & invidentiæ æſtro percitus, quotiescunque ad Thamarem ingrederetur שחת ארצה לבלתי נתן זרע לאחיו *Corrumpebat*(ſemen) *ſuper terram ne poneret ſemen fratri ſuo* verſ. 9. Quod ſcelus non uno modo graviſſimum, & cum maxima inobedientia primogenituræ ejusque bonorum inprimis ſpiritualium contemptu, abuſu ſeminis nefario, & attentata fœtus in ipſo semine cœde conjunctum, Deus præſenti ultione vindicatum ivit. Nam וימת גם אתו *interfecit etiam ipſum*, ſimili nempe pœna θεηλάτῳ in ipſum animadvertens, qua antea in fratrem animadverterat. Utroque hoc terribili Dei judicio cohibitus Judas, Thamarem juſſit manere viduam in domo patris ſui, donec adoleſceret Schelah. Dixerat enim: פן ימות גם הוא כאחיו *ne forte moriatur etiam ipſe ſicut fratres ejus.* Certum eſt equidem Judam Schelam tertium filium ſuum ſpopondiſſe Thamari. Proinde etiam poſtmodum comperto gravidam eam eſſe, in eam tanquam adulteram ſententiam fert ſatis gravem. Cur igitur jubet viduam ex ſuis ædibus concedere ad familiam paternam? Reſpondent nonnulli, Schelam minorennem fuiſſe, neque ſatis admodum matrimonio idoneum. Timuiſſe igitur Judam, ne ſi ei juveni adhuc jungeret Thamarem, ſicut Erem & Onanem antehac juvenes nimium ei junxerit, idem eveniret ei, quod fratribus evenerat. Atque eum in ſenſum trahunt verba illa: *ne forte moriatur etiam ipſe, ſicut fratres ejus.* Abarbanel ita commentatur ad ea Judæ verba. ר"ל אם תשבי בביתי לא אוכל לשמר את הנער שלה מִמֵּךְ ושכב אותך בנערותו ואולי יבא למות גם הוא כאחיו שהיו נערים כשלקחוה פחות מי"ב שנים על כן שבי אלמנה בית אביך

אביך ותפרדי ממנו בעוד שהוא נער עד יגדל שלה בני לא שיהיה בן יב׳ שנים ויום אחד רק שיגדל ויבא בימים ויקנה דעת ויראת שמו׳ לבלתי יחטא וזה כי אמר פן ימות גם היא ר״ל אם יזדווג לה בנערותו כאשר עשו אחיו : *vult dicere: Si habitaveris in domo mea, non potero puerum à te cuſtodire, & cubâret ſic tecum in juventute tua, & fortaſſis etiam moreretur ſicut fratres ejus, qui fuerunt pueri, cùm duxerunt eam, minùs quam duodecim annorum. Proinde conſide vidua in domo patris tui, & ſepara te ab eo, dum adhuc eſt puer, uſque dum adoleſcat, & major ſit duodecim annis, accipiatque ſcientiam & timorem Domini, ne pereat etiam ipſe. Vult dicere, ſi matrimonio jungeretur in pueritia ſua, uti fecerunt fratres ejus.* Sanè ſi nihil aliud cogitâſſet Judas, non magnopere reprehendi mereretur. Verùm quia poſtea in ſeipſum fert ſententiam, & Thamarem juſtiorem pronuntiat, quia non tradiderat eam Schelæ filio ſuo, agnoſcitque factam ei eſſe injuriam, ſatis colligitur, eum tempus ultra ætatem neceſſariam produxiſſe, & Thamarem paternæ familiæ reſtitutam neglexiſſe. Probabile igitur eſt, eum verbis iſtis, quibus Thamarem ſecedere juſſit in familiam paternam, donec adoleſceret Schela, ipſam vanâ ſpe lactare & deludere; adeóque diem ex die nectere voluiſſe, eò quòd ſuſpectam eam haberet, quòd occaſionem priorem immaturæ morti dediſſet: Itaque verba illa: *Dixit enim, ne forte moriatur etiam ipſe, ſicut fratres ejus*, ita interpretor, ut ea non dixerit ipſi Thamari, ſed apud ſe tacitè cogitaverit & meditatus fuerit. Rectè igitur Pellicanus: *Spondet quidem Selam Judas ſuum filium, ſed propoſuit non dare, arbitratus eam malè ominatam fœminam: Sicut & de Sara legimus uxore junioris Tobiæ, cùm non ſuâ culpâ mors contigiſſet filiis Judæ, ſed ipſorum malitia, qui indigni erant ſacro ſemine quod Deus deſtinaverat ex Thamar, nobili palma, mundo.*

XX. Thamare paternam in domum digreſſâ, fato defuncta eſt uxor Judæ Bathſuah. Finitis ſolemnis luctus diebus Judas comite Hira Adullamite ad tondendas oves aſcendit תמנתה *in Thimnath.* Pro הירה רעהו vulgatus habet *Hira opilio gregis*, ſecutus haud dubiè Græcos, qui reddiderunt *Εἰρὰς ὁ ποιμὴν Iras paſtor ejus.* Sed Græcos taxat Hieronymus: *Non paſtor, inquit, aut opilio vertendum erat, ſed amicus.* Legerunt nempe Græci רֹעִי à רֹעֶה quod paſtorem notat. Sed rectiùs Interpretes reliqui, Chaldæus, Syrus & Arabs *amicum* transferunt. Thimnath verò illa, ad quam aſcendit Judas, fuerítne eadem cum illa Samſonis, quæ fuit Philiſtæorum oppidum Jud. XV. ambigunt docti. Eandem faciunt urbem Philo Judæus, Adrichomius, Serarius, alii. Diverſam Delrio & Abulenſis. Priori ſententiæ accedimus. Cui non obſtat, quod hæc Thimnath videatur collocari in tribu Juda juxta Adullam, illa verò Samſonis fuerit Philiſtæorum,

Digitized by Google

vel fortè Danitarum, à Philiſtæis occupata. Poteſt enim diverſo reſpectu deputari tribui Danis & Judæ, quia in utriusque confinio; necnon Philiſtæis, quia ab iis poſſeſſa vel recuperata. Thamar porro poſtquam renuntiatum eſſet, Judam ſocerum aſcendiſſe in Thimnath ad tondendum oves, illa quòd vidiſſet creviſſe Schelam, nec tamen ab eo ſe duci in matrimonium, fraudem ſoceri eluſura fraude, quò faciliùs eum deciperet, publicum ſe proſtibulum ſimulat. Nam תסר בגדי אלמנותה מעליה ותכס בצעיף ותתעלף ותשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה *poſitis à ſe viduitatis ſuæ veſtibus operuit ſe velamine, celavítque ſe & manſit in oſtio Enaim, quod erat juxta viam quâ itur in Thimnath.* verſ. 14. De צעיף diximus aliâs. Theriſtrum erat ſeu peplum, uſitatum iis temporibus. Scholiaſtes reddit σπαθαρίσκον *ſpathariſcum*. Sed vocem corruptam eſſe, nullus ambigo. *Spathalion* muliebre ornamentum notat, quod brachio inſerebatur loco armillæ. Spathariſcum verò nihil ſignificat. Theriſtro ſeu velo ejusmodi non ſponſas duntaxat, ſed etiam meretrices circa ea tempora uſas eſſe hinc colligitur. Ex eo enim meretricem eſſe Thamarem Judas divinaverat. Diverſi tamen generis fuiſſe peplum, quo utebantur ſponſæ, & quo meretrices, veriſimile eſt. Meretricum hæc pepla προσωπεῖα vocat Chryſippus, quæ antiquitus meretricibus publicis in uſu fuiſſe ſcribit, uti poſtea videbimus. Quòd verò conſediſſe dicitur Thamar בפתח עינים *ad oſtium Enaim*, id ipſum quoque non omnino expeditum eſt. Græci interpretes vertunt *πύλας Αἰνὰν, portas Enan*. Thargum Onkeloſi reddit בפרשות עינין *in bivio itineris*, uti reddit Fagius. Eodem modo Vulgatus, & Syrus. Ita etiam Jarchius בפרשת דרכים *in diviſione viarum, ſive in bivio.* Quia nempe עינים oculos notare poteſt, idcirco bivium hi reddiderunt; eò quòd in bivio oculi ſoleant huc illuc flecti. Abenezra putat, locum fuiſſe denominatum à duobus עינים *fontibus* qui ibi fuerint. Placet tamen magis notio publici compiti & bivii. Ad verbum ſonat *in oſtio viarum*, hoc eſt in loco propatulo, ad quam intenti viatorum oculi. Hieronymus: *Sermo Hebraicus Enaim transfertur in oculos. Non eſt igitur nomen loci, ſed eſt ſenſus: ſedit in bivio ſeu in compito, ubi diligentiùs debet viator inſpicere, quod iter gradiendi capiat.* Tigurini utrumque conjungunt: *Conſedit ad bivium in propatulo, quâ itur Thimnath.* Arabs וחלסת פי מנטרת: *& ſedit in loco perſpicuo ſecus viam Thimnath.* Ita nempe extra urbes in compitis ſolitas ſe habere victimas publicæ libidinis & Hebræi notant, & Chryſippus in Iſagoge bonorum & malorum in hæc verba: Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις. Εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις ἔξω ἦσαν αὐτῶν. *Primò quidem extra urbem larvis*

Digitized by Google

larvis velatæ ſe proſtituebant amaſiæ quibuslibet. Poſtea verò larvis neglectis & ſepoſitis extra urbes erant, quibus per leges integrum non erat eas ingredi. Et conſuetudinem meretricum, loca ejusmodi, in quibus concurſus fit hominum, eligentium, graphicè depingit Salomon, Proverb. IX, 16, 17. &c.

XXI. Thamarem in hoc habitu conſpicatus Judas ויחשבה לזונה כי כסתה פניה: *reputavit eam meretricem eſſe, quia faciem ſuam operuerat.* verſ. 15. Abarbanel putat, Thamarem peplo ſe velâſſe, ut tanquam vidua agnoſceretur à Juda, & ab eodem deducta ad gregem, opportunitatem nanciſceretur cum eo conferendi de matrimonio cum Schelah tandem ineundo, ſed rem aliter, quàm illa propoſuerat, cecidiſſe. Verùm meretricium fuiſſe habitum Thamaris, & technam ab eadem inſtructam, ut in caſſes ſuos induceret ſocerum ſibi hactenus iniquum, textus perſpicuè oſtendit. Dicitur enim de Thamare verſ. 14. ותתעלף *& texit*, celavit ſe, ne videlicet ab eo agnoſceretur. Cúmque pro meretrice reputaretur à Juda, quis dubitat, eam exuto velo ſe prodituram Judæ, & à propoſito peſſimo ipſum abſterrituram fuiſſe? Omnino igitur meditata hæc fraus erat mulieris, fallaciam ſocero machinantis. Quæ quidem ex animi ejus ſententia ſucceſſerat. Judas enim ſtatim atque mulierem illam in bivio contemplatus eſt, ratus quod erat, meretricem eam eſſe, propiùs ad eam acceſſit, & ſtuprum licitatus, tum pretium ab ipſamet expetitum, hœdum nempe, promiſit, tum arrhabonem ei tradidit, nempe triplex חותם *ſigillum*, פתיל *armillam*, uti habet vulgatus, & מטה *Scipionem* ſeu baculum ſuum verſ. 16, 17, 18. Quid חתם & מטה hic ſonent, planum eſt. Sed de פתיל non idem omnium ſenſus. Vulgatus, uti diximus jam, *armillam* tranſtulit. Græci ὁρμίσκον *parvum monile*. Thargum Onkeloſi & Syrus שושיף quam vocem alii vertunt *pallium*, alii *veſtem*, alii *ſudarium*. Arabs סראכה *floccum*. Cydarim fuiſſe alii exiſtimant, ornamentum capitis, quo utebantur, ut nos hodie pileo, ut etiamnum Turcæ intortis linteis caput obnubilant. Verùm ejusmodi Cydarim jam tum in uſu fuiſſe, non conſtat. Tum nec probabile eſt voluiſſe Judam nudo capite ad ſuos redire. Quicquid ſit, id certum eſt, vocem eam deſcendere à פתל quod *tortum* aut *diſtortum* eſſe ſignificat, uti apparet ex Exod. XXXIX. 3. Jud. XVI. 9. Ezech. XI. 5. Fuiſſe igitur aliquid ad modum fili contortum videtur, quale quid eſt Sudarium, quo faciei ſudor abſtergi ſolet. Tradito hoc arrhabone ויבא אליה ותהר *ingreſſus eſt ad eam, & ex eo concepit.*

XXII. De hoc Judæ & Thamaris facto quid judicandum ſit, paucis nunc exquirimus. Et Judam quod attinet, non deſunt, qui eum ab omni culpa liberare imò etiam laudibus extollere ſuſtineant. Inter Hebræos

Abarbanel ita de eo ſentit: ואמנם יהודה לא נאסר עליו המעשה ההוא לפי שבני נוח הותרה להם המופקרת ולמות אישתו היה צריך מפאת טבעו לעשות כן וכבר זכר הרב המורה כמו היה מעשה יהודה כפי מנהג בני נוח הגון ונאות כפי המעלה: *Et revera Judæ non erat prohibitum id facere, quia Noachis liberum erat cum ſoluta rem habere. Cúmque mortua fuerit ejus uxor, ipſa ejus natura neceſſitatem hoc faciendi ei impoſuit. Et jam expoſuit Rabh Morah, quomodo factum Judæ juxta conſuetudinem Noachidarum fuerit honeſtum & pulchrum per excellentiam.* Eadem eſt ſententia Maimonidis *More Nevoch*: parte 3. cujus locum affert Seldenus de I. N. & G. Hebræorum lib. VII. 5. Sed & Thamarem idcirco Abarbanel crimine abſolvit, eo quod unica ejus intentio fuerit ſuſcitare ſemen fratri. Cùm igitur Schelah hoc noluerit, pater verò in ea familia proximus fuerit, & defuncta uxore integrum ei fuerit quamlibet ducere, nullius omnino criminis eam peragi ream poſſe contendit. Verba ejus ſunt: הנה אם כן לתכלית חיבום ולשם שמים נתכוונה בפועל הזה והדברים שיכוונו עושיהם לעשות לשם שמים אף שיהיו מגונים כפי דפרסים יקראו משובחים ויש עליהם שכר רב מכנו יתברך לכן שובח מעשה תמר זה ומעשה רות עם בועז כפי הכוונה הטובה שנעשו: *Ecce ſi eum in finem id fecit Thamar, ut ſatisfaceret legi Leviratus, & ad gloriam Dei intentio operis directa fuit, non malè fecerit. Ea enim, in quibus facientes intendunt Dei gloriam, etſi fruſtra fiant, laudem tamen habent, & mercedem amplam apud Deum. Quare laudabile fuerit opus Thamaris & actio Ruthæ cum Boazo juxta intentionem bonam, quâ hæc facta ſunt.* Chryſoſtomus & Judam & Thamarem excuſat eo argumento, quòd diſpenſationi Dei utrique inſervierint. Verba ejus ſunt homil. 62. in Geneſin: Ἀλλὰ μηδεὶς ταῦτα ἀκούων καταγινωσκέτω τὴν Θαμάρ. ὡς γὰρ ἔφθην εἰπὼν οἰκονομίᾳ ὑπηρετεῖτο, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε αὐτὴ μέμψιν τινὰ ὑπέμεινεν οὔτε ὁ Ἰούδας ἐγκλήμασιν ὑπεύθυνος γέγονε. Καὶ γὰρ ἐντεῦθεν ὁδῷ προβαίνων εὑρήσεις ἐκ τῶν παίδων τῶν τούτῳ τεχθέντων τὸν Χριστὸν κατάγοντα τὸ γένος. Ἄλλως δὲ καὶ τὰ δύο παιδία κατ' αὐτὸν τικτόμενα τῶν δύο λαῶν ἦν τόπος, καὶ προαναφώνησις τῆς πολιτείας τῆς Ἰουδαικῆς καὶ τῆς πνευματικῆς. *Nullus hæc audiens condemnet Thamarem. Nam ut dixi diſpenſationi miniſtravit, & propterea neque ullam inde reprehenſionem meretur, neque Judas criminibus fuit obnoxius. Ecce enim hac via procedens invenies ex pueris Judæ natis Chriſtum ſecundum carnem ducere genus. Propterea duo iſti filii per eum nati duorum populorum figura fuerunt & prædictio quædam vitæ Judaicæ & ſpiritualis.* Alibi tamen ſecum ipſe pugnat, uti oſtendit Sixtus Senenſis Biblioth. S. Annot. 114. Utriusque factum laudant etiam Ambroſius lib. 3. Comment. in Lucam, & Theodoretus quæſt. 94. in Geneſin. Verùm prætextus illi quos obducunt tum Hebræi tum Chriſtiani, parùm idonei ſunt purgando vel Judæ vel Thamari. Nam ut de jure prætenſo Noachidarum,

darum, quo ſtatuitur licitum eſſe ſolutis concubitum, dicam pauca, illud injuſtum eſt, & tum Divino tum Naturali Juri quod non alium concubitum, quàm legitimo matrimonio ſancitum permittit, validè repugnans. Neque etiam intentio Thamaris bona ad honeſtatem actionis ſufficere poterat, cùm mala facienda non ſint, ut eveniant bona. Chryſoſtomi porro rationibus adductis occurrit S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, ubi docet, non omnia hominum facta eſſe à nobis comprobanda, ex quibus bona quædam juxta divinæ providentiæ diſpenſationem aut ſequuntur aut ſignificantur. *Nam Divina providentia*, inquit, *ubique bonitatem ſuam ſervans, & tam de malis, quàm de bonis hominum operibus bonum educens, de libidine Judæ, qui ad Thamar concupiſcentia victus intravit, boni aliquid non ſolùm efficere, ſed etiam aliqua futura bona propheticè ſignificare voluit. Ad ſignificanda enim aliqua bona nihil intereſt facta illa, quibus ea ſignificantur, ſeu bona, ſeu mala ſint.* Aloyſius Epiſcopus Veronenſis in Catena Explicationum in Geneſin: *Non eſt excuſandus Judas à peccato fornicationis nec ut ſoluti cum ſoluta, approbanda eſt fornicatio. Peccavit enim multipliciter & in aliis mendacio proditione & odio.* Et ſanè nec Judas à peccato fornicationis & fraudis excuſari poteſt: nec Thamar à flagitio inceſtus & nefariæ fraudis. Judæ quidem peccatum etiam inceſtus materialiter fuit, non tamen verè & propriè dictum, quia in actum illum non conſenſiſſet, ſi non fuiſſet error in perſona. Intendebat tamen fornicationem, quam naturalis lex tum temporis etiam prohibuit. Nec ignoravit Judas non eſſe eam turpem & pudibundam, qui maluit arrhas ſuas amittere, quàm inquirere in ſcortum ulterius, poſtquam Thamar ſe ſubduxiſſet & priſtinum habitum reſumpſiſſet, ne ſi factum ejus emanaret, famæ ſuæ detrimentum aliquod pateretur. Dicit enim; *Accipiat ſibi ne forte ſimus in contemptum* verſ. 23. Agnovit igitur, facinus ſe patrâſſe quod contemptibilem ipſum redderet apud homines, & quantò magis apud Deum? Præterea non pio caſtóque deſiderio prolis, ſed libidine incitante cum Thamare rem habuit. Thamar verò, etſi ex deſiderio potiùs prolis & injuriæ propulſandæ propoſito, quàm libidinis æſtu Judam pellexit, conſenſit tamen in verum inceſtum, quia noverat ſocerum eſſe, cui ſtruebat inſidias.

XXIII. Judas poſtea præſtiturus promiſſa miſit hœdum per manum amici Adullamitæ, pignora ſua repetiturus. Verùm callidè ſubduxerat ſe jam Thamar, ut pignora retinere, & Judam facti convincere poſſet. Patet hinc, Judam Thamari mercedem promiſſam tanquam debitam perſolvendam putâſſe, adeóque aliquando promiſſionem factam ob cauſam naturaliter vitioſam ipſâ naturâ valere. Hìc ipſam promiſſionem vitioſam

Digitized by Google

fuiſſe ſatis apparet. In hoc enim adhibebatur, ut Thamar conſentiret ad malum facinus. Sed non quicquid vitioſè fit, effectu juris caret, ut in prodigâ donatione apparet. Hoc intereſt, quod donatione facta jam ceſſit vitioſitas, quia ſine vitio res relinquitur apud donatarium. At in promiſſis ob cauſam vitioſam manet vitium, quamdiu crimen perpetratum non eſt. Tamdiu enim impletio ipſa promiſſi, velut mali illex in ſe labem habet, quæ peracto crimine ceſſat. Proinde uſque ad tempus præſtitæ promiſſionis ipſius promiſſionis efficacia pendet; at crimine perpetrato obligationis vis ſeſe exerit, quæ ab initio non intrinſecus quidem defuit, ſed ab accedente vitio impedita fuit. Atque id naturalis æquitas Judæ dictaverat.

XXIV. Sequitur nunc eventus inceſti illius Judæ cum Thamare concubitus. Et primò quidem Thamaris inceſtum adulterium ex graviditate in vulgus emanaverat. Deinde id ipſum renunciatum erat Judæ, qui præcipitatâ ſententiâ ipſi vivicomburii ſupplicium decernit. Dicit enim v. 24. הוציאוה ותשרף *Educite eam & comburatur.* Quærendum hîc primò: Quâ authoritate pœnam hanc Thamari decernat Judas? Authoritas illa Judæ ſententiam hanc pronuntiantis, potuit eſſe vel ut *Judicis* vel ut *Accuſatoris.* Qui *Judicis* verba eſſe putant, ſic interpretantur. *Educite illam in locum ſupplicii, ut comburatur.* Qui accuſatoris verba eſſe putant, ita interpretantur: *Educite illam in locum Judicii ut quæſtione habita & re comperta comburatur, me irrogante ut Accuſatore, & Judicibus ex lege decernentibus.* Franciſcus Junius priorem interpretationem minimè admitti poſſe exiſtimat. Cùm enim ipſius interfuerit, ut de crimine Thamaræ cognoſceretur, non potuiſſe eundem cujus interfuit, & Judicem & Accuſatorem eſſe. Quin etiamſi filius ipſius Schela Thamarem adulterii inſimulâſſet, non potuiſſe Judam huic judicio præfici, cum juris naturalis ſit, ut in neceſſitudinibus & propinquitatibus ejuſmodi Judicia aliis permittantur. Statuit igitur, illa Judæ verba eſſe accuſatoris interrogantis. Sed obſtat, quòd poſtquam Thamar oblatis ſignis ipſum Judam prodidiſſet & coniciſſet, ſtatim ea liberata & relaxata eſt, ipſe verò Judas nullâ vel leviſſimâ pœnâ affectus fuit, qui tamen ultrò injuſtitiam ſuam faſſus eſt. Si autem ab alio Magiſtratu, cui ipſe ſubditus fuiſſet, lata ſententia fuiſſet, non ſtatim ea retractari potuiſſet, auditâ ingenuâ confeſſione Judæ. Quin potiùs & Judæ pœnam juſtam irrogaſſent judices, & Thamarem cujus peccatum confeſſio Judæ adeò non delevit, ut potiùs reatum ejus aggravaverit, ſupplicio addixiſſent. Taceo, quòd nullius omninò judicis hiſtoria meminerit. Fuit igitur ea ſententia Judæ non *accuſatoris* ſed *judicis.* Sed unde illi poteſtas fuit judicandi

Digitized by Google

candi de vita alterius? Reſpondent Hebræi plerique, eum Magiſtratûs officio functum, & in illo tractu Principem fuiſſe. Verùm id nulla ratione idonéove teſte aſſeritur. Sanè homini peregrino, quamvis affinitati innexo, ſummam poteſtatem non commiſiſſent Cananæi eo tempore, quo nec ipſe, nec parens ejus quicquam quod alicujus momenti eſſet, eâ in terra poſſidebant. Probabilius eſt, delegatam ipſi eſſe judicandi poteſtatem ſive à ſupremo ejus regionis Magiſtratu, ſive ab ipſo Jacobo Patriarcha. Quomodo nonnullis in regionibus mariti poteſtatem delegatam habent plectendi mulieres adulteras. Thamar autem deſponſa Schelæ filio Judæ, ab ipſo Juda pro adultera habita fuit. Neque inde ſequitur Judam accuſatorem ſimul & judicem eadem in cauſa fuiſſe. Satis enim ex textu conſtat, Thamarem aliunde ad Judam delatam, & argumento uteri ingraveſcentis convictam eſſe. Potuit etiam Judas quamvis ſocer & neceſſarius vi poteſtatis ſibi conceſſæ judicium exequi: haud ſecus quàm lege civili Iſraëlitarum defuncti cœdem & ſanguinem proximus in cognatione vindicatum ivit. Hæc ſententia fuit etiam Abarbanelis, loco quem poſtea allegabimus.

XXV. Deinde & hoc dubitationem habet: *Annon æquo crudelior fuerit pœna vivicomburii, cui Thamar adultera à Juda ſocero addicta fuit?* Sanè ſupplicium ignis hîc intelligi à Juda, extra controverſiæ aleam poni debet, quicquid videatur Hebræis quibusdam, qui negant vivicomburium intelligi, aſſeruntque inuſtionem potius frontis indigitari. Ita R. Jehuda hachſid apud Baal Hathurim ad Geneſ. 38. לא דנה אותה יהודה לשריפה אלא ששרפו לה רוש' בין פנים לסימן שהיא לזונה *Non adjudicavit eam Judas vivicomburio, ſed voluit ut inureretur ipſi frons, in ſignum quòd meretrix illa ſit.* Sed textus ſimpliciter habet תשרף *comburatur*, quod aliter quàm de combuſtione totius Thamaræ intelligi nequit. Id certum eſt, ſimplicem capitis pœnam non fuiſſe æquo graviorem futuram, quia Thamar, utpote ſponſa Shelæ, adulterii non fornicationis ream ſe fecerat. Adulterium autem pœna capitis punitum olim eſt lege tum divina, tum variarum gentium. De lege divina conſtat ex Lev. xx. 10. Quid legibus Romanis ſtatutum ſit, Lex Julia teſtatur. Plato lib. ix. de Legibus, pœnam mortis adulteris aſſignat. Sed & gentes barbaræ, velut Americani adulteras occidunt, vel tanquam ſervas vendunt. Graviorem etiam pœnam adulterio decrevit Opilius Macrinus Legislator, ut igne comburerentur, ſanciens. Hebræi plerique ſtatuunt, Thamarem Melchiſedeci filiam fuiſſe, adeóque æquum fuiſſe ut tanquam Sacerdotis filia ignis pœna adulterium lueret, quomodo lex Moſaica Levit. xxi. 9. ſanxit ut Sacerdotis filia fornicaria

combu-

Digitized by Google

comburcretur. Ita R. Meir apud Jarchium בתו של שם היתה שהוא כהן לפיכך דנוה בשריפה : *Filia fuit Semi Sacerdotis. Propterea condemnata fuit ut combureretur.* Ita etiam R. Bechai ad Bereſith fol. 51. col. 3. & Pſeudo Uzielides in Paraphraſi. Sed filiam fuiſſe Melchiſedeci, quem illi Semum fuiſſe contendunt, dilutum nimis eſt. Neque enim vel temporis vel ætatis Thamaræ ratio id permittit, vel argumento ullo qui id effutiunt, nituntur. Neque ſi Sacerdotis filia fuiſſet, lex illa Moſaica diu poſtea lata pertinuit ad illud tempus. Alii ad jus aliquod civile eo tempore receptum referunt, quo ſancitum fuerit להיות כל אשה כנאפת לשרפה *ut fœmina qualibet illiciti coitus rea combureretur.* Abarbanel verò totum id ab arbitrio Judæ ſuſpenſum eſſe putat. והיה הענין בזה שמנהגם בימים ההם כאשר כנהגם אצל קצת העמים שהאשה שתזנה תחת בעלה יהיה יענש בה כרצונו ולמסרוה בידו אם ירצה להמיתה תמות ואם לפטרה תפטר ולכן בהיות תמר זקוקה ליבם היתה כאשת איש לכל דבר ועל זה אמר הוציאוה ותשרף כי אף שלא יהיה נגיד ומצוה לאמים מהיותו יבם היה יכול על זה : *Et fuit res hæc ſecundum conſuetudinem illorum temporum, ſicut mos obtinuit apud populos quosdam, ut mulier quæ ſcortatur poſt maritum ſuum, pœnæ ejus ſubjecta ſit pro lubitu ſuo, eámque tradant in manus ejus. Si voluerint eam interficere, morietur: ſin dimittere eam voluerint, dimittetur. Quare cum Thamar fuerit obligata leviratui, inſtar maritatæ haberi debuit. Proinde Judæ licuit eam punire pro lubitu ſuo. Idcirco dixit: Educite eam, ut comburatur, quia etſi Princeps non fuerit, aut imperium aliquod tenens, potuit tamen hoc ex jure leviratus.* Sanè pro arbitrio ſuo pœnam hanc pronuntiâſſe Judam in nurum ſuam Thamarem non dubito, ſed modum tamen exceſſiſſe, & præcipitâſſe ſententiam ſatis liquet. Nam & inauditam damnavit, poſtquam audiviſſet eam uterum gerere, & fœtus ipſius rationem nullam habuit, quod ab omni humanitate alienum erat. Nam etiam apud gentes moratiores prægnantis mulieris ad ſupplicium damnatæ differebatur pœna, donec partum edidiſſet, ut apud Quintilianum pluribus explicatur in declamatione, cui titulum fecit *Prægnans adultera.* Nec immeritò Dio Caſſius lib. 57. Claudium Imperatorem barbarici nota inuſſit, quòd ne prægnantium quidem mulierum ſupplicio abſtinuerit. Præterea pœnam Judas æquo ſeveriorem dictavit ex ira, & vindictæ cupiditate erga nurum, quam è medio ſublatam, ne filio Schelæ jungi deberet, omnibus modis cupivit. Quæ certè maligna fuit hypocriſis, cùm prætextu Zeli juſtitiæ privatas quas malè reputabat injurias ulciſci, & præconceptam iniquitatem obvelare conatur.

XXVI. Thamar rapta ad ſupplicium miſit ad ſocerum ſigna ſibi tradita, quò illum convinceret manifeſtarétque ex ipſius Judæ ſcortatione & com-

Digitized by Google

compreſſu gravidam ſe factam. Unde Judas ſtatim ingenuè agnitâ culpâ hæc in verba prorupit : צדקה ממני *Juſtior me eſt. Idcirco enim hoc fecit, quod non dederim eam Schelæ filio meo* verſ. 26. Quomodo verò juſtiorem Thamarem reputavit ſeipſo ? Etenim ſi ſimpliciter crimen obſervemus, majus crimen utique eſt, ſi inceſtum ſciens commiſeris, quàm ſi fraude conjugium aliquod diſtuleris. Deinde gravius eſt crimen inceſtus in ſciente, quàm in ignorante. Scivit autem Thamar & affectavit ultro : Judas verò ignoravit. Abarbanel duos modos explicat, quibus Judas Thamarem ſe ipſo juſtiorem pronuntiare potuerit. Prior, quòd Thamar id omne quod fecit, ex ſcientia & timore Dei fecerit. Habuiſſe enim ipſam intentionem ex jure leviratus ſuſcitare ſemen primo marito ſuo Eri. Judam autem cum ea concubuiſſe libidinis ardore incitatum, & inſcium imprudentémque quæ ſit illa quacum rem habuerat. Proinde juſtiorem eſſe Thamarem ſe ipſo, meritò Judam agnoviſſe. Poſterior modus in eo ponitur, quod Judas hactenus perſuaſus, Thamarem ex filiis ſuis concipere non potuiſſe, & infelici quodam ſidere mori, quotquot cum ea concubuerint, adeóque culpam mortis filiorum ſuorum, nunc demum poſtquam ex ſe ipſo conceperat, & ipſe ſuperſtes manſerat didicerit illam innocentem eſſe & culpam omnem mortis filiorum ſuorum penes ipſosmet reſediſſe. Cœterùm neuter horum modorum difficultatem tollit. Nam nec pia vel juſta fuit Thamar quæ ex Juda ſocero ſemen ſuſcitare primo marito voluit ; nec perſuaſionem illam Judæ inſitam fuiſſe conſtat. Putamus igitur non ſimpliciter Thamarem juſtiorem pronuntiari ſed ſecundum quid, quia ipſe Judas filium negans Thamari, prior occaſionem maleficio dederit. Sic utrumque verum eſt, & injuſtiorem fuiſſe Thamarem, ſi nimirum genus facti reſpexeris ; & injuſtiorem Judam, ſi cauſam & principium facti. Aliâs inceſtum concubitum eſſe probè noverat, & facto ipſo poſtea demonſtravit, cùm ipſi religio fuerit amplius eam cognoſcere, uti ſtatim ſequitur. Ipſa verò Thamar hac ratione mirabili Dei providentia ex mortis faucibus erepta eſt, Juda non ſuſtinente damnare eam, cui ipſemet occaſionem peccandi dederat, & qua ipſemet abuſus fuerat. Paraphraſis Hieroſolymitana, atque ea quæ tribuitur Uzielidi abſolutam fuiſſe Thamarem narrat cœleſti voce quam בת קול *filiam vocis* appellitant. Vocem autem illam fuiſſe hanc תריכון אתון זכיאין בני דוא פתגמא *uterque veſtrûm quantum ad hanc rem attinet culpâ vacat*. Sed relinquimus id authoribus ſuis.

XXVII. Poſt liberatam à ſupplicio Thamarem dicitur de Juda : ולא יסף עוד לדעתה *Et non adjecit ultra cognoſcere eam*. verſ. 26. Nempe quia nefas eſſe cognoverat, rem habere cum ipſa nuru. Hebræi tamen mirâ licentiâ

Digitized by Google

contrarium his verbis ſenſum affingunt. Statuunt nempe, Judam cœleſti voce animatum matrimonium cum Thamare, cognitâ ejus innocentiâ, iniviſſe. Proinde illud לא יסף contrario ſenſu vertunt *non ceſſavit:* Ita R. Bechai ad Bereſith fol. 51. ולא יסף עוד לדעתה אחר שקיים ו מצוה אע״פי שהיתה כותרת לו כל ימיו וכתת האכר ולא יסף עוד לדעתה ורא פסק שמותרת היא לא ואישה הקנו לי כן רש״ים: *Et non adjecit ultra cognoſcere eam, ſcilicet poſtquam impleverat mandatum (de multiplicatione generis humani) tametſi ipſa ei eſſet licita omnibus diebus ſuis. Eſt etiam, qui locum illum ſumit pro eo quod eſt: & non ceſſavit: Senſus ejus eſt, eam fuiſſe ei licitam, utpote uxorem divinitus acquiſitam.* Huic Hebræorum ſententiæ aſtipulatur etiam Paulus de Abbatia Pollicinii Calmaldulenſis J. U. D. Congregationis ſacræ Eremi Abbas olim Generalis in Theoremate geſtorum Thamaris pag. 145. & 151. *In hoc myſterio,* inquit, *neceſſe erat ut Judas voluntariè corrigeret ſeu expelleret motum illum deformem qui fuit per concupiſcentiam carnis cum altero motu honeſto, hoc eſt, per matrimonium ſanctum, ut eſſet Thamar nurus Judæ* (pro ſolatio triſtitiæ ſuæ, quam habuit) *mater honorificata in ævum.* Et paulo pôſt: *Itaque perſuaſiſſimum nobis eſt, quòd eadem hora, qua mater accerſita comparuit ad tribunal, deſponſaverit eam ſibi Judas, inſtigante Deo, perinde ac ſi torqueretur anxietate expellere pudorem.* Nuptias verò tales licitas fuiſſe ſtatuunt Hebræi, eò quòd initæ ſint: קודם כתן התורה *antequam lex daretur.* Favere etiam huic ſententiæ videtur ipſe Seldenus de I. N. & G. Hebræorum lib. v. 9. ubi ex Num. xi. 25. probare conatur, verbum id יסף quod plerumque *adjicere* ſonat, etiam *ceſſandi* aut *abſtinendi* notione venire. Eo nempe loco Moſes de LXX Senioribus ſibi adſcitis ita loquitur: *Et factum eſt, cùm requieſceret ſpiritus ſuper eos, prophetârunt* ולא יכפו quod in vulgata eſt, *nec ultra ceſſaverunt.* Ita etiam Onkeloſus & Pſeudo Uzielides ibi habent: ולא פסקין *& non ceſſârunt.* Aliter tamen LXX *καὶ οὐκ ἔτι προσέθεντο Et non amplius addiderant.* Et ſanè יסף nuſpiam alio ſignificatu venit quàm *addendi, adjiciendi.* Aut igitur vulgatus & Chaldæi Interpretes legerunt כפו à כוף aut crediderunt יסף & סוף permutatis ordinibus promiſcuè uſurpari, ut ירע & ריע. Sed primò omnes codices habent יספו & ſic LXX Interpretes antiquitus legerunt. Deinde nullo exemplo illa τῶν יסף & סוף alternatio probabitur. Unde Cajetanus ingenuè fatetur, *Hebræum textum oppoſitum ſonare vulgatæ editionis. Nam ſcribitur,* inquit: *Et non addiderunt. Hæc enim verba ſonant, quòd tum quidem prophetaverant, ſed non deinceps. Et ſignificatur per hoc, quod ſpiritus datus iis non fuit ad conſtituendum eos Prophetas, ſed prophetia pro tunc eis data eſt in ſignum ſenſibile, quòd ſpiritum Dei acceperit, ad regendum animos populi.* Atque ita etiam vetuſtiſſimos Hebræos tradidiſſe docet etiam Kimchius in Radicibus.

bus. Et Abenezra ad illud יספו ſubintelligit פעם שנית *vice ſecunda*, hoc eſt, iterum, denuo. Sed faciamus, ſemel יסף venire notione *ceſſandi*. An idcircò hoc etiam loco idem ſignificatus obtinebit, ubi argumentum eſt longè diverſiſſimum? Judas enim poſtquam cognovit, Thamarem nurum eſſe qua cum prius rem habuerat, ſine manifeſto flagitio Thamaris matrimonium vel appetere, vel inire non potuit.

XXVIII. Thamaris porro partus, quo gemellos edidit, fuit notabilis juxta atque admirabilis. Unus enim manum protulit, antequam egrederetur alter. Quòd cùm præter conſuetum ordinem naturæ accideret, obſtetrix manum protenſam ligat filo coccineo, ut dignoſci poſſet, qui prior manum protulerat. Illo manum retrahente, egreſſus prior eſt alter, cui nomen inditum פרץ *Phares* eò quòd perrupiſſet ſecundinas ſeu maceriem gemellos diſtinguentem. Alter verò, qui prior manum protenderat filo coccineo ab obſtetrice ſignatam, prodiit poſterior cui nomen inditum זרח *zarach* à זרח *oriri*, quia prior oriri ſeu naſci debuerat. Hunc naſcentium conflictum difficillimum Thamari reddidiſſe partum dubitari nequit, diſpenſante ita Deo, ut tam Judæ quàm Thamari ſubiret facti turpitudo & conſcientia, & hac παιδείᾳ magis magíſque ad agnitionem peccati ſui accenderentur, ſimulque Dei miſericordiam prædicarent, qui & Thamarem & gemellos ſalvos præſtitit. Nec ſine miraculo etiam hunc partum accidiſſe clarum eſt. Et Abarbanel quidem inter alia etiam in eo miraculum collocat, quòd ex uno congreſſu duo gemelli geniti ſint. Sed id potiſſimùm miraculi rationem habuit, quòd qui manum emiſerat, eam retraxerit, & quaſi ceſſerit fratri, quem Deus deſtinaverat caput familiæ illius, ex qua Chriſtus naſci debuit. *Qua in re Deus ſanctum ſemen & jus primogenituræ, contra quam naturæ ordo videbatur ferre, demonſtravit*, uti ſcitè loquitur Junius. Sed & Abarbanel Meſſiæ ex primogenito hoc Judæ naſcituri myſterium ſubodoratus eſt. Ita enim loquitur וספרה התורה כמה נדבקה ההשגחה בלידת פרץ בהיות בכור פטר רחם אמו שממנו יצא מלכות דוד וממנו יצא מלך המשיח שנפתחו שתי השליות יחד ששם היו התאמים והיא פלא כמ״ש הראב״ע: *Et narrat Scriptura, quòd providentia Dei ſingularis conjuncta fuerit cum partu Pharez, in eo quod is fuit primogenitus, frangens uterum matris ſuæ, quia ex eo exire debuit Regnum Davidis, & ex hoc naſci debuit Rex Meſſias. Et hoc mirabile fuit, quòd ſimul duæ ſecundinæ apertæ ſunt, quia ibi duo gemelli fuerunt, uti explicat Rabbi Abenezra.*

XXIX. Judæ reliqua geſta in hiſtoria Joſephi uberiùs exponimus. Sed & benedictionem luculentiſſimam Jacobi, quo is in agone conſtitutus ei proſperrima quæque prophetico ſpiritu pronuntiavit, ſuo loco ediſſerimus.

Digitized by Google

XXX. Fuerunt quatuor filii, quos ex Lea Jacobus ſuſtulit. Rachel hactenus ſterilis, gravíque dolore & invidiæ œſtro percita, quòd Lea tot jam filiis maritum beâſſet, tandem impotens animi erumpit in graviſſimam cum Jacobo hanc expoſtulationem הבה לי בנים ואם אין מתה אנוכי *Da mihi filios. Sin minùs, mortua ſum.* Geneſ. xxx. 1. Quam orationem ſenſatâ muliere dignam, ita mitigant Hebræi, ut dicant, petiiſſe Rachelem ſibi dari liberos, hoc eſt, precibus Jacobi à Deo impetrari. Id ſi verum eſſet, cauſa nulla fuiſſet Jacobo adeò exardeſcendi. Quinimò reſponſum ejus manifeſtè oſtendit Rachelem à Jacobo ita liberos petiiſſe, ac ſi ejus in poteſtate negotium ſitum eſſet. Quòd verò dicit Rachel: *Sin minus, mortua ſum ego:* duplicem habere ſenſum poteſt. Vel enim innuere voluit, *ἀπαιδίαν* ſibi futuram adeò gravem ut mortem ſibi acceleratura ſit. Magno enim probro ſterilitas ducebatur, & amantibus liberorum cruciatum haud dubie graviſſimum attulit. Tum etiam ſenſus eſſe poteſt מתה אנוכי *mortua ego*, hoc eſt, memoria mei planè emorietur & obliterabitur. Parentes enim vivunt in liberis: Secus, cum ſine liberis decedunt. Unde eſt illa vulgata apud Hebræos ſententia: מי שאין לו בנים חשוב כמת *Cui non ſunt liberi, perinde eſt, ac ſi eſſet mortuus.* Uterque ſenſus commodus eſt. Priorem tamen præfero. Mortem præmaturam ſibi portendere videtur, ſi liberis deſtituatur. Illud haud dubiè dolorem ejus intendit, quòd cogitavit, ſemini Jacobi promiſſam eſſe hæreditatem terræ Canaan. Verùm Jacobus conjugis expoſtulatione mirum in modum commotus reſpondit התחת אלהים אנכי אשר מנע ממך פרי בטן: *Numquid pro Deo ſum, qui probibuit à te fructum ventris.* Licet vehementiùs, quàm par erat amaret Rachelem, pius tamen & religioſus cùm eſſet, æquanimiter verba muliebri errore in Dei contumeliam effutita ferre non potuit: munus ſcilicet filiorum, quod ſolo Deo donante conceditur, non cœlo, elementis, hominibus, ſeminibus, id ipſum tribui marito, & per impoſſibile contra Deum exigi. Faciunt huc claves ex mente Hebræorum Deo reſervatæ, de quibus ſupra. Acquievit Rachel reprehenſioni mariti. Sed poſtea aliam excogitat rationem, quâ mater fieri poſſet. Edocta erat haud dubiè à marito exemplum Saræ, quæ ſterilis Abrahamo ancillam Hagarem ſubdidit. Hoc illa imitata marito ſuadet ancillam ſuam Billham, *Ecce*, inquit, *ancilla mea, ingredere ad eam*, ותלד על ברכי ואבנה גם אנכי ממנה *pariétque ſuper genua, & habebo filios ego quoque ex ea* verſ. 3. Illa verba: ותלד על ברכי ita [illegible] paraphraſtes Chaldæus *Ingredere ad eam* ותליד ואנה ארבי *ut pariat & ego ero nutrix*, hoc eſt, filium quem pariet, gremio meo excipiam, ut tanquam meum educem. Hanc vero uxoris petitionem non rejicit Jacobus, prolis nempe

nempe deſiderio, non libidinis ardore incitatus, ſimul ut uxoris ſibi chariſſimæ triſtitiam utcunque levaret. Id tamen factum culpâ minimè vacaſſe, liquere poteſt ex iis, quæ ſimili occaſione ſuperius ediſſertata à nobis ſunt. Ex hac porrò ancilla filios duos ſuſtulit, Danem & Nephtali.

XXXI. Quintus igitur Patriarcha ex Billha oriundus fuit דן *Dan*. Etymon ejus pandit Rachel Geneſ. xxx. 6. דנני אלהים *Judicavit me Dominus, ac etiam exaudivit vocem meam, & dedit mihi filium. Idcirco vocavit nomen ejus Dan*. Quaſi diceret: aſſeruit me & vindicavit à probro ſterilitatis. Illud laude dignum, quod Deo acceptum refert filium. Sed vindictam ſpirant verba reliqua adverſus ſororem Leam. Dani huic ſucceſſit ex eadem matre נפתלי *Nephtali*, ſextus Patriarcha. De quo præter nomen & benedictionem paternam, nihil Scripturæ memorant. Nominis autem rationem reddit Rachel: נפתולי אלהים נפתלתי עם אחותי גם יכלתי ותקרא שמו נפתלי *Luctationibus vehementibus luctata ſum cum ſorore mea, etiam prævalui, vocavitque nomen ejus Naphtali* verſ. 8. Vulgatus Interpres ea verba aliter reddit. *Comparavit me Dominus cum ſorore mea.* Aliter etiam Helleniſtæ: Συναντελάβετό μου ὁ Θεὸς, καὶ συνανεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου καὶ ἠδυνάσθην. *Coaſſumſit me Deus, & colluctata ſum cum ſorore mea, & valui.* Rurſum aliter Thargum Onkeloſi: קבל יי׳ בעותי באתחננותי בצלותי חמידית דיהי לי ולד כאחתי ואף אתיהב לי *Suſcepit Deus deprecationem meam, cùm deprecata ſum in oratione mea, ut eſſet mihi filius ſicut ſeniori, quod utique conceſſum eſt mihi.* Arabs: *Miſericordiam conſecuta ſum, cum ſorore mea.* Rectiùs Syrus כיצרת עם חתי *Contendi cum ſorore mea.* Sanè נפתל Hebræis & *luctam* & *conatum* notat, qualis eſt Palæſtritarum membra & corpus contorquentium & obliquantium, à פתל quod, ut ſupra vidimus, *contorquendi* notionem habet. Joſephus hunc Nephtali vocat ἀμηχάνητον *ingenioſum*, ſolertem, redditque rationem quòd mater arte certaverit cum ſororis fœcunditate.

XXXII. Exemplo Rachelis invitata ſoror Lea, cùm parere ceſſâſſet, ipſa quoque Jacobo ancillam Zilpam ſubſtituit. Ex ea matre duo Patriarchæ nati ſunt *Gad* & *Aſer*. Septimus igitur Patriarcha fuit גד Gad. De quo ita Lea v. 11. בגד ויקרא את שמו גד *Feliciter. Et idcirco vocavit nomen ejus Gad.* Ita vulgatus. Vocem בגד Hebræi reſolvunt in בא גד *venit Gad*, quod interpretantur per בא מזל טוב *venit fortuna bona, ſeu ſidus bonum.* Maſorethis eſt hæc una ex quindecim dictionibus, quæ ſcribuntur ut una, & leguntur ut duæ. Volunt autem plerique מזל טוב *mazal tob* Jovis ſtellam, quam כוכב צדק *ſtellam juſtitiæ* vocant denotare, eò quòd uti Munſterus notat, *liberorum generationi ſecundum Aſtrologorum dogma radiis ſuis conducat. Unde etiam puellæ deſponſatæ traditur annulus, in quo ſcriptum eſt Mazal tob.*

Digitized by Google

Nam Mazal eſt ſidus, ſeu ſtella. Unde dicunt Rabbini, non eſſe aliquam herbam in terra, quæ non habeat proprium מזל *mazal ſeu ſtellam influentem & dirigentem in cœlo.* Mazal verò in plurali מזלות (מזרות *mazaroth* alibi legitur) nunc planetas, nunc XII ſigna denotat, uti 1. Reg. XXIII. Job XXXVII. 9. XXXVIII. 32. unde Zodiacum Aſtronomi Judæi אופן מזלות *circulum Mazoloth* ſeu ſignorum duodecim nuncupant. Ratio autem cur גד notet כ״ב כ״ל *Sidus beneficum*, *Jupiter* aut *fortuna*, inde arceſſitur, quod in lingua Arabica ſidus illud beneficum גד vocatur. Ita R. Moſes Sacerdos apud Kimchium in Eſai. LXV. & in Radicibus & Abenezra hunc in locum. Arabibus nempe גאד eſt *bonus* ſeu *beneficus*, adeóque Jovis ſtellam denotat, quod ex hoc loco Moſis, aut hac apud Hebræos notione primò deſumptum eſſe conjicit Seldenus. Onkeloſus pro בגד habet אתא גד *venit Gad.* Ita etiam Arabs Erpenianus. Sed Uzielides אתא מזלא טובא *venit Mazala* ſeu *fortuna bona.* Thargum Hieroſolymitanum אתא גדא טבא *venit Geda* ſeu *Gad felix* ſive *bonus*. LXX vertunt: καὶ εἶπε λεία, ἐν τύχῃ. *Et dixit Lea, in fortuna*, quaſi videlicet ב ſervile eſſet. Alii tamen codices Regii, quos ſequitur Chryſoſtomus habent *εὐτύχηκα beata, felix facta ſum.* Cùm igitur bonam fortunam omnino intellexerit Lea, an fortunæ tanquam idolo illam litâſſe putabimus? Solvit quæſtionem Auguſtinus quæſt. 91. ſuper Geneſin: *Quod Latini habent de nato filio Leæ de Zilpa quod dixerit: Beata facta vel felix facta ſum: Græci habent ἐν τύχῃ, quod magis bonam fortunam ſignificat. Unde videtur occaſio non bene intelligentibus dari, tanquam illi homines fortunam coluerint, aut hoc verbum Scripturarum authoritas in uſu receperit. Sed fortuna intelligenda eſt pro his rebus, quæ fortuitò videntur accidere, non quia numen aliquod eſt: cùm hæc ipſa tamen quæque fortuita videntur, cauſis occultis divinitus dentur. Unde etiam verba, quæ nemo poteſt auferre à conſuetudine loquendi, parata ſunt, id eſt, forte & fortaſſè, forſitan & fortuito. Unde videntur in Græca lingua reſonare quod dicunt τύχα velut ab eo quod eſt τύχη. Aut certe Lea propterea ſic locuta eſt, quòd adhuc Gentilitatis conſuetudinem retinebat.* Non ignoro, recentiores pleróſque ex Geneſ. XLIX. 19. aliter vertere גד τὸ quaſi videlicet eſſet idem quod גדוד *turma.* Unde reddunt: *venit turma* ſeu exercitus: quaſi videlicet diceret, ſe jam habere filiorum exercitum. Sed in loco illo Jacobi agnoſco παρῳδίαν potiùs quàm Etymon. De Dane nihil præterea Scripturæ habent, ſi à Jacobi benedictione prophetica diſceſſeris.

XXXIII. Octavus Patriarcha ſequitur Leæ eidem natus ex Zilpah, nempe אשר *Aſer*, de quo ita Lea verſ. 13. באשרי כי אשרוני בנות ותקרא את שמו אשר *Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent mulieres. Propterea*

nomen

nomen ejus appellavit Aſer. Ita vulgatus. At LXX eodem ſenſu: Μακαρία ἐγώ· ὅτι μακαριοῦσί με αἱ γυναῖκες. *Beata ego, quoniam me beatam prædicabunt mulieres.* Paulò aliter Onkeloſus: תשבחתא הות לי ארי בכן ישבחונני נשיא *Laus erit mihi, quoniam nunc laudabunt me mulieres.* Arabs: מן יצפי אן יצפי ארנסא *De laude mea eſt, ut laudent me mulieres.* Sed plana ſunt verba Leæ. Sortita denuo filium & ſe ipſa beatam prædicat, & ſe à mulieribus beatam prædicatum iri confidit. Unde ei אשר *Aſer* quod *beatum, felicem* notat, nomen indit: Simili exclamatione utitur Beata virgo Maria Luc. 1.43. *Beatam me dicent omnes generationes!* Apparet hinc quantum bonum veteres illi fœcunditatem interpretati ſint, adeò ut in ea partem beatitudinis collocaverint.

XXXIV. Deinceps pariendi vices in Leam divinitus transferuntur. Illa enim Dudaim, ſeu, uti vulgò interpretantur, mandragoris forte à filio Rubene in agro inventis, & à Rachele exambitis, Jacobi qui ad eam, poſtquam ſemel parere deſiit rariùs, ad Rachelem verò frequentiùs acceſſiſſe videtur, concubitum licitata, ei peperit Patriarcham nonum יששכר *Iſaſchar*, de quo ita Lea: נתן אלהים שכרי אשר נתתי שפחתי לאישי ותקרא את שמו יששכר: *Dedit Deus mercedem meam, eò quòd dederim ancillam meam viro meo.* Ideo vocavit nomen ejus Iſaſchar verſ. 18. Sed ratio hæc à Lea adducta, quòd ſubſtitutionem ancillæ ſuæ Deus præſenti mercede compenſaverit, abſurda videtur, quaſi ea adeò Deo grata fuerit, ut mercedem etiam rependere dignatus fuerit. Sanè filium ſibi datum præcedentis peccati mercedem jactare non debuit. Itaque notant alii, verba illa אשר נתתי non tam cauſam datæ mercedis, quàm ordinem indicare. Hinc Junius & Tremellius vertunt: *Deus reddidit mercedem meam, poſtquam dedi ancillam meam viro meo,* ut ſenſus ſit: Rependit Deus mercedem meam, id eſt, eam mercedem quam ſolveram ſorori pro nocte ex Dudaim filii mei, Deus abundè compenſavit, qui dedit mihi filium etiam poſtquam deſperato partu prolem in ancilla mea quæſiveram. Eadem retulit etiam Hieronymus, eúmque ſecutus Abulenſis. Confirmat eam expoſitionem collatio verſus 16. ubi dixerat Lea ad maritum שכר שכרתיך *mercede conduxi te mandragoris filii mei,* ad quæ verba verſ. 18. alludere omnino videtur. Non igitur hîc merita ſua jactat Lea, ſed gratiam divinam prædicat, quæ rem nullius momenti beneficio tanto compenſavit.

XXXV. Decimus Patriarcha ex eadem matre fuit זבלון *Zebulon*, de quo recens nato ita Lea loquitur זבדני אלהים אתי זבד טוב הפעם יזבלני אישי כי ילדתי לו ששה בנים ותקרא את שמו זבלון: *Donavit me Deus dono bono. Hac vice habitabit mecum vir meus, quia peperi ei ſex filios & vocavit nomen ejus Zebulon*

bulon verſ.20. Verbum זבר eſt *ἅπαξ λεγόμενον*. Græci interpretantur *δῶρον donum*. Thargum Onkeloſi חולק טב *portionem optimam*. Syrus eam retinet. Arabs קד פוצני אללה תפויץ היר *Jam profudit in me Deus affluentiam bonam*. Kimchius etiam exponit מתנה *donum*. Gerundenſis putat dictionem compoſitam eſſe à זה & בר quod notat ramum groſſum & fortem, ſub cujus umbra quieſcere licet. Etiam Samaritanis זברה notat *viaticum*. Conveniunt in eo omnes, ut boni alicujus donationem ſignificet. Unde זברי *Zebedæus* notare poteſt *Θεοδώρητον à Deo donatum*. Agnoſcit igitur Lea in Zabulone egregium donum ſibi divinitus collatum. Cúmque ex eo ſibi mariti ſtabilem cohabitationem promiſerit, alludens ad זבר ſimul & זבל *habitavit*, ei nomen זבלון *Zabulon* impoſuit.

XXXVI. Tandem Deus miſertus etiam Rachelis eam quoque ex ſterili fecit matrem, ut tolleret probrum ejus. Unde duos Jacobo peperit filios Joſephum Patriarcham undecimum, & Benjaminem duodecimum. De Joſepho ſeorſim poſtea. Benjaminem Rachel partu difficilimo enixa eſt proximè Ephratam Bethlehem Geneſ. xxxv. 16, 17. Eodem tamen capite v. 26. omnes duodecim Patriarchæ Jacobo nati dicuntur בפדן ארם *in Padan Aram* ſeu Meſopotamia. Sed *ἐναντιοφανὲς* hoc feliciter diſcutit Abenezra ad cap. XXVIII. & XXXIV. Exodi, ubi docet, Scripturam ſæpe minoris numeri rationem non habere. Exempla allegat duo. Prius LXX animarum deſcendentium in Ægyptum, cùm tamen Joſephus & liberi ejus ſub eodem numero comprehenſi jam ante in Ægypto fuerint. Poſterius ſeptem veſtium, quas habebat Sacerdos magnus. Sed quia frontale, etſi non veſtis, tamen ornamentum erat, inter veſtes etiam recenſeri & dici octo pannos. Ita etiam hoc loco etſi Benjamin natus eſſet in terrâ Canaan, tamen quia reliqui in Meſopotamia nati numero ſuperabant: ideo & illum numero cœterorum includi, & omnes iſthic natos dici. Similis locus eſt 1. Cor. XV. 5. ubi Chriſtus apparuiſſe dicitur *τοῖς δώδεκα duodecim* Apoſtolis, cùm tamen & Thomas abſuerit & Judas in locum ſuum abierit. Fruſtra enim Beza pro *δώδεκα* legit *δέκα* eo argumento, quod verſ. 7. dicitur Chriſtus apparuiſſe Apoſtolis omnibus.. Nam verſ. 5. exprimitur nomen totius collegii, cui tamen nec Thomas nec Judas aderat: at verſ. 7. omnibus apparuiſſe traditur adeóque ipſi etiam Thomæ. Hanc Abenezræ ſolutionem præfero illi, quam R. Menaſſe ben Iſraël tribuit R. Hiſquiach autori Hiſquuni, Benjaminum nimirum æſtimari re ipſa natum in Meſopotamia cum reliquis fratribus, quia precibus ſuis Rachel in Meſopotamia ipſum impetraverit. Porro filio huic Rachel cum mortis angoribus conflictata בצאת נפשה *egrediente anima* nomen impoſuit בן אוני *Benoni*, quod בר דוי

filium

filium doloris mei rectè Chaldæus Paraphraſtes interpretatur. Sed pater malum omen in melius converſurus, ſive vivente adhuc matre, ſive poſt ejus mortem mutavit nomen & pro *Benoni* nuncupavit בנימין *Benjamin.* Abenezra aliique interpretantur בן ימים *filium dierum*, quia nempe, uti Druſius rationem reddit, natus in ſenectute Jacobi. Unde etiam Geneſ. XLIV. 10. vocatur ילד זקנים *filius ſenectutis* quomodo etiam Joſephus eo ſenior nuncupatur Geneſ. XXXVII. 3. Hanc Etymologiam probat etiam Grotius. At R. Levi ben Gerſon, Jarchius aliique ita dictum cenſent, quod fuerit בן ימין *filius Auſtri.* Benjaminum natum in terrâ Canaan reſpectu Meſopotamiæ ex qua venerat Jacobus, auſtralem. Sed refellit hanc ſententiam Moſes Gerundenſis, ea ratione ductus, quòd terra Canaan Meſopotamiæ fuerit potius occidentalis quàm Auſtralis. Magis igitur probo, ut dictus fuerit בן ימין *filius dexteræ.* Jacobus nempe hac nominis impoſitione Deo gratias egit, quòd adhuc in tam grandævo ſenè has vires conſervâſſet, quibus poterat filium, eúmque robuſtum generare. Vel certè *filius dexteræ* notat filium dilectum & charum. Honoratior enim juxta atque dilectior eſt manus dextera, quàm ſiniſtra. Quæ de Benjamine præterea Scripturæ habent in hiſtoria Joſephi explanabimus. Unum addam, quod Photius Epiſt. 102. ubi explicare conatur quomodo Paulus ſimul Romanus & Judæus fuerit ex authore priſco Græculo tradidit, Romanos eſſe Benjaminis propaginem. Photii verba ſunt: Εἰ δὲ τῆς καὶ ἱστορίας ἐπακοῦσαι λέγεταί τις εἰς παλαιὰν ἀρχαιότητα ἀνηγμένος· ὡς ἡ τοῦ Βενιαμὶν φυλὴ ἐν παλαιστίνῃ ῥιζωθεῖσα μέχρι τῶν τῆς Ἰταλίας μερῶν τὰς βλάστας ἀπεξέτεινεν· αὐτῷ γένει ῥωμαίων καὶ αὐτῇ ῥώμῃ χαρισαμένη γένεσίν τε καὶ ὄνομα. Ἐξ ὧν ὁ θεῖος. Παῦλος εἰς τὸ τοῦ Βενιαμὶν αἷμα ἀναγόμενος ῥωμαῖος ἂν εἰκότως χρηματίσειεν. Ἐγένοντο γὰρ ἀπόγονοι τῷ Βενιαμὶν ἄλλοι τε οὐκ ὀλίγοι ἐξ ὧν Ἀραδός τε καὶ πόλεις ἄλλαι καὶ χῶραι τὰς ἐπωνυμίας ἐκληρώσαντο, καὶ δὴ καὶ ἀνήρ τις ὄνομα ῥῶς, ὃς ἐπὶ τὰ τῆς Ἰταλίας μέρη χωρήσας καὶ πολλοὺς ἐκεῖσε τοῦ σπέρματος φύσας, καὶ ἐπὶ μέγα δόξης καὶ ἰσχύος ἀνελθὼν ῥώμην τε τὴν ἐπωνυμίαν ἕλκειν ἐξ ἑαυτοῦ καὶ τὸ ῥωμαῖον γένος ἔδωκε. *Quod ſi hiſtorias audire lubet, narratur quædam valde antiqua, quod tribus Benjaminis in Palæſtina radicata uſque ad partes Italiæ germinando ſe diffuderit, dum & genti Romanorum originem & Romæ nomen & appellationem impertit. Unde divinus Paulus, qui de illa tribu Benjamin derivabat ſanguinem Romanus non injuria dicebatur, de Benjamini progenie diſſeminabantur alia atque altera, à quibus Aradus aliæque urbes & loca nomenclaturas ſortiebantur, & inter alios vir quidam Ros dictus, qui in partes Italiæ profectus, cùm multos de ſemine ſuo procreâſſet, & magnam potentiam conſecutus eſſet Romam ab eo denominatam dedit, & Romanum quoque genus procreatum.* Ipſe, tamen Photius

Digitized by Google

ſubjicit Ἀλλ᾽ αὐτή μεν ἱστορία ἡδὺς μεν ἀκοῦσαι καὶ ἐπαφρόδιτος, οὐ μὴν γε μετὰ τοῦ χαρίεντος καὶ τὴν πειθὼ ἐπιφέρουσα. *Verum jucunda narratu eſt hæc hiſtoria, ſed non perinde perſuadet atque delectat.* Richardus Montacutius notarum ad Photium author *ineptiſſimum & inſulſiſſimum* hoc vocat *Rabbinorum commentum,* nuſquam dictum aut viſum Dionyſio, qui tamen omnia huc ſpectantia diligentiſſimè collegerit. Sed conſtat ſatis de communi ſententia Rabbinorum Romanos non à Benjamine utique, ſed ab Eſavo ſeu Edom traducentium & derivantium. Neque apud Rabbinos uſpiam reperiuntur veſtigia τοῦ Ros illius velut Romæ gentiſque conditoris. Itaque probabilius eſt Græculi alicujus commentum eſſe, quod recitâſſe eſt refutâſſe.

XXXVII. Hactenus quæ de Patriarchis undecim Scripturæ memorant, pleraque perſecuti ſumus. Patet ea pauca ſic ſatis eſſe, ab una Judæ hiſtoria ſi diſceſſerimus. Adeò ut de pleriſque præter nomina nihil ferè nobis conſtet. Auſus tamen eſt Author quidam apocryphus juxta atque anonymus, qui *Teſtamentum Patriarcharum* ſcripſit, & à Roberto Lincolnienſi Epiſcopo de Græco Latinus factus eſt, ſingulorum Patriarcharum hiſtoriam & vaticinia ἄπερ γραφῶν fingere pro lubitu, & credulæ poſteritati propinare. De eo libro ita habet Sixtus Senenſis Bibl. S. libr. II. pag. 112. *Patriarcharum duodecim filiorum Jacobi eſt liber pervetuſtus. Narrantur in eo plurima tum Prophetica oracula tum adhortamenta ad virtutem ac Dei cultum, quæ ſinguli Patriarchæ in extremo vitæ die, advocatis ad ſe ſingulis filiis ſuis ac nepotibus elocuti ſunt. Multa quoque ex libro eo inſeruntur in ipſo vaticinio de his quæ eventura fuerunt filiis ac nepotibus duodecim Patriarcharum, de futuris Hebræorum ſceleribus & pœnis, de mundi Salvatore ab Hebræis occidendo; de Hebræorum everſione, captivitate & diſperſione inter gentes perpetua.* Meminit ejus Origenes hom. 15. in Geneſin, & Procopius Gazæus Comment. in 38. caput Geneſeos. Liber inſulſus ſuis ſatis ſe prodit indiciis, ut mirer Salianum alióſque ejus authoritate hinc inde frivolas aſſertiones ſuffulcire. Videntur autem Chriſtiani veteres, qui piis fraudibus ſubinde Chriſtianiſmum commendârunt ut Judæos, apud quos maximæ ſemper authoritatis erant δώδεκα φύλαρχοι, ſuas in partes pellicerent, librum hunc ſuppoſuiſſe, haud ſecus ac Sibyllarum oracula gentilium convertendorum gratiâ iidem interpolârunt. Certum eſt enim Pſeudopatriarchas illos non futura nuntiare, quæ V. T. docendi methodus erat, ſed præterita referre.

XXXVIII. De morte Patriarcharum nihil Scripturæ produnt, niſi quod Exod. VI. 16. Levi dicitur mortuus, cùm eſſet *centum triginta ſeptem annorum.* In libro autem *Seder olam* cœterorum quoque Patriarcharum anni & mors definiuntur, ſed fallacis duntaxat traditionis præſidio. Eorum defun-

Digitized by Google

defunctorum oſſa ex Ægypto tempore migrationis populi in terram Canaan, Sichemam nimirum tranſlata eſſe, narrat Protomartyr Act. VII. 16. Quod etſi nec Moſes nec Joſua apertè tradiderint, tamen divinare potuit Stephanus, reputans cæterorum eandem, quæ Joſephi, rationem fuiſſe. Vide ſis quæ eam in rem dicta à nobis tomo I. Exercit. III. 60.

EXERCITATIO XIX.

DE

DUDAIM RUBENIS.

Breviarium.

Hiſtoria Dudaim à Rubene inventarum. I. *Sententiarum de* דודאים *illis divortia. Interpretum Græcorum, Chaldæi, Syri, Arabis, nec non Hebræorum aliorumque expoſitio de mandragoris proponitur.* לבאח·יברוחין. 2. *Argumenta illius expoſitionis quinque producuntur. Mandragora philtris idonea à veteribus habita. Ejusdem vis* ὑπνωτικὴ, *ſomnifica, & de ea experimentum Lemnii. Fructus ejus uſus & amabilitas ex Dioſcoride notata. Venus cur* μανδραγορῖτης *appellata Heſychio?* 3. *Franciſci Georgii Veneti ſententia de liliis albis, ejusque argumenta proponuntur.* 4. *Jarchii & Thalmudicorum quorundam expoſitio de violis. Quid* יסמין *Arabibus? quid* סיגלי *Thalmudicis? Viola flos præcipuus inter coronarios.* 5. *Junii & Tremellii verſio* ꝟ *Dudaim.* 6. *Viri docti tubera interpretantis opinio deſcribitur. Tuberum ſpecies.* 7. *Anthonii Deuſingii, quod Dudaim melonis ſeu peponis ſpecies ſit, aſſertio. Significatus vocum Arabicarum* לבאחא *&* שמאם *nec non Perſicæ Deſtanbovic.* 8. *Chriſtiani Ravii ſententia, quod Dudaim ramos ficuum notent, exponitur. Ejusdem argumenta, tum quod* דודאים *propriè ramos notent, & radicem habeant* דוד *vel* דד *tum quod in loco Geneſeos uſitata metonymia Dudaim ramos ficuum notent, fuſe recenſentur.*

...tur. 9. 10. Epicriſis præcedentium ſententiarum. Dudaim mandragoras non ſignificare probatur. Druſii & Bonfrerii argumentis fit ſatis. 11. *Reſpondetur argumentis theſi,* 3. *propoſitis. Mandragoras nihil ad fœcunditatem conferre, obtenditur,* 12. *Hebræorum de figura hominis juxta vim ſymbolicam mandragorarum in Rubenis vexillo poſitâ figmentum eliditur. Mandragora cur* ἀνθρωπόμορφος *Pythagoræ dicta? Impoſtorum de humana mandragoræ figura fabulæ anſam dedit Joſephi de radice Baarôs narratio. Mandragoræ mangonia qua arte conficiant præſtigiatores.* 13. *Dudaim non eſſe vel lilia alba, vel violas, vel tubera, vel melonum ſpeciem demonſtratur. Tuber unde dictum? Senſus adagii Appulejani: Ubi uber, ibi tuber.* 14. *Dudaim videri eſſe ramuſculos florum vel fructuum amabilium, aſſeritur.* 15.

I. DE Dudaim Rubenis perplexa diſputatio jam pridem Philologos exercitos habuit. Neque vitio nobis quiſquam dederit, ſi & nos de ea voce, qua vix alia in univerſa Patriarcharum hiſtoria intricatior extat, tractationem ſuſceperimus, & tum quid alii & quàm rectè de ea ſenſerint, tum quid de ea ſentiendum putemus, demonſtraverimus. Hiſtoria extat Geneſ. xxx. 14. וילך ראובן בימי קציר חטים וימצא דודאים בשדה ויבא אותם אל־לאה אמו *Perrexit autem Ruben in diebus meſſis triticeæ, & reperit Dudaim in agro, attulitque eas ad Leam matrem ſuam.* Lea porro Dudaim illas vendidit Racheli ea conditione, ut maritum ſibi cederet, quod factum eſt.

II. Sententiarum de ea voce divortia ante omnia explicabimus. Et receptiſſima quidem eſt, voce דודאים *mandragoras* intelligi. Id tuentur Interpretes antiquiſſimi Helleniſtæ, qui ita vertunt; ἐπορεύθη δὲ Ῥουβὴν, ἐν ἡμέρᾳ θερισμοῦ πυρῶν· Καὶ εὗρε μῆλα μανδραγορῶν. *Ivit autem Ruben in die meſſis triticea, & invenit poma mandragorarum in agro.* Thargum Onkeloſi ואזל ראובן ביומי חצר חטין ואשכח יברוחין בחקלא *Et ivit Ruben in diebus meſſis tritici, & invenit mandragoras in agro.* Ubi יברוחין Gerſon explicat *mandragoras.* Non deſunt tamen qui סיגלי *violas* explicent. Ita Thalmudici in Sanhedrin. Etiam Syrus Interpres reddit יברוחא *mandragoras.* Arabs לבאחא convertit, quod Camus ſive Camuſus apud Golium *mandragoras* etiam interpretatur. Sed & Joſephus ſecutus Interpretes Helleniſtas μῆλα μανδραγόρου reddit, cui adſtipulatur etiam Aquila. Hanc expoſitionem non ſolùm vetus Latinus, ſed Doctiſſimi etiam Hebræorum Interpretes Aben-

ezra,

ezra, Kimchius, aliique ſuis ſuffragiis comprobârunt. Omnes enim יברוחן verterunt, vocabulo Arabico uſi *Jabroa* vel *Jabroh*, ſive *Jabroc*, quod mandragoram notat, ſicuti monet Matthæus Sylvaticus Pandect. Med. fol. 129. Elias Levita Germanus in Lexico ſuo Chaldaico ita ſcribit: דודאים בשדה יברוחין בחקלא בראשית ל ב"לא אלרונן ובלעז' מנדראגילי הוא מן פרח שריחו טוב *Invenit Ruben Dudaim, hoc eſt, jabruchin, id eſt, mandragoras in agro Geneſ.* xxx. *Significant eæ voces in lingua Germanica Allrunz, in Hiſpanica Mandraguli, & eſt ſpecies ſtirpis admodum bene odorata.* Eandem ſententiam defendunt Viri Doctiſſimi, Nicolaus Fullerus & Druſius.

III. Ut verò Dudaim mandragoras interpretarentur, argumentis videntur moti ſequentibus. Primò mandragora φίλτροις vel amoris illecebris idonea habita à veteribus. Dioſcorides lib. IV. cap. 61. hunc in modum deſcribit mandragoram: *Mandragoram aliqui antimalum: alii Circæum vocant, quoniam videatur ad amatoria conducere. Duo ejus genera, nigrum, quæ fœmina exiſtimatur, anguſtioribus foliis & minoribus quàm lactucæ, viroſis & graveolentibus in terra ſparſis. Mala gerit ſorbis ſimilia, pallida & odorata; in quibus ſemen veluti pyrorum. Radicibus inhæret bene magnis, binis ternisve inter ſe convolutis extrinſecus nigris, intus albis, craſſo cortice veſtitis: caulum non fert. Alterum genus mandragora candidum, qui mas dicitur: cujus folia magna, alba, lata, lævia, ut beta: mala quàm ſint fœminæ, duplo majora: colore in croceum inclinante, jucundo, cum quadam graveolentia: quorum eſu opiliones aliquantum ſoporantur. Radix ſimilis fœmineæ, ſed major & candidior, ſimilitérque caulum non habens.* Epiphanius in Philologo cap. 4. de Elephanto habet, fœminam mandragoris inhiare, quas ubi guſtavit, coëundi cupiditate accenſa, ad marem properet, & illam ipſi offerat. Marem verò ut comedit, ardere ejuſdem libidine ac fœminæ commiſceri. Sed & Hebræum nomen דודאים perinde ſonat, ac ſi dicas φίλτρα *amatoria.* Atque hanc cauſam eſſe volunt, quòd mandragoras & cupidiſſimè expetiit Rachel, & ægerrimè eidem conceſſit Lea: illa, ne quid ſorori ſuppeteret, quò mariti à ſe amor ad eam transferri poſſet: hæc ne qua re careret, cujus beneficio conciliari poſſet idem amor atque confirmari. Secundò alligant mandragoræ vim ὑπνωτικὴν ſeu *ſomnificam*, quæ vel hanc ob cauſam veneri grata & amica ſit, quòd retinendi ſeminis facultatem vulvæ conferat. Plinius lib. xxv. 13. *Vis ſomnifica pro viribus bibentium.* Galenus lib. VII. *Soporem conciliandi vim ea habet.* Ejus rei experimentum in ſe ipſo narrat Levinus Lemnius Herbarum Biblicarum explicat. cap. 2. Scribit enim ſe, cùm æſtivis menſibus ſemel atque iterum in Muſeo ſuo amabilem & ſpecioſum ejus ſtirpis fructum negligenter collocâſſet, ita ſomnolentum

Digitized by Google

affectum eſſe, ægrè ut ſopor excuti poſſet. Neque eum excuſſiſſe prius, quàm obſervâſſet à tergo pomum mandragoræ, quo amoto atque alium in locum tranſlato, factus ſit, depulſo ſopore, alacrior. Unde etiam Suidas paucis deſcribens mandragoram, ait eſſe ὑπνωτικὸν καρπὸν, ἢ λήθης ποιητικὸν, *fructum ſoporem afferentem, & oblivionis effectorem.* Tertiò mandragoram purgando ad conceptum prodeſſe, monent rerum naturæ periti. Unde credibile eſt emanâſſe cognomentum quoddam Veneris apud Heſychium, ut μανδραγορῖτις *Mandragoritis* appellaretur. Quartò Dioſcorides tradit, mala mandragoræ alicubi eſitari ſolita à Paſtoribus. Talis autem erat Jacobus unà cum uxoribus, liberis & ſervis. Quintò Dudaim mirum in modum arriſerunt Rubeni, Leæ, & Racheli, quæ duæ uxores de ejus poſſeſſione contenderunt. Sunt autem etiam mandragorarum poma amabilia, &, ut ea deſcribit Lemnius, blanda, odorata, pulchra denique, nempe gallinacei ovi vitello ſimillima, hoc eſt, colore tanquam aureo. Sic Dioſcorides teſtatur, eadem κροκίζοντα τῇ χροιᾷ ideóque oculis grata eſſe: & εὐώδη μετὰ βάρους τινὸς, hoc eſt, moderatè, non vehementer fragrantia: iccirco naribus item non injucunda.

IV. Huic receptiori ſententiæ ſubjicimus eam, quæ Dudaim interpretatur *lilia alba.* Ita Franciſcus Georgius Venetus, Minorita & Oleaſter. Argumenta ipſi ſunt ſequentia. Primò vocem דודאים derivant à דד *mamma.* ex qua deducit Oleaſter, omnia ab hac radice derivata hinc ſuam originem ducere, quod quandam ſpeciem mammæ gerant. Id autem convenire bulbo hujus lilii, non mandragoræ. Secundò alba lilia Majo, quo tempore meſſis erat triticea apud Hebræos, provenire, mandragoras non item. Tertiò דודאים commendari à grato odore Cantic. VII. 13. Gratiſſimum porro odorem eſſe lilii albi, non mandragoræ, quæ vel odore careat, vel certè ingratum & gravem odorem habeat, ita ut etiam linguam & ſenſum intercipiant, teſte Plinio lib. XXV. 13. Quartò lilia alba, utpote calida, multum prodeſſe fœcunditati; mandragoras verò vim talem nullam habere, utpote naturâ ſuâ frigidas, & in tertio ordine refrigerantium, uti ſcribit Galenus lib. 7. ſimplicium medicamentorum.

V. Jarchius דודאים putavit eſſe herbam eam, quæ Arabibus dicitur יסמין *Jeſemin.* Verba ejus ſunt: דודאים שיגלי עשב הוא ובלשון ישמעאל יסמין *Dudaim violam notat, genus herbæ, quod Arabica lingua vocatur Jeſemin.* Pro שיגלי lego סיגלי quod *violam* interpretantur. In Gemara סיגלי תליתא gloſſa habet: סיגלי עשב שקורין ויול ויש בו שלושה עלין *Sigli herba eſt quam vocant violam, & ſunt ipſi tria folia,* Schabb. fol. 50. 2. Sed & יסמין *Jeſemin* Arabicè dici λευκόϊον, id eſt *albam violam,* monet Matthæus Sylvaticus Pandect. Medic. cap.

Digitized by Google

cap. 373. Sed & ante Jarchium Thalmudici quidam diſputârunt, דודאים denotare סיגלין *violas*, uti videre eſt in codice Sanhedrin fol. 99. 2. Legitur etiam in Thargum Jonathanis Num. xxi. 13. Ubi סיגלין Scholiaſtes interpretatur per דודאים. Argumentum eos haud dubiè movit, quòd viola flos ſit ſpectatiſſimus, ob eximiam pulchritudinem & odorem gratiſſimum. Idcirco eam, tanquam florem præcipuum inter στεφανωματικοὺς ſeu *coronarios* Theophraſtus apud Athenæum, Deipnoſoph. lib. 15. numerat, additque, Λευκόϊον πρῶτον τῶν ἀνθέων ἐκφαίνεσθαι. Idem teſtatur etiam Plinius, nempe violam albam primam florum ver nuntiantium emicare. Ac ſtatim ſubjungit, *eandem è cæteris maximè durare.*

VI. Non deſunt, quibus probetur Junii & Tremelii expoſitio, qui דודאים reddunt *amabiles* flores quoslibet. *Nos*, inquiunt illi, *Rubenis pueritiam ſpectantes (quam non virtute, ſed ſpecie motam fuiſſe conſtat) & odorem gratum eis attributum* Cantic. 7. *qui nihil ad mandragoras pertinet, contra enim Jabrochin Arabibus ab hirquino odore appellantur; poſtremò tempus præcox, (quo neque gelſeminum, neque mandragoræ maturæ ſunt) eò adducimur, ut amabiles omnes flores elegantia & odore, eósque humiles, hac voce intelligamus. Quibus optimè convenit Hebræa vox ab amando ducta.*

VII. Eſt qui in peculiari de *Dudaim* diſſertatione, *tubera terræ* ea voce intelligi velit. Argumento eo nititur, quòd ex Geneſ. 30. & Cant. 7. conſtet, Dudaim eſſe aliquid quòd in agro legatur, quódque in pretio ſit, nec paſſim reperiatur omni loco, omníve tempore, quódque ſit grati odoris, & fortâſſe inter edulia ſcitique ſaporis habeatur. Quibus poſitis, eò tandem per varias ambages progreditur, præſertim argumento ducto ab eo, quòd Hebraicæ vocis origo eſt à nomine דדים, *ubera, mammæ*, quod Dudaim uberum formam referant; ut per nomen *Dudaim* intelligantur *tubera terræ*, quorum duo ſunt genera, unum ſine radice, ſine caule, ſi non ipſum tuber radix eſt; alterum, quod caulem & radices ſive fibras præter tuber habet. Hoc vulgo *panis porcinus* appellatur. Botanicis *Cyclamen.* Dudaim autem ſignificare primum tuberis genus, quod vulgò *Traffes* appellatur & dicitur, ut author ille ait, tuber quaſi *terræ uber.*

VIII. Anthonius Deuſingius, Belgarum Medicorum Doctiſſimus, diſſertatione peculiari *de mandragora* דודאים facit *peponis* ſeu *melonis* quandam ſpeciem, in Syria & Ægypto frequentem, colocynthidis inſtar, rubro & flavo delineatam grati odoris. Sententiam ſuam firmat authoritate Interpretis Arabis & Perſæ. Arabs enim Dudaim reddit לבאחא *Luffahh.* Ea enim voce denotari quidem ait inter alias ſpecies *pomum mandragoræ*, cujus planta *Jebbrouhh* vel *Jabbroh* vocatur. Sed præterea etiam eadem voce deſignari alium

alium quendam fructum, huic loco valde conſentaneum, peponis nimirum ſeu melonis ſpeciem, probat teſte Ibn-Beitare. Eundem fructum in verſione Perſica Tawuſi indigitari monet voce *Deſt-anbovic*, quæ propriè *manus odoramentum* ſonat. Ita enim vocari melonem Perſis, quia fructus ille grati odoris cauſâ manu contineri atque contrectari ſolet. Addit לבאחא *Luffahh* Arabibus eſſe id ipſum quod Syris & Ægyptiis eſt שכאם *Schemmaim* ſeu *Schemmamah*. Porro שמאם à Cl. Golio in Lexico ex probatiſſimis Arabum Lexicographis vertitur Melonis genus parvum colocynthidis inſtar odoratum, ſtriis viridibus, flavis, rubriſque conſpicuum. Subjicit, cum hoc fructu convenire illum, qui à Matthiolo Comm. ad cap. Dioſc. de Mandragora, *mali aurei* nomine indigitatur. De eo ita habet ipſe Matthiolus: *Jam & aliud horum genus importari cœpit, preſſum, orbiculatorum malorum modo, melopeponum more ſectum, colore primum viridi, deinde ubi maturitatem ſenſerit, in quibuſdam plantis aureum, in quibuſdam verò rubrum viſitur. Ideóque vulgò appellatur Pomi D'Oro, id eſt, mala aurea.*

IX. Supereſt ſententia viri πολυμαθεστάτου, Chriſtiani Ravii Berlinatis, in Ubſalienſi Academia Orientalium Linguarum Profeſſoris, cujus extat prolixa & accurata de Dudaim diſſertatio. Putat is דוראים propriè notare *ramuſculos*, & quidem per Metonymiam efficientis pro effecto, vel ſubjecti pro adjuncto, *ramos ficuum*. Duo autem demonſtrare conatur. Prius quòd vox דוראים propriè notet *ramuſculos*. Poſterius, quòd impropriè & per dictam metonymiam notet *ramos ficuum*. Prius quod attinet, argumentis pugnat non contemnendis, nempe etymologia, locorum παραλληλίᾳ, Rabbinorum & verſionum præcipuarum conſenſu. Quoad Etymologiam, ex fundamentis Grammaticis probat, radicem vocis דוראים eſſe duodecuplam. 1. דאא. 2. דאו. 3. דאי. 4. דאה. 5. דוה. 6. דוו. 7. דוי. 8. דוה 9. דיא. 10. דיו. 11. דיי. 12. דיה. Probat autem maximè radicem דוה *doluit, debilitatus fuit, languit.* Debilitas verò & mollities ſingularis cum ſit in ramis & ramuſculis, qui ut ſunt tenelli fragiléſque ac debiles, ita omnem arboris nativum vigorem, folia, flores, fructus, ſingulorumque partes & partium miracula exhibeant; hinc ramum arboris commodè ex eadem radice derivari דור, cujus plenum & integrum ſit דורא ſicut plenum & integrum plurale ſit דוראים, defectivum vero דורים. Porro דור vel דורא à radice דוה notare ait πρώτως ramos arborum teneriores, vimina, virgas, ex quibus vimineæ crates & vaſa complicari poſſunt; δευτέρως talia vaſa viminea cujuſcunque generis: τρίτως vaſa quæ alterius materiæ quidem ſunt, ſed tamen igni non apponuntur: τετάρτως ea quæ in culinis adhibita igni apponuntur, qualia ſunt ollæ, lebetes, ahena, lacuſculi. Jam & loca

parallela

parallela citat, nimirum Cant. VII. 14. & Jerem. XXIV. 1, 2. Locus Cant. VII. 14. ita habet: הדודאים נתנו ריח ועל פתחינו כל מגדים חדשים גם ישנים דודי צפנתי לך quæ vir ille doctus ſic commodè reddi poſſe putat: *Rami protruſerunt odoratos flores ſuos, hinc ſupra portis noſtris omnifariam grati* (pendent) *fructus, præcoces ſimul ac maturi, dilecte mi, decerpam eos à te.* Alter verò locus Jerem. XXIV. 1, 2. ita habet: הנה שני דודאי תאנים מועדים לפני היכל הדוד אחד תאנים טובות מאד כתאני הבכורות והדוד אחד תאנים רעות מאד אשר לא תאכלנה מרע quem locum ita ille vertit: *Ecce par ramorum cum ficubus, allatum ad templum Jehovæ. Et quidem ramus unius ficuum ſapidarum valde, quippe ficuum præcocium: & ramus alter ficuum immaturarum valde, ita ut non poſſent comedi propter immaturitatem.* Nullam autem rationem putat dari poſſe, cur eo loco Helleniſtæ דודאי verterent καλάθους *calathos*, adeóque à prima ſignificationis proprietate *ramorum* tranſirent ad ſecundam *calathorum*, ſeu *caniſtrorum*, quæ ex ramis detortis plicatisque fiunt. Tamdiu enim in ſimplici & prima ſignificatione manendum eſſe, quamdiu non ſumma neceſſitas ad detortam ſecundariam notionem nos detorqueat & cogat. Ut ut enim in caniſtris afferri poſſent ficus, tamen & afferri potuiſſe ficus præcoces in ramo. Et quis, inquit, immaturas acerbásque in caniſtrum depoſitas attuliſſet ad templum Jehovæ? Denique conſentientes inducit tum Interpretes veteres tum Rabbinos, quæ *mandragoras* reddiderunt. Etenim Græcam Etymologiam vocis μανδραγόρα, quam omnes prætererint, à ſuis quoque ſtare partibus contendit. Cùm enim דוד notet ramos arborum in ſylvis & hortis, & circa eorum ordinem arbores differant, cùm quibusdam rami ſint inconditi, quibusdam ordinati, ut abieti, utrinque miro ordine invicem reſpondentes, teſte Theophraſto; vox autem μανδραγόρας ſit compoſita; facile quid in ſimplicibus notet, indagari poſſe. Heſychio autem μάνδρα notare ὕλας, *ſylvas.* quæ ſignificatio conveniat cum vocis Hebraicæ ſignificatu primario. Poſteriorem autem compoſitæ vocis partem, nimirum γόρος deſcendere vel à γέρας ſeu γῆρας tranſpoſitis literis in Latino *rugas* notante, & per conſequens ſenectutem, quia rami & mandræ decerptæ quaſi ἐκ νόσου γῆρας in tabem, ut æger ex febre hectica incidunt; vel ex Hebræo גרר à quo ſit גרוגרת *aridum, abſtractum à nativo loco & projectum, abraſum, abſciſſum.* Ut ita Mandragoras ſit vox Græca, primò & ſimpliciter notans perplexos ramos vel caudicem aliquot ramorum defractum ex ardore, cum vel ſine fructu exiſtentem. Atque hinc per metaphoram vocem eam traduci ad perplexas & intricatas mandragoras, ſeu radices à medio ad imum bifurcatas, & crura mutuo injecta habentes, à qua perplexa radicum crucis figura tota herba nomen habeat. Atque

Cccc priorem

Digitized by Google

priorem illam mandragoræ ſignificationem reſpexiſſe Helleniſtas, aliósque veteres nullus dubitat. Allegat etiam Gerundenſem, qui teſte Fagio ita ſcripſerat: *Retulit Ruben ramos aut fructum, qui ſimilis eſt pomis, habetque odorem optimum.*

X. Poſterius verò, quòd דודאים impropriè, & per metonymiam efficientis pro effecto, vel ſubjecti pro adjuncto, notent *ramos ficuum*, probat argumentis ſequentibus. Et primò quidem ejus metonymiæ exempla, ut in omnibus linguis, ſic & in Bibliis dari demonſtrat. Citat autem eam in rem plura exempla veluti cùm פרי *arbor* pro arboris fructu ponitur. Gen. III. 2, 3, 6. cùm שבר *frangere, dividere, diſtribuere, communicare* gratis aut pretio, viritim & in vulgus, aut certis perſonis, paſſim ſimpliciter, & ſolitariè exprimitur; ut de reliquis taceam. Secundò ait Prophetam Jeremiam in loco ante laudato eam figuram manifeſtè ſupplere. Quo in loco obſervat 1. eſſe eaſdem literas, vocaléſque vocis utroque loco. 2. Numerum pluralem utroque loco denotare non ſimplicem, & quæ ſingulari efferri poſſit, uti Græci mandragoram ſingulari numero ferè ſemper efferunt, ſed multiplex aliquid & ex pluribus compoſitum. unde & Rachel non omnes, ſed מדודאי partem eorum ramorum tantùm requirat. 3. Ficus in ramis naturaliter dari, & quidem acerbas, quippe immaturas, non autem in caniſtris. 4. In decerptis ramis præter præcoces & ſuaves, acerbos quoque fructus ſolere ferri, quamdiu præcoces non ſint decerpti, quaſi contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant. 5. Deeſſe ſenſui in Geneſi, cùm Dudaim notent ramos, fructum ramorum, & quidem non ingratum, neque prorſus rarum, ſed frequentiſſimum in agris, ut etiam pueri decerptum domum ferre potuerint. Tertiò convenire & hoc judicat, quòd ingens ſit ficuum gratia omnibus locis & temporibus. Quam in rem ex ſacris & exoticis pluſcula affert. Inprimis huc facere præcocitatem ficuum longè gratiſſimum. Quartò congruere etiam tempus maturitatis. Sicut enim Dudaim invenit Ruben בימי קציר חטים *in diebus meſſis triticeæ:* ita etiam ficus eſſe non quidem hordeariæ, triticeæ tamen meſſis præcox munus gratiſſimum. Hinc Hoſ. IX. 10. *Ut primum fructum in ficu, principio ipſius: ita cum gaudio videram majores veſtros.* Quintò etiam fragrantiam quadrare docet. Sicut enim ῥ Dudaim odor commendatur à Salomone: ita ficuum quoque εὐωδίαν in Scripturis prædicari. Ita enim de ficu habet Salomon Cant. II. 13. תאנה חנטה פגיה *Ficus cum odore protruſit groſſos ſuos.* Ubi חנט propriè notare *balſamationem* Principum obſervat.

XI. Hucusque diſſentientes de Dudaim virorum doctorum, quorum quidem hac de re lucubrationes videre contigit, opiniones, & opinionum

num ipſarum argumenta attulimus. Cæterùm pleræque illæ tales ſunt, ut vix ſatisfaciant accuratiùs rem totam expendentibus. Id jam paucis demonſtrare conabimur. Et primò quidem voce Dudaim mandragoras denotari, etſi receptior eſt Interpretum ſententia, tamen vix ullo argumento paulò ſolidiore conſtare nobis poteſt. Fateor Helleniſtas, Onkeloſum & Interpretes vetuſtiſſimos ita interpretari in loco Geneſeos. Sed iidem ſibi non conſtant. Nam in loco Jeremiæ cap. xxiv. 1, 2. ubi eadem vox nempe דודאי in ſtatu conſtructo occurrit, Græci Interpretes non retinent mandragorarum interpretamentum, ſed potiùs calathorum ſeu caniſtrorum. Sed & in loco Cant. vii. 13. Thargum habet בלסמין *balſamum*, non mandragoras. Quæ ſola varietas arguit, minùs rectè illorum Interpretum authoritate, quam Druſius hìc quantivis facit, viros cæteroquin doctiſſimos ſubniti. Accedit quòd mandragoræ fundant ריח *odorem*, uti liquet ex Cant. vii. 14. At mandragoræ vel odore carent, vel certè ingratum & gravem odorem habent, adeo ut etiam linguam & ſenſus intercipiant, teſte Plinio lib. xxv. 13. Præterea mandragoræ non proveniunt tempore meſſis triticeæ, ſed ſeriùs. Nam quòd excipiunt Druſius & Bonfrerius, mandragoras non legi maturas, & ut concedatur, maturas fuiſſe, quas Ruben attulit matri, quem tam imperitum eſſe, ut neſciat, fructus multò citiùs matureſcere in calidis regionibus, quàm in frigidis, adeóque in Judæa quàm apud nos; parum ſolidum eſt. Nam Moſes attingens circumſtantiam temporis, meſſis nimirum triticeæ, quo invenit Ruben Dudaim, palàm indicat, tempus illud fuiſſe, quo Dudaim tanquam jam immaturæ legi ſolent. Aliâs quid attinebat eam temporis circumſtantiam indigitari? Deinde in calidioribus regionibus flores & fructus adeóque etiam mandragoras citiùs ad maturitatem pervenire verum eſt. Et fieri poteſt, ut earum in Judæa maturitas incidat in tempus meſſis triticeæ noſtræ. Non tamen inde ſequitur, in meſſis triticeæ Judaicæ tempus eandem incidere, cùm ipſa etiam meſſis triticea in calidioribus regionibus, & in Judæa quidem Majum in menſem incidens, antevertat noſtram. Qui fructus frigidioribus in locis meſſem ſeram ſequuntur, iidem in regionibus calidioribus meſſem quamvis maturam & præcocem conſequantur oportet.

XII. Argumenta theſi tertia adducta, ut ad ea paucis reſpondeam, minùs firma ſunt. Et tria quidem priora ſupponunt id, quod admitti non poteſt, nimirum Leam & Rachelem de Dudaim contendiſſe ob inſitam vim fertilitatis ſeu conceptus promovendi. Quomodo Dioſcorides ait, credi, radicem mandragoræ εἶναι φιλτρῶν ποιητικήν, *in amatoriis efficacem*

eſſe. Etenim probabile nullo modo eſt, fœminas ſanctas de poſſeſſione Dudaim contendentes, eam intentionem habuiſſe, ut fructuum eorum ceu philtrorum quorundam uſu conceptum promoverent. Quod ſi hîc medicinæ rationem habuiſſet Rachel, aut ſi eâ fuiſſet imbuta peritiâ medicâ, ut perſuaſum haberet, mandragoram ſuis votis ſervire, haud dubiè curâſſet ſibi jam pridem, antequam ancillam marito tradidiſſet id medicamenti genus conquiri, nec donec fortuito caſu obtingerent, expectâſſet. Præterea diſcrimen ingens eſt inter philtra, quorum virtutem mandragoræ tribuit Dioſcorides, & ea quæ fertilitatem inducunt. Philtra enim mentem amatorio veluti faſcino in errorem pertrahunt, vel certè libidinis affectum excitant. At quæ fertilitatem inducunt, ea cupiditatem veneream non tantùm non movent, ſed etiam immoderatam cohibent, & compeſcunt. Talem autem libidinem non affectâſſe Rachelem, vel inde ſatis liquet, quod deſideratas Dudaim prætulerit commercio mariti, hócque præ illis ſorori indulſerit. Accedit, quòd mandragora non tantùm impenſè frigida ſit, ſed ſoporifero etiam narcotico effectu prædita. *Ut adeò*, verba ſunt Doctiſſimi Deuſingii, *ne quidem ad torridum æſtuantémque & quaſi exuſtum uterum contemperandum (ut Lemnius & Druſius interpretantur) apta foret: utpote cùm plus à narcotica illius vi ſeu ſtupefaciente qualitate damni expectandum ſit, & quoad conceptum promovendum incommodi, quàm à refrigerio emolumenti. Ne jam dicam in exuſta ejusmodi temperie non modo refrigerio opus eſſe, ſed & humectatione, quam mandragora haud ita commodè præſtat, quippe vergens propriùs ad ſiccitatem, aut ſaltem non adeò multùm humectans. Certè ad deſideratum ejusmodi effectum quem fingunt, longè præſtantiores futuri fuiſſent cucumeres, melones, pepones, cucurbitæ, aliique fructus refrigerantes ſimul ac humectantes, ſine narcotica tali, noxia, ipſique naturæ planè infeſta qualitate.* Subjicit pag. 576. *An rationi conſentaneum videtur, cùm hoc mandragoræ effectu narcotico poſſe conſiſtere vim ejus quandam fœtificandi? ubi ſanè ſpiritus non ſopitos ſed excitatos eſſe oportet? vel, annon potiori jure credendum, uſu ejus potiùs tum omnem appetitum venereum, tum & ipſam fertilitatem extinctum iri? Videtur hoc utique Perſis perſuaſum, qui uno eodémque vocabulo Uſterenk & Aſterenk, tum mandragoram tum ſterilem mulierem appellant. Qui verò poſſet uſus mandragoræ facere ad retentionem ſeminis, cùm narcotica potiùs reſolvunt partes, eáſque ad paralyſin aut apoplexiam diſponant, ad quam ipſe ſoporoſus affectus proximus gradus exiſtit: Unde Dioſcorides poma mandragoræ vocat καρωτικά, carum inducentia (qui ſanè nihil aliud quàm leviſſima apoplexia eſt) ac nimiam perceptionem etiam ſolius odoris ἀφώνυς ποιεῖν apoplecticos facere tradit. Non jam dicam, ſemen maſculinum neque in utero retineri, ſed ejus vi duntaxat*

fœcun-

Digitized by Google

fœcunditatem corpori mulıebri, indéque ejuſdem ſemini naſcituro conciliari. At quid ſomnus excitatus circa tempus coitus proderet retentioni conceptus poſtea futuri, præſertim narcoſi, ſeu enervatione per ſtupefacientia utero inducta? Verè autem enervatio quædam atque retentricis facultatis exſolutio obtingit utero vi mandragoræ. Nam Dioſcoride teſte, per ſe ſemioboli pondere appoſitus mandragoras menſes ciet atque partus. Nec verò alia vi ulla ſemen pomorum epotum vulvam purgat, quàm quod torpore inducto uterus ſinat contenta fluere: velut item per narcoticam vim ejus, hebetiore reddito partium ſenſu, atque humorum acrimoniâ retuſâ, contingit, rubrum fluorem muliebrem ſiſti. Nihil certè horum ad fœcunditatem conciliandam aut conceptum in utero retinendum confert. Hactenus Cl. Deuſingius, cujus medici peritiſſimi verbis hanc rem illuſtrare, quàm meis, malui. Quartum argumentum, quod mandragora cibus paſtorum ſit, minùs etiam ſtringit. Dioſcorides alicubi, non ubique à paſtoribus eſitari mandragoras docet. Et Matthiolus teſtatur, mandragoras naſci potiſſimùm in Apulia monte Gargano: unde radicum cortices & poma herbarii ad nos convehunt. Quod verò amabilitatem mandragorarum attinet, quæ in quinto argumento urgetur, communis illa ſanè eſt plurimis tum floribus tum fructibus, quorum non pauci venuſtate, odore, ſuavitate mandragoram multis poſt ſe paraſangis relinquunt.

XIII. Omittere non poſſum Hebræorum de figura hominis juxta vim ſymbolicam mandragorarum in Rubenis vexillo comparente, commentum. Quo etiam argumento Dudaim mandragoras eſſe perſuadere laborant. De eo ita habet Abenezra in Num. XI. 2. וקדמונו אמרו שהיה בדגל ראובן צורת אדם ככוח דוש דודאים *Anteceſſores noſtri dixerunt, fuiſse in Rubenis vexillo figuram hominis juxta vim Symbolicam mandragorarum.* Similia habet Chiſquni & Bar Nachman in Num. XI. Nempe mandragoras eſſe ἀνθρωπομόρφους, non Hebræorum duntaxat, ſed Chriſtianorum etiam quorundam ſomnium eſt ex eburnea porta. Conſtat quidem, mandragoram à Pythagora ἀνθρωπόμορφον appellari, & in Columella legi:

> *Quamvis ſemihominis væſano ſemine fœtu*
> *Mandragoræ pariat flores.*

Et Avicenna lib. II. Aljabruch, id eſt, mandragora eſt imago naturalis, id eſt, planta, quæ ſpeciem habet hominis. Et Interpres Turca in explicatione vocis Perſis quæ mandragoram denotat, dicit eſſe plantam in hominis figuram, quæ & צלם *idolum* ſeu ſimulachrum alicujus rei ſignificet. Sed mandragoram quotquot viderunt, merum hoc eſſe commentum nôrunt. Cum forma hominis nil commune habet præter radicem, quæ ſæpe eſt bifurcata. Quapropter, uti docet Matthiolus, ſi eo

 effo-

effodiantur tempore, quo fructum gerunt, qui mali inſtar ſuper folia ad terram procumbentia, brevi pediculo appenſus parum à radice diſtat, ut ita quaſi caput ſupra truncum in terra deliteſcentem referat, homines cui brachia deſint, effigiem aliquatenus repræſentant. Hæc cauſa, quòd Pythagoras ἀνθρωπόμορφον, & Columella *Semihominem* appellaverit. Sed Hebræi, uti ferè ex eorum ſcriptis colligitur, aliique fabulantur, ex urina ſuſpenſi furis ſub patibulo plantam enaſci, cujus radix homuncionem puſillum referat. Quinimo non effigie duntaxat externa homunculum repræſentare, ſed verè in tali effigie animalculum aliquod eſſe, atque animalis vitam ſub terra vivere, evulſumque clamorem vel ejulatum edere. Neminem porro ſine vitæ periculo hunc *homunculum ſubpatibularem* effodere, quòd audita voce ilico effoſſores moriantur. Hinc evelli fingunt cane famelico alligato, cui paſtus apponatur, homine interim, dum famelicus canis pultem devorat, auribus ante pice obturatis, citato curſu ociùs ſe ſubducente, ne voce audita periclitetur. Miram porro efficaciam ejusmodi homunculis tribuunt impoſtores in procuranda felici poſſeſſori fortuna, & mulierum ſterilitate abigenda. Cui fabulæ ſimilimam habet Joſephus de bello Judaico lib. VII. 25. de alia ſimili planta. *Vallis*, inquit, *quâ civitas Macharuntis à parte Septentrionali cingitur quidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur: quæ flammæ quidem ſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti jubar fulgurans. Accedentibus eámque vellere cupientibus facilis non eſt, ſed tam diu refugit, nec prius marcet, quàm quis urinam muliebrem vel menſtruum ſanguinem, ſuper eam fuderit. Quin etiam tunc ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi forte illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoque modo ſine periculo, qui talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita ut ea religant canem; illoque ſequi eum, à quo religatus eſt, cupiente, radix quidem facilè evellitur, canis verò continuo moritur, tanquam ejus vice, à quo tollenda erat, traditus: nullus enim arripientibus poſtea metus eſt. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, vivis immerſa, eósque necantia, quibus ſubventum non fuerit, hæc citò, etiamſi tantummodo admoveatur ægrotantibus, abigit.* Hanc ipſam fabulam, quòd mendacium forte nimis craſſum, de homuncione ex urina furis ſub patibulo genito, pelluceret, docti exiſtimant ſecundum nonnulla radici mandragoræ aſperſam eſſe; utpote quæ jam olim ad incantamenta, veneficia & pelliciendos in amorem inſanum animos à famoſiſſima Circe adhibita creditur. Sanè Plinius ipſe jam olim circa hanc plantam effodiendam plus æquo ſuperſtitioſus fuit. Scribit enim Hiſt. Nat. XXV. 13. *Cavent effoſſuri contrarium ventum, & tri-*

bus

bus circulis ante gladio circumſcribunt, poſtea fodiunt ad occaſum ſpectantes. Qua verò arte impoſtores mandragoræ mangonia confingant, & humanam ſpeciem exprimant, prodidit Matthiolus. Ex mandragoræ nempe, nec non Bryoniæ Arundinum, aliarúmque plantarum radicibus adhuc virentibus imagunculas humana ſpecie ſculpunt, utrumque ſexum mentiuntur, & credulæ turbæ perſuadent, ea formâ ac ſpecie cum terra natas eſſe. Quò verò accuratiùs humanam ſpeciem exprimant, hordei ac milii nec non grana inſigunt iis locis, quibus pilos exoriri volunt. Poſtea facta ſcrobe, tamdiu tenui ſabulo obruunt, donec grana illa radices emittant: id quod fit viginti dierum ſpatio. Demum eas eruunt, & enatas à granis radices cultello acutiſſimo ſcindunt, atque ita aptant, ut capillos, barbam cœteróſque corporis pilos referant. Aliud impoſturæ ſeu ludibrii genus refert Thomas Bartholinus Cent. II. hiſt. 51. Sed hæc παρέργου ὁδὸν dicta ſufficiant.

XIV. Diſcuſſâ prima & communi ſatis opinione reliquæ nullo negotio expediri poſſunt. Nam pleræque illæ argumentis nituntur ita generalibus, ut plurimis floribus vel fructibus etiam accommodari poſſint. Ita Fr. Georgius Venetus *lilia alba* intelligi fruſtra pertendit. Nam nec דודאים à דד *mamma* derivari poteſt: nec ſoli bulbi liliorum mammæ ſpeciem habent: nec lilia alba tempore meſſis triticeæ proveniunt, ſed eam potiùs ſive ſeram ſive maturam prævertunt: nec ſola ea grato ſe odore commendant: nec ſola fœcunditatem uteri juvant: nec denique Dudaim innatam habere facultatem fœcunditatem promovendi conſtat. Par ratio eorum, qui *violas* interpretantur. Nam violas albas ante meſſem triticeam *ver nunciare* rectiſſimè Plinius docuit, & res per ſe nota eſt. Quamvis verò flos ſpectatiſſimus, & ob eximiam pulchritudinem & odorem gratiſſimus ſit, non deſunt tamen alii, de quibus ſimilia dici poſſint. Neque etiam videntur rem tetigiſſe acu, qui Dudaim *tubera* terræ reddiderunt. Nam ut largiamur, דודאים dici quaſi דדים *ubera*, id tamen dilutum ſatis eſt, quòd *tuber* vir doctus dictum vult quaſi *terræ uber*, cùm tuberoſa multa ſint, quæ ex terra minimè naſcuntur. Rectiùs à *tumeo* derivant alii, ut à *facio*, *faber*, ab *humeo huber* ſeu *uber* deſcendit. Non tamen præciſè tuber à *tumore terræ* ubi creſcat, dictum videtur, uti Donatus & Iſidorus cenſent, ſed potiùs ex eo, quia fructus ille globoſus ac tuberoſus dictus. Eleganter Appulejus in Floridis: *Ubi uber, ibi tuber*, quòd propriè ſit, ubi ſoli ubertas, ibi & calli quidam. Quo ſignificari idem docet, *in ampliſſima quaque lætitia ſubeſſe quampiam vel parvam querimoniam, conjugatione mellis & fellis.* Cæterùm tubera nulla vel pulchritudine vel εὐωδίᾳ ſe commendant, ut ridiculum

lum ſit omnino ea pro Dudaim venditare. Denique & melonis ſeu peponis ſpeciem fuiſſe ut credamus, non inducimur. Non enim unius Interpretis Arabis ad hoc authoritas ſufficit, inprimis, cùm vocis לבאחא ſignificatus ſit ambiguus. Præterea conſtat, melonem eſſe fructum ſativum potiùs quàm αὐτόματον ſeu ſponte natum, qualem fuiſſe, quem in agro reperit Ruben, credibile eſt.

XV. Ne prolixior ſim in perſtringendis aliorum opinionibus, ſubſcribo ſententiæ Doctiſſimi Ravii, דודאים non in ſpecie fructum aliquem denotare, ſed vel ramuſculos fructuum vel calathos. Quam in rem locus clariſsimus eſt ſupra laudatus Jerem. XXIV. 1, 2. ubi Jeremias ſibi demonſtratos aſſerit דודאי תאנים quod LXX Interpretes reddunt, καλάθυς σύκων, & Vulgatus *calathos ficuum*, Onkeloſus itidem כלי תנים *calathos* ſeu *caniſtra ficuum*. Manifeſtum autem eſt, eandem eſſe vocem Geneſ. XXX. v. 14. & citato illo Jeremiæ loco. Neque ulla ratio cogit, ut alium ei voci ſignificatum induamus apud Jeremiam, alium apud Moſen, vel in cantico. Eædem ubique radicales. De fructibus etiam omnibus tribus in locis illis agitur. Aptior tamen in iis eſt ſignificatus ramuſculorum quàm calathorum, cùm credibile non ſit plures calathos attuliſſe Rubenem, qui דודאים non דוד aſportâſſe dicitur. Interim non conſentio eidem Ravio, qui *ramos ficuum* etiam in Geneſi ſubintelligi hariolatur. Perperam enim à genere ad ſpeciem argumentatur. Potiùs intelligi putem ramos florum vel fructuum amabilium & odoratorum. Et ramos quidem notari, probare mihi videntur argumenta à Ravio allata. Supplendam autem eam vocem eſſe, res ipſa, & locus ex Jeremia allatus manifeſtè arguit. Non malè igitur etiam Junius & Tremelius reddiderunt *amabiles flores*. Hæc ſententia placebit, donec rectiora docuerint alii. Nec dubito, quin Celeberrimus Bochartus in libello peculiari quem alicubi allegat, de *Dudaim* ſcripto, & hactenus niſi fallor, ἀνεκδότῳ, multa de Dudáim ſcitu digniſsima & hactenus paucis cognita, ex penu multigenæ doctrinæ & acerrimi judicii ſui deprompſerit.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XX.

DE

HISTORIA JOSEPHI.

SECTIO PRIMA

DE JOSEPHI VENDITIONE.

Breviarium.

Joſephi hiſtoria quamobrem à Moſe tam fuſè deſcripta? Ejus venditio, argumentique diſtributio. 1. *Cauſæ maleficii fratrum Joſephi tres enumerantur. Prima quòd Joſephus parenti retulit* את דבתם. *Quid* דבה*? Unde urſo inditum nomen* דוב*? Græcorum Interpretum error, & Iſaci Voſſii pro eo argumentum eliditur. Quam ob cauſam malè audiverint fratres Joſephi? Quo animo Joſephus fratres detulerit? diſtinctio Hebræorum inter* מוציא דבה *&* מביא דבה. 2. *Altera odii fratrum erga Joſephum cauſa, amor nimirum quo ipſum complexus erat Jacobus. Quo ſenſu Joſephus nuncupetur* בן זקנים *filius ſenectutis Jacobi?* כתנת פסים *qualis tunica fuerit? Cur ejus tunicæ meminerit Moſes? Sacerdotaliſne ea fuerit?* 3. *Odii fratrum impotentia, qui alloqui Joſephum non poterant.* 4. *Tertia odii fraterni cauſa, ſomniorum divinitus Joſepho oblatorum ratio. Somnii duplicis Joſephi interpretatio. Augurium ex ſtellis. Quomodo incurvatio ſiderum mente concipi potuerit? Fratrum & Jacobi ipſius erga ſomnia Joſephi affectus. Matris defunctæ ad venerandum Joſephum venturæ quo ſenſu meminerit Jacobus? Quomodo Jacobus ſe incurvaverit Joſepho?* 5. *Occaſio venditionis Joſephi, ejus nimirum ablegatio ad fratres.* 6. *Conſilia fratrum de occidendo ipſo* בעל החלמות *quo ſenſu*

ſenſu dictus fuerit? Θεομαχία fratrum. 7. An qui conſilium de Joſepho occidendo iniverunt, non fuerint niſi Simeon & Levi? Abarbanelis hallucinatio. 8. Ruben intercedit conſiliis fratrum. Quid מכת נפש*? Anima poſita pro vita. Quale conſilium fuerit Rubenis? 9. Facta violenta fratrum erga Joſephum. Nudatio Joſephi. An duabus tunicis exutus fuerit? Ejusdem detruſio in ciſternam, nec non in ea lachrymæ & preces ad fratres fuſæ. 10. Commeſſatio impia fratrum. Occaſio venditionis Joſephi transitus Iſmaëlitarum. Quid* ארחת*? Iſmaëlitarum cameli vexerunt* נכאת וצרי ולוט*? Quid* נכאת *? An myxaria? Quid* נכית *Arabum? Junii & Lud. de Dieu de eo conjecturæ ad partes vocatæ. Storacem denotari probatur.* ςυρακίζειν. *Quid* צרי*? Reſinam eſſe probatur.* לוט *an Ladanum denotet? 11. Venditio prima Joſephi facta Midianitis. Quo ſenſu ſimul Midianitis & Iſmaëlitis venditus dicatur? Pretium venditionis.* עשרים כסף. *Græcorum interpretum argenteos in aureos commutantium lapſus. Stanislai Geſepſii & Voſſii pro eorum patrocinio argumenta expenduntur. Joſephi error caſtigatus. An mina conveniat cum Darico vel aureo ſtatere? 12. Recenſentur ea, quæ venditionem Joſephi conſecuta. Deportatio ejus in Ægyptum. Rubenis luctus. Phraſis* non eſſe *explicata.* οὐκ εἰσὶ ὄντες *appellantur mortui. Fratrum ingenioſum commentum, quo impoſuerunt parenti. Hebræorum de Anathemate, quo ſe invicem fratres obligârint, impia fabula. Anaſtaſius Germonius notatus. 13. Jacobi luctus ſignis externis teſtatus. An* ימים רבים *notent viginti tres annos continuè durantis luctus? 14. Filiorum & filiarum Jacobi apud parentem tentata conſolatio. Quæ filiæ illæ fuerint? R. Judæ de eo nugamentum. Explicantur verba Jacobi:* כי ארד אל בני אבל שאלה *Vocis* שאול *ſynonyma apud Hebræos & Helleniſtas colliguntur.* Ἅδης. Ἀιδών. Ἀιδώνια. שאול *&* ἅδης *pro prima materia apud Hebræos & Græcos uſurpantur. Eſtque is earum vocum primarius ſignificatus.* Ἅδης *quaſi* ἀϊδὴς, *res inviſibilis. An voce* שאול *limbum intellexerit Jacobus? Sepulchrum intellexiſſe, probatur. Galatini, aliorúmque exceptio, quòd Jacobus Joſephum eſſe in ſepul-*

chro

chro non crediderit, eliditur. Infernus notione ſepulchri acceptus. Jarchii & Abarbanelis in voce שאול *quæſitum myſterium rejicitur.* 15. *Venditio Joſephi altera, facta Potiphari in Ægypto. Potiphar uxoratus quo ſenſu vocetur* סריס *eunuchus? Hebræorum de eo traditio improbata.* סריס *aliquando notat principem ſeu miniſtrum Regium. Eunuchorum in aulis Imperatorum gentilium & Chriſtianorum potentia. Quid* נאוה *in Thargum Onkeloſi* 2. *Reg.* VIII. 6. *Eugubinus notatur. Quid* שר הטבחים *quo nomine inſignitus Potiphar? An archimagirus vel præfectus militum? Præfectum rerum capitalium denotari probatur.* 16.

I. AD Joſephi hiſtoriam multis modis ἀξιομνημόνευτον venimus. Eam copioſiùs, quàm reliquorum Jacobi filiorum deſcribi Spiritus Sanctus curavit duas ob cauſas potiſſimùm. Primò, quia eximium præbet Exemplum pietatis, caſtitatis, prudentiæ & manſuetudinis. Secundò, quia per Joſephum, & occaſione ab ipſo nata factum, ut Jacobus deſcenderet in Ægyptum: qui deſcenſus cùm viciſſim aſcenſui occaſionem dederit, explicandus fuit. Abſque eo enim hiſtoria populi Iſraëlitici manca, perfectè intelligi non poterat. Nos hiſtoriam eam in partes tributam tradituri, hac vice venditionem ejus ab infidis fratribus peractam expendimus. Cujus quidem hiſtoriæ quatuor capita ſunt, nimirum cauſæ & occaſio inſtituti à fratribus maleficii, conſilia ab iis inita, maleficium venditionis ipſum, denique eventa venditionem conſecuta.

II. Cauſæ inſtituti fratrum maleficii memorantur tres. Prima, quòd cum fratribus paſcens, & adminiſtrum agens inter paſtores grandiores, retulerit את דבתם רעה אל אביהם *infamiam eorum malam patri eorum*, Geneſ. XXXVII. 2. Ubi דבה ψόγον πονηρὸν *crimen malum* reddunt Interpretes Græci; ut & Vulgatus, Arabs שנאעה רדיה *obſcænitatem peſſimam.* Notat דבה propriè murmur, ſermonem vel famam, uti ex Jerem. XX. 10. & Ezech. XXXVI. 3. conſtat. Unde à דבה *murmure* urſum dictum דוב vulgò arbitrantur. niſi forte rectiùs doctiſſimus Bochartus דוב derivat ab Arabico דבב *piloſam habere faciem*, quod in omnibus feris urſorum proprium eſt. Græci Interpretes juxta exemplar Romanum & Aldinum contrario ſenſu legunt: κατήνεγκαν *detulerunt* nempe Joſephum fratres apud parentem. Eodem modo Aquila: κατήνεγκαν γὰρ μετὰ Ἰωσὴφ ψόγον πονηρὸν Ἰσραὴλ πρὸς τὸν πατέρα αὐτῶν *Detulerunt* ſcilicet fratres *convicium malum de Joſepho*

 ad

ad patrem ipſorum. Quomodo etiam Chryſoſtomus, Theodorus Heracleota, Iſidorus Peluſiota & Theodoretus exponunt textum, quaſi non Joſephus fratres, ſed fratres Joſephum apud parentem detulerint, ut ipſum in invidiam & diſcrimen adducerent. Sed fons Hebræus diſertus eſt in hæc verba: ויבא יוסף את דבתם רעה אל אביהם *Detulit Joſephus infamiam eorum malam patri ſuo.* Quem ſenſum expreſſerunt etiam Thargum Onkeloſi, Samaritani, Syrus & Arabs. Tuetur tamen Vulgatam Interpretum Græcorum lectionem Vir Clariſſ. Iſacus Voſſius, eo ferè argumento, quòd probabile minimè ſit, Joſephum fratrum ſuorum delatorem fuiſſe. Cui argumento poſtea occurremus. Quam porro ob cauſam malè audiverint fratres Joſephi, textus non expreſſit. Auſi tamen ſunt conjectatores vani definire, quæ fratrum crimina apud parentem Joſephus detulerit, uti videre eſt apud Jarchium & Abenezram, qui more ſuo turpia hîc comminiſcuntur. Sufficiat & mala patrâſſe fratres, & ob patrata crimina hominum infamiam incurriſſe, atque propterea à Joſepho eam infamiam Jacobo detectam eſſe. Delatos eſſe ut κλινοβάτας uti poſt Hebræos quosdam Grotius putat, textus non habet. Nec probabile omnino eſt, tam horrendi criminis ſe alligâſſe, vel à patre punitos non eſſe, ſi ita res habuiſſet. Cæterùm Joſepho vitio verti non poteſt, quòd hujus infamiæ fratrum indicium præbuit parenti. Non enim vel malo animo, vel apud malè volentem eos detulit, ſed apud parentem communem: non ut infamiam iis procuraret, ſed ut eum patris operâ præcaveret. Quem ipſius animum colligere licet tum ex indole Joſephi candida, & ab omni malevolentia aliena, tum ex eo, quòd non apud alios fratres traduxit, ſed patrem, qui corrigere potuit, monuit; tum ex ipſius Jacobi facto, qui cum fuerit vir pius & prudens Joſephum eo nomine non objurgavit, nec quo minùs in delatione perſiſteret, prohibuit. Non malè Hebræi diſtinguunt inter מוצא דבה *proferentem infamiam*; & מבא דבה *referentem infamiam*, ita ut illud ſit maligni delatoris, qui defert vel falſò, vel mendaciter, vel iniquo animo, de quo eſt illud Prov. x. 18. מוצא דבה הוא כסיל *Qui profert convitium, ſtultus eſt:* poſterius verò ejus, qui verè aliquem defert, ſtudio emendandi malum, id quod fecerit Joſephus.

III. Altera fratrum erga Joſephum odii cauſa fuit quòd ישראל אהב את יוסף מכל בניו כי בן זקנים הוא לו *Iſraël diligebat Joſephum præ cæteris filiis ſuis, quia filius ſenectutis erat ei*, verſ. 3. Rationem additam amoris, quo Jacobus Joſephum complectebatur, *quia filius ſenectutis erat ei*, aliter atque aliter explicant Hebræi, uti videre eſt apud Abarbanelem. Thargum Onkeloſi reddit: ארי בר חכים הוא ליה *quia filius ſapiens erit ei.* Putat igitur *filium ſene-*

ſenectutis vocari ob ſenilem prudentiam & ſapientiam. Atque ita etiam Abarbanel: ר״ל עם בני בלהה ועם בני זלפה היה נער וכערכו וישבתו אצל אביו היה בן זקנים רוצה לו לפי שהיו פעולותיו משוערות כפי הזמן והמקומות וראה שהיה חכם בכל מעשיו ולכן אהב אותו אביו מכל בניו: *Vult dicere. Cum filiis Billhæ & filiis Silpæ puer fuit: Sed quando fuit apud patrem, fuit filius ſenectutis ei. Et quia actiones ejus omnes fuerint diſpoſitæ ſecundum tempus & loca, apparet eum ſapientem fuiſſe in omnibus actionibus ſuis. Et propterea eum dilexit pater ejus præ omnibus filiis ejus.* Rectius alii ſimpliciter exponunt, dilectum fuiſſe Jacobo præ cœteris filiis Joſephum, eò quòd ipſi in ſenectute natus eſſet. Ita Abenezra: כמשמעו כי הולידו והוא בן תשעים ואחת שנה *ſecundum ſimplicem ſenſum ita vocatur Joſephus: quia genuit eum Jacobus cum natus eſſet annos nonaginta & unum.* Joſephus nempe poſtremus fuit inter undecim. Sicut igitur Rubenem vocavit ראשית אונו *initium roboris ſui*, ita Joſephus, addo & Benjamin inclinantibus parentis viribus geniti *filii ſenectutis* rectè appellantur. Eſt autem omnium ferè parentum cordibus id impreſſum, ut affectu majori ferantur in minimos liberorum, ita providente etiam autore naturæ videlicet quia defenſione & curâ parentum præ cœteris illi opus habent. Non putamus tamen, ſolam eam rationem fuiſſe, ob quam Joſephum diligeret parens præ cœteris. Acceſſerunt aliæ, nimirum quòd eum ſuſcepiſſet ex Rachele uxore ſibi dilectiſſima, quódque moribus ejus delectaretur magis, quippe in quo plura virtutum heroicarum indicia & ſpecimina cerneret. Tenerrimum hunc erga Joſephum animum parens diſſimulare non potuit, quin ei etiam externis ſignis aliquid amplius indulgeret. Hinc eſt, quòd ipſi feciſſe dicitur כתנת פסים *tunicam polymitam*, uti habet Vulgatus. Græci χιτῶνα ποικίλον *tunicam variam*. Syrus כיתינא דפרּיתא *tunicam fimbriatam*; Arabs חבה עיבאח *tunicam ſericeam*. Quomodo etiam Lyranus *tunicam* interpretatur *ſericeam*. Jarchius: לשון כלי מלת כמו כרפס ותכלת וכמו כתונת הפסים דתמר ואמנון *ſignificat inſtrumentum ſeu veſtem ut carbaſus & hyacinthus & ut tunica verſicolor Thamaris & Amnonis.* Abenezra explicat כתנת מרוקמת *tunicam acu pictam*. Kimchius מצבעים רבים *ex multis coloribus conſtitutam*. Alii aliter. Non diſplicet Græcorum Interpretum expoſitio. Notat enim כתנת פסים *tunicam particularum*, adeóque variam, variegatam & multicolorem. Particulæ in ea tunica diverſæ & variæ æſtimabantur, quia diverſis coloribus tinctæ. Ejus veſtis meminit Moſes, quia ejus etiam occaſione tum aucta eſt fratrum invidia tum poſtea fratres excogitaturi erant commentum, quo parentem fallerent, & facinus ſuum tegerent. Sacerdotalem fuiſſe veſtem, fruſtra fingunt Hebræi. Neque etiam probamus allegorias vel Philonis, qui in veſtis varietate

Digitized by Google

agnoſcit multiformem ſolertiam, prudentiam & induſtriam civili viro neceſſariam: vel Gregorii, qui talarem veſtem vult ſignificare perſeverantiam in bene agendo uſque ad finem. Nihil tale cogitavit Jacobus, ſed bonus ſenex juniori filio id indulſit, ut ſpeciali hoc ornamento ſuum erga eum affectum teſtaretur. Neque filios propterea exacerbatum iri providerat, de quorum affectu erga fratrem forte judicabat ex ſuo.

IV. Favor hic Jacobi erga Joſephum tantam ei apud fratres impotentes invidiam conflavit, ut eum odio haberent, neque poſſent דברו לשלום *alloqui eum pacificè* verſ. 4. Pro quo Arabs habet ולם יסתטיעוא אלסלם עליה *& non poterant ſalutare eum.* Verbis haud dubiè durioribus eum exceperunt, quibus exulcerati animi indicia ederent. Fieri etiam poteſt, ut ætatis prærogativa & fortaſſe experientia in paſtorali curâ abuſi, duriores ſe pædagogos, quàm indoles ejus docilis & morigera requiſiverat, præbuerint. Ita levi initio cœpit tam inæſtimabilis Divinæ providentiæ ordo. Tunicula odium peperit, exilium, dominium, deſcenſum in Ægyptum & quicquid ſecutum eſt. Sed & ſubit mirari humani ingenii corruptionem, cùm hucusque viderimus in tribus ſanctis familiis tantopere exarſiſſe odia fratrum, ut in una, Adami nimirum, fratri frater necem intulerit, in altera Iſaci conſilium de fratricidio meditatum eruperit in minas: in tertia denique Jacobi idem tentatum fuerit, uti poſtea videbimus. Abarbanel forte non ſine cauſa conjectat, ſuſpicionibus etiam indulſiſſe Joſephi fratres, quaſi videlicet Jacobus animo cogitaret Joſephum, utpote ex Rachele conjuge præ cœteris adamata primogenitum, cœteris fratribus in hæreditate herciſcunda præponere, & primogenituræ jure donare, haud ſecus; quàm ipſe Eſavo prælatus fuerat.

V. Tertia demum fratrum erga Joſephum odii cauſa fuit ſomniorum ratio, quæ divinitus oblata ſibi Joſephus puer fratribus indicabat, ac proinde imprudens, & opus divinum agens flammam illam invidentiæ & odii in fratribus accendebat. Bipartitum ſomnium illud erat. Primum ſumptum ex rebus terreſtribus ſpinis & manipulis, quos cum ligâſſent in agro fratres Joſephi, manipulus ſtare, at fratrum manipuli circumſtare, & illi ſe incurvare videbantur. Secundum deſumptum erat ex rebus cœleſtibus, ſole nimirum, luna & undecim ſtellis, quas ipſi ſe incurvâſſe ſomniavit. Primo illo ſomnio indicabatur frumentatio, cujus cauſâ in Ægyptum ituri erant Iſraëlitæ, ibidem ſubjiciendi Joſepho. Secundo eadem continebatur prædictio, amplificata tamen hactenus, quòd ſub nomine Solis & Lunæ parentes etiam Joſephi complectitur. Ita Achmes, Onirocrit. cap. 168. ex Perſarum & Ægyptiorum diſciplina: Ἐὰν ἴδῃ τις

ὅτι

Digitized by Google

ἔπι ἐδέσπωσε τῶν ἄλλων ἀςέρων πάντων δεσπώσει πάντων λαῶν *ſi quis in ſomno viderit ſe ſtellis imperare omnibus, omnibus is imperabit populis.* Proinde ſomniorum ea Interpretatio adeò facilis & expoſita erat, ut ſtatim ſuboleret non Jacobo duntaxat, verùm etiam fratribus Joſephi. Qua verò ratione in poſteriori illo ſomnio potuerit fieri vel mente concipi ea incurvatio Solis, Lunæ & ſtellarum, quæritur. Philo Judæus ait, viſum eſſe ſibi Joſephum videre venientem ad ſe ſolem, lunam & ſtellas. Joſephus vidiſſe ipſum ſolem, lunam, ſtellas in terram deſcendere. credibile omnino eſt, viſum ſolem, lunam, ſtellas ad ejus pedes deſcendere, & mox ſua in loca ſe recipere, quæ motio ſubjectionem indicat. Quomodo autem fratres Joſephi audito primo ſomnio affecti fuerint, prodit illorum reſponſio talis: המלך תמלך עלינו אם משל תמשל בנו: *numquid regnando regnabis ſuper nos, & dominando dominaberis nobis?* Unde invaluiſſe eorum adverſus Joſephum odium dicitur על חלמותיו ועל דבריו *propter ſomnia & propter verba ejus* verſ. 8. ubi דברים *verba* illa, ob quæ Joſephum odio habuerunt fratres, Hebræi nonnulli referunt ad דבה רעה *infamiam* eorum apud Jacobum ab ipſo delatam. Abarbanel verò conjicit, fratres ſomnia Joſephi *verba* inania non res reputâſſe. Verba ejus ſunt, ואפשר לומר שחשדוהו שהוא מעצמו היה ממציא החלום ההוא כדי להכעיסם ולזה אמר ועל דבריו או שהיה מוסיף בו דברים וכפי זה היו קוראין לו בעל החלמות שהוא היה עושה אותם כרצונו: *probabile eſt, quod inſimulaverit eum, quaſi ex ſe ipſo ſomnium iſthoc finxerit ad irritandum eos. Propterea dicitur* על דבריו. *Aut quod ipſe addiderit aliquid. Inde eum vocârunt dominum ſomniorum, quaſi illa pro lubitu excogitaret vel faceret.* Sed & parens ipſe ob alterum ſomnium à Joſepho ſibi narratum eum increpavit hiſce verbis: מה החלום הזה אשר חלמת הבוא נבוא אני ואמך ואחיך להשתחות לך ארצה: *Quid ſibi vult ſomnium illud quod ſomniâſti? Numquid veniendo veniemus ego & mater tua & fratres tui ut incurvemus nos tibi terram uſque?* verſ. 10. Cùm verò mater Joſephi Rachel tum mortua fuerit, quid *matris* nomine intellexerit quæritur. Hebræi uti videre eſt apud Jarchium, non dubitant quin Billham intellexerit Jacobus, quæ loco Rachelis Joſephum nutrivit & eduxit. Ita Plauto *mater* eſt, *quæ mammam dedit.* Alii ita accipiunt, quaſi pater refutet ſomnium cùm Joſepho inſoleſcendi, tum fratribus invidendi occaſionem præripere cupiens, quaſi diceret: *oporteret me per ſolem, per lunam matrem intelligi: At mater mortua, videtis itaque vanum eſſe ſomnium.* Abarbanel in verbis illis אני ואמך ואחיך *Ego & mater tua & fratres tui*, obſervat totidem, tria nempe argumenta adverſus Joſephi ſomnium, quaſi diceret: An ego veniam pater videlicet tuus ut coram te me proſternam? an mater tua quæ mortua eſt? An fratres tui qui te odio habent? Nec ego,

Digitized by Google

ego, nec mater tua, nec fratres tui veniemus. Proinde vanum eſt ſomnium tuum. Eadem eſt expoſitio Lyrani. Prior tamen expoſitio ſimplicior eſt, ut matrem intellexerit Billham. Somnii igitur ſignificatio totam reſpexit familiam, qualis eſſe debuit eo tempore, quo Joſephus erat evehendus, & familia Jacobi in Ægyptum deſcenſura. Cujus veritas conſtare potuit, etſi tum nulla omninò mater Joſephi extitiſſet: quia voluit ei Deus talem dignitatem promittere, ad quam nemo erat in ædibus Jacobi, qui procubiturus non eſſet; quod ex hypotheſi intelligendum de iis, qui tum viverent, aut ſi viverent. Et fratres quidem ei ſe incurvâſſe certum eſt. Sed de patre, qui ſuperſtes utique erat Joſepho in ſublime evecto, quid dicemus? Non legimus equidem cùm veniſſet in Ægyptum, ipſum coram Joſepho procubuiſſe. Vix tamen dubitari poteſt, quin in filio coluerit dignitatem Proregis, ad quam evectus fuerat, atque ita etiam ſomnio fidem fecerit. Præterea ex hiſtoria diſcimus Jacobum per filios, quos in Ægyptum mittebat priusquam didiciſſet, eſſe filium ſuum, ei omnes honores detuliſſe, qui tum magnatibus ab ejusmodi inferioribus deferri conſueverant. Hinc cùm interrogarentur fratres à Joſepho, an Pater eorum ſuperſtes adhuc eſſet, reſponderunt illi: *Soſpes eſt ſervus tuus pater noſter: & adhuc vivit. Et incurvati adorarunt eum* Geneſ. XLIII. 28. Pactum olim etiam Romæ, ut parentes colerent filios dignitate eminentes, uti oſtendit Agellius lib. II. cap. 2.

VI. Occaſio nunc ſequitur venditionis Joſephi. Ea autem ejusmodi fuit, quòd paſcentibus fratribus ad Schecemum Jacobus imprudens & nihil tale à fratribus exſpectans quamvis odii illorum & invidentiæ probè conſcius, Joſephum ad eos de pace & ſtatu eorum percontaturum miſit. Qui quidem promptè imperata faciens Schecemum ſeu Sichimam contendit. Ubi cùm fratres non inveniret, non ſtatuit equidem reverti infecta re ad parentem, ſed potiùs moleſtiam perveſtigationis oberrans hinc inde in agro ſubivit, donec facto ipſi à viro quodam, quem perperam Angelum & quidem Gabrielem faciunt Judæi audaculi, indicio eos reperiret in Dothan, quæ oppidum erat duodecimo à Sebaſte ſeu Samaria urbe Regia ad Septentrionem milliari, uti Hieronymus *lib. de locis Hebraicis* docet. Jacobus ſanè de filiis ſuis optima quæque ſibi promittens, nec metuebat, nec ſuſpicabatur quidquam adverſus Joſephum illos machinaturos. Nec Joſephus, quamvis eorum odia expertus eſſet quidquam cauſatur, quò minùs ad eos lubenter excurreret, neque ex iis quæ præceſſerunt, argumenta metus vel ſuſpicionis colligit, quod tum ſimplicitati tum charitati ejus tribuendum. Qui ſi quidquam ſuſpicatus eſſet mali, occaſionem habuiſſet revo-

Digitized by Google

revocandi gradum, & ſe apud patrem excuſandi, cùm in loco deſignato eos non reperiſſet. Nunc autem cùm ulterius etiam, quàm in mandatis acceperat, progreditur, exemplum præbet laudabile filii ad parentis nutum compoſiti.

VII. Occaſioni huic ſucceſſerunt conſilia fratrum. Antequam enim ad eos acceſſiſſet Joſephus, dixerunt alter alteri: הנה בעל החלמות הלזה בא: ועתה לכו ונהרגהו ונשלכהו באחד הבורות ואמרנו חיה רעה אכלתהו ונראה מה יהיו חלמותיו: *Ecce ſomniator ille venit: nunc ergo venite, & occidamus ipſum, projiciamus eum in unam è ciſternis, & dicemus, fera mala devoravit eum. Et videbimus, quid erant ſomnia ejus.* verſ. 19, 20. Ubi Joſephum per convitium appellant בעל חלמות ſeu, uti Græci vertunt ἐνυπνιαςὴν *inſomniatorem*, qui videre inſomnia ſolet, ut *inſomnius* Catoni eſt qui vexari inſomniis ſolet. Alii *dominum ſomniorum* dici exiſtimant, quia inſomniis & per ſomnia dominium ſibi promitteret. Abarbanel explicat: העשה החלמות מעצמו כחפצו *qui facit ſomnia ex ſeipſo, ſecundum voluntatem ſuam.* Quicquid ſit, certum eſt Διασυρτικῶς ita nuncupatum eſſe. Pro vano ſomniatore ab ipſis habitum eſſe, ſatis prodit improba machinatio. Occidere enim voluerunt, ut morte ejus ſomniorum vanitas convinceretur. Qua ratione non tam Joſephum quàm Deum ipſum petunt θεομαχοῦντες tam irrito, quàm nefario incœpto. Inde enim, ut præclarè notat Gregorius M. lib. 6. Moral. in Jobum, *Voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt, & omnipotentis conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur quia ſæpe & hoc ejus diſpoſitioni aptè militat, quod ei per humanum ſtudium frivolè reſultat.* Impletum heic illud Sapientis: *Multæ cogitationes ſunt animo cujusque, ſed conſilium Jehovæ ſtabit* Prov. XIX. 21. Inierunt nempe conſilium de tollendo Joſepho fratres: at Deus de eo extollendo. Videbatur eſſe in poteſtate fratrum ſuorum ſolus inter multos, agnus inter lupos. Sed aderat Deus, qui corda hominum flectit, prout vult.

VIII. Abarbanel ſecutus magiſtrorum doctrinam eos qui de Joſepho occidendo conſilium inivêre, Simeonem & Levi fuiſſe ſolos exiſtimat, idque eo argumento probare nititur, quòd duo illi filios ancillarum nullo loco habuerint, quodque Joſephus cum filiis ancillarum conſuetudinem habuerit, atque proinde eorum odium perfectum hactenus non incurrerit. Verba ejus ſunt: ואר״ול שהיו אילו האמרים ועתה לכו ונהרגו שמעון ולוי ויש להם טענה כי הנה ראובן ויהודה לא היתה שנאת שלמה ובני השפחות היו הקטנים ופחותים אצלם והוא היה שגור אצלם לא יעצרו כוח לומר דבר בזה נשאר אם כן שהיו שמעון ולוי כי כפכי שבאוהו שכם הרגו החללים רצו להרוג עם גם אזה: *Et dixerunt Magiſtri noſtri, eos qui dixerunt; nunc ergo venite & occidamus illum:*

lum: fuiſſe Simeonem & Levi. Cujus rei hanc allegant rationem, quòd Rubenis & Judæ odium non fuerit perfectum: quodque illi ancillarum filii apud reliquos nullo in pretio & authoritate fuerint. Cumque apud illos educatus fuerit Joſephus nullam omninò vim ipſi illaturos fuiſſe. Ergo relinquitur quòd fuerit Simeon & Levi, qui ſicut antea Sichemitas vulnerârunt & occiderunt, ita etiamnum hunc occidere inſtituerunt. Verùm haud dubiè eum opinio fallit. Nuſpiam enim Scriptura hanc differentiam inſinuat, quæ fratres ubique indiſcretè nominat. Et Rubenem à conſilio illo excipiens, ſatis innuit, ei cœteros implicitos fuiſſe. Neque argumenta contraria ſolida ſunt. Etenim Rubenis & Judæ odium perfectum non fuiſſe, unde fidem faciet? de omnibus dicitur verſ. 4. ישנאו אותו *odio habuerunt eum.* Et cauſa odii, prærogativa nimirum paterni amoris, communis fuit fratribus reliquis. Fuerint filii ancillarum vili apud reliquos pretio. Id non obſtat, quò minùs conſpirantes in malo admitterentur. Neque etiam contubernii ſocietas impediebat quo minùs maligno eſſent adverſus ipſum animo ancillarum filii.

IX. Sanguinariis fratrum conſiliis interceſſit ſolus Ruben frater maximus, partim vi neceſſitudinis, partim metu paternæ offenſionis, quæ in ipſum velut natu maximum gravior erat recurſura, maximè anteacti facinoris ſui conſcientiâ. Is igitur conſilio quodam ſpecioſo, quaſi conſentiret quidem in Joſephi perditionem, at à ſanguine ejus effundendo abhorreret, propoſiti ſceleris executionem retardavit. Et primò quidem hoc illis proponit his verbis: לא נכנו נפש *ne percutiamus animam* verſ. 21. ubi Græci habent: *ὀ πατάξωμεν αὐτὸν εἰς ψυχήν. non percutiemus eum in animam.* Notat Hebræis מכת נפש ejuſmodi *percuſſionem*, qua anima exit ex corpore, ut homo mori neceſſum habeat. Ita Jarchius: מכת נפש זו היא מיתה *percuſſio animæ notat mortem.* Rectè Auguſtinus monet, *animam* pro *vita* poni. Ita Job 11. 6. *Animam ejus ne tetigeris*, id eſt, ne eum occidas. Hoc igitur primùm impetrare vult, ut vitæ Joſephi parcatur, ſaltem ne ipſi fratris ſui carnifices ſe gerant. Suggerit poſtea aliud conſilium, ut nimirum in ciſternam eum conjicant, ex qua emergere nequeat. Quod quidem per ſe conſideratum, & ut ſonat haud minùs ſævum & atrox fuit priori illo à fratribus in medium propoſito, quod proinde Abarbanel vocat נסיון גדול *tentationem magnam.* Putat enim, fratribus hoc conſilio eum perſuadere voluiſſe, ſi in ciſternam projiciatur, manifeſtum futurum, ſomnia ejus ex Deo ſint nec ne. Etenim ſi ex Deo ſint, haud dubiè Deum ex ciſterna liberaturum. Sin, æquum eſſe ut levitatis pœnam in ciſterna lueret. Sed propoſitum Rubenis aperiens Scriptura, eum etiam abſolvit in

fratris

Digitized by Google

ſratris cœde intentata. Dicit enim primùm hac ratione *eripuiſſe* illum è manu eorum, quod ante omnia faciendum erat.

X. Conſilia hæc ſequitur narratio factorum. Fratres moti Rubenis rationibus ſtatuerunt omnino eum in ciſternam projicere. Et primò quidem appellentem Joſephum tunicâ illâ exuunt variegata, quam pater illi confecerat. Id ita Moſes exprimit: ויפשיטו את יוסף את כתנתו את כתנת הפסים אשר עליו: *& expoliarunt eum tunicâ ſuâ, tunicâ variegatâ ſuper eum*, verſ. 23. Quæ verba ita exponunt Hebræi quidam, ut primum כתנת notet חלוק *induſium*, quod cuti adhæret, poſterius autem, nempe כתנת פסים *tunicam variegatam*, hoc ſenſu: *Et ſpoliârunt eum interula ſeu induſio una cum tunica variegata.* ut ſic penitus ipſum denudaverint. Id tamen nimis argutum. Moſes enim non duo tunicarum genera diſtinguit, ſed quæ tunica fuerit, quâ ipſum ſpoliârunt explicat. Hâc nempe tunicâ exutum præcipitem dederunt in ciſternam, & quidem: הבור רק אין בו מים *ciſternam vacuam, in qua aqua non erat* verſ. 24. Joſephus ſcribit, à Rubene fuiſſe per funem demiſſum. Locum profundum fuiſſe ex quo ſua ſponte emergere aliquis non poſſit, eſt probabile. Ciſterna porro vacua fuit & ſine aquis, quales ejusmodi in deſertis locis effodi ſolebant à Paſtoribus ad retinendas pluviarum aquas, quibus poſſent pecudes ſuas aquatum ducere. Sed in locis calidis, æſtivo præſertim tempore ſiccantur. Haud dubiè id operam dedit Ruben, ut in ejusmodi potiùs, quàm aquis refertam foveam Joſephus demitteretur, ut ita quidem carcere detineretur, nec tamen in ea ſuffocaretur. Et ad hanc Joſephi anguſtiam alludit Zacharias cap. IX. 11. *Emiſiſti vinctos* מבור אין מים בו *è ciſterna, in qua non erat aqua.* Quid dixerit porro Joſephus ea in anguſtia conſtitutus, haud equidem Moſes commemorat. Ipſi tamen fratres Geneſ. XLII. fatentur illum in anguſtia hac conſtitutum, verbis, uti videtur & lachrymis, eorum animos ad miſericordiam inflectere conatum eſſe.

XI. Ex tam inhumano impióque facto ad cibum capiendum quaſi re bene geſta, extortaque vi conſcientiæ tranſiverunt. Maximum hoc eſt impietatis inveteratæ teſtimonium, cùm qui malè fecit, tanquam re bene geſta triumphat, nec cogitat judicem & ἔκδικον ὄμμα in cœlo ſedere. Quam nequitiam depingit Sapiens Prov. IV. 17. *Veſcuntur cibo improbitatis, & vinum omnimodæ vinolentiæ bibunt.* Aberat tamen à ferali illo convivio Ruben, uti ex verſ. 29. colligere eſt. Explorabat haud dubiè, & expectabat occaſionem, quâ fratri miſero poſſet ſuccurrere, & conſilium ſuum de eo patri reſtituendo effectum dare. Sed Deo viſum, alio ipſum modo liberare, & ad gloriam evehere. Et primò quidem occaſionem venditionis

 obtulit

Digitized by Google

obtulit fratribus relicto in miſeria Joſepho, ſecurè epulantibus. Cùm enim attollerent oculos הנה ארחת ישמעאלים באה מגלעד וגמליהם נשאים נכאת וצרי ולט הולכים להוריד מצרימה: *& ecce turba Iſmaëlitarum veniebat de Gilead: & cameli eorum portabant aromata, reſinam & ſtactem, euntes ut deferrent in Ægyptum* verſ. 25. Pro ארחת Thargum Onkeloſi habet שירת ערבאי *turma Arabum*. Arabs ברפקה איראב *comitatus Arabum*. Græci ὁδοιπόροι Ἰσμαηλῖται *viatores Iſmaëlitæ*. Quomodo etiam Jarchius vocis etymon indigetans dictos ait, tanquam הולכי אורח *viatores*. Erat nempe, ut rectè obſervatum Grotio, *συνοδία* ſive ut nunc loquuntur, Caravana ex variis Arabum populis. Unde mox Madianitæ iidem vocantur. De Iſmaëlitis porro actum nobis Exerc. VI. 26. Iidem Iſmaëlitarum Cameli dicuntur præter צרי ולט *reſinam & ſtacten* portâſſe נכאת quæ vox perincertæ ſignificationis occurrit hoc loco & cap. XLIII. 11. Jonathan שעוא & Arabs Erpenianus סמיעא *ceram* exponunt, uti etiam Bereſith Rabba ſect. 91. Apud Onkeloſum putant שעף id ipſum eſſe, quia ad שעוא prope accedit. At LXX θυμίαμα ſeu θυμιάματα reddunt: Aquila στύρακα; Hieronymus in priore loco *aromata*, in poſteriore *ſtoracem*, ut Aquila; Syrus רהטנא reſinam; Kimchius דבר נחמד *rem deſiderabilem*; Jarchius כנוסי בשמים הרבה *collectiones plurium aromatum*. Recentiores in re dubia è vetuſtioribus hunc vel illum ſequuntur, prout viſum eſt. Solus Junius novam expoſitionis viam inſiſtens reddidit *myxaria*, quæ Arabicè ait dici Nuketa, teſte Ægineta, Æetio, Pſello & Actuario, voce proximè ad Hebraicum *Nekoth* accedente. Conſtat equidem ex Camus, apud Arabes נכית eſſe è numero שואך, quod nomen generale eſt, quo omnia dentifricia deſignant, quæ in quotidiano uſu ſunt apud Arabes. Inter quæ maximè æſtimantur aromata quædam, quibus non tantùm dentes mundantur, ſed præcipuè fragrantia halitui oris conciliatur. Unde ea aromata hîc deſignari voce נכאת veriſimile putat Doctiſſimus Lud. de Dieu, quia ex Gilead regione thurifera adferebantur, & unâ cum opobalſamo & ſtacte conjungantur. Cœterùm myxaria Arabibus ſunt מכים quæ vox cum נכאת exiguam vel nullam affinitatem habet. Proinde Junii expoſitio admittenda non videtur. Neque etiam in genere aromata ſignificat. Manifeſtum enim eſt ex hoc loco, nec non ex cap. XLIII. 11. non in genere aromata, ſed peculiare aliquid, ut mel, reſina, ſtacte, quorum ibi fit mentio, ea voce denotari. Aquilæ, qui ſtoracem reddidit, præferendam omnino cœteris ſententiam, ſequentibus probat argumentis Bochartus. Primò enim ſtorax in Syria abundè provenit. Plinius lib. XII. 25. *Proxima Judeæ Syriæ ſupra Phœnicem ſtyracem gignit circa Gabala & Marahmta, & Caſium Seleuciæ montem.* Ita etiam Dioſcorides.

Digitized by Google

rides. Alii Phœniciæ adſcribunt, ut Artemidorus apud Stephanum in *χάρνη*. Et Joſephus lib. xv. 23. Galileæ. Secundò ſtorax inter laudatiſſimos eſt terræ fructus, cujus inter aromata uſum maximè medici commendant. Tertiò ut hic Iſmaëlitæ, ſic apud Plinium lib. xII. 17. Arabes ex Syria revehunt Styracem. Quartò Moſes cum נכאת jungit reſinam, mel & myrrhæ ſtacten. Atqui ad horum naturam accedit ſtorax. Unde Dioſcorides ſtoracem optimum vocat ῥητινώδη reſinoſum, aitque cùm ſubigitur melleum quendam liquorem emittere. Hinc apud Plinium *ſtyrax adulteratur cedri reſina vel gummi aliâs melle.* Quintò convenit etiam radix Arabica נכת quæ notat tum *haſta terram ita verberare, ut nota impreſſa maneat*, tum *haſta confoſſum aliquem in caput dejicere.* Atqui ex ſtyrace arbore fiunt, teſte Strabone τὰ στυράκινα ἀκοντίσματα ἐοικότα τοῖς κρανείνοις *ſtyracina haſtilia iis quæ ex carne fiunt ſimilia.* Et apud Heſychium ſtyrax non tantùm arborem, ſed etiam *lanceam* notat, nec non *haſtæ partem* ſive ſuperiorem ſive inferiorem. Et verbum στυρακίζειν Heſychio eſt κεντρίζειν *pungere tanquam haſta*, vel haſtæ cuſpide. Sextò denique Aquilam cui נכאת eſt στύραξ ſequitur Hieronymus Geneſ. XLIII. II. ubi *ſtoracem* reddit. Et in libro Nominum *nechota*, inquit, *ſtyracem vel aromata.* Id ipſum ſenſerunt Syri, qui *reſinam*, & Arabes qui *Gummi* explicârunt, abuſi nomine generico, quia ſpeciale illos latuerat. Alteram vocem צרי *reſinam* interpretantur Græci, Thargum Onkeloſi & Vulgatus. Arabs תריאקא *theriacam*, quomodo etiam Judæorum verſio Hebræo-Germanica habet. Sed malè Junius & Tremelius vertunt *opobalſamum.* Cœterùm nulla ratio eſt, cur heic Græcos & Onkeloſum antiquiſſimos Interpretes, qui *reſinam* reddunt, deſeramus. Gileatidis enim reſinâ, aliarumque ad medicinam utilium rerum proventu abundat, uti liquet ex Jerem. VIII. 22. contra difficilimos quosque morbos, nominatim etiam Serpentum morſus. Denique & לוט, Græci, Onkeloſus, & Vulgatus vertunt *ſtacten.* Syrus בתכא *therebinthum.* Arabs שאהבלוט *caſtaneas.* Junius autem voluit לוט idem eſſe quod Arabicum לארן *ladanum* ob affinitatem literarum. Dictum eſt autem *Ladanum* à *Lada* frutice ex cyathi generibus, quæ verno tempore pingue quiddam & roſcidum contrahunt, quod caprarum barbis adhæreſcit, indeque depexum colatur, & in offas cogitur, quod *Ladanum* vocant. Neſcio tamen an affinitas literarum contra vetuſtiſſimos Interpretes ſufficiat. Præterea aliud eſt לוט aliud לארן uti literæ ipſæ oſtendunt. Probandam igitur cenſeo antiquiſſimorum Interpretum, quibus לוט *ſtacte* eſt, interpretationem.

XII. Occaſione per mercatores exteros oblata, conſilióque per Judam,

 qui

qui inhumanum factum novo inhumanitatis exemplo videbatur ſibi eluere, dato. Joſephum ex ciſterna eductum fratres mercatoribus vendiderunt, longinquam in regionem exteram loco mancipii (adeò ſe ipſi peccatis mancipaverant) deportandum. Etenim *cum tranſirent viri Midianitæ mercatores, extraxerunt eum & vendiderunt Iſmaëlitis* verſ. 28. Ubi tum Midianitarum tum Iſmaëlitarum eſt mentio, non quod primò Iſmaëlitis & poſtea ab Iſmaëlitis Midianitis venditus ſit, uti malè Munſterus opinatur, vel quod mercatores quidam fuerint Midianitæ, at Cameli Iſmaëlitarum, uti explicat Abarbanel, ſed quia Iſmaëlitæ & Midianitæ diſtinguuntur ut genus & ſpecies ejusdem nationis, veluti ſi Gallos & Lugdunenſes diceres, uti Abenezra non malè. Nempe ab eodem parente Abrahamo & Iſmaëlitæ & Midianitæ ortum duxerunt. Pretium porro emptionis erat עשרים כסף *viginti argenteorum* verſ. 28. Ubi perperam Græci argenteos commutant in aureos. Ita enim reddunt καὶ ἀπέδοντο τὸν Ἰωσὴφ τοῖς Ἰσμαηλίταις εἴκοσι χρυσῶν *vendiderunt Joſephum Iſmaëlitis viginti aureis.* Ubi malo mendum agnoſcere, quàm cum Staniſlao Giſepſio *libro de Siclo & Talento*, neſcio quos argenti ſiclos comminiſci, qui nimirum argento quidem ut materia conſtarent, at pondere ſuperarent pondus ſicli, auri verò ſiclum pretio exæquarent. Neque feliciùs Interpretes hoſce defendit Iſacus Voſſius, obtendens vocem כסף, cùm abſolutè ponitur, *pecuniam* ſignificare, ac æquè pro auro quàm argento accipi. Atqui hic cum nomine numerali jungitur. Qua ratione juncta vox כסף non abſolutè equidem ponitur & conſtanter argenteos notat. Enimverò quis unquam ita loquitur, *viginti pecuniæ*, ut relinquat in ambiguo, ſintne viginti aurei, an argentei nummi? Sed *Joſephus*, inquit ille, *qui unus omnibus ſimul eſt præferendus Rabbinis lib.* 11. 3. *ſcribit Joſephum venditum fuiſſe viginti minis. Summam hanc exactiſſimè convenire cum LXX Interpretibus quis non videt? Aureus enim cùm abſolutè ponitur ſemper ſtaterem vel Daricum notat. Daricus verò vel ſtater minam valet. Minam verò conficiunt centum drachmæ. Quis unquam nummum argenteum centum drachmarum aut vidit aut fando accepit?* Cæterùm infirma hæc defenſio eſt. Faciamus enim Joſephum cum Græcis conſentire Interpretibus. Conſentiret ab iis, ut ſæpe aliâs, deceptus. Neque etiam Joſepho, vel cum Græcis Interpretibus, vel cum re ipſa ſatis convenit. Non cum Græcis Interpretibus, quia aliud aureus Stater, Daricus, aliud mina. Etenim ſi de Attica mina loquamur, ea eſt centum drachmarum ſive ſchillingorum Hollandicorum, decem Philippûm. At Daricus erat nummus aureus didrachmus, duplici Ducato noſtro paulò penſior, ſed pretio minor, quod alia eſſet proportio auri ad argentum, quàm

Digitized by Google

quàm quæ nunc eſt. Tunc enim erat decupla, ſic ut una drachma auri decem valeret drachmis argenti, atque ita Daricus viginti drachmis. Quinque autem Darici faciebant minam. Polemarchus apud Heſychium in χρυσοῦς dicit μνᾶν ἣ λέγεσθαι τοὺς πέντε χρυσοῦς. de quo vide celeberrimum Gronovium in ſuo de Pecunia vetere libro. Tum pro eo, quod 1 Reg. x. v. 17. dicitur: שלשת מנים זהב *tres minæ auri*, pro eo 2. Chron. ix. 16. dicitur שלש מאות זהב *trecenti aurei*. Unde conficit R. Levi ben Gerſon, quòd מנה *mina* habeat centum ſiclos. Neque etiam cum re ipſa Joſepho convenit. Sive enim is Atticam minam intellexit, ſive minam ex uſu Scripturæ, quis credat à cupidis vendendi pro mancipio Joſephi fratribus pretium ejus auctum fuiſſe ad viginti ejusmodi auri minas? Alius etiam in exemplaribus quibusdam Græcis error apparet, in quibus pro viginti legerunt triginta, quem errorem ſancti etiam Patres nonnulli ſecuti ſunt. Nimirum ſciolus datâ operâ viginti in triginta mutavit, ut typus ad amuſſim referret antitypum, & totidem ſiclis venditum Joſephum credatur, quot Chriſtus ipſe à Juda proditore venditus eſt.

XIII. Venditionem hancce Joſephi, quæ conſecuta fuerint, exponit hiſtoria. Primò namque mercatores eum in Ægyptum deportârunt. Deinde Ruben qui inter vendendum aberat, reverſus, cum Joſephum non amplius eſſe in fovea cerneret more dolentium יקרע את בגדיו *veſtimenta ſua ſcidit* verſ. 29. ſuum autem dolorem ejusque cauſam paucis verbis apud fratres effudit: הילד איננו ואני אנה אני בא *Puer non eſt, & ego quò, ego ibo* v. 30. Queritur puerum *non eſſe*; hoc eſt, mortuum eſſe. Nempe *eſſe* dicitur, qui vivit, & *non eſſe* qui mortuus eſt: quem Plautus *fuiſſe* dicit his verbis: *Nunc illud eſt, cùm me fuiſſe quàm eſſe nimiò mavelim*, hoc eſt mortuum eſſe, quàm vivere. Exempla ſimilia ſunt Geneſ. v. 24. xlii. 13. cum xliv. 20. Job. xxiii. 8. Pſal. ciii. 16. Jerem. xxxi. 15. Sophocles mortuos οὐκ ἔτ' ὄντας appellat. Hinc etiam in Comœdia: *Perii, nullus ſum*. Et Tertulliano *mortui* ſunt *nulli*. Ciceroni lib. 1. Tuſcul. quæſt. *mortui ne ſunt quidem*. Quæ enim non comparent plebejis ingeniis, ad quorum captum deſcendit ſacra Dialectus, creduntur non eſſe. Hinc ὄντα καὶ φαινόμενα aliquando confunduntur, uti apparet conferenti 2. Machab. vii. 28. cum Hebr. xi. 3. Reliqua verba: *Ego quò, ego ibo*, ſunt tantùm non deſperantis, quaſi diceret: *Quò me recipiam, puero mortuo! Perii.* Poſtea fratres maleficium ſuum novo commento obvelantes, ſummo paternæ vitæ diſcrimine Joſephi variegatam hœdino ſanguine tinctam miſerunt ad patrem, ut à fera dilaceratum filium inde conjiceret. Ajunt Hebræi, fratres ſub anathematis pœna ſe mutuò obligâſſe ne patrati ſceleris indicium quisquam præbere

bere parenti ſuſtineret. Habetur id in Pirke R. Eliezer fol. 34. in hæc verba: אמרו בחרים בינינו שאין אחד ממנו מגיד הדבר ליעקב אבינו עד שיהיה ברשות כלנו אמר להם יהודה ראובן אינו כאן ואין החרם מתקים אלא בעשרה מה עשו שתפו למקום עמהם וחרמו: *Dixerunt Anathema ſeu Cherem denuntiemus inter nos, ne quis noſtrûm rem indicet Jacobo Patri noſtro, antequam licentia à quolibet noſtrûm detur. Dixit illis Jehuda: Ruben non eſt hic, & anathema ratum non eſt, niſi adſint decem. Tunc igitur aſſociârunt ſibi Deum atque anathema denuntiârunt.* Cum autem noctu adeſſet Ruben הגדו לו הדבר שעשו ואת החרם שהחרימו ושמע את החרם ראובן ושתק וגם הקב״ה שתק ומפני החרם לא הגיד הדבר ליעקב: *narrârunt ei rem quam fecerant, uti etiam Anathematis denuntiationem. Ruben autem cum anathema audiſſet, tacuit, atque etiam tacuit Deus O. M. & propter anathema non indicavit hanc rem Jacobo.* Paulò poſt addit, fratres Joſephi, cùm eum ſuperſtitem & incolumem eſſe in Ægypto comperirent, anathema illud ſolviſſe. Idem totidem ferè verbis legitur in *Sepher Tanchuma.* Et ex eodem R. Eliezere probat Anaſtaſius Germanus Archiepiſcopus & Comes Tarantaſienſis, jam tempore Jacobi excommunicationem in uſu fuiſſe. Sed rectè Buxtorfius *fabulam impiam* vocat in Lexico Thalmudico p. 828. Præterea in eo nulla etiam vel figura vel proportio excommunicationis occurrit, uti ritè obſervatum Doctiſſimo Seldeno de Synedriis lib. 1. cap. 11.

XIV. Accepto à fratribus Joſephi triſtiſſimo nuntio, Jacobus luctum ſuum ſymbolis lugubribus diutiſſimè vehementiſſiméque teſtatus eſt. Etenim יקרע שמלתיו וישם שק במתניו ויתאבל על בנו ימים רבים *ſcidit veſtimenta ſua, poſuitque ſaccum in lumbis ſuis, & luxit filium ſuum diebus multis*, verſ. 34. Quo in luctu imitatus eſt morem vetuſtiorum temporum, quibus afflicti vel pœnitentes in ſignum abjectionis, & ſpiritus humiliati ac contriti ſolebant veſtimenta ſcindere & ſaccum induere. Neque id abſolutè culpari poteſt in Jacobo, qui optimi & morigeri filii caſu graviſſimo non potuit non ſummopere perturbari. Cauſæ fuerunt graves, ob quas vis inferri naturæ minimè debuit. Modum tamen exceſſiſſe virum ſanctum non immeritò viri docti adnotant. Hoc enim ſibi propoſuiſſe videtur, ut indulgeret dolori, nec conſolationem ullam admitteret, uti ſequentia arguunt. Quòd verò dicitur, Jacobum luxiſſe filium ימים רבים *diebus multis*, id perperam Hebræi ita explicant, quaſi luctus ille duraverit usque ad Jacobi in Ægyptum deſcenſum per annos tres & viginti. Etſi enim dubitandum non eſt, quin toto eo tempore amiſſi Joſephi memoria Jacobum diſcruciaverit, non putem tamen, hoc præ ſe ferre verba Moſis, quòd toto eo tempore in luctu perduraverit. Potiùs verba illa Moſis

referri

Digitized by Google

referri debent ad præcedentia, *ſciſſis veſtibus*, *induto ſacco*, *luxit multis diebus*. Solebant nempe lugentes habere dies certos præfixos luctui mortuorum ſignis externis teſtato. Ita Ægyptii Jacobum luxerunt *dies ſeptuaginta* Geneſ. XLIX. Et apud Judæos ſeptem dies luctum utplurimum duràſſe ex cap. XXII. Siracidis nonnulli colligunt. Et in tali quidem ſolenni luctu perſeverare potuit Jacobus, in ſignum doloris extraordinarii pluribus diebus, quàm in more poſitum erat. Ut ita luxiſſe dicatur ſuper filio *multis diebus*, comparatè videlicet ad morem uſitatum: non quod per tot annos cum laceris veſtibus cinctus cilicio manſerit, cùm videamus, illum poſtea proſpexiſſe familiæ, in qua perpetuò patrisfamiliâs officio defungi minimè potuiſſet, ſi perpetuo ejusmodi luctu occupatus fuiſſet.

XV. Lugentem ſupra modum Jacobum conſolaturi & erecturi acceſſerunt כל בניו וכל בנותיו *omnes filii ejus, & omnes filiæ ejus* v. 35. Filias intelligit hiſtoria Dinam, nurus & neptes: Adeò ut ſtolidè hinc collegerit R. Juda apud Jarchium: אחיות תאומות נולדו עם כל שבט ושבט ונשאום *ſorores geminas natas eſſe cum qualibet tribu, & ductas ab eis eſſe.* Cœterùm Jacobus omnis conſolationis impatiens inter alia hæc in verba prorupit: כי ארד אל בני אבל שאלה *Deſcendam ad filium meum lugens in ſcheol* v. 35. ubi vexatiſſima vox שאול quæ plusquam ſexagies in ſacris occurrit, Hebræis nonnunquam *ſepulchrum*, nonnunquam *orcum, infernum, mortem, ſtatum vitâ defunctorum, locumque*, ut cum Plauto loquar, *communem* ſignificat. Cui affines ſunt שחת *corruptio* דומה *ſilentium* ſive *locus ſilentii*, באר vel בור *fovea*, quæ πολυωνυμοῦσιν ἐν ταυτότητι σημασίας uti ex 2. Sam. XXIII. 15. collato cum 1. Chron. XI. 18. & ex tractatu Joma colligitur. Jobus שאול circumloquitur ארץ חשך וצלמות *terram tenebrarum & umbræ mortis*. Pſaltes ארץ נשיה *terram oblivionis*: Sed & Hugo Brougthonus Rabbinicæ Theologiæ conſultiſſimus עולם הבא *futurum ſeculum* idem aliquoties ſignificare quod שאול rectè animadvertit, perinde ac Procopius Sophiſta Gazæus τὸν μέλλοντα αἰῶνα pro *mundo animarum*, ut Judæi vocant, accepit, in illud Geneſ. XXV. 8. Græci Interpretes frequentiſſimè, uti etiam hoc loco verterunt ᾅδην, non tamen ubique uti Bellarminus aſſerit. Ea vox è medio Helleniſmo petita, omnia quæ שאול ſignificat. Ἀΐδης ὁ τάφος Heſychio & Suidæ. Inde Ἀϊδὼν ſive Ἀϊδωνεὺς ἐνυχίων ἄναξ Homero aliisque. Sed & ᾅδης καὶ πλούτων ὁ αὐτὸς λέγεται teſte ſcholiaſta Euripidis. Et αἰδώνια ſunt θανάσιμα Heſychio. Ἅδην etiam νεκρῶν χωρίον exponunt Græci. Sed & *corruptio, ſilentium puteus, terra oblivionis*, *tenebrarum & umbræ mortis*, & ejusmodi quæ ab Hebræis figuratè pro *Scheol* uſurpantur, paria in Helleniſmo inveniri oſtendit Doctiſſimus Windetus *de vita functorum ſtatu pag. 6.* Notandus etiam vocis שאול ſignificatus alius tantùm non præcipuus, & reliqua-

Digitized by Google

rum fundus apud Hebræos, quibus eo nomine etiam venit *materia prima* & informe Chaos. Ita R. Levi ben Gerſon in Prov. cap. xv. 11. & xxvii. 22. שאול interpretatur ההיולי הראשון, ſeu ut vocant alii החמר הראשון *materiam primam*. In Prov. xxx. 16. ita habet שאול והוא ההיולי הראשון ידמהו אל המט הכוחל: *Scheol eſt materia prima. Adſimilatur verò imæ fæci.* Huncce ſignificatum fuſè proſequitur idem Windetus. Cui quidem optimè quadrat notio vocis Græcæ ᾅδης, quæ itidem uti ex Hippocrate nos docet Vir Doctiſſimus Iſacus Caſaubonus *Exercit.* 1. *ad Annal. Baronii*, κυρίως notat *materiam primam*, indigeſtam & ἀδιάγνωτον, ex qua fiunt omnia, & in quam reſolvuntur omnia. Eſt nempe ᾅδης propriè res ἀϊδὴς *invisibilis*, uti etiam Grotius ex Græcis authoribus oſtendit in Annot. ad Lucam xvi. 23. שאול autem à שאל *appetere, deſiderare*, derivata opportunè notare poteſt indigeſtam ejusmodi materiam, quæ quamlibet formam appetit & deſiderat. Ex primario hoc vocum שאול & ᾅδης ſignificatu reliqui, quos initio poſuimus, nullo ferè negotio deduci poſſunt. Generalis autem ſignificatus eſſe poteſt, ut notet quælibet תחתיות κατώτερα, *loca inferiora*. Sed de vocibus ſatis. Quæritur nunc: *Quis vocis* שאול *ſignificatus hoc loco obtinere debeat?* Vulgatus igitur Interpres ita reddidit: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*. Hunc *infernum* de limbo illo, in quo ſecundum animam detenti fuerint Patres, utpote parte ſuperiore inferni explicant paſſim Papiſtæ. De quo non eſt ut multa diſputemus, cùm certò & irrefragabilibus argumentis conſtet, limbum Patrum eſſe ingenii humani commentum, verbi divini autoritate planè deſtitutum. Rectiùs igitur interpretamur de ſepulchro, ut verborum illorum Jacobi ſenſus hic ſit: *Fruſtra me conſolamini: Mœror meus me quoad vixero, non deſeret, ſed tum demum finietur, cùm mortuus mortuo filio jungar.* Fruſtra objiciunt *ſepulchrum* intelligi non poſſe, quia perſuaſum fuerit patri Jacobo, quòd filius Joſephus à feris diſcerptus, & propterea in ſepulchrum illatus non eſſet. Cùm itaque affirmet ſe deſcenſurum ad filium ſuum *Scheolah*, non poſſe intelligi deſcenſum corporis in ſepulchrum, cujus expers corpus Joſephi; ſed deſcenſum animæ in infernum, vel quandam inferni regionem, in quam animæ piorum, quales Jacobus & Joſephus, olim convenerint. Hoc argumentum contra R. Solomonem Jarchi, qui שאולה etiam interpretatur לשון קבר *notione ſepulchri*, urget etiam Galatinus de Arc. Cathol. verit. libr. vi. 8. Sed fruſtra ſunt illi. Nam *Deſcendere in ſepulchrum* eſt periphraſis mortis, atque adeò nihil ſignificat aliud, quàm in cenſum mortuorum venire, ſive ſimpliciter mori. Ita Servator Joh. v. 24. per *omnes qui in monumentis ſunt*, intelligit, *omnes mortuos*, etiamſi omnes mortui monumentis illati non fuerint. Hac

ipſa

Digitized by Google

ipſa in hiſtoria occurrit phraſis, *deducere canos cum mærore* שאולה Gen. XLII. v. 38. & XLIV. 29. Et David Solomoni filio de Joabo: *Facies juxta ſapientiam & non deduces canos ejus pacificè* שאול 1. Reg. II. 6. Et mox de Simei: *Cùm ſis vir prudens, nôſti quæ facturus ſis ei, & deduces canos ejus cum ſanguine* שאול 1. Reg. II. 9. Locus, quo deducuntur cani, recipiendis corporibus non animabus competit. Cani enim harum non ſunt ſed illorum. At in locutionibus memoratis *Scheol* locus eſt, quo deducuntur cani. Ergo ſepulchrum. Verùm per ſepulchrum non intelligimus ſtrictè id de quo apud Juris Conſultos diſputatur, cùm agunt de ſepulchro violato, ſed id referimus ad ſtatum mortis & rationem humationis in genere qualemcunque, modò terra reddatur terræ, juxta ſententiam Dei: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Ita Lucanus libr. 7.

—— capit omnia tellus
Quæ genuit; Cælo tegitur qui non habet urnam.

Sepeliri namque dicuntur, quicunque poſt mortem aliquando terræ redduntur, etiam qui ſepeliuntur *ſepultura aſini*, quod de Jehoachimo pronuntiatum Jerem. XXII. 29. Andreas Cæſarienſis in Apoc. XVI. eosqui à canibus devorati ſunt, *viva ſepulchra* conſecutos eſſe affirmat. Idem vocis uſus familiaris fuit etiam exoticis. Seneca Controv. 1. 4. *Omnibus natura ſepulturam dedit, naufragos idem fluctus qui expulit, ſepelit.* Cicero Tuſcul. quæſt. libr. 1. ait, *in Hircania ali canes, à quibus lanientur eámque optimam cenſere illos ſepulturam.* Plinius Hiſtor. Nat. VII. 54. *Sepultus intelligitur quoque modo conditus.* Quòd verò Vulgatus Interpres pro שאול reddidit *infernum*, id ipſum etiam ſenſum habere commodum poteſt, ſi videlicet Latino illi vocabulo *inferni* tribuatur par æquivocatio, qualis cadit in vocabula Hebræum שאול & Græcum ᾅδης. Eſt enim etiam ſepulchrum *infernus*, quia in illud corpora *inferuntur*. Ita etiam Alphonſus Toſtatus exponi poſſe fatetur. *Ad infernum*, id eſt, *ad ſepulchrum, ſcilicet, quòd non ceſſaret pater à planctu donec deſcenderet in foſſam vel in ſepulchrum ſicut erat filius ſuus Joſeph.* Et Auguſtinus Steuchus: *Ubicunque Hieronymus & LXX interpretati ſunt infernum, Hebraicè eſt Scheol, id eſt, foſſa ſive ſepulchrum.* Quam notionem cùm multis probâſſet, tandem ſubjungit: *Concludimus, nihili facientes ea quæ de hac re ſomniat Lyra. Verè enim figmenta ſunt, quæ de limbo ſcribit hoc loco.* De ſepulchro igitur accipiunt & interpretantur, quamvis Pontificiis partibus addicti Pagninus, Arias Montanus, Cajetanus, Hieronymus Oleaſter, Lipomannus, Iſidorus Clarius, Johannes Benedictus. Sed & Johannes Andradius libr. 2. Defenſ. Concilii Tridentini, agnoſcit *infernum* pro morte ac ſepulchro Hebræorum dicendi more uſurpari. Chal-

dæus Onkelos vocem שאול retinuit. At paraphraſis, quæ Jonathanis nomen præfert, remota ambiguitate vertit קבורתא. Eundem in ſenſum vergit Interpres Arabs, qui ſic tranſtulit: בל אנזל אלי אלתרי *Imò deſcendam ad pulverem.* Abenezra reprehendit vulgatum Interpretem his verbis: ופה טעה המתרגם לתועים שתרגם שאולה גיהנם *Errat Interpres ille Chriſtianus, qui per Scheol intelligit gehennam & locum damnatorum cùm potius ſignificet ſepulchrum.* Jarchius agnoſcit quidem כפשוטו *juxta ſimplicem* & *literalem ſenſum* intelligi oportere ſepulchrum ut ſenſus ſit: באבלי אקבר ולא אתנחם כל ימי *In luctu meo ſepeliar & non admittam conſolationem omnibus diebus vitæ meæ.* At כמדרשו juxta ſubtilem & myſticam explicationem notari vult גיהנם *gehennam.* Et addit nugas Judaicas, Jacobo videlicet reſponſum obtigiſſe, ſi dum viveret ipſe, nullus ex filiis ejus moreretur, tum à videnda gehenna ipſum immunem fore. Idem figmentum etiam Abarbanel otioſa diſputatione de analogia inter duodecim ſphæras cœleſtes & totidem patriarchas, adeóque ſuperioris & inferioris mundi perfectionem, quæ hoc Joſephi caſu ſecundum opinionem Jacobi luxata fuerit incruſtat.

XVI. Succedit altera venditio Joſephi facta à Midianitis, de quo ita habet verſ. 36. והמדנים מכרו אתו אל מצרים לפוטיפר סרים פרעה שר הטבחים *Et Midianitæ vendiderunt Joſephum in Ægypto Potiphari eunucho Pharaonis, magiſtro militum.* Ita Vulgatus. Græci: Οἱ δὲ Μαδιναῖοι ἀπέδοντο τὸν Ιωσὴφ εἰς Αἴγυπτον τῷ Πετεφρῆ τῷ σπάδοντι Φαραὼ ἀρχιμαγείρῳ. *Madianæi vendiderunt Joſephum in Ægyptum Petephræ ſpadoni Pharaonis archimagiro.* Quomodò verò Eunuchus vocatur Potiphar, quum uxoratum fuiſſe conſtat? Hieronymus in Quæſt. Hebr. ad hujus difficultatis ſolutionem, Hebræorum refert traditionem, quòd videlicet Potiphar Joſephum emerit ob eximiam pulchritudinem ad turpe miniſterium, & in pœnam ei à Deo virilia ſint arefacta; quódque poſtea juxta morem ἱεροφαντῶν in Pontificatum Helioþoleos & ejus filia Aſeneth quam pridem ex uxore ſuſceperat, Joſepho nupſerit. Sed fabula anilis hæc eſt. Quis enim non videat סריס hic dici, quòd talis eſſet & haberetur, cùm Joſephus in Ægyptum ductus eſt, quicquid tandem nomine סריס ſignificetur? Vera reſponſio eſt סריס *eunuchum* hic dici, non ſpadonem, cui virilia execta, ſed Regis miniſtrum ſeu principem. Sanè Thargum Onkeloſi diſertè eum vocat רבא דפרעה *Principem Pharaonis.* Et Arabs כארם פרעון *miniſtrum Pharaonis.* Nempe olim ſpadones primùm ad ſecuritatem præfecti fuerunt Reginarum & Heroinarum cubiculis; poſtmodum periclitata eorum fide etiam frequentiùs admoti ad cœtera publica & Regia miniſteria, facti videlicet conſiliarii, cubicularii Regii, Præfecti militiæ, Cuſtodes corporis Regii. Quanta fuerit

in

in aulis Imperatorum tum gentilium tum Chriſtianorum potentia ſpadonum, ex Iſidoro Peluſiota, Ambroſio & Ælio Lampridio docet Cl. Vir Conradus Rittershuſius Obſervationum Sacrarum lib. v. 8. Factum hinc ut Eunuchi nomen manſerit etiam iis, qui ad eadem officia evecti ſunt, etiamſi ſpadones non eſſent. Talis omnino fuit hic Potiphar, & duo illi pincernæ, quorum inferiùs mentio. Ita in Gloſſario Philoxeni: *Cubicularius* Εὐνοῦχος, & 2. Reg. VIII. 6. Thargum Onkeloſi סריס vertit גואה quaſi *intimum* dicas à גוא *interius*. Sic & alibi 1. Sam. XXV. 22. Schindlerus putat גואח illud eſſe pro גו׳. Venetiana editio habet גואה & גוו זה etiam גואות. Baal aruch גואות quæ lectio præfertur. Derivatur ea vox à גז *evellere, caſtrare*. Accedit quod LXX Interpretes Jerem. XXXIV. 19. vocem סריסים. videntur reddidiſſe δυνάστας *Dynaſtas*. Cúmque toties in libris Regum & Paralipomenon legamus, eunuchos fuiſſe apud Davidem alióſque Judæorum Reges, quis credat eos apud ſe ſpadones habuiſſe, vel Judæos ſe ſuóſque eviráſſe, quibus ne licitum quidem erat domeſticos animantes evirare uti teſtis eſt Joſephus Antiquit. lib. IV. 8. Unde Deut. XXIII. 1. diſertè vetitum legimus, ne quis in Eccleſiam, vel eorum qui Judaicam religionem colerent cœtum, eunuchus admitteretur. Liquet hinc, an frigida ſit Hieronymi expoſitio, uti vult Eugubinus infra ad cap. 39. annon potiùs frigida ſint, quæ ipſe contra objicit, imò falſa penitus. Alterum Potipharis epitheton eſt, quod inſignitur שר טבחים quæ vox ipſa quoque haud ſatis plana eſt. Propriè notat *principem mactatorum*. Nam quòd quidam ſecuti ſententiæ ſuæ authorem cœteróquin doctiſſimum Lud. de Dieu ab Æthiopico טבטח *gladius* eam vocem derivant, ut שר טבחים ſit *princeps gladiatorum*, minùs placet טבח propriè eſt *mactare*. Cùm igitur tum homines tum animalia mactari ſoleant, natæ hinc ſunt variæ interpretationes. Septuaginta ſeniores retulerunt ad mactationem animalium. Reddunt enim ἀρχιμάγειρον *archimagirum*. Coquorum nempe proprium eſt mactare & ſcindere. Et טבח pro coquo poſitum reperitur 1. Sam. IX. 24. Jarchius ad lanios refert. Putat nempe שר טבחים eſſe principem שוחטי בהמות המלך *mactantium animalia Regis*. Qui de hominibus accipiunt, etiam ipſi variant ſententiis. Quia enim hominum mactatio fit vel in bello, vel extra bellum in ſuppliciis capitalibus, hinc alii *præfectum militum*, alii *præfectum rerum capitalium* reddunt. Priorem expoſitionem amplectitur Vulgatus, & præter eum Syrus & Arabs, quorum ille reddit רב רחשא hic רבים אלסיפין quod *principem gladiatorum* notat. Chaldaica ambigua ſunt. Nam רב קטוליא *princeps mactatorum* vel ad animalium, vel ad hominum mactationem referri poteſt. Sed poſterior

illa explicatio ut notet *præfectum rerum capitalium* magis placet. Nempe הטבחים commodè explicari poſſunt *maleficis plectendis præfecti*, quales ſunt qui Judicibus præſertim ſuccinctis, non togatis inſerviunt lictores & carnifices, qui damnatos ſupplicio capitali afficiunt. Horum mactatorum duces & magiſtri ſunt rerum capitalium præfecti, quos inter in aulis Regum unus eſt ſummus, qui bello & pace in ſontes animadvertit, quem *prætorianum judicem* appellat Budæus. Talem Potipharem fuiſſe arguit, quod in ſequentibus narratur habuiſſe præfecturam carceris, & ei commiſſos fuiſſe vinctos etiam aulæ familiares, uti liquet ex Geneſ. XLII. v. 3.

SECTIO II.

DE JOSEPHI SERVITUTE ÆGYPTIACA.

Breviarium.

Joſephi in Ægypto ſervientis duplex ſtatus diſtinguitur. 1. Ejus in domo Potipharis proſperitas ex Divina benedictione promanans. Quo ſenſu Potiphar nihil cum Joſepho noviſſe dicatur niſi panem. Jarchii, Abenezræ & R. Abrahami Hiſpani παρερμηνεία. *Oeconomiam Potipharis Joſepho commiſſam præludium quoddam fuiſſe futuri principatus ex Philone docetur. 2. Joſephi pudicitia ab uxore Potipharis tentata. Ejus excellens forma non tam quæſita fuit, uti nugantur Rabbini, quàm nativa. Honeſta forma muta eſt commendatio. 3. Joſephi lucta cum muliere ipſum ambiente. Unde cognoverit nefas futurum, ſi appetitui mulieris acquieſceret? Non tam ex Noachidarum præceptis id ipſum cognoviſſe, quàm ex naturali ratione oſtenditur. Vis à muliere intentata Joſepho* כהיום הזה *Quodnam opus fuerit, quo defuncturus acceſſit? Joſephi violentiæ reſiſtentis fortitudo & conſtantia ex Chryſoſtomo & Ambroſio adumbrata. Continentiæ ſingularis exempla exotica ex Æliano, Valerio Maximo, Curtio, aliis afferuntur, & diſcrimen ea inter & Joſephi*

Digitized by Google

ſephi continentiam oſtenditur. 5. Uxoris Potipharis Joſephum accuſantis perfidia. 6. Secuta inde ejus captivitas. Quid סהר*? Dei miſericordia erga Joſephum Potipharem à cæde ejus cohibentis. 7. Favor divinus erga eundem carcere concluſum cui præfectus carceris, Potipharis haud dubiè conſilio, omnia committit. 8. Propheticus Joſephi ſpiritus. 9. Somnia principibus pincernarum & piſtorum oblata. Cur* סריסים *nuncupati? Gerundenſis de eo error. Quid* אופה*? Piſtores qui fuerint olim? Qualia fuerint ea aulicorum munia? Pocillatorum dignitas. 10. Peccatum miniſtrorum regiorum quale fuerit? Hebræorum de eo putidæ aſſertiones. Principum gratia mutabilis. 11. Tempus quo ſomnia miniſtris oblata. Quo ſenſu dicantur fuiſſe* ימים במשמר. *12. Somnium principi pincernarum oblatum recenſetur.* שריגים *propagines notant.* πυθμένες κληματίδες. *Palmites & propagines diſtinguuntur. 13. Somnium principis piſtorum. Quid* סלי חרי*? Quid* χονδρίτης, *alica? Quid* γύρις*? Quid* κατὰ βαϊνά*? 14. Joſephi verba* הלא לאלהים פתרונים *quid ſibi velint? Ejusdem interpretatio ſomniorum. Propaginis ad diem quænam proportio? Explicantur verba* ישא פרעה את ראשך *Verba* נשא ראש *notionem habent recenſendi, ſupputandi. 15. Joſephus à principe pincernarum ſtipulatur gratam ſui recordationem. Quo ſenſu ſe furto ablatum queratur? Quomodo rei ſpiritualis, propheticæ ſomniorum Interpretationis remunerationem poſtulet, veluti gratiam Dei venalem exponens? 16. Interpretatio ſomnii principis piſtorum. Verba* תלה אותך על עץ *explicata. An crucis propriæ apud Hebræos vel Ægyptios uſus fuerit? 17. Somniorum complementum. Convivia genethliaca Regum. 18. Pincernarum principis ingratitudo, & divinæ providentiæ ergà Joſephum vigilantia. 19. In notitiam Regis ipſius venit Joſephus. Somniorum Regi oblatorum tempus. 20. Somnium prius Regis exponitur.* היאר *eſt Nilus. Quid* אחו *achu? Interpretum Orientalium & virorum doctorum ejus vocis interpretamenta. 21. Somnium poſterius Regis de ſpicis. Diverſa ſomnia rem eandem exprimentia. Ex utróque Pharaonis ſomnio conſlatum videri ſomnium Regis Archelai apud Joſephum.*

Digitized by Google

illa explicatio ut notet *præfectum rerum capitalium* magis placet. Nempe המבחים commodè explicari poſſunt *maleficis plectendis præfecti*, quales ſunt qui Judicibus præſertim ſuccinctis, non togatis inſerviunt lictores & carnifices, qui damnatos ſupplicio capitali afficiunt. Horum mactatorum duces & magiſtri ſunt rerum capitalium præfecti, quos inter in aulis Regum unus eſt ſummus, qui bello & pace in ſontes animadvertit, quem *prætorianum judicem* appellat Budæus. Talem Potipharem fuiſſe arguit, quod in ſequentibus narratur habuiſſe præfecturam carceris, & ei commiſſos fuiſſe vinctos etiam aulæ familiares, uti liquet ex Geneſ. XLII. v. 3.

SECTIO II.

DE JOSEPHI SERVITUTE ÆGYPTIACA.

Breviarium.

Joſephi in Ægypto ſervientis duplex ſtatus diſtinguitur. 1. Ejus in domo Potipharis proſperitas ex Divina benedictione promanans. Quo ſenſu Potiphar nihil cum Joſepho noviſſe dicatur niſi panem. Jarchii, Abenezræ & R. Abrahami Hiſpani παρερμηνεία. Oeconomiam Potipharis Joſepho commiſſam præludium quoddam fuiſſe futuri principatus ex Philone docetur. 2. Joſephi pudicitia ab uxore Potipharis tentata. Ejus excellens forma non tam quæſita fuit, uti nugantur Rabbini, quàm nativa. Honeſta forma muta eſt commendatio. 3. Joſephi lucta cum muliere ipſum ambiente. Unde cognoverit nefas futurum, ſi appetitui mulieris acquieſceret? Non tam ex Noachidarum præceptis id ipſum cognoviſſe, quàm ex naturali ratione oſtenditur. Vis à muliere intentata Joſepho כהיום הזה *Quodnam opus fuerit, quo defuncturus acceſſit? Joſephi violentiæ reſiſtentis fortitudo & conſtantia ex Chryſoſtomo & Ambroſio adumbrata. Continentiæ ſingularis exempla exotica ex Æliano, Valerio Maximo, Curtio, aliis afferuntur, & diſcrimen ea inter & Joſephi*

Digitized by Google

ſephi continentiam oſtenditur. 5. *Uxoris Potipharis Joſephum accuſantis perfidia.* 6. *Secuta inde ejus captivitas. Quid* סהר*? Dei miſericordia erga Joſephum Potipharem à cæde ejus cohibentis.* 7. *Favor divinus erga eundem carcere concluſum cui præfectus carceris, Potipharis haud dubiè conſilio, omnia committit.* 8. *Propheticus Joſephi ſpiritus.* 9. *Somnia principibus pincernarum & piſtorum oblata. Cur* סריסים *nuncupati? Gerundenſis de eo error. Quid* אופה*? Piſtores qui fuerint olim? Qualia fuerint ea aulicorum munia? Pocillatorum dignitas.* 10. *Peccatum miniſtrorum regiorum quale fuerit? Hebræorum de eo putidæ aſſertiones. Principum gratia mutabilis.* 11. *Tempus quo ſomnia miniſtris oblata. Quo ſenſu dicantur fuiſſe* ימים במשמר. 12. *Somnium principi pincernarum oblatum recenſetur.* שריגים *propagines notant.* πυθμένες κληματίδες. *Palmites & propagines diſtinguuntur.* 13. *Somnium principis piſtorum. Quid* סלי חרי*? Quid* χονδρίτης, *alica? Quid* γύρις? *Quid* κανὰ βαϊνά? 14. *Joſephi verba* הלא לאלהים פתרונים *quid ſibi velint? Ejusdem interpretatio ſomniorum. Propaginis ad diem quænam proportio? Explicantur verba* ישא פרעה את ראשך *Verba* נשא ראש *notionem habent recenſendi, ſupputandi.* 15. *Joſephus à principe pincernarum ſtipulatur gratam ſui recordationem. Quo ſenſu ſe furto ablatum queratur? Quomodo rei ſpiritualis, propheticæ ſomniorum Interpretationis remunerationem poſtulet, veluti gratiam Dei venalem exponens?* 16. *Interpretatio ſomnii principis piſtorum. Verba* תלה אותך על עץ *explicata. An crucis propriæ apud Hebræos vel Ægyptios uſus fuerit?* 17. *Somniorum complementum. Convivia genethliaca Regum.* 18. *Pincernarum principis ingratitudo, & divinæ providentiæ ergà Joſephum vigilantia.* 19. *In notitiam Regis ipſius venit Joſephus. Somniorum Regi oblatorum tempus.* 20. *Somnium prius Regis exponitur.* היאר *eſt Nilus. Quid* אחו *achu? Interpretum Orientalium & virorum doctorum ejus vocis interpretamenta.* 21. *Somnium poſterius Regis de ſpicis. Diverſa ſomnia rem eandem exprimentia. Ex utróque Pharaonis ſomnio conflatum videri ſomnium Regis Archelai apud Joſephum.*

Digitized by Google

phum. 22. Pharao de ſomniis ſuis fruſtra conſulit ariolos & magos ſuos. De voce חרטמים *diverſa interpretamenta Orientalium, Græcorum, Fulleri, L'empereur, Bocharti, Hottingeri. Quid* טמיא *?* רטן *ad* חרטם *hortum alludit.* Ἄρτεμις *Diana. 23. Pharao de ſomniis ſuis Joſephum in conſilium adhibet. Joſephus ex carcere evocatus cur ſe tonderi & veſtes mutari curaverit? Joſephi de ſomniis reſponſuri modeſtia. 24. Interpretatio ſomniorum Pharaonis. Aves in auguriis denotat annos. Boum pinguedo fertilitatem, macies ſterilitatem adumbravit. Boves ex Nilo aſcendentes cur fertilitatis vel ſterilitatis indicium præbuerint? Exundantiam & defectum Nili, adeóque fertilitatem & ſterilitatem miraculo potiùs, quàm naturæ deputari debuiſſe. 25. Hiſtoriæ hujus ſomniorum Pharaonis & interpretationis factæ per Joſephum veſtigia in ſcriptis Gentilium Juſtini & Philonis ſenioris oſtenſa. An ad eandem alluſerit Ovidius? 26. Conſilium politicum à Joſepho Pharaoni ſuggeſtum. An culpari debeat in eo, quod quintam proventuum partem Regem ſibi vindicare jubet? Hebræorum in Joſephum injuria notata. 27. Pharao interpretationem Joſephi approbat. Quid Pharao intellexerit per* רוח אלהים *ſpiritum Dei? 28. Quamdiu Joſephus in carcere detentus fuerit? Authoris Schalſchaleth, Genebrardi, Demetrii, Chryſoſtomi nec non Saliani de eo ſententia diſcutitur. 29. Hiſtoria ſervitutis Joſephi explicata ex Pſal.* CV. 17, 18, 19. *Quo ſenſu ibi dictum Jehovæ dicatur conflaviſſe Joſephum? 30.*

I. DE ſervitute Ægyptiaca Joſephi juxta Moſaicæ narrationis ordinem acturis, duo palmaria ſe offerunt ἐξηγήσεως noſtræ capita. Primò enim quid acciderit ſoluto in domo Potipharis, diſpiciendum. Deinceps ejus captivitas & in carcere ipſo anceps & ambigua fortuna, ſomniorumque tum Regiis miniſtris tum Regi ipſi Pharaoni divinitus ſuggeſtorum interpretatio expendenda.

II. Quod ſolutum attinet Joſephum in familia heri ſui Potipharis, ante omnia divinæ benedictionis ſenſum uberrimum percepit. Etenim ויהי יהוה את יוסף ויהי איש מצליח *fuit Deus cum Joſepho, adeò ut eſſet vir omnia proſperè agens* Geneſ. XXXIX. 2. LXX. vocant ἄνδρα ἐπιτυγχάνοντα; Aquila κατευθυνόμενον, Symmachus εὐοδούμενον. Senſus in illo Homeri verſu qui nominis Joſephi

Joſephi interpretationem habet: Ὃς οἱ πολλὰ κάμῃσι Θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξῃ. Mirabilis hæc divinæ providentiæ diſpenſatio. Quamdiu cum fratribus erat Joſephus, periclitabatur ex eorum odio. At nunc Ægyptio homini mancipatus propitiam fortunam experitur, proſperè gerit omnia. Quem homines deſpiciunt, Dei clementia ſuſcipit. Quin & Deus Joſepho ſervienti benefacit, cùm Judas interea cum filiis ſuis malè habet. Hæc porro ipſa Divina benedictio & inuſitatus favor Joſepho etiam Potipharis heri conciliavit benevolentiam. Is enim animadverſo, Jehovam eſſe cum Joſepho, puta non tam veram cauſam cognoſcendo (quippe infidelis erat) quam effecta expendendo, nec non ſervi hujus deprehenſa fide & ſedulitate, & proſpero rerum omnium ſucceſſu, ipſum familiæ ſuæ præfecit, adeò ut poteſtati ejus cuncta ſubderet. Cúmque res ſuas inde fieri auctiores & innumera Divina benedictione mactari intelligeret, tandem ויעזב כל אשר לו ביד יוסף ולא ידע אתו מאומה כי אם הלחם אשר הוא אוכל *reliquit omnia, quæ erant ſibi in manu Joſephi; neque quicquam cum illo noverat niſi panem quem ille comedebat.* verſ. 6. Senſus eſt in nullius rei ſollicitudinem cum Joſepho veniſſe, nec curæ aut operæ alterius fuiſſe participem, quàm ut pane ſuo ſecurè & quietè veſceretur: negotiis videlicet omnibus domeſticis fidei & induſtriæ Joſephi commiſſis. Sanè ipſe Joſephus hujus rei agit interpretem verſ. 8. *Ecce dominus meus non cognoſcit mecum quid ſit in domo, ſed quicquid eſt ipſi, tradidit in manum meam.* Et verſ. 23. *Præfectus carceris non inſpiciebat in rem ullam quæ in manu Joſephi*, hoc eſt non deſcendebat in partem ſollicitudinis, & ne rationes quidem exigebat. Non malè igitur Arabs tranſtulit illa verba: ולם יעהקר ממא מעה שיא אלא אלטעאם אלדי יא לכה *non inviſebat quicquam ex iis, quæ cum eo erant, niſi cibum quem comedebat.* Non probantur proinde nobis Hebræorum quorundam interpretamenta. Inter quos Jarchius frivolè לחם panem interpretatur אשה *uxorem.* Verba ejus ſunt היא אשתו אלא שדבר בלשון נקיה *Hæc uxor eſt, ſed ita loquitur ſermone puro.* Quaſi videlicet ſenſus eſſet, omnia commiſſa Joſepho eſſe excepta uxore, & *edere panem* eſſet כנוי לשכיבת אשתו ænigma notitiæ uxoris. Quæ phraſeos illius notio in ſacris plane inſolens eſt. Neque etiam placet Abenezræ quamvis priori hac longe probabilior opinio, quòd videlicet Potiphar Joſepho commendaverit totius Oeconomiæ curam, excepta panis ſive cibi cura. Is nempe rejecta Jarchii ſententia ſic ſuam exponit: ונכון בעיני שכל אשר לו היה ביד יוסף חוץ מן הלחם שלא היה אפילו נוגע בו בעבור היותו עברי כי דבר מפורש כי לא יוכלו המצרים לאכול את העברים לחם כי פוטיפר ידע שיוסף עברי הוא: *Mihi quidem videtur omnia in manus Joſephi reſignata eſſe excepto cibo, quem, cùm Hebræus fuerit, attingere non poterat.* Ex-

plicatum enim eſt quod non poſſint Ægyptii cum Hebræis comedere panem. Atqui noverat Potiphar, Joſephum Hebræum eſſe. Atqui Joſephus dudum venditione & mancupio in gentem Ægyptiacam tranſierat, ut quaſi Ægyptius haberetur: unde etiam poſtea uxorem Ægyptiam ducit. Etſi etiam ſimul non veſcerentur, communibus tamen utrique cibis utebantur. Rabbi Abraham Sepharadi ſeu Hiſpanus alium verbis illis ſenſum induit: nimirum Joſephum nihil ex cibis Domini ſui cognoviſſe præter panem ſiccum, quo veſcebatur, & tamen vultum habuiſſe elegantem, quomodo etiam Daniel abſtinens à cibis Regiis, & leguminibus victitans reliquis pulchrior fuit. A quo non multum abludunt qui illud הוא ad Joſephum referunt, quaſi id vellet Moſes, ex tam locupleti ſubſtantia Potipharis nihil ſibi præter panem ſeu neceſſariam vitæ annonam vindicâſſe Joſephum. Verùm ידע ea qua illi volunt notione, puta *ad uſus ſuos convertendi*, nuſpiam venit. Certum eſt igitur relativum de ipſo hero intelligendum eſſe, eo quo expoſuimus ſenſu. Cœterùm hæc ipſa Joſepho curandæ Potipharis familiæ demandata plena poteſtas præludium quodammodo fuit ſecuturi principatus. De quo íta Philo Judæus lib. de Joſepho p. m. 532. Τῷ μὲν οὖν δοκεῖν ὑπὸ τοῦ πεπραμένου καθίστατο τῆς οἰκίας ἐπίτροπος· Ἔργῳ δὲ κατὰ τῆς ἀληθείας ὑπὸ φύσεως μνωμένης αὐτῷ πόλεως καὶ ἔθνους καὶ χώρας μεγάλης ἡγεμονίαν. Ἔδει γὰρ τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι πολιτικὸν, ἐγγυμνάσασθαι καὶ ἐνασκηθῆναι πρότερον τοῖς κατ' οἰκονομίαν. Οἰκία τε γὰρ πόλις ἐστὶν ἐσταλμένη καὶ βραχεῖα καὶ οἰκονομία συνηγμένη τις πολιτεία, ὡς καὶ πόλις μὲν οἶκος μέγας πολιτεία δὲ κοινή τις οἰκονομία. *Ergo in ſpeciem ab emptore ſuo domui ſuæ præfectus eſt: revera autem à natura conciliante illi magnæ gentis ac regionis principatum. Oportebat enim futuram adminiſtrationem Reip. præexerceri in rebus Oeconomicis. Nam & domus eſt quædam parva civitas, & Oeconomia compendiaria Reſpublica, ſicut etiam civitas magna domus eſt, & politia communis quædam Oeconomia.*

III. Felicitatem hanc Joſephi quamvis in ſervitute agitantis, interturbavit, uti fere ſemper apud fideles eſt quædam, ut Appulejus loquitur, conjugatio mellis & fellis, improviſus & plenus ancipitis periculi in utramque partem caſus, pudicitiæ nimirum ejus ab uxore Potipharis tentatæ nefas. Occaſionem tentationi huic ſuppeditaverat formæ ipſius ſpectatum decus. Erat quippe Joſephus יפה תאר ויפה מראה *pulcher forma & pulcher aſpectu* verſ. 6. καλὸς τῷ εἴδει καὶ ὡραῖος τῇ ὄψει σφόδρα *pulcher ſpecie & decorus aſpectu valde*, uti habent Græci. Quæſitam fuiſſe hanc corporis Joſephi pulchritudinem fingunt ſtolidè Judæi. Jarchius כיון שראה עצמו מושל התחיל אוכל ושותה ומסלסל בשערו אמר הק״בה אביך מתאבל ואתה מסלסל בשערך אני מגרה בך את הדוב: *Poſtquam vidit ſe dominatorem incepit edere & bibere,*

Digitized by Google

bibere, ſéque in capillitie ſua comere. Dicebat Deus benedictus: Pater tuus luget, tu autem capillitium concinnas. Ego in te concitabo urſum. Hinc nimirum factum, ut ſtatim in eum exardeſceret uxor Potipharis. Colligunt id ex verbis Joſephi verſ. 9. וחטאתי לאלהים *Peccavi contra Deum*, quaſi ad illud ipſum peccatum digitum intenderet. De eadem Joſephi ſpecie complura multa impudenter fabulantur in Tanchuma parte וישב יעקב ſectione tertia. Nos miſſis illorum figmentis, dubitamus nulli, quin pulchritudo illa Joſepho nativa fuerit, non arte vel induſtria quæſita. Significatur ergo decens *συμμετρία* membrorum corporis & ſtatura elegans, qualis eſt ex candore & rubore mixtus. Quæ certè formæ dignitas minimè contemnenda eſt, cùm teſte Publio Syro, honeſta forma muta commendatio ſit, inprimis verò ſi corporis dotes exornet concinnitas & modeſtia in omni geſtu, ſermone & actione, quæ teſtis eſt pulchritudinis animi. Tunc nempe

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

IV. Pulchritudine Joſephi Sathanas *κακὸν θηρίον mala beſtia*, uti eum hic idcirco appellat S. Chryſoſtomus, abuti voluit ad ejus præcipitium. Etenim is uxorem Potipharis nefarii amoris facibus accenſam irritavit, ut juvenis inſigni ſpecie decori amore deperiret. Appetiit igitur eum ſæpius, ſed iniquæ petitioni non acquieſcentem, ratione obductâ efficaciſſimâ, quòd fas non ſit malam hancce gratiam referre vel hero, qui omnia ejus poteſtati ſubdiderit, excepta una uxore: vel ipſi Deo, qui tam luculenta benedictione ipſum in Ægyptiaca hac ſervitute complexus eſſet. Dicit enim ואיך אעשה הרעה הגדלה הזאת וחטאתי לאלהים *Quomodo igitur facerem grande malum hoc peccando contra Deum* verſ. 9. Agnovit meritò maximum ſe commiſſurum ſcelus, ſi uxoris libidini ſatisfaceret. Jarchius putat ex præceptis Noachidarum id ipſum cognoviſſe בני נח נצטוו על העריות *Noachidæ præceptum acceperunt de nuditatibus non retegendis*, ſeu de non violando matrimonio alieno. Verùm poſitivo ejuſmodi præcepto opus non erat, quando ipſa natura, ſeu naturalis ratio omnibus etiam ante Noachum inſita ſatis hunc impetum reprimere debuit. Philo Judæus inter alia hæc verba Joſepho ſcelus abnuenti tribuit: Ἀλλότριον μὴ θηρᾶν γάμων ἐφ' ᾧ τίς ἀνθρώπων οὐ φονᾷ; περὶ γὰρ τῶν ἄλλων εἰωθότες διαφέρεσθαι μόνον τοῦθ' ὁμογνωμονοῦσιν οἱ πανταχοῦ πάντες ἄξιον θανάτων μυρίων ἐνόμισαν, ἀκρίτους ἐκδιδόντες τοὺς ἁλόντας τοῖς πεφωρακόσι. *Crimen illud* (adulterii) *cui non mortalium cæde vindicandum videtur? Nam de cæteris diſſentire ſoliti, in hanc ſolam conſpirant ſententiam, ita ut omnes ubique rem capitalem pronuntient & deprehenſos injudicatos læſo dedant necandos.*

V. Cœterùm Joſephus ſurdis canebat auribus. Etenim cùm ſermonibus

nihil effici poſſe impudica mulier cerneret, oblata occaſione & remotis arbitris, facto illum aggreſſa eſt. Nam ויהי כהיום הזה ויבא הביתה לעשות מלאכתו ואין איש מאנשי הבית שם בבית ותתפשהו בבגדו לאמר שכבה עמי *fuit ſecundum diem hanc, ut veniret domum ad faciendum opus ſuum, nec eſſet quiſquam ex domeſticis ibi in domo; apprehendit eum in veſtimento ſuo, dicens: Concumbe mecum* verſ. 11, 12. Pro כהיום הזה Græci habent ἐγένετο τοιαύτη τὶς ἡμέρα *facta eſt autem talis quædam dies*; Thargum Onkeloſi כיומא הדין *die quadam*, quem ſequuntur Syrus & Arabs. Notatur enim dies quædam conſimilis huic ac reſpondens, qua cœperat ſolicitare Joſephum, adeóque temporis ſucceſſus cùm illa non deſiſteret ſtuprum offerre ſancto juveni. Jarchius poſt Joſephum interpretatur diem המיוחד *peculiarem*, qualis erat dies luſus vel feſti idololatrici. Talem nimirum diem delectam à muliere eſſe opportuniorem cœteris maleficio futuram. Non putem tamen id innui. Uti nec illorum expoſitionem probem, qui putant indigetari die, quo cœpit mulier tentare animum juvenis, poſt annum eodem conatam eſſe eum evincere, quibus poſſet illecebris. Per מלאכה *opus*, quo defuncturus acceſſit Joſephus, Onkeloſus intelligit inveſtigationem כתבי חושבניה *ſcripturarum rationis ſuæ*, quas P. Fagius interpretatur libellum dati & accepti. Abenezra verò opus illud explicat מלאכת הבית או הממון כי פקיד הוה על הכל: *Opus aliquod domeſticum aut pecuniæ, quippe omnibus præpoſitus erat.* Sanè negotia domeſtica ipſi commiſſa intelligi, nullus dubitaverim. Hac igitur occaſione inſana mulier Joſephum prenſat, & ad patrandum ſcelus adigere conatur. Sed ille mira conſtantia & fortitudine ויעזב בגדו בידה וינס *reliquit veſtimentum ſuum in manu ejus, & aufugit.* Quod ſingulare continentiæ exemplum meritò hæc in verba extollit S. Chryſoſtomus: οὐ γὰρ οὕτω θαυμαστὸν ἦν, ὡς ἐμοί γε δοκεῖ ἐν μέσῃ τῇ Βαβυλωνίᾳ καμίνῳ τοὺς τρεῖς παῖδας ἔνδον ἀβλαβεῖς διαμεῖναι, καὶ μηδὲν ἀπὸ τοῦ πυρὸς παθεῖν, ὡς θαυμαστὸν ἐγένετο καὶ παράδοξον τὸν θαυμαστὸν τοῦτον νεανίσκον καταχεθέντα τῶν ἱματίων ὑπὸ τῆς μιαρᾶς ταύτης καὶ ἀκολάστου μὴ ἐνδοῦναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἱμάτια ἀφέντα ἐν ταῖς ἐκείνης χερσὶν οὕτως ἀποπηδῆσαι. ὥσπερ γὰρ καὶ οἱ τρεῖς παῖδες ἐκεῖνοι διὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν τῆς ἄνωθεν ἀπολαύσαντες ῥοπῆς, τοῦ πυρὸς κρείττους ὤφθησαν· οὕτω καὶ οὗτος ἐπεὶ τὰ περὶ ἑαυτοῦ εἰσέφερε, καὶ τῆς σωφροσύνης τοὺς ἀγῶνας μετὰ πολλοῦ τοῦ πόνου ἐπεδείκνυτο, πολλῆς καὶ τῆς ἄνωθεν συμμαχίας ἀπήλαυσε τῆς τοῦ Θεοῦ δεξιᾶς συμπεριπλεκούσης αὐτῷ πρῶτον ἆθλον νικήσας, καὶ ἔξω τῶν δικτύων τῆς ἀσελγοῦς ἐκείνης καταστῆναι. καὶ ἦν ἰδεῖν λοιπὸν τότε τὸν θαυμάσιον τοῦτον γυμνὸν μὲν ἐξιόντα ἱματίων ἐνδεδυμένον δὲ τῆς σωφροσύνης τὰ ἔνδυμα, καὶ καθάπερ ἀπό τινος πυρᾶς ἢ καμίνου ἀβλαβοῦς διαφυγεῖν· καὶ οὐ μόνον οὐ κατακαυθέντα, ἀλλὰ καὶ λαμπρότερον καὶ φαιδρότερον γεγενημένον. *Non tam admirabile fuit, ut mihi videtur, tres illos juvenes in mediis*

Babylo-

Digitized by Google

Babylonicæ fornacis flammis illæſos atque intactos permanſiſſe, quàm admirabile & rarum eſt hoc quod de S. Joſepho dicitur: qui ne retineretur veſtimentis ab illa polluta & laſciva muliere relictis propriis veſtibus in ejus manibus, reſilivit. Sicut autem tres illi pueri propter virtutis ſuæ præſtantiam ſuperiores igne fuerunt: ita & hic quia quod erat in ſe offerebat Deo & continentiæ certamina magno robore & conſtantia animi peragebat, idcirco inſuperabili præſidio Dei muniebatur; neque enim potuiſſet niſi dexterâ Dei protectus & adjutus tantum certamen ſuperare, & ex retibus illius libidinoſæ mulieris evadere. Videre igitur erat admirabilem juvenem nudum quidem corporis veſtibus exire, ſed pretioſis continentiæ veſtimentis pulchrè indutum atque ornatum, & quaſi ab incendio illæſum effugere, nec ſolùm non aduſtum ſed multò etiam clariorem ac ſplendidiorem effectum. Pulchrè eandem in rem Ambroſius: *Magnus vir qui venditus ſervile tamen neſcit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, comprehenſus aufugit. Qui cùm ab uxore Domini conveniretur teneri potuit veſte, animo capi non potuit, ac ne ipſa quidem verba diu paſſus eſt. Contagium enim judicavit, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva tranſiret. Itaque veſtem exuit, crimen excuſſit & relictis quibus tenebatur exuviis ſpoliatus quidem, ſed non nudus aufugit, qui erat tectior indumento pudoris. Non eſt enim nudus niſi quem culpa nudaverit.* Memoravit equidem exoticæ etiam hiſtoriæ nominatim Ælianus lib. 10. & Valerius Maximus lib. 4. & 6. Singularis continentiæ exempla, qualia ſunt Amabæi, Diogenis tragœdiarum actoris, qui ab uxoribus matrimonio copulatis perpetuò abſtinuerunt; Clitimarchi Pancratiaſtæ & Architæ qui à verbis etiam minùs pudicis abhorruerunt; Spurinæ Etruſci, qui quò minùs pulchritudine ejus pellicerentur fœminæ, *oris decorem vulneribus confudit, deformitatémque ſanctitatis ſuæ fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidinis eſſe maluit*, uti loquitur Valerius. De Hipone fœmina & Lucretia nihil dicam. Nota ſunt etiam exempla Pelei abſtinentis à Cretheide Acaſti Regis Magnetum uxore, à qua ſolicitabatur in 5. oda Nemeorum Pindari: Scipionis cohibentis ſe à captiva Allucii ſponſa apud Livium lib. 26. Pauſaniæ à captiva Coa in Calliope Herodoti: Hippolyti fugientis conſuetudinem novercæ à qua petebatur: Alexandri M. qui à captis Darii uxore & filiabus religioſè abſtinuit, exclamans interim ὦ ἀλγηδὼν τῶν ὀφθαλμῶν, teſte Curtio. Ea tamen omnia, dummodo vera ſint, Joſephi caſtitas multis poſt ſe paraſangis relinquit, quod liquere poteſt cauſas tum formales tum finales Joſephi caſtitatis expendenti. Neque enim caſtitatem Joſephi ſervavit ſola rationis humanæ conſideratio, ſed inprimis lux divina in ejus mente accenſa & vera in Deum fides: ita ut Ethnicorum ea caſtitas cum Joſephi compa-

Digitized by Google

rata caſtitate, ſimulachrum potiùs virtutis,quàm vera virtus fuerit. Diſcrimen illud fuſè diducit Theologus piiſſimus David Chytræus ad cap. 39. Geneſeos.

VI. Fœmina, ut eſt in proverbio, aut amat aut odit. Ita uxor Potipharis ſceleſta poſtquam repulſam tulit,amorem convertit in odium, & crimen, cui ipſa erat obnoxia, Joſepho innocenti impegit. Quippe ſibi à Joſepho intentatam vim,& à ſe veſtimento quod ille apprehenderit relicto, eluſam primò apud domeſticos, poſtea apud ipſum maritum ſtrenuè mentitur. Verba ad maritum talia fecit: *Venit ad me* העבד העברי *ſervus Hebræus quem adduxiſti nobis* לצחק בי *ut illuderet mihi. Cùm verò ſuſtuliſſem vocem meam & clamâſſem reliquit veſtimentum ſuum apud me, & fugit foras* verſ. 17, 18. Ubi verba illa לצחק בי referenda eſſe ad τὰ ἀφροδίσια ſatis ex præcedentibus juxta & conſequentibus elicitur. Stuprum nempe honeſtis verbis circumſcribitur. Atque ita aſtu muliebri ſubitò negati facinoris vindictam comminiſcitur: innocentem irata crudelitérque involvit, conſuetis impotentium mulierum armis, mendaciis, exaggerationibus, contemptu, clamoribus, inverecundia aggreditur, perditionem innocentis adoleſcentis, ac denique mariti furorem fictis hiſce criminibus capiti ejus inconciliat.

VII. Hæc igitur occaſio fuit captivitatis Joſephi. Nam auditâ & creditâ mulieris criminatione Potiphar יקח ארני יוסף אותו ויתנהו אל בית הסהר מקום אשר אסורי המלך אסורים ויהי שם בבית הסהר *tulit Dominus Joſephi ipſum,poſuitq; eum in domo carceris* verſ.20. ubi pro סהר Græci habent ὀχύρωμα *cuſtodiam.* Thargum Onkeloſi & Syrus בית אסירי *domus vinctorum.* Abenezra de ea voce לא נרע אם הוא לשון הקרש או לשון מצרים בעבור שפירש אחריו ואמר סהר הוא כמו האחשתרנים שהוא לשון פרס ופירש שהם בני הרמכים *Ignotum eſt an iſte ſermo ſit ſanctus an Ægyptius, quoniam poſt eum expoſuit & dixit quid ſit. Quemadmodum* (*Eſther* VIII. 10.) האחשתרנים *quæ vox eſt Perſica & exponitur, quod ſint* בני הרמכים *filii equarum.* Verùm hæc conjectura non ſufficit. Illi certè,qui linguæ hactenus Ægyptiacæ feliciter operam dederunt,nihil tale oſtendunt. Ex Arabico idiomate rectiùs videmur derivare poſſe. Etenim Arabibus סהר *vigilavit* in conjugatione 2. ſignificat, *in vigilia detinuit.* Unde סהר aliud notare non poteſt quàm *turrim rotundam*, ſive illa cuſtodiæ ſive vigiliæ deſtinata ſit. Et סַהַר inde *rotundum* & *rotatile* notat ex Cant. VII. 2. אגן סהר *umbilicus rotundus.* Unde etiam Thalmudicis סהר eſt הקף περίβολος. Regius vates hoc ita circumſcribit Pſal. CV. 18. ענו בכבל רגליו ברזל באה נפשו *Debilitârunt compede pedem ejus, in ferrum venit anima ejus,* hoc eſt, ferream catenam ſubivit. Unde colligitur, duriter fuiſſe habitum initio, nec in liberâ cuſtodiâ detentum fuiſſe. Meritò tamen Chryſoſtomus

Digitized by Google

ſoſtomus hic prædicat Dei erga Joſephum miſericordiam, flectentis animum Potipharis & cohibentis à cœde Joſephi, quam attentare poterat, ſiquidem uxoris accuſationi fidem habuit. Εἰ μὲν γὰρ, inquit, μὴ ἐπίστευσε, οὐκ ἐχρῆν αὐτὸν ἐμβαλεῖν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ· Εἰ δὲ ἐπίστευσε πάλιν ἀληθὲς εἶναι τὸ παρὰ τῆς Αἰγυπτίας λεγόμενον, οὐδὲ οὕτω δεσμωτηρίου ἄξιος ἦν, ἀλλὰ ἀποτμηθῆναι καὶ δίκην δοῦναι τὴν ἐσχάτην. Ἀλλ' ὅταν ἡ ἄνωθεν δεξιὰ τὴν ἑαυτῆς πρόνοιαν ἐπιδείκνυται, πάντα εὔκολα καὶ ῥᾴδια γίνεται, καὶ οἱ ἄγελοι ἡμερώτεροι καθίστανται. *Si non credebat Potiphar Joſephum reum eſſe, cur in carcerem compegit? Si autem credebat verum eſſe, quod uxor dixerat, utique non carcere dignus ſed extremo ſupplicio capitalique pœna judicandus erat. Verùm quando ſuum auxilium dextra ſuprema oſtendit, omnia fiunt levia & facilia & quantumvis feroces animæ manſueſcunt.*

VIII. Dirus ille carcer, qui innocuum conſtrinxit, favorem Dei minimè excluſit. *Fuit* enim *Jehova cum Joſepho & inclinavit ad eum miſericordiam.* verſ. 21. Hinc etiam præfecti domui carceris benevolentiam illi conciliavit, adeò ut is imitatus Potipharem totius carceris ſibi ſubjecti curam ipſi committeret, poteſtatémque ſuam adeò illi reſignavit, ut quicquid Joſephus faceret, illud omne ratum haberetur. Cujus equidem rei conſcium fuiſſe Potipharem, cui commentarienſis ille ſubjectus erat, probabile eſt, cùm abſque ejus nutu tanta Joſepho gratia præſtari non potuerit. Fieri enim potuit, ut Joſephi innocentia utcunque tum Potiphari, tum commentarienſi innoteſcere inciperet. Accedit, quod Geneſ. XL. 4. ipſe שר הטבחים *præfectus rerum capitalium*, adeóque Potiphar Joſephum captivis miniſtris Regiis præfeciſſe dicitur. Quicquid ſit, beneficia illa in Joſephum authore potiſſimum Deo ipſo collata ſunt. Unde אשר הוא עשה יהוה מצליח *quicquid ipſe Joſephus faciebat, illud omne Jehova ſecundabat* verſ. 23. Sic igitur ad imperium, quod ipſi etiam ſomnia Divina portenderant, natus erat Joſephus, ut quocúnque ipſum fortuna perduxiſſet, ipſe gloriâ, comitante & fortuna, regnârit primò inter fratres, poſtea in domo Principis, ac nunc demum in medio carcere. Sic nimirum lædere non poteſt vel totus mundus, qui ſe ipſum non læſerit, cuique Deus per gratiam aſtiterit, & veræ fidei donum præſtiterit. Egregiè Ambroſius de Joſepho cap. 5. *Inaudita cauſa & inexplorata fide veri tanquam reus criminis in carcerem Joſephus mittitur, ſed eum Dominus nec in carcere deſerebat. Non turbentur innocentes, cùm falſis criminibus appetuntur, & oppreſſa juſtitia detruduntur in carcerem. Viſitat Deus & in carcere ſuos: & ideò ibi eſt plus auxilii, ubi eſt plus periculi. Sed quid mirum, ſi viſitat Deus in carcere poſitos, qui ſe ipſum in ſuis in carcere incluſum eſſe memoravit, ſicut habes ſcriptum: In carcere eram, & non viſitaſtis me. Quò non penetrat Divina miſericordia? Invenit Joſephus hujusmodi*

modi gratiam, ut qui clauſus fuerat in carcere, ipſe potiùs carceris clauſtra ſervaret; cederet munere clavicularius, & incluſos omnes in poteſtatem ejus committeret. Itaque Joſeph non ſolùm carcerem non ſentiebat, ſed alios quoque carceris levabat ærumnis.

IX. Quod verò Deus Joſepho captivo tam gratioſè adfuit, id ipſum teſtimonium erat innocentiæ ipſius admodum illuſtre, primúsque adeò gradus, quo ea in hominum notitiam pervenit. Cui ſucceſſit ſecundum innocentiæ teſtimonium, adeóque alter notitiæ gradus, quod Deus Joſephum non modò virum bonum eſſe, ſed etiam ſpiritu prophetico ſeu Divinationis præditum eſſe oſtenderit, quâ ratione non antegreſſa duntaxat mulieris perfidæ criminatio falſi evicta eſt, ſed etiam janua patefacta ad ulteriorem amplioremque notitiam ipſius Regis, & conſecutum ex eo principatum. Sic vinctus corpore, præditus tamen fuit ſpiritu libertatis, quo res obſcuras ſolveret & explicaret. Ipſe quamvis vinctus fuerit, at verbum Dei vinctum non fuit, uti de ſe loquitur Paulus.

X. Occaſionem Joſepho manifeſtandi ſpiritus prophetici præbebant duo aulici, pincerna nimirum & piſtor Regis, qui quòd exacerbarent Regem, in vincula conjecti ſunt, ubi illis ſub cuſtodia & curâ ipſius Joſephi poſitis, ſomnia, quibus utriusque portendebatur exitus, oblata ſunt. Qui primo verſu capitis XL. ſimpliciter vocantur משקה *pincerna* & האפה *piſtor*, iidem verſ. 2. vocantur שני סריסים *duo eunuchi*, & prior quidem שר המשקים *princeps pincernarum*, poſterior verò שר האפים *princeps piſtorum*. Perperam Gerundenſis annotat, vocari eos סריסים *eunuchos*, eò quòd Rex eos eviraverit & gynecæo præfecerit. Superiùs enim oſtendimus, סריס non *caſtratum* duntaxat notare, ſed etiam *principem*, præfectum & Regium miniſtrum, uti hoc etiam loco Chaldæus & Arabs interpretantur. Pincerna vocatur prius, qui poſtea princeps pincernarum ſeu ἀρχιοινοχόος, nec non piſtor, qui deinceps princeps piſtorum ſeu ἀρχισιτοποιός eodem modo, quo alibi ſacerdos ponitur pro ſummo ſacerdote. Vox אופה propriè panis coctorem ſeu נחתומא *panificem*, uti Chaldæus reddit ſignificat. Vulgatus tamen non malè *piſtorem* tranſtulit. Etſi enim olim piſtores dicti, non qui farinæ maſſam ſubigebant & coquebant, ſed qui frumentum pinſebant, hoc eſt, in mortario piſtillis contundebant: idemque nomen deinceps hæſit iis qui molas truſatiles circumagebant, cui rei deinde molæ aſinariæ, ac tandem molæ vento vel aquarum delapſu circumactæ ſucceſſerunt, *piſtores* tamen deinde dicti etiam ſunt, non qui frumentum pinſebant & contundebant, ſed qui piſtam contuſámque farinam ſubigebant & concoquebant. Erant autem hæc in aulis Principum officia

Digitized by Google

officia non vilia, ſed maximæ dignitatis. Neque enim intelligendi ſunt ii, qui vel potum ipſi parabant, vel panem pinſebant; ſed quibus cura commiſſa erat, ut talia ſuo tempore commodè in menſâ Regiâ miniſtrarentur. Pocillatores quanto olim apud Reges & Principes in pretio fuerint, docet hîc in quæſtionibus Hebraicis Hieronymus, & Xenophon in Cyropædia lib. 1. indicántque, quæ de Ganymede Jovis pocillatore ab eodem Jove rapto fabulatur Homerus.

XI. Cujusmodi porrò peccatum fuerit, quo Regis offenſam duo illi miniſtri incurrerant, Scriptura non exprimit. Quod enim aliqui ſuſpicantur, motam Pharaoni ſuſpicionem de admixto calici vel pani veneno; conjectura, non res eſt. Sunt enim & alia, in quibus Regem miniſtri hi offendere potuerunt, ſive in ſuo quisque munere, ſive in aliis munus eorum non concernentibus. Hebræi offenſæ hujus cauſas comminiſcuntur planè ridiculas. R. Salomon זה נמצא זבוב בפיילי פוטירי שלו וזה נמצא צרור בגלוסקן שלו: *Peccatum in eo conſiſtebat quod inventa fuit muſca in poculo & lapillus in torta panis.* Peccatum tanto Theologo dignum! Abenezra aliud peccatum fingit, nimirum כוכר המלוכה *proditionem Regni.* Alii aliter. Nobis ſufficere debet, quod Moſes teſtatur, utrumque *peccâſſe* adverſus dominum ſuum, atque ita quidem ut is ad iram provocatus in nervum eos raperet. Gravis fuerit noxa necne, & qualis omnino fuerit, nihil attinet inquirere. Id certum, Principum gratiam eſſe minùs conſtantem & leves quandóque ob cauſas mutabilem. Sicut enim leonem tondere difficile eſt, ita diſcriminis & periculi plenum eſt vitæ genus aulicum, etſi fortunatiſſimum illud judicent, qui externo ſplendore & inani pompâ capiuntur. Optimè Seneca *aularum eſſe lenta officia & præcoces injurias* dixit.

XII. Miniſtri Regii eo quo ſomniârunt tempore dicuntur fuiſſe ימים במשמר *dies in cuſtodia* cap. XL. 4. Pro ימים Vulgatus habet *aliquantulum temporis.* Græci ἦσαν δὲ ἡμέρας ἐν τῇ φυλακῇ *Erant autem dies in cuſtodia.* Thargum Onkeloſi יומין *aliquot dies.* Eodem modo Syrus & Arabs. Non deſunt tamen, qui per dies hic intelligant annum unum. Ita Pagninus: *Et fuerunt per annum in cuſtodia.* Eodem modo R. Salomon Jarchius ימים interpretatur שנים עשר חדש *duodecim menſes.* Fatemur equidem alicubi ימים abſolutè poſitum *annum* notare. Cujus tamen rei rationem perperam reddit Kimchius his verbis: *Noſter annus integris conficitur diebus non ſubtrahimus aut addimus ei aliquot horas. Et idcircò ימים vocatur annus.* Atqui ſi annus Judæorum conſtat integris diebus, cur ſingulis annis colligunt epactas dierum, horarum & minutiarum, quas adjiciunt futuro anno? Annus non poteſt conſtare integris diebus, poſtquam Sol & Luna ſuos

Hhhh circu-

Digitized by Google

circulares motus integris diebus non abſolvunt. An verò etiam hoc loco voce ימים notetur annus, incertum eſt. Potiùs videtur notatio eſſe diuturni, at incerti temporis.

XIII. Somnia utriusque tum pincernarum tum piſtorum principis recenſentur cap. XL. 9, 10. Pincernarum princeps ſomniabat, viſam ſibi vitem unâ cum tribus propaginibus paulatim creſcentibus in gemmas, poſtea in flores & uvas, quæ tandem maturuerint. Viſum etiam calicem Pharaonis in manu ſua, ſe premente uvas & calicem Pharaoni præbente, verſ. 9, 10, 11. Pro שלשה שריגם Vulgatus habet *tres propagines*. Græci reddunt πυθμένας quod alii *propagines*, alii *radios*, alii fundos reddunt. Eſt nempe πυθμὴν teſte Suida τὸ ἔσχατον μέρος καὶ τελευταῖον *extrema & ultima pars* cujusvis vaſis in profundo. Thargum Onkeloſi & Syrus habent שבשין *palmites*. Quomodo etiam Arabs קצבאן *palmites* convertit. Neque aliter Aquila & Symmachus, apud quos κληματίδες ſunt, Heſychio interprete οἱ ἐκ τῶν κλημάτων δέσμοι *faſces palmitum è vite* exciſorum. Sanè palmites ſecerni à propaginibus indicat Plinius lib. XIV. I. *Vis earum* (vitium) *omnis aut evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines.* Eſt ergo propago vitis jam adultior vel illius ramus qui ſinuato arcu ad novam propagationem in terram deprimitur. Unde & à propagando nomen accepit. Hinc illud Virgilii Georg. lib. 2. *Preſſos propaginis arcus.* Cicero etiam lib. de Senectute propagines & traduces conjungit. Et propaginis quidem notio magis convenit non tantùm cum radice שרג quæ *perplexitatis* ſignificationem habet, ſed etiam cum interpretatione Græca antiquiſſima πυθμένων, quas in imo ſolo, & ad radicem omnes Auctores ponunt.

XIV. Porro principis piſtorum ſomnium recenſetur verſ. 17, 18. &c. Viderat is שלשה סלי חרי *tria caniſtra farinæ*, uti Vulgatus habet, *ſuper caput ſuum*; in quorum ſupremo erant ex omnibus cibis Pharaonis מעשה אופה *opere piſtorio* factis, quos aves advolantes comederant. Verba שלשה סלי חרי non eodem modo reddunt Interpretes. Græci τρία κανᾶ χονδριτῶν *tria caniſtra chondritorum*. Eſt autem χονδρίτης panis è chondro ſeu alica, quæ eſt tritici genus & certæ frugis ſpecies, uti quidam ex Galeno tradunt, vel farina ex zea certo modo concinnata. Thargum Onkeloſi reddit תלתא סלין דחירי quod vertunt alii *tria caniſtra candida*, alii *caniſtra perforata*, alii *inſignia ac præcipua*, alii *tria caniſtra plena pane principali.* Syrus תלתא סלא דחורתא *tria caniſtra ciborum candidorum*. Arabs תלאת סלאל חוארי *tria caniſtra ſimilæ*. Aquila τρεῖς κόφινοι γύρεως *tres cophini pollinis*. Nam γύρις *pollinem* notat. At Symmachus τρία κανᾶ βαϊνὰ quod vir quidam doctus exiſtimat ſignificare *caniſtra ex viminibus palmæ ramisve illius arboris.* Nam βαῒς & βάϊον

ramum

ramum palmæ arboris denotat. Res eò redit, ut vox חרי derivetur vel à חור quod *candidum* ſignificat, vel à חרר *in libertatem aſſerere.* Unde חורים ſunt liberi, ingenui, nobiles. Poſteriorem notionem præferunt, qui caniſtra plena pane principali, hoc eſt, exquiſitiſſimo, delicatiſſimo denotari putant. Quam expoſitionem amplectitur Druſius hiſce verbis: *Ita ſim ſalvus, ut mihi hæc interpretatio præ cæteris arridet. Nam albus חור dicitur non חרי à quo pluralis חורים nobiles, vel ſi placet, heroës. Et quid ſi legamus tria caniſtra panis heroici? חרי & חרים ſicut* יהודי *&* יהודים. Sanè non contemnenda eſt ea interpretatio. Nam panes ejusmodi caniſtri impoſitos eſſe, docet verſus ſequens, ubi in ſuperiori caniſtro fuiſſe omnis generis *cibos Pharaonis opere piſtorio factos* narratur. Simile huic ſomnio augurium in Homeri Odyſſeæ B′ reperire eſt.

XV. Somnia hæc utrumque miniſtrum Regium haud mediocri ægritudine affecerunt. Id cum intelligeret Joſephus, eos increpans dixit הלוא לאלהים פתרנים ספרו נא לי *Nonne Dei ſunt interpretationes? Narrate quæſo mihi* verſ. 8. Procul dubio monuit prolixa oratione captivos hoſce, ſibi veri Dei & futurorum omnium præſcii cultori hanc interpretandi dotem conceſſam eſſe. Neque enim aliâs induci potuiſſent, ut nuda hac aſſeveratione Joſepho tanquam Deo cuipiam ſomnia ſua crederent. Statim quippe obſecutus utérque ſomnium Divinitus oblatum Joſephi in ſinum effudit. Qui quidem principi pincernarum ſomnium expeditiſſimè ſic interpretatus eſt. *Tres propagines tres dies ſunt. In fine trium dierum* ישא פרעה את ראשך *levabit Pharao caput tuum*: והשיבך על כנך *& reſtituet te loco tuo, & dabis calicem Pharaoni in manum ejus, ſecundum conſuetudinem priorem, quando eras pincerna ejus* verſ. 12, 13. Ternarius numerus cum re ſignificata convenit. Sed quæ proportio propaginis ad diem? Aſſignant hanc nonnulli, quòd quemadmodum propago vitis à vite egreſſa in modum arcus ſinuatur, ut in terram deprimatur, in eamque mergatur, ut deinde rurſum ab eadem emergat: ita dies ſolis gyro peragatur, qui ab ortu in meridiem ſinuatur, & deinde in Occidentem reflexus infra terras quaſi conditur, donec rurſum emergens novum gyrum inchoët: & hac ratione dies quaſi unus poſt alterum propagentur, quemadmodum vites novis propaginibus. Hoc argutum magis quàm ſolidum videtur. Similis enim ratio etiam v. 18. reddenda foret, quæ tamen idonea reddi vix poterit. Pro ישא פרעה ראשך והשיבך על כנך Vulgatus habet: *Recordabitur Pharao miniſterii tui & reſtituet te in gradum priſtinum.* Similiter Thargum Onkeloſi: יִדכרינך פרעה ויתיבינך על שירותך *recordabitur tui Pharao, & reducet te ad miniſterium tuum.* Et LXX Seniores: Μνησθήσεται Φαραὼ τῆς ἀρχῆς σου, ϗ ἀποκαταστήσει σε ἐπὶ τὴν ἀρχιοινο-

χοΐαν σε Recordabitur Pharao principatus tui, & reſtituet te in tuum pincernatus officium. Ita etiam Syrus & Arabs. Eæ interpretationes qua ratione conſiſtere queant, equidem non video. Potiùs eam phraſin נשא את ראש interpretabimur ex Exod. xxx. 12. כי תשא את ראש *cum levabis caput* filiorum Iſraël, ubi phraſis נשא ראש perſpicuè *recenſionem* notat, uti etiam Vulgatus agnoſcit, qui ſic ibi vertit: *Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël.* Confer etiam Num. 1. 49. Sic ferme & Græci κεφάλαιον uſurpant. Etiam Jarchius hunc ſenſum eſſe verborum illorum putat, cujus verba ſunt לשון השבון כשיפקוד שאר עבדיו לשרת לפניו בסעודה יכנה אותך עמהם : *Verba hæc habent notionem ſupputationis, hoc ſenſu: cùm recenſebit Pharao reliquos ſervos ejus ut miniſtrent coram eo in convivio, numerabit etiam te inter illos.*

XVI. Pro lætiſſimo hoc nuntio ſtipulatur Joſephus à principe pincernarum, ut liberatus ſui memoriam non deponeret, ſed potiùs fidelem ſui rationem haberet apud Pharaonem, quò & ipſe interceſſione ejus ex ergaſtulo eo tandem aliquando liberaretur. Cujus petitionis ſuæ rationem addit hiſce verbis: כי גנב גנבתי *quia furto ablatus ſum è terra Hebræorum, neque feci hîc quicquam ut conjicerer in carcerem,* verſ. 15. Furto ſe ablatum meritò queritur, quia fratres ipſum vendentes furtum ſeu plagium commiſerant. Qui enim hominem liberum vendit, plagiarius eſt. Ad veritatem itaque hujus ſermonis Joſephi ſufficit quoquomodo interveniſſe furtum ſive plagium: nec opus erat, ut exactè omnia pincernæ narraret. Quomodo verò Joſephus rei ſpiritualis propheticæ nimirum ſomniorum interpretationis remunerationem poſtulat, veluti venalem proponens gratiam Dei? Nempe occaſionem Divinitus oblatam negligendam non duxit, quâ ſperavit fieri poſſe, ut ejus tum innocentia tum apud Deum favor Regi innoteſceret. Non ſunt enim humana media, quibus ex afflictione liberari poſſumus, negligenda, ſi licita ſint poſt Deum nimirum invocatum, & omnem in eo collocatam fiduciam, & preces ad eum factas, quod hic Joſephum feciſſe dubitari non poteſt. Neque enim ita in pocillatorem hunc fiduciam omnem collocaverat, ut interim ſpem in Deum abjecerit, ſed hoc tantùm medio uti conſtituit, ſi ita Deo viſum eſſet. Proinde Jarchium alioſque Hebræos probare minimè poſſum, qui Joſephum, quod fiduciam in principe hoc pincernarum non in Deo collocâſſet, aſſerunt punitum eſſe, ut deinceps duos integros annos in carcere adhuc commorari neceſſum habuerit. Quod ipſum etiam Auguſtinus, ſive alius fuerit author ſermonis de tempore 82. inter Auguſtini opera in Joſepho reprehendit, tanquam culpam diutioris in carcere moræ. Spiritualia verò vendidiſſe Joſephus dici nullo modo poteſt. Nam liberè & libenter contulit

Digitized by Google

tulit iſti homini etiam non petenti, quod ad ejus conſolationem facere poterat. Nec de pretio ullo cum eo convenit, nec etiam de favore & benevolentia verba facit priusquam ei liberationem annuntiavit, cujus occaſione eum admonet officii ut mali non ignarus diſceret ſuccurrere miſeris, præſertim innocentibus. Noverat etiam, nefas non eſſe pro ſpiritualibus ad neceſſitatem ſuam temporalia metere. Denique res, quam petebat Joſephus hujusmodi erat, ut ad ſpiritualia referri poſſet. Petiit enim actum charitatis & humanitatis, ut videlicet innocentis rationem haberet apud judicem.

XVII. Princeps piſtorum, cùm intellexiſſet læta omnia ſocio ſuo à Joſepho dicta eſſe, ipſe quoque ſui ſomnii ab eo interpretationem flagitavit. Ea ejusmodi fuit: *Tria caniſtra tres dies ſunt. In fine trium dierum* ישא פרעה את ראשך מעליך *recenſebit Pharao à te caput tuum & ſuſpendet te in ligno comedéntque aves carnem tuam deſuper te* verſ. 18, 19. In verbis illis ישא פרעה את ראשך מעליך ſignificatus idem qui ſuperiùs verſ. 13. retinendus. Additur hic מעליך *deſuper te* vel *à te* quod Tremelius & Junius ſic expreſſerunt: *Recenſebit Pharao caput tuum, ne ſit amplius recenſio de te,* id eſt jubebit nomen tuum ex catalogo ſervorum ſuorum obliterari, téque capitali ſupplicio affici. Videtur enim in locutione ea amphibolia & ludus, quia cùm *tollere caput* idem ſit quod *recenſere*, eadem verba equidem uſurpavit Joſephus, ſed addidit *deſuper te*, ut oſtenderet recenſendum, ut auferretur; non quidem ut caput ei amputaretur, ſed ut capitali ſupplicio afficeretur. Pro verbis תלה אותך על עץ Vulgatus habet: *Suſpendet te in cruce.* Arabs: יצלבך עלי כשבה *crucifiget te ſuper trabem.* Ita Interpres Latinus Arabis. Mallem tamen, *ſuſpendet te ſuper trabem.* Quamvis enim voce צלב in N.T. *crucifixio* Chriſti denotetur, alibi tamen *ſuſpenſionem* quamcunque notat. Joſephus crucifixionem etiam expreſſit Antiq. 11. 3. Τὸν ἀρχὶ τῶν σιτοποιῶν ἀνεσταύρωσε *crucifixit principem piſtorum.* Atqui in Hebræo nihil tale occurrit. Simpliciter notatur ſuſpenſio in ligno. Illud autem pœnæ genus, *Crux* propriè Romanis dictum, & ſervile ſupplicium olim habitum, nullum veteris linguæ Hebreæ verbum eſt, quod ſignificet. Neque ullum verbum actioni *crucifigendi* proprium occurrit. Si tamen *crux* laxiùs accipitur, ut vocabulum generale ſit ejus inſtrumenti, quod ad varia ſupplicia variâ formâ adhiberi ſolitum, ferri ſanè Vulgati & Joſephi interpretatio poteſt. Quomodo dictiones σταυρὸς & ἀνασταυρῶν in diverſis veterum ſuppliciis locum habuiſſe probat Caſaubonus Exerc. XVI. pag. 541. Et עץ vocabulum ita generale eſſe ibidem docet, ut & qui acuta ſude transfigebantur, & qui laqueo ſtrangulabantur in altum ſublati, & qui

Digitized by Google

qui in furca occidebantur, & qui *σανίδι* more Athenienſium vel cruci ex conſuetudine Romanorum affigebantur, & qui hodie rotæ imponuntur, omnes dici poſſunt mori על עץ *ſuper ligno.* De vocabulo non contendendum, dum id obtineamus, Romanam crucem hîc non intelligi, quippe quam vel Hebræis vel Ægyptiis veteribus fuiſſe in uſu, minimè conſtat. Vide ſis Caſaubonum loco citato, nec non G. J. Voſſium Harm. Euang. p. 269. & Salmaſium de Cruce.

XVIII. Interpretationi huic propheticæ liquidò fidem fecit eventus. Nam die ſequente tertio, qui fuit יום הלדת את פרעה *ἡμέρα γενέσεως dies natalitius Pharaonis*, cenſu ſervorum omnium acto, Pincernarum equidem principem is muneri ſuo reſtituit, at piſtorum principem ſuſpendi curavit. יום הלדת rectè interpretantur Hebræi: יום שנולד בו vel יום תקופת שנת *diem annuæ revolutionis.* Ita Herodotus Calliope in Perſarum rebus: *Τοῦτο τὸ δεῖπνον κατασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς. Convivium hoc inſtruitur ſemel quotannis eo die quo natus Rex.* Adde Matth. XIV. 16.

XIX. Pincernarum princeps Joſephi expectationi non reſpondit. Priſtinæ enim reſtitutus dignitati *oblitus eſt interpretis ſui*, non quod interpretatio ea animo ejus excidiſſet, ſed quia re ipſa non oſtendit ſe petitionis juſtiſſimæ Joſephi memorem eſſe. Hoc nimirum aulicorum ingenium eſt, adverſis rebus polliceri multa, at ſecundis & proſperis inſoleſcere & beneficia obliterare. Sic nimirum exercitatur ad vivum Joſephus, quo Domino jubente clarior eluceſceret. Sed invigilabat hîc inprimis Divina providentia. Si enim miniſtri illius favore ex carcere liberatus Joſephus fuiſſet, non tam perſpicua & admirabilis Dei diſpenſatio fuiſſet, nec affulſiſſet ea occaſio, qua Joſephus ſummam ad dignitatem evehi debuit. Sed & patientiâ eum ulterius exerceri & probari Deus voluit, ut inſigne exemplum præberet piis in anguſtia conſtitutis, ne ſuccumbant diutius atque longiùs ſua opinione dilata Domini ope, ſed potiùs fiduciâ in ipſum reclinantes patienter expectent liberationis & ſurgentis gloriæ ſuæ momentum.

XX. Poſtquam in carcere Joſephus aulicis Regis innotuit, nunc etiam in notitiam Regis ipſius & totius Regni, atque adeò finitimarum etiam gentium pervenit. Cauſa notitiæ hujus erat duplex ſomnium divinitus Pharaoni oblatum, quod narratur Gen. XLI. 1--7. Tempus ſomnii utriusque definitur verſ. 1. מקץ שנתים ימים *μετὰ δύο ἔτη ἡμερῶν poſt biennium.* Sic nempe innuitur biennium plenum & perfectum, ita ut poſtremus dies reſpondeat primo. Unde verò putandum ſit illud biennium, à liberationéne

tionéne principis pincernarum, an à captivitate Joſephi, non idem ſenſus omnium eſt. Prius arbitratur R. Levi ben Gerſon. Poſterius rectiùs Joſephus. Ita enim indicare videtur contextus narrationis, in qua verba hæc connectuntur cum fine antecedentis capitis.

XXI. Prius ſomnium Pharaonis erat ejusmodi. Somniabat ſe ſtare על היאר *juxta fluvium*, ibique ſe videre primò quidem è fluvio aſcendentes ſeptem vaccas pulchras admodum & pingues, quæ paſcebantur באחו *in carice*; poſtea verò ſeptem rurſus vaccas aſcendentes ex eodem flumine turpes aſpectu & carne tenues, quæ ſteterint juxta vaccas illas ad ripam fluminis, & priores illas pulchras aſpectu & pingues carne à poſterioribus illis devoratas eſſe. Dubitari non poteſt, quin היאר *fluvius* ille, apud quem videbatur ſibi ſtare Pharao, fuerit Nilus. Proinde Arabica verſio pro flumine ubique habet אלניל *Nilum*. Et היאר non tam fluvium ſonat, quàm διώρυχα *rivum*, ſeu alveum ex flumine deductum; quales ex Nilo multos deduci nemo eſt qui neſciat. Vaccæ pulchræ & pingues, quæ inde emerſerunt, dicuntur paviſſe באחו *in achu*. Occurrit eadem vox alibi ſemel tantùm, nimirum Job. VIII. 11. *An extollitur papyrus ſine cœno: creſcit* אחו *achu ſine aquis?* Græci Interpretes retinuerunt nomen proprium, ἐν Ἄχει *in Achi.* Quidam tamen libri habent ἐν τῇ ὄχθῃ *in ripa.* Quomodo & Philo legit, & habent Baſileenſes Codices. Scholiaſtes ἐν τῷ ἕλει interpretatur *in palude.* Quomodo & Aquila eandem vocem reddit in loco Jobi. Vulgatus vertit *in locis paluſtribus.* Hieronymus: *Audivi ab Ægyptiis hoc nomine lingua eorum omne quod in palude virens naſcatur appellari.* Etiam Arabicè אחירה & in plurali אואחי in Giauhari dicuntur אסכאב *res paſcuales.* Et in Græco Scholiaſte: Ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν καὶ βοτανῶδες φυτάριον. *Achos tenuis & herboſa planta eſt.* Et apud Heſychium pro Ἀχιοπᾶ ἢ χόρτῳ χλωρῷ legendum, Ἀχὶ, πόα ἢ χόρτῳ χλωρῷ. Siracides, qui in Ægypto ſcripſit Eccleſ. XL. 16. Ἀχὶ ἐπὶ παντὸς ὕδατος καὶ χείλους ποταμοῦ *Achi in omni aqua, & ripa fluminis.* Et Eſai. XIX. 17. τὸ Ἀχὶ τὸ χλωρὸν πᾶν τῷ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ, ubi tamen Hebraicè non eſt אחו ſed ערות. Alii interpretantur ex Arabico idiomate, quo אחירה inter alia notat locum, ubi jumentum alligatur. Ita Cl. Hottingerus in Smegmate p. 118. Magis tamen aſſentiri velim iis, qui prata circa Nilum virentia interpretantur, quod & ad rem appoſitum magis, & cum interpretibus Orientalibus convenit. In ſomnii porrò narratione id ſolùm addit, quod ſeptem vaccæ deformes, poſtquam ſeptem pingues devorâſſent & in viſcera demiſiſſent, tam turpes & macræ fuerint quàm priùs.

XXII. Alterum ſomnium Pharaonis narratur verſ. 5, 6, 7. Somniabat nempe Rex, ſe videre ſeptem ſpicas aſcendentes in culmo uno pingues

&

Digitized by Google

& pulchras, & totidem ſpicas tenues & arefactas Euro, poſt priores illas exortas, quæ poſteriores priores illas devorârunt. Apparet ſatis, uti etiam Joſephi interpretatio poſtea prodidit, diverſa eâ ſomnia unam eandémque rem exprimere. Sic apud Danielem idem arbor & imago. Et de ſomnio Ptolemæi Tacitus Hiſtor. lib. 5. *Eadem ſpecies terribilior jam & inſtantior.* Porro ex utróque hoc ſomnio Pharaonis conflatum eſt ſomnium Archelai Regis de quo Matth. 11. 22. Is enim uti refert Joſephus ſub finem libri 17. ſomniavit, ſe videre decem ſpicas maturas & tritico plenas à bobus abſumi. Et ſomnii interpres Simon Eſſeus inde colligit, eum non victurum ſupra decem annos, & rerum fore mutationem quia bos terram invertit: cui prædictioni eventus reſpondit. Apud Tacitum Annal. 11. in ſomno itidem viſæ ſpicæ retro converſæ gravitatem annonæ prædicere creditæ.

XXIII. Pharao de ſomniis ſuis ſupra modum anxius conſuluit כל חרטמי מצרים ואת כל חכמיה *omnes magos Ægypti & omnes ſapientes ejus* v. 8. Ita nimirum mos erat diu in Ægypto retentus. Tacitus Hiſtor. lib. IV. de Ptolemæo: *Ptolemæus omine & miraculo excitus, ſacerdotibus Ægyptiorum quibus mos talia intelligere, nocturnos viſus aperit.* Pro חרטמי Græci habent ἐξηγητὰς *interpretes*, Aquila κρυφιαστὰς *occultorum conjectores*, Symmachus μάγους *magos*. At in Exodo & Daniele dicuntur ἐπαοιδοὶ, alibi in Exodo Φαρμακοί. Quibus cum nominibus bene conveniunt magorum inſtituta Plinio & aliis memorata. Thargum Onkeloſi reddit כל חרשי מצרים *omnes magiſtros Ægypti*. Ita etiam Syrus. Arabs עלמא מצר *eruditos Ægypti*. Quomodo etiam Elmacinus in Hiſt. V. T. pro hac voce ſubſtituit Arabicas : אלחכמא ואלעראפין *ſapientes & ſcientes*. Sanè vocis ejus ut origo, ita ſignificatio parum certa & nota eſt. Sunt qui compoſitam velint ex חרר *ardere*, & טמיא *mortuorum oſſa*, quorum in Magia multus uſus. Unde νεκρομάντις Thalmudicis eſt אובא טמיא. Sic igitur חרטם eſſet, *qui ardet cadaverum oſſa*, ſeu *qui ardenti in iis ſtudio occupatur.* Verùm טמיא propriè *immundos* ſignificat, neque pro oſſibus alibi, quàm in Thalmude, aut in Rabboth & Midraſoth reperitur. Alii derivant ex חור טום vel אטום hoc eſt *foramen obſtructum*, eò quòd uti interpretatur Saadias, perforare ſoliti fuerint arborem & in foramine aliquid ponere ad divinationes pertinens, quo obſtructo id quidvis iis revelaverit. Ita Homerus Dodonæ veteres ſcribit, ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακοῦσαι *ex quercu procera Jovis voluntatem audiviſſe* Odyſſ. ξ. verſ. 328. Quod Strabo libro ſeptimo fabuloſum eſſe cenſet. Abenezra quadratam eſſe vocem putat מצרית או ארמית *Ægyptiacam aut Chaldæam*, quæ ſignificet חכמי תולדות *genethliacos*, aut in genere *Phyſicos*. At cùm in Daniele Chaldæorum & in Moſe Ægyptiorum Magi חרטמים appellentur,

pellentur eam nec Chaldæam nec Ægyptiam eſſe, rectè colligit Fullerus Miſcell. lib. v. 11. Ipſe autem Fullerus *Mem* finale in חרטם *Heemanticum* eſſe putat, ut ita deducatur à חרט ſeu *ſtylo ſcriptorio*, quo Magi ſcilicet figuras & characteres pingant, ad nefariæ ſuæ artis opera adhibendos. Conſtantinus Lempereur in Danielem mavult referre ad חרש quod *magum* Chaldæis denotat, quia *Thet* eundem fere ſenſum habet ac *Thau*, in quem *Schin* ſæpe mutatur. Sed *Schin* in *Thau* mutare Chaldæorum eſt, non Hebræorum. Et quamvis *Thet* ſit ſono vicinum, tamen ש in ט nunquam mutatur. Cl. Bochartus Hieroz. parte 2. lib. IV. 18. derivat ab Arabico רטן *murmurare*, & *ignota lingua verba proferre*, quo ſignificatu ut & *incantandi* eadem vox etiam apud Chaldæos venit. In Thalmudis tractatu Sota cap. 3. fol. 22. רטן & כגושא *magus* ponuntur ut Synonyma. Magorum nempe proprium eſt, verba ignota demurmurare, quaſi illis magna vis ineſſet. Quoad initialem aſpirationem, putat Vir Doctiſſimus illam periiſſe, ut in Thalmudico סחוס cartilago pro הסחוס & פירא foſſa pro הפירא aliisque quæ ibi adducta vide. Favet huic ſententiæ quod Exod. VIII. 18, 19. dicuntur ſic feciſſe בלטיהם חרטמים *hartummim per incantationes ſuas*. Ex iis enim ſequitur חרטמים eſſe incantationes, cùm ibi לטים nihil aliud ſint quàm *ſecreta murmura*, quorum in incantatione uſus eſt. Ut ita relata ſint חרטם & לט atque inter ſe cohæreant. Clariſſ. Hottingerus in Theſ. Philolog. pag. 57. mavult derivare à verbo Perſico חרד *ſcivit, cognovit*, ut ita notentur *ſapientes* & *ſcientes*. Putat autem *Thet* mutatum eſſe in *Daleth*. Denique non deſunt, qui ariolentur vocis illius genuinam ſignificationem latere in חרטום Arabico, quod notat *principem ſeu caput populi*, cujusmodi antiquitus magi eſſe ſolebant. In tanta ſententiarum diverſitate, id certum puto חרטמים non aliud quàm *incantatores* notare, & tales quidem, qui ſecretis murmuribus rem peragebant. Id liquidò teſtatur locus Exod. VIII. 18, 19. Radicem autem ipſam ita incertam puto, ut tamen vel Fulleri vel Bocharti conjecturæ reliquis antecellant, tanquam probabiliores. Ad חרטם *hartum* alludere videtur Ἄρτεμις Diana, quam magi ſæpe invocant. Diana enim eadem eſt, quæ Hecate, quam præeſſe veneficiis & magicis artibus creditum veteribus. Hinc Scholiaſtes: Ἣν δὲ πρὸ τούτου ἑκάτην ἐκάλεσε, ταύτην νῦν Ἄρτεμιν λέγει. Quam vocaverat antea Hecatem, nunc Artemin (ſeu Dianam) dicit. Vide Medeam Senecæ in veneficiis ſuis Dianam compellantem.

XXIV. Pharao de ſomniis ſuis cùm fruſtra conſuluiſſet ariolos & incantatores ſuos, tandem Joſephi factum ipſi à liberato pridem pincernarum principe, tanquam rerum harum periti indicium. Ille ſine mora miſit

& ad ſe deduceretur, curavit. Ille יגלח ויחלף שמלתיו ויבא אל פרעה *totondit & mutavit veſtes ſuas, & venit ad Pharaonem* verſ. 14. Lugentes enim vel ſordidati Regem adire non poterant, uti liquet ex Geneſ. L. 4. & Eſther IV. 4. Conjectura haud vana eſt, captivos alere, ut apud Romanos olim, ſolitos cæſariem in ſignum luctus, & indutos fuiſſe veſtibus idem teſtantibus. Cùm ergo à Rege vocaretur Joſephus, talia, ut in die læto fuiſſe deponenda. Ita Abenezra dicit, factum hoc eſſe מפני כבוד המלך *propter gloriam Regis.* Joſephus porro advocatus ſibi nihil arrogavit, ſed Regem in hæc verba affatus eſt: בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה *Præter me eſt Deus, qui reſpondebit pacem Pharaoni* verſ. 16. Quæ verba ita reddunt Græci: Ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ. *Sine Deo non reſpondebitur ſalutare Pharaoni.* Et Onkeloſus explicatiùs: לא מן חוכמתי אלהן מן קדם ייי יתתב ית שלמא דפרעה *non ex ſapientia mea, ſed à facie Domini reſpondebitur pax Pharaoni.* Ita Daniel Nebucadnezari Daniel II. 28. *Profecto eſt Deus in cælo, qui revelat arcana.*

XXV. Ad ipſam porro ſomniorum interpretationem ſe accingens Joſephus, ante omnia monet, utrumque ſomnium idem ſignificare, nempe ſeptem annos ubertatis, & ſeptem ſterilitatis. Ita nimirum tum boum tum ſpicarum numero annorum numerum definit. Quomodo etiam in auguriis voluere veteres per aves annos deſignari. Sic Græcis Trojam obſidentibus cum draco octo paſſerculos cum ipſa matre devorâſſet, Calchas augur dixiſſe fertur, interprete Cicerone de Divinatione lib. 2.

Nam quot aves retro mactatos dente videtis
Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos.

Ita ex duodecim vulturibus à Romulo viſis Varro apud Cenſorinum refert, Vectium augurem collegiſſe Romanorum Imperium perventurum ad ſecula duodecim mille nempe & ducentos annos. Boum porro pinguedine fertilitatem, & macie ſterilitatem optimè adumbravit. Quia enim boum operâ coluntur agri in Ægyptiorum Hieroglyphicis, teſte Clemente Alexandrino libro quinto Stromatum γῆς τε αὐτῆς καὶ γεωργίας καὶ τροφῆς σύμβολον ὁ βοῦς *terræ ipſius & agriculturæ & cibi bos ſymbolum eſt.* Nec fruſtra ſeptem macræ boves viſæ ſunt totidem opimas devorâſſe, cùm ſeptem annorum fertilitatem conſumpſerit ſeptem ſequentium ſterilitas. Neq; omittendum, tam pingues quàm macras boves aſcendiſſe ex Nilo. Cùm enim in Ægypto vix pluat, Nilus Ægyptiis tam copiæ quàm inopiæ ſolus auctor eſt, prout magis aut minus creſcit. Si enim ſolùm ad duodecimum aut infra duodecimum cubitum exundet Nilus, regionem fames infeſtat, quia pauci agri rigantur. At cum excedit aliquot cubitis, ubertas magna ſequitur.

quitur. Plinius lib. v. cap. 19. *In duodecim cubitis famem ſentit* (Ægyptus) *in tredecim etiamnum eſurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim ſecuritatem, ſexdecim delicias. Maximum incrementum fuit ad hoc ævi cubitorum decem, & octo Claudio Principe. Minimum quinque Pharſalico bello velut necem magno prodigio quodam flumine averſante.* Unde veriſimile fit per ſeptem annos fertilitatis Nilum ultra ſolitum exundâſſe & per ſeptem annos famis aut intra limites ſuos ſe prorſus continuiſſe, aut eos parùm exceſſiſſe. Quod equidem miraculo potiùs deputandum eſſe, quàm naturæ oſtendit ipſe Joſephus v. 28. his verbis: *Quod Deus facturus eſt oſtendit Pharaoni.* Et ipſa viſio Pharaonis ſatis docuit, hic aliquid præter naturam futurum. Neque enim bovi id naturale eſt, ut alter alterum devoret.

XXVI. Rei tantæ præter Moſen θεόπνευστον teſtes etiam habemus exoticos. Juſtinus lib. xxxvi. 2: 6,7. *Minimus ætate inter fratres Joſeph fuit: cujus excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cùm magicas ibi artes ſolenni ingenio percepiſſet, brevi ipſi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit: nihilque Divini juris humaníque ei incognitum videbatur, adeò ut etiam ſterilitatem annorum ante multos annos providerit: periiſſetque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus Rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, ſed à Deo dari reſponſa viderentur.* Ita ſcilicet in tenebris illis aliquas veri ſtricturas ὁ ἔξω vidit. Nam quod magicis artibus Joſephum id præſtitiſſe dicit, quod Deo revelante didicit, non eſt quod miremur. Neque enim aliud venire in mentem hominis Ethnici vera Dei cognitione deſtituti potuit. Philo quem Joſephus πρεσβύτερον *ſeniorem* vocat, quemque tum ipſe, tum Clemens Alexandrinus de rebus Judaicis citant apud Euſebium libro nono Præparationis, eandem in rem hos poſteritati verſus reliquit:

> Ιακὼβ δ᾽τέκνοιο τόκος Ιωσὴφ ὃς ὀνείρων
> Θεσπιστὴς σκηπτοῦχος ἐν Αἰγύπτοιο θρόνοισι
> Δινεύσας λαθραῖα χρόνου πλημμύρεσι μοίρης.

Jacobi liberis beati proles Joſephus, qui ſomniorum interpres fuit ſceptriger in Ægypti ſoliis, occulta temporis reciproco fati aſtu verſans. Quidam etiam ad Ægyptiacam hancce famem à Joſepho prædictam referunt, quod in Ovidio legitur primo de Arte,

> *Dicitur Ægyptus caruiſſe juvantibus arva*
> *Imbribus, atque annis ſicca fuiſſe novem,*

Cùm

Digitized by Google

Cùm Thraſius Buſirin adit, monſtrátque piari
Hoſpitis effuſo ſanguine poſſe Jovem.

Sed numerus annorum non convenit, cùm fames ſub Buſiride novem annorum fuerit, ſub Joſepho nonniſi ſeptem & Buſiris poſt Joſephum in Ægypto regnârit circa tempora Moſis.

XXVII. Poſt ſomniorum interpretationem Joſephus Pharaoni conſilium politicum impertitur fideliſſimum, quo duo ipſi ſuadentur. Primum ut proſpiciat de hominibus ad curationem annonæ idoneis, puta tum de principe aliquo curatorum, tum de aliis curationis adminiſtris, & regionatim in Ægypto præfectis. Secundum de modo triplici coacervandi, nempe ut quintam proventuum partem ſeu binas decumas Rex in horrea & apothecas jubeat comportari, quarum una ad Regem antiquo jure pertinebat, altera commodo pretio per eum redimebatur toto ſeptennio illo fertili, quo commeatus nummo addicebantur. Quo in conſilio nihil omnino injuſtum aut tyrannicum ſuadetur Regi, ſed via tantùm ſternitur, qua is ſine injuria ulla popularium ſuorum prædia & facultates omnes ſibi compararet, uti poſtea cap. 47. oſtenditur. Illud autem exemplum Pharaonis populum ἀποπεμπτοῦντος (qua voce Græci hîc utuntur) extra ejusmodi caſum ſummæ neceſſitatis & utilitatis, ad imitationem trahendum nequaquam eſſe, graviter hîc docet Rivetus. Peccant etiam non parùm Hebræi, qui ſtatuunt, Joſephum eo animo ſuaſiſſe Pharaoni, uti rei annonariæ præfectum & ſingulorum locorum פקידים *inſpectores* ordinaret, quia ipſemet hunc honoris gradum ambiret. Atque ita non Joſephum tantùm ambitionis damnant, ſed etiam Dei ipſius gratiam imminuunt cui tota illa electio deputanda eſt: quia occultè Regis & aulicorum animos affecit, ut in Joſepho dona Divina agnoſcerent & prædicarent, adeóque neceſſitate quadam reliquis præferrent cùm non alium magis aptum cernerent ad providendum iis, quæ imminens fames efflagitavit.

XXVIII. Somniorum hancce interpretationem & conſilium Joſephi excepit non tantùm approbatio Regis, ſed etiam tum Joſephi ipſius ad Proregiam dignitatem inauguratio, tum propheticæ prædictionis ipſius complementum. Etenim וייטב הדבר בעיני פרעה ובעיני כל עבדיו *placuit ſermo is in oculis Pharaonis, & oculis omnium ſervorum ejus* verſ. 37. Ipſeque Rex aulicos ſuos affatus eſt hunc in modum הנמצא כזה איש אשר רוח אלהים בו *Inveniemusne ſimilem virum in quo Spiritus Dei ſit?* Ubi verbis רוח אלהים non tam perſonam Spiritus S. agnoſcebat, cùm probabile non ſit homini cœteroquin profano, & ſalutaris fidei exorti S. S. Trinitatis myſterium innotuiſſe, quàm afflatum ſive inſpirationem Divinam. Ita ſentit etiam

etiam Paraphraſtes Chaldæus, qui hæc verba Pharaoni tribuit: הנשכח כדין גבר די רוח נבואה מן קדם יי ביה *Numquid inveniemus talem virum in quo ſpiritus prophetiæ à facie Dei eſt?* Ita Nebucadnezar Danieli dicebat: *Spiritus Deorum Sanctorum ineſt tibi,* id eſt, afflatus ex ſpiritu Divino, Daniel. IV. 18. Ejusdem porro ad Proregiam dignitatem inaugurationem; nec non propheticæ prædictionis eventum in ſequentibus exponere dabitur.

XXIX. De Joſephi ex carcere liberatione, & tempore in eodem exacto, ſic habet Author Schalſcheleth pag. 9. מלכות יוסף במצרים היה שמנים שנה והוא שירת יצחק זקנו הרם מבירתו ט׳ שנים: מדרש בהעלות יוסף עמד חבוש בבית האסורין יב׳ שנים: במסכת ר״ה פ״א אומר שיצא מבית האסורין ביום ר״ה וראיתי בפי׳ התורה לקארו שעדין נוהגים במצרים בשרוצים לעשות שליט צריך שיהיה עבד וקנה אותו שר הטבחים ואחר כך כופר בדתו ואחר כך נעשה שליט: *Imperium Joſephi fuit* 80 *annorum. Miniſtravit autem Iſaco avo ſuo annos novem. In Midras* בהעלות *habetur, Joſephum in carcere ſubſtitiſſe* 12 *annos. In Maſſeceth* ר״ה *cap.* 1. *dicitur eum exiviſſe carcere ipſo primo die novi anni. Obſervavi etiam in Commentariis ſuper legem Karo, quod Ægyptiis etiamnum in more poſitum ſit, ut quoties conſtituunt principem, neceſſum ſit talem prius eſſe ſervum, quem poſtea princeps ſatellitum emat. Talem demum poſtquam fidem ſuam abnegavit, obtinere principatum.* Duodecim annos exegiſſe in carcere, & ſub finem duodecimi ex eodem liberatum aſſerit. Hoc etiam Genebrardo perſuaſerunt Hebræi. At tredecim annos carcere conſtrictum fuiſſe, putavit Demetrius apud Euſebium Præparat. Euang. lib. 9. nec non Chryſoſtomus homilia 8 in Epiſtolam ad Epheſios. Verùm ex ſacris neutrum ſanè probari poteſt. Duos poſt liberationem miniſtri Regii annos in carcere Joſephum permanſiſſe Scriptura innuit. Quamdiu verò ante liberationem ejus in ergaſtulo agitaverit, incertum eſt. Cornelius à Lapide, Salianus aliique triennii duratione tempus illud definiunt, eo argumento freti, quod Geneſ. XL. 4. miniſtri Regii in carcere fuiſſe, cùm ſomnia iis offerrentur dicuntur ימים *annum* ut illi interpretantur, at poſt oblata miniſtris illis ſomnia duos adhuc annos in carcere traduxiſſe Joſephum dicitur cap. XLI. I. Verùm ea demonſtratio levis eſt. Nam nec ימים definitè annum ibi denotat, nec de Joſepho ibi, ſed potius de regiis miniſtris poſt Joſephum demum in vincula raptis ſermo eſt. Quæ præterea affert Author *Schalſcheleth*, ſunt planè ἄγραφα & ἀπαράδοτα.

XXX. Hiſtoriam ſervitutis Joſephi, & ejus ex ſervitute liberationem paucis pandit nobis Regius Vates Pſal. CV. 17--19. שלח לפניהם איש לעבד נמכר יוסף: ענו בכבל רגלו ברזל באה נפשו: עד עת בא דברו אמרת יהוה צרפתהו: שלח מלך ויתירהו משל עמים ויפתחהו: *Miſerat ante ipſos virum, in ſervum ven-*

 debatur

debatur Joſeph. Debilitârunt compede pedem ejus, in ferrum venit anima ejus. Usque ad tempus quo venit verbum ejus, quo dictum Domini ipſum conflavit. Miſit Rex & ſolvit ipſum dominator populorum & relaxavit eum. In ferro hæſiſſe anima ejus dicitur, donec advenit verbum Dei, illud nempe quo indicavit Pharaoni in ſomniis, quid ſequentibus annis futurum eſſet: ſed & אמרת יהוה *dictum Domini* ipſum *conflâſſe* dicit Regius Vates. Intelligit ſomnium pincernarum & piſtorum principibus ſuggeſtum, cujus interpretatio ipſum צרף *conflavit*, purgavit, hoc eſt, purum & mundum ab omni culpa oſtendit, imo demonſtravit ipſum vas electum ad ſervandum multos homines, inprimis domum patris ſui. Hoc nempe Domini dictum in ſomnio communicatum erat Joſepho inſtar cotis vel ignis, quo aurum & argentum purum & ſincerum demonſtratur. Ita enim compertum eſt, ipſum ſpiritu Dei præditum eſſe, & criminis, cujus arceſſebatur ab impura muliere, planè inſontem.

SECTIO III.

DE JOSEPHI PRO-REGIA DIGNITATE.

Breviarium.

Pro-regiæ Joſephi dignitatis hiſtoria compendiosè ex Davide proponitur. Pharaonis verba, quibus hæc ipſi dignitas confertur, explanata. Quis ſenſus ſit verborum ועל פיך ישק כל עמי? *Variæ expoſitiones examinantur. Inſignia plura collati Joſepho honoris explicantur. Annuli ſignatorii uſus antiquiſſimus. Annulus etiam dignitatis ac ingenuitatis ſymbolum. Qualis fuerit annulus Joſephi digito inditus, pleniùs illuſtratur. 2. Veſtimenta byſſina Joſepho induta. An rectè ſtolam fuiſſe Græci Interpretes & Vulgatus innuant? An byſſus à ſerico & bombyce rectè diſtinguatur? Sericum à bombyce perperam ab antiquis quibusdam diſcernitur. An quæ in ſacris memoratur byſſus, eadem ſit cum illa, quæ apud Elidem in Græcia colligebatur? Byſſus Ægyptia eſt goſſypion ſeu xylon. An* שש *idem ſit quod* בוץ? *Byſſus Sacerdotum & Levitarum diſtincta fuit.*

Byſſus

Byſſus & purpura cur ſæpius in ſacris conjungantur? 3. *Tertium inſigne Joſephi, torques aureus. Torquati equites unde dicti?* 4. *Quartum inſigne Joſephi currus à Rege ſecundus.* 5. *Acclamatio publica præconum Regiorum. Vox* אברך *Abrech explicatur. Nec purè Hebræam, nec Hebræo-Syriacam, ſed Ægyptiacam eſſe oſtenditur.* 6. *Regis ad Joſephum ſermo inauguralis. Quo ſenſu dicat, ſine Joſepho neminem levaturum manum vel pedem?* 7. *Pharao Joſepho imponit nomen* צפנת לפיענה *Saphnath Pahaneach. Vocem eam eſſe Ægyptiacam, quâ notetur idem quod voce Pſontamphanech, hoc eſt, augur & abſconditorum revelator, fuſe probatum. Eugubinus notatus, necnon Vulgatus Interpres.* 8. *Joſephi matrimonium cum Asnath, filia Potipharis, Principis Heliopolitani. Potiphar ille fueritne idem cum eo, cui ſervivit antehac? Hebræorum de eo delirium.* כהן *Principem etiam denotat. Paraphraſtes Chaldæus Jonathan, qui Asnath facit filiam Dinæ, perſtringitur.* 9. *An Joſephus dignitatem & inſignia ſibi oblata à Pharaone bonâ conſcientiâ admittere potuerit?* 10. *An rectè rièque iniverit conjugium cum Asnath muliere gentili?* 11. *Adminiſtratio muneris Joſephi graviſſima exponitur. Frumenti collectio in urbibus. Quo ſenſu terra dicatur produxiſſe* לקמצים*? Joſephi maxima induſtria laudatur.* 12. *Liberi Joſephi ex Asnath ſublati, Manaſſe & Ephraim. An Joſephus profiteatur oblivionem familiæ patris ſui?* 13. *Hiſtoria annorum ſeptem ſterilium. An ubique terrarum annonæ caritas obtinuerit? Joſephi cum Ægyptiis & fratribus negotiatio.* 14. *Pro frumento Ægyptiis conceſſo eorum pecunias, pecora, & ad extremum agros Regi comparat. An Ægyptios omnibus bonis ſuis bonâ conſcientiâ exuere potuerit?* 15. *Quo ſenſu Ægyptios agris ſuis exutos transtuliſſe in urbes dicatur? Hebræa lectio adverſus Græcam defenſa.* 16. *Joſephus parcit Sacerdotum agris.* 17. *Laudata Pharaonis erga Hierophantas ſuos beneficentia. An exemplo eo exemptio Cleri à ſumma poteſtate civili ritè probetur? Bonfrerius & Bellarminus notati.* 18. *Joſephi populo imperantis, ut quintam partem proventuum ex agris Regi comparatis pendat, maxima moderatio.*

tio. 19. *Julii Firmici, Materni, Ruffini, Suidæ, Baronii, Voſſii ſententia, quòd Joſephus ab Ægyptiis cultus ſit ſub nomine Apidis, Serapidis, Oſiridis.* 20. *Sententiæ ejus argumenta octo proponuntur.* 21. *Eadem ſententia tribus validioribus oppugnata. Serapidis cultus in Ægyptum ex Ponto invectus, recentior eſt. Taciti manifeſtus error convincitur.* 22.

I. Regius Vates Pſalmo ante laudato CV. 21. paucis luculentiſſimam, quæ Joſephi ſervitutem excepit, fortunam complectitur verbis: שמו אדון לביתו ומשל בכל קנינו *Poſuit eum dominum domûs ſuæ, & habentem poteſtatem in omnem poſſeſſionem ſuam.* Ipſa verò Pharaonis verba exhibet Moſes Geneſ. XLI. 40. אתה תהיה על ביתי ועל פיך ישק כל עמי רק הכסא אגדל ממך׃ *Tu ſis ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediat; uno tantùm regni ſolio te præcedam.* Ita Vulgatus Interpres, ſecutus LXX Seniores, qui verba illa ambigua על פיך ישק reddunt ἐπὶ τῷ ςόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου, *ſuper os tuum obediet omnis populus meus.* Ita etiam Arabs. Sed de ipſo ſymbolo potiùs, oſculo nimirum, quàm re ſymbolo ſignificata verba Pharaonis accipiunt alii, puta Arias, Kimchius, Genevenſes, Junius, Deodatus, qui proinde reddunt: *Et ad os tuum oſculabitur omnis populus meus.* Sed neutra interpretatio videtur ſatis apposita. Etenim illud ſymbolum, ut inferiores oſculo ſuperioribus fixo teſtarentur ſubjectionem, an fuerit in uſu, meritò dubitari poſſet. Ex Prov. XXIV. 26. equidem conſtat, שפתים נשק *labia deoſculari* amoris teſtimonium fuiſſe, at non ſubjectionis. Hodiéque in Oriente plebs admittitur ad ſtrati, honoratiores ad fimbriæ regiæ veſtis, honoratiſſimi verò ad manûs oſculum: ad oſculum verò oris nemo. Deinde verbum נשק notione *oſculandi* acceptum conſtruitur cum ל aut cum accuſativo, nunquam cum על. Quòd ſi verò de ſymbolo ſubjectionis ejuſmodi accipi non poſſunt, planum eſt, nec de re ſymbolo ſignificata, puta obedientia & ſubjectione accipi poſſe. Cùm verò נשק non *oſculandi* duntaxat, ſed etiam *armandi* ſignificatu veniat, non deſunt qui ita reddenda regia verba putent: *Ad ſermonem* ſeu *imperium tuum armabitur univerſus populus meus.* Ita Druſius, Mercerus, Pagninus, alii, qui verba illa, *eris ſuper domum meam,* de temporibus pacis, at ſequentia, *ad imperium oris tui armabitur univerſus populus meus,* ad belli tempora referunt. At doctiſſimi tum Hebræorum, tum Chriſtianorum Interpretum de curatione ſeu procuratione Regiæ domûs & univerſi populi accipiunt, qui proinde ישק non à נשק ſed potius à

שקק

שקק *huc illuc diſcurrere*, *diſcurſitare* negotiorum curandorum gratiâ, derivant. Hinc nempe etiam Eliezer Abrahamicæ domûs curator nuncupatur בן משק *filius curationis* domûs ejus Geneſ. xv. 2. de qua appellatione videſis, quæ à nobis dicta ſunt Exercit. III. Sect. 30. Quam interpretationem ex Chaldæo etiam firmat R. Solomon Jarchi his verbis: ישק יזון יתפרנס כל צרכי עמי יהיו נעשים על ידך כמו בן משק ביתי : hoc eſt: ישק *idem quod* יתפרנס *omnes neceſſitates populi mei fient per manum tuam. Simile ei* Geneſ. xv. 2. בן משק ביתי. Huc reſpexerunt etiam Interpretes Tigurini, qui ita transtulerunt: *Ad tuum imperium univerſus populus meus cibum capiet*. Appoſitè. In hoc enim potiſſimum Joſephi munus conſiſtebat. Sic igitur officio, curâ & beneficentiâ Rex conſtituitur, ſolio tamen & Faſtu Regio ac Majeſtate cariturus, quod ſequentia verba innuunt: *Tantùm ſolio major ero te*.

II. Cùm verò ſolenne ſit recens ad dignitatem electis conferri inſignia collati honoris, nec hoc quidem Rex tametſi barbarus omittit. Inſignia ea ſunt annulus, veſtes, catena aurea, honorarius currus, præconum præeuntium promulgatio, denique honorifica novi nominis impoſitio. Singula paucis explanare juvabit. De annulo ita habet Moſes: ויסר פרעה את טבעתו מעל ידו ויתן אתה על יד יוסף : *Et detrahens Pharao annulum ſuum à manu ſua poſuit illum in manu Joſephi* verſ. 42. Primus & antiquiſſimus annuli uſus fuit ſignare. Cùm enim ante eorum originem ligni corroſi figurâ impreſſâ, ſeu, θριποβρώτῳ, hoc eſt, ξύλῳ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένῳ *ligno à vermibus corroſo*, ſignari ſolitum eſſet, uti ex Theophraſti Hiſt. lib. v. cap. 1. nec non Iſaco Tzeze in Zycophronis Caſſandræ v. 508. liquet, ſucceſſerunt annuli ſignatorii, qui eum ſignandi uſum præſtabant ad ſignandum ea, quæ domi cuſtodienda eſſent, & à fraudibus ſervorum & ſuppilatione vindicanda. Dolo enim poſſunt clauſtra forium aperiri quantumvis rectè munitarum. Signaculis autem fraus nulla adhiberi poteſt, niſi perfringantur. Promptuaria inprimis, cellæ & armaria hoc modo ſignari ſolebant, uti Diogenes Laërtius in Lacyde innuit, nec non ea quæ ſeras & clauſtra non patiebantur, ut armariola, lagenæ vini, aliáque ejusmodi χυτρεῖα. Poſtea invaluit, ut etiam dignitatis eximiæ apud Orientales populos, & ingenuitatis inprimis apud Romanos annulus ſignum haberetur. Unde Cicero ad Q. Fratrem: *Sit annulus tuus non miniſter alienæ voluntatis, ſed teſtis tuæ*. Poſt Cannenſem victoriam Annibal tres annulorum modios, ex hoſtium Romanorum cæſorum digitis congeſtos Carthaginem miſit, ut quanta fuiſſet Romanorum clades, Carthaginenſibus innoteſceret, teſte Livio lib. 3. Jam cujus generis fuerit annulus

Kkkk

nulus Joſepho exhibitus, ſic explicat Jarchius: נתינת טבעת המלך היא אות למי שנתנה לו להיות שני לו לגדולה *Datio annuli Regii ſignum erat, eum, cui is dabatur, ſecundum eſſe à Majeſtate Regis.* Ita eſt ſanè. Pro-regiam dignitatem indicabat. Neque hoc tantùm, ſed etiam poteſtatem & authoritatem obſignandi tum regias literas, tanquam regni Cancellario, tum promptuaria omnia, tanquam Regio procuratori. Signatorius enim etiam erat. Neque obſtat, quod Plinius lib. 33. 1. dicit: *Non ſignat Oriens aut Ægyptus, etiam nunc literis contenta ſolis.* Nam ut hoc verum fuerit de Ægypto, ex quo ſub Ptolomæis fuit: at de antiquioribus temporibus non item. Neque etiam abnuerim, ſi quis ingenuitatis & libertatis recuperatæ ſignum fuiſſe dixerit.

III. Alterum inſigne erant בגדי שש *veſtimenta byſſina*, quæ Joſepho Rex induerat. Græci *ςολὴν βυσσίνην*, Vulgatus *ſtolam byſſinam* reddunt, genus ad certam ſpeciem reſtringentes. Stolam enim fuiſſe, Græcos ut Prophetas cognoviſſe, nugatur Bonfrerius. Porro שש *byſſum* interpretantur plerique. Sed quid byſſus ſit, & an à ſerico ac bombyce diſtinguatur, eruditi dubitant. Lipſius ad 2. Annal. Taciti, magnum inter hæc tria interceſſiſſe diſcrimen aſſerit. Bombycem enim è verme, ſericum, fœtum arborum, ex Indiæ ſcilicet arboribus depexam lanam, quæ foliis adnaſcitur, ut perſpicuè habent Plinius lib. VI. 17. Ammianus Marcellinus lib. 23. & Poëtæ paſſim, byſſum verò lini genus tenuiſſimum, & à planta colligi apud Elidem Achajæ urbem, uti apud nos lina cætera. Bombycinam verò & ſericam veſtem non diſtinguunt Iſidorus Orig. lib. 19. Zonaras in vita Juſtiniani, Servius, Suidas, alii. At Philoſtratus lib. II. byſſum cum ſerico confundit, & byſſum ex arborum foliis vult depecti. Sed byſſum diſtingui à bombyce & ſerico, haud dubium eſt. Et byſſum quidem fuiſſe linum ſubtiliſſimum, quod naſcebatur juxta Elim in Achaja, è quibus telæ tenuiſſimæ & pretioſæ conficiebantur, cujuſmodi ferè apud nos tela Cameracenſis; teſtantur Plinius lib. XIX. 1. Pauſanias in Eliacis, Pollux lib. 7. Onomaſtici, qui tamen in India linum illud naſci ſcribunt. Byſſum item è terra naſci Philo lib. 3. de vita Moſis ſcribit. De bombycine tamen & ſerico dubitat Brodæus Miſcellan. lib. II. 22. Nec quæ antiqui ſcribunt, certam fidem faciunt. Potuerunt nempe Seres lanam illam colligere è vermiculis qui ſine cura & cultu ob multitudinem permittebantur vivere in arboribus, è quarum foliis deinde lanam depectebant; quam, quia ex arboribus illi colligebant, putârint antiqui Romani & Europæi, arborum fœtus eſſe. Equidem mirum ſanè eſſet, vel in India vel in Elide ejuſmodi arbores non ampliùs ſupereſſe. Quid quòd bombyces in arboribus

ribus Serum ponit Servius in 2. Georg. *Apud Seras*, ait, *ſunt vermes bombyces in arboribus, qui in aranearum morem fila tenuiſſima deducunt, unde eſt ſericum.* Et Piſidas in carmine de mundi officio σκώληκα σηρικὸν, *vermem ſericum* memorat. Suidæ etiam Σὴρ, σηρὸς vermis eſt, qui ſericum net. Idem ex Solino Polyhiſtore & Martiano Capella probat Salmaſius *Plinianis Exercitationibus* pag. 295. 296. Sed quæritur, an quæ hic & alibi in Scripturis memoratur byſſus, eadem ſit cum illa, quæ apud Elidem in Græcia colligebatur, cujusque ponderis pretium cum auro certâſſe habet Plinius l. c. Fuiſſe byſſum, cujus in ſacris mentio, lini genus ſubtiliſſimum & candidiſſimum, omnes Hebræi & Chriſtiani, tum antiquiores tum recentiores uno ore aſſerunt. Unde Exodi cap. XXXIX. 28. Aharoni & filiis ejus facta dicuntur מכנסי הבד *femoralia linea* ex byſſo. Et βύσσινον, λευκὸν καὶ καθαρὸν *byſſinum veſtimentum album & purum* commemoratur etiam Apoc. XIX. 14. Non fuiſſe tamen byſſum ſacram eandem cum ea, quam exotici authores memorant, quamque circa Elidem in Græcia colligi ſcribunt, ſed potiùs Ægyptiacam, probabile cenſent Arias Montanus lib. *de Tabernaculo*, Abulenſis, Carthuſianus, Hebræi paſſim, quorum nonnullos Abulenſis citat. Etenim Ezech. XXVII. 7. fit mentio שש ברקמה ממצרים *byſſi opere phrygianico texta ex Ægypto.* Quin & ipſa hæc inaugurationis Joſephi hiſtoria byſſum in Ægypto etiam colligi innuit. Et byſſum in India etiam & Ægypto naſci Pollux tradidit. Potuerunt autem Hebræi faciliùs ex Ægypto quàm Elide byſſo potiri. Sed qualis fuit hæc byſſus Ægyptia? Hieronymus Prado in Ezech. XVI. & Villalpandus in Ezech. XXVII. cenſent, hoc linum fuiſſe, quod nos *goſſypion* vel *xylon* vocamus. Fuit nempe illud inter Ægyptiaca lina laudatiſſimum, uti Plinius habet l. c. Supereſt quæſtio: An שש idem ſit quod בוץ? Sanè Targum Onkeloſi hoc loco pro בגדי שש habet לבושין דבוץ *veſtimenta buz*, quod byſſina reddit Interpres. Ita etiam Syrus. Sed diſtingui rectiùs ſentiunt alii hoc argumento, quòd Sacerdotalium quidem veſtium materia deſignari ſoleat vel generali nomine בד *linum*, vel שש, quomodo & Hieronymus modò lineas modò byſſinas vocat, ut ubi de Levitarum veſtibus agitur non vox שש ſed potiùs בוץ adhibeatur. At ſatis conſtat, Sacerdotum & Levitarum veſtes ex diverſa materia fuiſſe confectas. Joſephus enim Antiq. XX. 8. refert, Levitas adiiſſe Regem Agrippam, eumque induxiſſe, ut convocato Concilio decerneret illis uſum ſtolæ lineæ, quæ propria erat Sacerdotum, idque iis conceſſum: *quæ tamen omnia*, inquit ille, *fiebant contra inſtituta legis patriæ, nunquam violata absque piaculo.* Unde conſtat, non eandem fuiſſe byſſum Sacerdotum & byſſum Levitarum, adeóque non idem fuiſſe שש quod בוץ quan-

quanquam & illa Levitarum byſſus lini pretioſi genus eſſe potuerit, ſed minoris pretii quàm illa Sacerdotum. Eſt nempe בוץ apud Arabes recepta vox, cujus radix בוץ ſignificat, *ſincero colore fuit*. Illud etiam obſervatu dignum, byſſinas veſtes colorem purpureum non raro imbibiſſe. Unde in Scriptura toties שש וארגמן *byſſus & purpura* pro purpurea byſſo per figuram ἓν διὰ δυοῖν, ponitur. Inde etiam factum, ut apud profanos authores byſſus pro purpura ſumeretur, & byſſinus pro purpureo. Heſychius: βύσσινον πορφύρεον. Item βυσσίνη. πορφύρεα.

IV. Tertium inſigne fuit רבד הזהב על צוארו *torques aureus collo ejus* circumpoſitus. Fuit torques circulus aureus tortus & collo impoſitus in honoris ſignum. Hinc dicti *torquati* equites, donati ab Imperatoribus torque, dignitatis nota, ut apud Gallos *conchyliati*. Eundem igitur morem antiquiſſimum fuiſſe, præſens hiſtoria Joſephi indicat.

V. Quartum inſigne fuit מרכבת המשנה *currus ſecundus*, in quo ipſum equitare fecit verſ. 43. Intelligitur currus ſecundus à Rege, ſeu currus Pro-regis. Nempe in pompa Regia proximus à Rege, adeóque reliquis aulicis omnibus honoratior ut incederet, Rex voluit. Erat autem currus ejusmodi, ſicut apud alios equus Regius maximæ dignitatis indicium. De quo videſis Barthium *Adverſar*. pag. 2401. Atque ſic quatuor hæc ornamenta ſeu inſignia inſignem commutationem in Joſepho factam oſtendunt. Servili vinculo alligatus erat. Nunc ei datur Regius annulus. Compedibus conſtrictus erat. Nunc aureus torques imponitur collo. Sordidis veſtibus indutus erat. Nunc byſſinâ ſtolâ veſtitur. Denique miſer in carcere ſqualebat. Nunc Regio curru per compita vehitur.

VI. Curru hoc vecto acclamatum à præconibus Regiis: אברך *Abrech*. Quid verò voce hac *Abrech* denotetur, non ſatis expoſitum eſt. Sunt qui vocem Hebraicam, ſunt qui Hebræo-Syriacam, ſunt qui Ægyptiacam eſſe velint. Qui purè Hebraicam faciunt, duplici modo exponunt. Alii enim putant compoſitam eſſe vocem ex אב *pater* & רך *tener*, ut notet patrem tenerum, eò quòd ſapientiâ & conſiliis pater ac ſenex, ætate verò & annis tener fuerit. Ita Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin: *Mihi videtur non tam præco ſive adgeniculatio, quæ in ſalutando vel adorando Joſeph accipi poteſt, intelligenda, quàm id quod Hebræi tradunt, dicentes* PATREM TENERUM *ex hoc ſermone transferri.* Ab *quippe dicitur pater*, Rech *delicatus ſive tenerrimus, ſignificante Scripturâ, quòd juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, ſed juxta ætatem tenerrimus adoleſcens.* Ita nempe Jonathan & Thargum Hieroſolymitanum, qui tamen aliam etiam interpretationem conjungunt. Alii verò à ברך *genu flexit*, derivant, ajuntque eſſe Imperativum

Digitized by Google

tivum Hiphil, & poni אברך pro הברך. Ita Kimchius, Abenezra, & apud Jarchium *Filius Dormaſchith*, neſcio quis. Eadem in ſententia fuit Vulgatus Interpres, qui proinde reddit, *clamante præcone, ut omnes coram eo genua flecterent.* Neque deſunt qui vocem illam dicant eſſe populi, & illud אברך futurum eſſe, idemque ſignificare, quod *genua flectam*. Qui Hebræo-Syriacam vocem eſſe putant, compoſitam eſſe dicunt ex אב *pater* & רך quod apud Syros notet *Regem*, ut ſic אברך ſit *pater Regis*. Et רך quidem ſeu ריכא ſignificare Regem Jarchius obſervat. Idque alii probant ex Baba bathra cap. I. ubi legitur לא ריכא ולא בר ריכא *Non eſt Rex, nec Filius Regis.* Cui congruere putant, quòd Geneſ. XLV. 8. ait Joſephus fratribus ſuis, ſe conſtitutum eſſe לאב לפרעה *in patrem Pharaonis.* Sic Onkeloſus reddit אבא למלכא *patrem Regis*, eò quòd Regem ſuis conſiliis, tanquam pater fideliter juverit, uti mentem paraphraſtæ explicat Fagius. Eandem expoſitionem cum prima conjungunt Jonathan & Thargum Hieroſolymitanum. Qui Ægyptiacam eſſe vocem contendunt, eorum alii, ut Forſterus, putant ſignificare idem quod ברוך *benedictus:* alii verò ignotam eſſe, alii παιανισμὸν notare, uti Grotius, aſſerunt. Ego opiniones has recitâſſe contentus, ſubſcribo judicio Calvini, ita concludentis: *Quia ſuſpicor, Ægyptias potiùs voces referri à Moſe, tam hoc loco quàm paulò poſt, conſulo lectoribus, ne ſe fruſtra torqueant.* Nec enim dubito, quin vox ſit Ægyptiaca, cujus genuinam ſignificationem eruendi hodie nulla ſuppetat copia. Unde etiam eſt, quòd Græci Interpretes nomen illud intactum relinquendo, ſatis oſtendunt, videri illud ſibi extraneæ Linguæ.

VII. Hæc ipſa porro collata dignitatis ſymbola ulteriori ſermone Rex explicat, ajens: אני פרעה ובלעדיך לא ירים איש את ידו ואת רגלו בכל ארץ מצרים *Ego Pharao, & præter te non levabit quiſquam manum ſuam & pedem ſuum in tota terra Ægypti* verſ. 44. Ubi verba אני פרעה *Ego Pharao*, non formulam juramenti continent, utpote cujus neceſſitas nulla erat: ſed demonſtrant voluntatem Regis, quòd collatâ hac Joſepho dignitate, ipſe tamen regiam dignitatem & Majeſtatem ſibi retineat. Sequentia verò verba: *Sine te non levabit quiſquam manum ſuam & pedem ſuum*, perperam Chaldæus Paraphraſtes Onkeloſus reſtringit ad belli adminiſtrationem. Ita enim reddit: ובר מימרך לא ירים גבר ית ידיה למיסר זין וית רגליה למרכב על סוסיא *Et abſque verbo tuo non levabit vir manum ſuam ad tenenda arma, neque pedem ſuum ad equitandum ſuper equum.* At conſtat, generaliorem eſſe locutionem, ad cujuscunque generis negotia pertinentem, quaſi diceret Rex: *Nihil omnino te inſcio vel inconſulto fiet.* Ita David Pſal. CXXXIX. 2. *Tu nôſti* שבתי וקומי *ſeſſionem & ſurrectionem meam*, hoc eſt, omnes in univerſum actiones

 meas.

Digitized by Google

meas. Igitur *non movere manum aut pedem*, eſt adagialis locutio, conjuncta cum hyperbole, qua denotatur, non licere vel minimum quid ſuſcipere aut agere, nempe in iis, quæ pendent ab authoritate Regia.

VIII. Quia verò moris fuit apud Orientales, eorum, qui ad præcipuam dignitatem evecti ſunt, mutari nomina, nec hoc etiam omittendum duxit Pharao. Impoſuit enim ei nomen צפנת פענח *Saphnath Pahaneach* verſ. 45. Vocem peregrinam eſſe, ſatis ipſe ſonus indicat. Et fatentur hoc Rabbini omnes. Rabbi Solomon Jarchi hoc loco inquit: ואין לפענח דמיון במקרא *Non eſt ſimile Phanech in Scriptura.* Cui ſubſcribit R. Abraham hoc loco ita commentatus: אם זו המלה מצרית לא ידענו פירושה *Si hæc verba Ægyptiaca ſunt, neſcimus eorum ſignificationem.* Cùm autem barbarum & peregrinum ſit, Ægyptiacum ſanè ſeu Copticum ſit oportet, utpote quod Pharao Ægyptius & apud Ægyptios ei impoſuit. Græci Interpretes ita reddunt: καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ψοντομφανήχ, *& vocavit nomen Joſephi Pſontomphanech.* Notat autem *Pſontomphanech* Linguâ Ægyptiacâ augurem, eum nempe, qui futura & abſcondita aperit. Ita enim Chronicon Alexandrinum fol. 179. editionis Græco-Latinæ, Moſen etiam ab Ægyptiis hoc nomine cohoneſtatum tradit. Τὸν Μωϋσῆν, inquit, μετὰ τὸ ἐπαγαγεῖν αὐτὸν τὰς πληγὰς, οἱ Αἰγύπτιοι Ψον-θομφαγχθὴ προσηγόρευσαν, ὅ ἑρμηνεύεται, ᾧ ἀπεκαλύφθη τὸ μέλλον. *Moſen cùm decem plagas in Ægyptum introduxiſſet, Ægyptii appellabant Pſontomphanchti, cujus interpretatio eſt: Cui revelatum fuerat futurum.* Idem docent Philo libro de Joſepho, ubi vocabulum illud interpretatur ὀνειροκρίτην & κρυπτῶν εὑρετήν; nec non Joſephus lib. 1. Antiquitatum. Aſtipulantur etiam expoſitiones Thargumicæ. Ubi enim Hebræus habet צפנת פענח Onkelos Paraphraſtes ſic vertit: וקרא פרעה שום יוסף גברא דטמירן גלין ליה *Et vocavit Pharao nomen Joſephi virum, cui manifeſtantur abſcondita.* Jonathan Ben Uziel eodem modo reddit גברא דטמירן מפרש *virum abſcondita exponentem.* Cui conſonat Syrus Interpres, cui צפנת פענח eſt ille דכסיתא גלין לה *cui arcana revelata eſſent.* Et Onomaſticon Syriacum משכחנא דכסיתא *inventorem arcanorum & abſconditorum.* Arabica quoque verſio conſentit: וסמי פרעון אסמא יוסף מוצח אלכפיאת *Et vocavit Pharao nomen Joſephi, quaſi qui aperiret abſcondita.* Hanc igitur interpretationem *defendit numerus junctæque umbone phalanges.* Apparet enim ex his aliiſque teſtimoniis, quæ allegantur, tum à Kircherio *Prodr. Capit. cap.* 5. tum à Johanne Viccars in *Decaplis Pſal.* 105. vocem illam צפנת פענח idem eſſe quod *Pſontomphanech*, corruptamque adeò ab Hebræis, ob difficultatem, quâ Ægyptiacas voces pronunciabant. Cùm enim hoc vocabulum *abſconditorum revelatorem* ſignificare intelligerent, veriſimile eſt

eos

Digitized by Google

eos Pſonton in צפן *occultum* commutâſſe, ut Hebraicæ phraſi lectionem ſimiliorem redderent. Sanè R. Moſes Ægyptius vulgò *Romban* dictus in commentatione hujus loci expreſſè aſſerit, vocem צפנת פענח eſſe Ægyptiacam, quæ *arcanorum revelatorem* ſignificet, & ab Hebræis corrupta ſit: atque hoc ipſum ſe ab Ægyptiis didiciſſe. Perperam igitur Eugubinus *in 4. Super Geneſin*, ſuſtinet, צפנת פענח veram eſſe & genuinam vocem Ægyptiacam, at *Pſontomphanik* corruptam. Probabile potiùs eſt LXX Interpretes ab ipſis Sacerdotibus Ægyptiis inſtructos, propriam Ægyptiæ Linguæ vocem poſuiſſe. Perperam etiam Vulgatus Interpres reddit *Salvatorem mundi*. De eo ſic habet Hieronymus: *Licet Hebraicè hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet; tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius linguæ debet habere rationem. Interpretantur ergo Zophnath Phaanecha, ſive ut LXX transferre voluerunt*, ψονθομφανὴχ Salvator mundi, *eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberârit.*

IX. His omnibus Pharao addidit matrimonium Joſepho procuratum. Dedit enim ei את אסנת בת פוטיפרע כהן און לאשה *Aſnath, Filiam Potipharis Principis On, in uxorem* verſ. 45. Fuiſſe hunc Potipharem diverſum ab eo, cui venditus erat, dubitare non licet. Etenim ob impudicitiam uxoris perſpectiſſimam, matrimonium cum talis hominis filia fuiſſet haud dubiè averſatus. Tum diſtinguuntur cùm nomine, ut ex literis ipſis apparet, tum & officio. Ille enim Heliopolitanæ Regioni, iſte autem ſatellitibus aulicis præfectus erat. Nam און *On* LXX. Joſephus & Vulgatus Heliopolin vertunt. Et à Plinio inter præfecturas ſive nomos Ægypti Heliopolites numerantur lib. v. cap. 9. Ptolemæus Geographiæ lib. 4. cap. 5. in tabula 3. Africæ. *Heliopolites Nomus & metropolis Onii.* Nugantur igitur Hebræi, quibus ſequentia tribuit Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis: *Tradunt Hebræi, emptum ab hoc Joſeph ob nimiam pulchritudinem in turpe miniſterium: &* (hunc) *à Domino virilibus ejus arefactis, poſtea electum eſſe juxta morem* ἱεροφαντῶν *in Pontificatum Heliopoleos, & hujus filiam eſſe Aſnath, quam poſtea Joſeph uxorem acceperit.* Et paulò poſt eandem in ſententiam concedit Hieronymus. *Notandum*, inquit, *quòd Domini quondam & emptoris ſui filiam uxorem acceperit, qui ad id locorum Pontifex Heliopoleos erat.* Originem fabulæ Hebræorum dedit, quòd Potipharem hunc dictum כהן animadvertentes, Sacerdotem eum fuiſſe putârunt. Id tamen minimè ſequitur, quia כהן non *Sacerdotem* duntaxat, ſed etiam *Principem* notare, vix quiſquam jam eruditorum dubitat. Unde etiam Paraphraſtes Chaldæus Onkelos hoc loco כהן reddit רבא דאן *Principem in On*. Sanè II. Sam. VIII. 18. filii Davidis dicuntur כהנים, qui *Sacerdotes* eſſe non potuerunt, cùm ex

Sacer-

Sacerdotali genere oriundi non fuerint. Præterea nec id probare poſſumus, quod hic ſubſtituit Chaldæus Paraphraſtes, Jonathan dictus: ויתב ליה ית אסנת דילידת דנה לשכם ורביתא איתת פוטיפרע רבא דטניס לאינתו : *Et dedit Aſnath quam peperit Dina ipſi Sichem, quam educavit uxor Potiphara Principis Taneos in uxorem.* In Pirke Eliezer cap. 38. additur, cùm filii Iſraëlis cogitarent de trucidanda Aſnath filia Dinæ, ex Sichem nata, Jacobum attuliſſe laminam, atque inſcripſiſſe nomen Sanctum, & è collo Dinæ ſuſpendiſſe. Hinc eam ab Angelo Michaële deductam eſſe in domum Potipharis, ut apta eſſet, quam ſuo tempore Joſephus uxorem duceret. Quæ quidem omnia nugarum Rabbinicarum officinam olent.

X. Ex his omnibus, quæ Joſephus à Rege oblata acceptavit, duplex quæſtio juris oritur. Prior: *An Joſephus eam dignitatem & inſignia ſibi oblata bonâ conſcientiâ admittere potuerit?* Etenim noverat ſatis, difficile admodum eſſe in aulis Regum ſe gerere, ut nulla conſcientiæ labes aſpergatur. Verùm cùm à legitimo Rege, cujus in poteſtate erat, ſe exaltari ad ejusmodi munus, in quo de pluribus bene merendi daretur occaſio, cerneret, ac ſimul animadverteret, Deum extraordinariis mediis & modis hoc opus promovere, debuit utique non repugnare voluntati tum Dei, cujus ductum ſingularem agnoſcebat, tum Regis, cujus imperio addictus erat. Proinde quicquid hic fecit, ex fide erga Deum & obedientia erga Regem profectum eſt. Neque externa illa decora & ornamenta, quæ non renuit, arguunt illum vanitatis & ſuperbiæ periculum ſponte adiviſſe. Quippe gratiæ divinæ à tali periculo potenter præſervanti confiſus eſt. Quam non defuiſſe ipſi, adminiſtratio ſapientiſſima juxta atque dexterrima probavit. Neque deſunt exempla eorum, qui ad ſummos honores evecti, fuêre tamen mitiſſimi, & ut antea in adverſis patientes, ita poſtea in ſecundis moderati; Veluti Moſis, Danielis, ſociorum ejus, Mardochæi, aliorum. Præclarè Calvinus Comment. in h. l. *Reſpondeo etſi, vix unquam à vitio puræ ſunt lautitiæ, ideóque optima ſit in externo cultu frugalitas, attamen quemlibet ſplendorem in Regibus & aliis mundi principibus damnandum non eſſe; modò ne vel nimis cupidè eum appetant vel ſuperbè oſtentent. Colenda quidem ſemper eſt mediocritas: ſed quia non fuit in arbitrio Joſephi modum præſcribere, authoritas verò Regia abſque uſitato ornatu ei conceſſa non fuiſſet, liberum ei fuit plus accipere quàm optandum erat. Nam ſi optio detur ſervis Dei, nihil tutius eſt, quàm reſcindere, quicquid poterunt ex lautitiis. Ubi autem neceſſum eſt ſe accommodare ad publicum morem, cavenda eſt illis oſtentatio & omnis vanitas.*

XI. Poſterior quæſtio eſt de matrimonio Joſephi cum Aſnath muliere Ægyptiaca & extranea: *An rectè ritéque illud iniverit?* Etenim conjugia cum

Digitized by Google

cum infidelibus in divinam juxta atque naturalem legem incurrere probatum dedimus Tomo priori Exercit. XI. Sect. 15. Quid ergo fiet Joſepho? At manifeſtum eſt, aliam & planè extraordinariam ejus fuiſſe rationem. Etenim primò vivebat in tali Regno, in quo ex matrimonio eo fidelis nemo offendi potuit. Deinde non tam ſponte quæſitum erat conjugium, quàm neceſſitate extortum. Nam & Rex illi nupſit, & copia uxorum fidelium in toto regno non fuit. Tum oblatam conditionem detrectare non potuit, quin eadem ratione exueret dignitatem ſibi oblatam, qua tamen ipſum uti bono Eccleſiæ Deus voluit. Præterea cùm ſingulari gratiâ & ſapientiâ dotatus fuerit divinitus, potuit utique periculum, quod aliis à tali matrimonio incumbit, evitare. Sed & cauſam contrahendi hujus matrimonii non habuit libidinem, ſed potiùs deſiderium prolis & neceſſitatem politicam. Denique cùm Scriptura id nuſpiam vituperet, probabile fit, non conſenſiſſe Joſephum, niſi adductum ſingulari revelatione vel certè inſtinctu ejusdem ſpiritûs, quo ſomnia interpretabatur. Hac ratione fit, ut quæ ſimpliciter Sancta dici non poſſunt, propter extraordinariam ſanctificationem Sancta habeantur. Eandem quæſtionem ſic ſolvit Juſtinus Martyr *Quæſt. & Reſponſ. ad Orthodox.* q. 90. Εἰ μὲν Πατριάρχαι φόβῳ τοῦ μὴ ἐκτραπῆναι τοὺς υἱοὺς αὐτῶν τῆς εὐσεβείας, οὐκ ἐπέτρεπον αὐτοὺς ἐκ τῶν ἐθνικῶν λαβεῖν γαμετάς. ὁ δὲ Μωϋσῆς καὶ Ἰωσὴφ, καὶ τούτου φόβου ἦσαν ἀνώτεροι. οὐδὲν οὖν κατὰ παράβασιν τοῦ σκοποῦ τῶν πατέρων πεποιηκότες φαίνονται, ὅτε Μωϋσῆς καὶ ὁ Ἰωσὴφ λαβόντες ἐθνικὰς γαμετάς. οὐ γὰρ μόνον αὐτοὶ οὐκ ἐξετράπησαν τῆς εὐσεβείας ὑπὸ τῶν ἑαυτῶν γυναικῶν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας εἰς τὴν ἑαυτῶν μετέφερον εὐσέβειαν. *Si Patriarchæ eo metu, ne filii eorum à vera degenerarent religione, illis non permiſerunt ex profanis gentibus ducere uxores: Moſes verò & Joſeph longè extra metum talem conſtituti fuêre: Nihil illi per patrum ſuorum inſtituti transgreſſionem feciſſe videntur, profanis ſibi conjunctis uxoribus. Non enim tantùm ipſi ab uxoribus ſuis à vera pietate abducti non ſunt, ſed illæ etiam ab eis ad religionem ſuam traductæ.*

XII. Cœterùm Joſephus probè edoctus, honores eſſe onera, κηδεμονίαν ſeu curationem ſibi delatam ſtrenuè obivit. Quippe peragratâ Ægypto, cùm ſeptem fœcunditatis anni appetiiſſent, & terra produxiſſet frumentum לקמצים *in manipulos*, collegit frumenta, quintam nimirum partem juxta verſ. 34. eáque non triturata videlicet, condidit in urbibus, quas ager ille, ex quo frumentum convectum, incluſerat. Quæ quidem frumenti tanta copia fuit, ut fuerit: כחול הים הרבה מאד עד כי חדל לספר כי אין מספר *inſtar arenæ maris multum valde, adeò ut deſineret numerari, quia innumerabile* verſ. 49. Quòd terra produxiſſe dicitur לקמצים

Sacerdotali genere oriundi non fuerint. Præterea nec id probare poſſumus, quod hic ſubſtituit Chaldæus Paraphraſtes, Jonathan dictus: ויתב ליה ית אסנת דילידת דנה לשכם ורביתא איתת פוטיפרע רבא רטנים לאינתו : *Et dedit Aſnath quam peperit Dina ipſi Sichem, quam educavit uxor Potiphara Principis Taneos in uxorem.* In Pirke Eliezer cap. 38. additur, cùm filii Iſraëlis cogitarent de trucidanda Aſnath filia Dinæ, ex Sichem nata, Jacobum attuliſſe laminam, atque inſcripſiſſe nomen Sanctum, & è collo Dinæ ſuſpendiſſe. Hinc eam ab Angelo Michaële deductam eſſe in domum Potipharis, ut apta eſſet, quam ſuo tempore Joſephus uxorem duceret. Quæ quidem omnia nugarum Rabbinicarum officinam olent.

X. Ex his omnibus, quæ Joſephus à Rege oblata acceptavit, duplex quæſtio juris oritur. Prior: *An Joſephus eam dignitatem & inſignia ſibi oblata bonâ conſcientiâ admittere potuerit?* Etenim noverat ſatis, difficile admodum eſſe in aulis Regum ſe gerere, ut nulla conſcientiæ labes aſpergatur. Verùm cùm à legitimo Rege, cujus in poteſtate erat, ſe exaltari ad ejusmodi munus, in quo de pluribus bene merendi daretur occaſio, cerneret, ac ſimul animadverteret, Deum extraordinariis mediis & modis hoc opus promovere, debuit utique non repugnare voluntati tum Dei, cujus ductum ſingularem agnoſcebat, tum Regis, cujus imperio addictus erat. Proinde quicquid hic fecit, ex fide erga Deum & obedientia erga Regem profectum eſt. Neque externa illa decora & ornamenta, quæ non renuit, arguunt illum vanitatis & ſuperbiæ periculum ſponte adiviſſe. Quippe gratiæ divinæ à tali periculo potenter præſervanti confiſus eſt. Quam non defuiſſe ipſi, adminiſtratio ſapientiſſima juxta atque dexterrima probavit. Neque deſunt exempla eorum, qui ad ſummos honores evecti, fuêre tamen mitiſſimi, & ut antea in adverſis patientes, ita poſtea in ſecundis moderati; Veluti Moſis, Danielis, ſociorum ejus, Mardochæi, aliorum. Præclarè Calvinus Comment. in h. l. *Reſpondeo etſi, vix unquam à vitio puræ ſunt lautitiæ, ideòque optima ſit in externo cultu frugalitas, attamen quemlibet ſplendorem in Regibus & aliis mundi principibus damnandum non eſſe; modò ne vel nimis cupidè eum appetant vel ſuperbè oſtentent. Colenda quidem ſemper eſt mediocritas: ſed quia non fuit in arbitrio Joſephi modum præſcribere, authoritas verò Regia abſque uſitato ornatu ei conceſſa non fuiſſet, liberum ei fuit plus accipere quàm optandum erat. Nam ſi optio detur ſervis Dei, nihil tutius eſt, quàm reſcindere, quicquid poterunt ex lautitiis. Ubi autem neceſſum eſt ſe accommodare ad publicum morem, cavenda eſt illis oſtentatio & omnis vanitas.*

XI. Poſterior quæſtio eſt de matrimonio Joſephi cum Aſnath muliere Ægyptiaca & extranea: *An rectè ritéque illud iniverit?* Etenim conjugia cum

cum infidelibus in divinam juxta atque naturalem legem incurrere probatum dedimus Tomo priori Exercit. XI. Sect. 15. Quid ergo fiet Joſepho? At manifeſtum eſt, aliam & planè extraordinariam ejus fuiſſe rationem. Etenim primò vivebat in tali Regno, in quo ex matrimonio eo fidelis nemo offendi potuit. Deinde non tam ſponte quæſitum erat conjugium, quàm neceſſitate extortum. Nam & Rex illi nupſit, & copia uxorum fidelium in toto regno non fuit. Tum oblatam conditionem detrectare non potuit, quin eadem ratione exueret dignitatem ſibi oblatam, qua tamen ipſum uti bono Eccleſiæ Deus voluit. Præterea cùm ſingulari gratiâ & ſapientiâ dotatus fuerit divinitus, potuit utique periculum, quod aliis à tali matrimonio incumbit, evitare. Sed & cauſam contrahendi hujus matrimonii non habuit libidinem, ſed potiùs deſiderium prolis & neceſſitatem politicam. Denique cùm Scriptura id nuſpiam vituperet, probabile fit, non conſenſiſſe Joſephum, niſi adductum ſingulari revelatione vel certè inſtinctu ejuſdem ſpiritûs, quo ſomnia interpretabatur. Hac ratione fit, ut quæ ſimpliciter Sancta dici non poſſunt, propter extraordinariam ſanctificationem Sancta habeantur. Eandem quæſtionem ſic ſolvit Juſtinus Martyr *Quæſt. & Reſponſ. ad Orthodox.* q. 90. Εἰ μὲν Πατριάρχαι φόβῳ τοῦ μὴ ἐκτραπῆναι τοὺς υἱοὺς αὐτῶν τῆς εὐσεβείας, οὐκ ἐπέτρεπον αὐτοὺς ἐκ τῶν ἐθνικῶν λαβεῖν γαμετάς. ὁ δὲ Μωϋσῆς καὶ Ἰωσὴφ, καὶ τοιούτου φόβου ἦσαν ἀνώτεροι. οὐδὲν οὖν κατὰ παράβασιν τοῦ σκοποῦ τῶν πατέρων πεποιηκότες φαίνονται ὅτε Μωϋσῆς καὶ ὁ Ἰωσὴφ λαβόντες ἐθνικὰς γαμετάς. οὐ γὰρ μόνον αὐτοὶ οὐκ ἐξετράπησαν τῆς εὐσεβείας ὑπὸ τῶν ἑαυτῶν γυναικῶν, ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας εἰς τὴν ἑαυτῶν μετέφερον εὐσέβειαν. *Si Patriarchæ eo metu, ne filii eorum à vera degenerarent religione, illis non permiſerunt ex profanis gentibus ducere uxores: Moſes verò & Joſeph longè extra metum talem conſtituti fuêre: Nihil illi per patrum ſuorum inſtituti transgreſſionem feciſſe videntur, profanis ſibi conjunctis uxoribus. Non enim tantùm ipſi ab uxoribus ſuis à vera pietate abducti non ſunt, ſed illæ etiam ab eis ad religionem ſuam traductæ.*

XII. Cœterùm Joſephus probè edoctus, honores eſſe onera, κηδεμονίαν ſeu curationem ſibi delatam ſtrenuè obivit. Quippe peragratâ Ægypto, cùm ſeptem fœcunditatis anni appetiiſſent, & terra produxiſſet frumentum לקמצים *in manipulos*, collegit frumenta, quintam nimirum partem juxta verſ. 34. eáque non triturata videlicet, condidit in urbibus, quas ager ille, ex quo frumentum convectum, incluſerat. Quæ quidem frumenti tanta copia fuit, ut fuerit: כחול הים הרבה מאד עד כי חדל לספר כי אין מספר *inſtar arenæ maris multum valde, adeò ut deſinerit numerari, quia innumerabile* verſ. 49. Quòd terra produxiſſe dicitur לקמצים

 δρά-

δράγματι in manipulos verſ. 47. cum ſenſum habere nonnullis videtur, quòd denſiſſimæ ſegetes ſteterint, multiplici culmo uno ex grano exurgente, adeò ut una falcis meſſe manipulum integrum meſſor colligere potuerit. At R. Levi ben Gerſon putat, hyperbolica locutione ſignificari, quòd quævis ſpica manipuli menſuram impleverit. Mihi probatur ſententia Zwinglii, idiotiſmum hic Hebraicum occurrere, quem nulla lingua reddere poſſit. Habet nempe peculiare quid quælibet lingua, quod ſi in alienam vertere velis, omnem venuſtatem & leporem amittit. Germanicè exprimi poſſet: **Das Land gab Frucht zu garben / zu hauſen / zu armvollen.** Denotantur anni fertiliſſimi, & annonæ copia maxima. Pauci igitur verbis incredibilis Joſephi prudentia à Moſe laudatur, quòd repente optimam ſervandi tritici rationem invenerit. Arduus enim labor fuit, horrea per ſingulas urbes extruere, quæ integrum unius anni proventum, & præterea quintam partem caperent. Ipſa quoque diſpoſitio non minoris perſpicaciæ documentum fuit, ne cujusque regionis incolis victus è longinquo petendus eſſet. Sed & integritas ejus non minori laude digna fuit, quòd ſcilicet in illa immenſa congerie ab omni licentia abſtinuit, non ſecus ac ſi modica tantùm procuratio injuncta foret. Accedit illud non exigua in laude ponendum, quòd poſt collectos immenſos acervos nihil tamen ex ſolita diligentia remiſit, donec omnes ſuſceptæ provinciæ numeros implêſſet. Denique & fidem quoque ac raram publicæ ſalutis curam in eo prodidit, quòd aſſiduo ſeptem annorum labore defeſſus non eſt, nec unquam quievit, donec in ſeptem alios annos abundè proſpectum eſſet.

XIII. Eo ipſo quoque annorum fœcunditatis tempore Joſephus ex uxore Aſnath duos ſuſtulit filios, Manaſſem & Ephraimum. Et priori quidem impoſuit nomen מנשה *Manaſſis* à נשה *oblivîſci*, eò quòd Deus ipſum fecerit oblivîſci את כל עמלי ואת כל בית *omnis ærumnæ & univerſæ familiæ* patris ſui verſ. 51. Illud ſanè laudem meretur, quòd Deo authori tribuit conſolationem, quâ fruebatur. In laborum nempe ſuorum & moleſtiæ hactenus exantlatæ curriculo Dei tamen ſui oblitus haudquaquam eſt. At quòd ſe profitetur oblitum quoque univerſæ familiæ patris ſui, vitio minimè caret, ſi verbis iis indicare voluit, ſe paternæ familiæ planè eſſe immemorem, neque ullo deſiderio teneri parentis & fratrum, inprimis Benjaminis uterini. Sed forte id verbis his minimè ſpectavit vir ſanctus, ſed id ſolùm innuit, effeciſſe Deum ſuâ benedictione, ut deſiderium domûs paternæ æquo animo ferret, poſtquam ipſi ædificaverat domum, & ex nobili matrimonio largitus erat poſteritatem. Ita nempe vir

&

& uxor, cùm patres & matres fiunt, quodammodo obliviſcuntur paternæ domûs, quia tum non amplius pendent à cura parentum. Unde Regius Vates hortatur Sponſam Pſal. XLV. 11. *Obliviſcere populi tui & domûs patris tui.* Ubi non ſimplex oblivio intelligitur, ſed conſolatio, quâ quis dolorem ſibi ipſe adimit ob abſentiam eorum, quos in deliciis habet. *Quamdiu liberis caremus*, verba ſunt Zwinglii ad h. l. *deſiderio paternarum ædium tenemur. Cùm verò liberos procreamus deſiderium hoc in liberos derivatur, idque inſtinctu nimirum Dei fit. Eſtque nobis hoc cum animantibus commune. Capitur autem obliviſci hic pro conſolari, dolorem adimere. Nam quomodo in totum aut calamitatis ſuæ aut patriæ domûs cepiſſet eum oblivio, qui ſtatim tam anxiè pro patre eſt ſolicitus?* Nomen porro hoc Manaſſis in Africam per Pœnos veniſſe ex Appiano civilium 4. probat Grotius. Ephraimo verò nomen inditum à פרה, eò quòd creſcere eum Deus fecerit in terra afflictionis ſuæ verſ. 52. Sicut igitur nomen prioris filii memoriale præferebat amoti mali: Ita ſecundi aſſecutionem boni, incrementum nimirum fortunarum ſuarum mirabile.

XIV. Finitis ſeptem annis fertilibus, ſucceſſerunt totidem ſteriles, quibus inceſſit fames בכל הארצות *in omnibus regionibus*, puta finitimis Ægypti. Neque enim unius Ægypti horrea ſuffeciſſent orbi univerſo ſaturando. Sic Cæſar dicitur *univerſum orbem deſcripſiſſe* Luc. II. 1. quod de Imperio duntaxat Romano intelligi debet. Hebræi in Bereſith rabbah id intellexerunt de tribus Regionibus, Phœnicia ſeu terra Canaan, Palæſtina & Arabia, quæ Ægypto conterminæ ſunt. Sed id minùs certum eſt. Cùm igitur reliquas regiones graves Cerealium fructuum penuria quaſſaret, una Ægyptus pane abundavit. At exhauſtis etiam ibi privatis horreis, imperio Regis itum ad Joſephum, qui ויפתח את כל אשר בהם וישבר למצרים *aperuit omnia*, puta horrea, *in quibus erat* triticum, *& vendidit Ægyptiis* verſ. 56. Neque Ægyptii duntaxat, ſed etiam כל הארץ *omnis terra* finitima Joſephum convenit, frumentum licitatura. Quin & ipſe Jacobus dira fame preſſus filios ad Joſephum, quem tamen vel ſpirare adhuc vel rei frumentariæ præfectum ignoraverat, miſit. De qua Joſephi cum fratribus negotiatione ſeorſim acturi ſumus.

XV. Maximam porro pecuniæ vim ex vendito frumento redegerat Joſephus, quam Regium in fiſcum bonâ fide intuliſſe dicitur Geneſ. XLVII. v. 14, 15. Cúmque pecuniâ exhauſti non amplius paterent horrea, Ægyptii Joſepho conditionem eam indicenti primò pecora, puta equos, boves, aſinos, mox his deficientibus etiam agrum univerſum cum frumento commutandum obtulerunt. Unde ויקן יוסף את כל אדמת מצרים לפרעה *emit*

Joſephus omnem terram Ægypti ipſi Pharaoni, cap. XLVII. 20. Qua quidem in re nulla omnino intervenit Joſephi iniquitas. Etenim nullæ ejus inſidiæ, nulla circumventio, nulla vis, nullæ minæ ad hanc neceſſitatem tum pecorum tum agrorum vendendorum compulerunt Ægyptios. Curavit bona fide parique induſtriâ negotium Regis, & imperio ſuo ſine violentis edictis functus eſt. Urgente fame licuit utique venale exponere triticum tam divitibus quàm pauperibus. Pecora deinde emere non minùs licuit. Nunc ad extremum cur fas non fuiſſet juſto pretio Regi agros acquirere? Accedit, quòd nihil omnino extorquet, ſed ex eorum poſtulato cum ipſis tranſigit. Et poterant ipſi Ægyptij cogente neceſſitate redimendæ vitæ, ſe ipſos cum patrimonio ſervitutis nomine Regi mancipare. Hæc autem neceſſitas juſta fuit ſocordiæ populi pœna: qui tempore fertilitatis annonam non repoſuerit. Id cumprimis Joſephi commendat æquitatem, quòd ſervitutem mitigavit, perſonis manentibus liberis, ſubminiſtrato ſemine, & emptis agris reſtitutis, addictâ tantùm Regi quintâ parte proventûs, quâ ratione ita eos humilitavit, ut tamen neceſſaria minimè detraxerit.

XVI. Emptis igitur populi agris העביר אותו לערים מקצה גבול מצרים ועד קצהו *tranſire eum fecit ad urbes ab una extremitate termini Ægypti, uſque ad extremitatem ejus* verſ. 21. Quæ verba ſic reddunt Græci: *καὶ τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ εἰς παῖδας, ἀπ' ἄκρων ὁρίων Αἰγύπτου ἕως τῶν ἄκρων, & populum mancipavit ſibi in pueros ab extremis finibus Ægypti uſque ad extremos.* Conjectat hinc Bonfrerius, Græcos interpretes legiſſe העביד אותו *ſervire fecit ei*, vel העביר אותו לעבדים *tranſire fecit eum in ſervos.* Et ſanè fieri poteſt, ut ita legerint, nam & Samaritanus habet העבד. Neque tamen quidquam cogit, ut à recepta lectione Hebræa diſcedamus. Imò eam eſſe authenticam dubitamus nulli. Sanè etiam Thargum Onkeloſi ita legit. Sic enim habet: וית עמא אעבר יתיה *populum autem tranſtulit de civitate in civitatem* &c. Neq; aliter Syrus & Arabs. Deinde lectio Hebraica commodum ſenſum habet. Hic enim ſenſus eſſe poteſt, Joſephum totum populum ab una civitate ad aliam tranſtuliſſe, ab una parte Ægypti ad aliam, ut hoc facto non tantùm ſubditos, ſed etiam ſervos ſe Regis profiterentur, & Rex ipſe in plenam agrorum poſſeſſionem veniret, neque illi jam amplius agros ſuos aut quaſi ſuos colerent, quod ſibi perſuadere potuiſſent, ſi iidem ſingulis ad culturam redditi agri fuiſſent, quos antea poſſederant; ſed quaſi omnino alienos. Quod ſanè ſapientiſſimum fuiſſe inſtitutum, inficias ire nemo poteſt. Ita plerique. Quia tamen ex verſ. 25. colligi poteſt, unumquemque terram ſuam, impetrato à Joſepho ſemine conſeviſſe, adeóque ſedem ſuam

ſuam non mutâſſe: Ego eò potiùs inclino, ut ſenſus ſit; Joſephum omnes agricolas tranſire in civitates feciſſe, ut illic acciperent annonam, & publicas tabulas conficerent.

XVII. Emptis Ægyptiorum agris, pepercit Joſephus agris כהנים *Sacerdotum* כי חק לכהנים מאת פרעה *quia portio Sacerdotum erat à Pharaone*, adeóque *comederunt portionem ſuam, quam dabat eis Pharao* verſ. 22. Non deſunt equidem, qui voce כהנים hic non tam Sacerdotes, quàm Regios quoſcunque Miniſtros & Officiales intelligi exiſtiment. At *Sacerdotes* intellexerunt antiquiſſimi Interpretes, Græci, qui reddunt *ἱερεῖς*, & Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus, qui pro כהנים habet כומריא id eſt, *hierophantas*. Certè hierophantas Ægyptiorum Sacerdotes maximo in pretio fuiſſe, quòd ab omnibus rebus aliis feriati virtutum & ſapientiæ ſtudio, ſacriſque rebus vacarent, teſtis eſt Hieronymus libro 1. adverſus Jovinianum. Ab oneribus etiam publicis immunes fuiſſe, tradit Diodorus Siculus lib. 1. Philoſophiam, Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam coluiſſe, teſtes ſunt Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſicorum, Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 17. Ab iis natæ & celebratæ literæ hieroglyphicæ, quibus in ſacris & reconditis myſteriis utebantur. Denique ex publico illis curâ omni ſolutis ſuppeditatum victum ſolitum, teſtis Herodotus in Euterpe. An verò fas fuit ſancto Joſepho Sacerdotibus his idolorum tam ſolicitè providere? Non dubitamus. Fuit nempe adminiſtrator Regius, qui quod fecit, non in gratiam vel idolorum, vel ſuo ſed Regis nomine fecit, nec aliter facere potuit, cùm ita à Rege conſtitutum fuiſſet. Non poteſt igitur propriâ authoritate vetera inſtituta refigere. *Quoniam*, inquit Calvinus, *nullâ illi lege injunctum erat, ut fame conficeret Sacerdotes, regii autem frumenti non prorſus ad ſuum arbitrium diſpenſator foret, ſi Rex gratis cibaria Sacerdotibus dari volebat, nihilo magis liberum fuit illis quàm aulicis Proceribus negare. Itaque tales alumnos non libenter ſuſcepit, ſed cùm Rex invito obtruderet, repellere non potuit, etſi indignos ſciebat, qui vel fimo boum veſcerentur.*

XVIII. Meritò hic laudatur profani Regis ſingulare ſtudium divini cultûs, dum Sacerdotes gratis aluit, ut eorum agris & facultatibus parceret. Hoc nempe nobis velut ſpeculum ob oculos ponitur, in quo cernamus infixum eſſe hominibus pietatis ſenſum, quem prorſus delere nequeunt. Quòd tales aluit ſacrificos, qui ſuis impoſturis populum dementabant, id equidem pravæ & ſtultæ ſuperſtitionis fuit. Quòd verò Dei cultum jacere paſſus non eſt, quod Sacerdotibus fame deficientibus brevi futurum erat, id conſilium Regis laude digniſſimum fuit. Cùm igitur adeò ſolicitus fuerit Pharao de ſuis ſacrificis, ut in ſuum & totius

Digitized by Google

regni exitium eos aleret, ne erga Deos impius videretur, quantum ſcelus foret, ab his negligi legitimos probosque ſacrorum miniſtros, quorum operam Deo probari, ſibîque ſalvificam eſſe nôrunt? Non tamen rectè hinc concludit Bonfrerius, *Clericorum immunitatem maximè naturali æquitati eſſe conſentaneam.* Nam immunitas agrorum, & cibi donatio ſola hic conſpicitur, non immunitas vel perſonarum vel bonorum omnium, quæ poſſidebant illi ſacrorum miniſtri. Neque enim hîc agitur de exemptione à jurisdictione civili. Quòd ſi naturalis æquitas exemplis demonſtrari poteſt, potiùs ad Regum fidelium exempla reſpicere oportet. Davidem diſpoſuiſſe de rebus Eccleſiaſticis, Solomonem depoſuiſſe Abiatharem ſummum Sacerdotem, Ezechiam diſpoſuiſſe perſonas & res Eccleſiaſticas, Joſiam reformâſſe Eccleſiam, & Sacerdotes excelſorum mactâſſe conſtat. Quid quòd in criminalibus & tributis Conſtitutiones Imperiales clerum legibus politicis ſubjiciunt? Quam ſubjectionem aſſerunt Medina, Covarruvias, & 146. Authores Pontificii, apud Goldaſtum tribus voluminibus citati. Neque etiam obſcurum eſt ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, exemptiones Clericorum non ante Conſtantinum M. Ludovicum Pium, alióſque ejusmodi Principes conceſſas eſſe, adeóque non tam naturali æquitate vel divino jure, quàm humanâ indulgentiâ ſubniti.

XIX. Maxima porro Joſephi moderatio inde emicabat, quòd cùm & ipſi agri Phaaraonis jam eſſent, & idem ſementem præbuiſſet, nihilominus nonniſi חמישית *quintam partem* proventuum Regi vindicaret, cùm ſtricto jure dimidium vel plus etiam capere potuiſſet: hoc ipſo exemplum omnibus qui præſunt, præbens, ut moderatè eos & clementer tractent, tondeant boni inſtar paſtoris, non deglubant, quæ vox fuit Tiberii Cæſaris tyranni minimè tyrannica. Hoc unum, uti ſuperiùs etiam diximus, Joſephum ab inhumanitatis nota abſolvit. Hoc olim jure Reges uſos eſſe conſtat, ut decimas exigerent: belli verò tempore vectigal iſtud duplicabant. Quid ergo injuriæ dicemus factum Ægyptiis, quòd Joſephus agros Regi ſuo emptos quintâ reditûs ſui parte oneravit, præſertim cùm longè uberior ſit illa regio, ut minore quàm alibi moleſtiâ fructus colonis ad ſe alendos provenerint? Atque hoc modo confeſſio expreſſa fuit Ægyptiis, quæ à Moſe refertur. Primò enim agnoſcunt, ſe vitam ei debere. Secundò non recuſant eſſe ſervi Regis. Unde proclive eſt colligere, ſanctum virum ita ſe medium geſſiſſe, ut magnopere Regem augeret, neque tamen populum tyrannide opprimeret.

XX. Propter eximium & incomparabile hoc beneficium, quo Joſephus divino Numine excitus, Ægyptum univerſam, ſuppeditato temporibus

Digitized by Google

poribus difficillimis alimento, conſilio ipſius recondito hunc in uſum, à præſentiſſimo exitio ſervavit, creditum tum à veteribus, tum à recentioribus viris doctiſſimis, olim eum ab Ægyptiis ſub nomine Apidis, Serapidis & Oſiridis, divinis honoribus affectum eſſe. Ita Julius Firmicus Maternus *de errore profanarum religionum* cap. 14. *Joſepho poſt mortem Ægyptii, patrio Gentis ſuæ inſtituto templa fecerunt. Et ut juſtam diſpenſationis gratiam poſteritas diſceret, quo modio eſurientibus & ementibus frumenta diviſerat, capiti is ſuperpoſitus eſt. Nomen etiam ut ſanctiùs coleretur, ex primo auctore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, Serapis dictus eſt Græco ſermone, hoc eſt,* Σαρᾶς ἀπὸ. Ruffinus hiſtor. Eccl. lib. 11. 23. poſtquam Sarapin ſcripſit modium habuiſſe capiti ſuperimpoſitum, ſubjicit: *Quidam in honorem noſtri Joſephi formatum perhibent ſimulacbrum, ob diviſionem frumenti, quâ famis tempore ſubvenit Ægyptiis.* Suidas quoque in Σάραπις ita habet: Τοῦτον δὲ οἱ μὲν Δία ἔφασαν εἶναι, οἱ δὲ τὸν Νεῖλον, διὰ τὸ μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, ἄλλοι δὲ τὸν Ἰωσήφ. *Illum quidam Jovem eſſe dixerunt, alii Nilum, quia modium habet in capite, alii Joſephum.* Porro Sarapis idem eſt quod Apis, ſi fides eſt Nymphiodoro Amphipolitæ, tradenti, τὴν Ἆπιν τὸν ταῦρον τελευτήσαντα, καὶ ταριχευθέντα εἰς σορὸν, ἀποτίθεσθαι τῷ ναῷ τοῦ τιμωμένου δαίμονος, κἀντεῦθεν Σοροάπιν κληθῆναι καὶ Σάραπιν &c. *Apim taurum mortuum, & conditum loculo, qui* Σορὸς *Græcè dicitur, reponi in Templo dæmonis qui colitur, atque hinc Soroapin vel Sarapin appellari.* Quem locum citant etiam Clemens primo ſtromatum, & Euſebius de Præparat. Euang. lib. x. 12. Igitur Ægyptios & in Apide & Serapide Joſephum coluiſſe, opinio eſt etiam virorum doctiſſimorum, Gerhardi Johannis Voſſii, *de Origine & Progreſſu Idololat.* lib. 1. cap. 29. Baronii ad A. 759. Sect. 91. Bonfrerii Comment. ad Geneſ. XLI. 56.

XXI. Argumentis autem ad hanc ſententiam moventur potiſsimùm ſequentibus. *Primò*, quia Joſephus Deut. XXXIII. 17. שור *bos* vocatur, aut certè cum bove à Moſe comparatur. *Secundò*, quia Joſephus ſomnium Pharaonis de ſeptem vaccis pinguibus, quas devoraverant vaccæ aliæ totidem aſpectu fœdæ & macie confectæ, interpretatus eſt. In hoc enim ſomnio boves ſymbolum fertilitatis & ſterilitatis ſtatuuntur. *Tertiò*, quia cùm Joſephus tempore famis Ægyptiis optimè proſpexerit, non potuerit ullo aptiore quàm bovis ſymbolo hoc beneficium exprimi: cùm annonæ ratio tota ex agricultura pendeat, in qua bos homini laboris ſocius, tanquam Cereris Miniſter, ut veteres illum indigitant. *Quartò*, quia Pharao omni genere honorum affecerit & ornaverit Joſephum. Porro Ægyptiis moris fuiſſe, ut bene meritorum memoriam ſacris ad poſteros ſymbolis propagarent.

Digitized by Google

garent. Jam verò nullum beneficiis Joſephi exprimendis ſignum magis idoneum fuiſſe bove. Cur igitur inficias eamus, hunc honorem quoque præſtitum Joſepho? *Quintò*, cùm Hebræis אב *Ab* patrem, שור *Sor* bovem, & שר *Sar* principem notet: Inde Joſephus *Apis*, id eſt, *pater* dici potuit, cùm vocetur אב לפרעה *pater Pharaonis* Geneſ. 45. 8. item Σάραπις, *princeps pater*, cùm præfuerit toti Ægypto; aut Σόραπις *bos pater*, ob cauſas jam allatas. Hæc argumenta attulit Voſſius. Alia etiam adjungit Bonfrerius. *Sextò* igitur Oſiridis vel Serapidis ſtatuam formari ſolitam cum modio in capite teſtes ſunt Suidas & Ruffinus; vel cum calatho, teſte Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 20. Quæ omnia Joſephum familiæ alimenta miniſtrantem indicant. *Septimò* Plutarchus libro de Iſide & Oſiride dicit, proprium nomen Oſiridis fuiſſe *Arſaphem*. Quàm verò facilè levi commutatione ex *Joſeph* factum fuit, vel fieri potuit nomen *Arſaph*? *Octavò* Euſebio, Plutarcho & Diodoro teſtibus, Oſiris Ægyptiacâ linguâ idem eſt, quod apud Græcos πολυόφθαλμος *multioculus*, quia apud Ægyptios *os* multum, & *Siris* oculum ſignificet: Quæ nomenclatura cui meliùs conveniat quàm Joſepho, qui propter inſignem ſapientiam, ſomniorum ſolertem interpretationem, providentiam illam, quâ in famis tempus alimenta repoſuit, Mathematicæ Aſtrologiæque ſcientiam, meritò πολυόφθαλμος dici poteſt. Quò etiam pertinet, quòd non quemlibet bovem eum in finem aſſumebant Ægyptii, ſed illum in quo notæ aſtrologicæ, hoc eſt, Solis & Lunæ ſymbola vel hieroglyphica eſſent, quæ iſtam Oſiridis ſeu Joſephi ſapientiam Aſtrologicam & ſcientiam demonſtrarent.

XXV. Sed argumentis his validiora obſtant, quibus Joſephum Ægyptiorum Apim, Serapidem vel Oſiridem non fuiſſe, demonſtrari poteſt. Etenim primò Joſepho mortuo divinos honores decretos vel exhibitos eſſe ab Ægyptiis, Moſis ſcriptis parum conſonat. Nam mortuo Pharaone, qui Joſephum extulerat, dicitur ſurrexiſſe Rex alius, qui Joſephum non noverat Exod. 1. 8. quíque adeò nulla ejus vel fratrum habita ratione, in eos graviſſimam tyrannidem exercuit. Cui quidem Regi ſucceſſit alius, æquè Iſraëlitis infenſus, quem propterea Deus gravibus afflictum plagis tandem cum omnibus copiis ſuis ſub aquis demerſit. Unde inteſtinum Judæos inter & Ægyptios odium plura per ſecula duravit. Proinde Joſephum ab iis pro Numine cultum veriſimile nequaquam eſt. Deinde Serapidis apud Ægyptios cultus adeò vetuſtus minimè fuit. Herodotus Ægyptiorum Numina perſecutus de Serapide nihil omnino habet. Ante Alexandum verò ejus meminit nemo. Quin Serapin fuiſſe Ægyptiorum Deum

Digitized by Google

Deum non patrium, ſed ξένον ſeu *inquilinum* probat etiam Scaliger Animadverſionibus Euſebianis numero MDCCXXX. Ex Ponto in Ægyptum advectum, Ptolemæo procurante, plerique habent. Tacitus hiſtoriarum lib. 4. hiſtoriam translationis fuſè recitat. Polybius lib. 4. deſcribit vetus Σεραπεῖον *Serapidis fanum*, in ara Propontidis Hiero oppoſitum, ubi Jaſo duodecim Diis ſacrificâſſe dicitur; ut vel hinc conſtet, Serapidem in locis circa Pontum jam olim innotuiſſe. At Serapidis in Ægypto nulla mentio, antequam ex urbe Pontica Sinope adveheretur. Neque verò obſtant verba Taciti l. c. *Templum pro magnitudine urbis extructum loco, cui nomen Rhacotis. Fuerat illic ſacellum Serapidi atque Iſidi antea ſacratum.* Quibus ſimilia habet Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes. Ex quibus nominis hujus vetuſtatem in Ægypto adſtruit Voſſius. Sed attentè conſideratis verbis Taciti falſitas eorum per ſe pateſcit. Narraverat enim Ptolemæum cùm Alexandriæ recens conditæ Templo & religiones adderet, per ſomnium fuiſſe monitum, ut fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis, hujus effigiem accerſeret, & viſionem ſuam Sacertotibus Ægyptiis aperuiſſe. Quos cùm Ponti reperiſſet, & rerum externarum parum gnaros, Timotheum Athenienſem è gente Eumolpidarum, quænam illa ſuperſtitio, quod numen eſſet, interrogâſſe. Neque id Timotheo aliter fuiſſe compertum, quàm per eos qui in Pontum commeâſſent. Tum legatos & dona Sinapenſium Regi Scydrothemidi Ptolemæum miſiſſe. Quo tardante, rem tandem exacto triennio fuiſſe confectam. Hanc narrationem totam concidere neceſſum eſt, ſi in eo ipſo Alexandriæ loco, in quo poſtea Templum conditum, Serapis jam antiquitus quoque ſacellum habuit. Neque enim Ægyptii vel ignorâſſent, Serapis quale ſit Numen, vel opus habuiſſent exteros ea de re conſulere, aut illius ex Ponto effigiem tanto molimine accerſere. Neque etiam Ptolemæus eo facto Alexandriæ novas religiones addidiſſet. Sed fontes erroris ſagaciter indagavit Bochartus ex Clementis Alexandrini Protreptico, ubi ſcribit de Ptolemæo, ipſum ſtatuam acceptam poſuiſſe in promontorio, quod nunc Rhacotin appellant, ubi & Serapidis Templum colatur, nempe eo adhuc tempore, quo Clemens ſcripſit. Suſpicatur igitur, Tacitum ex ſimilibus Græci Scriptoris verbis collegiſſe, jam ante Serapidis ſacellum ibi fuiſſe, tum quia ἱερὸν tam ſacellum quàm Templum ſignificat, tum quia verbum τετίμηται præteriti temporis ibi occurrit, quod tamen ſæpiùs ſignificationem habet præſentem. Accedit quòd Apim non fuiſſe eundem cum Serapide, ipſa Serapidis imago apud Macrobium deſcripta ſatis prodit.

SECTIO IV.

DE JOSEPHI CUM FRATRIBUS NEGOTIATIONE.

Breviarium.

Joſephi hiſtoria illuſtris eſt arcanæ Dei providentiæ pictura. 1. *Prior Fratrum Joſephi in Ægyptum profectio, cui occaſionem dedit fames in terra Canaan invaleſcens. Frumentum unde nomine* שבר *veniat? Senſus verborum* לכה תתראו *eruitur. Benjaminem Jacobus recuſat mittere. Quid* אסון? 2. *Fratres ſe incurvant Joſepho. Cur Joſephum non agnoverint Fratres, at ipſe eosdem agnoverit?* 3. *Joſephus ſe Fratribus alienum præbet, duriter cum iis loquitur, eos exploratores appellat, & in ejus rei experimentum adduci Benjaminem jubet. Quid* ערות הארץ? *Quo ſenſu dicant Fratres* כנים אנחנו? *Quæ cauſa fuerit diſſimulationis & auſteritatis Joſephi?* 5. *An rectè ea diſſimulatione uſus apud Fratres fuerit, fuſè diſceptatum.* 6. 7. *Verba Joſephi* חי פרעה *vivit Pharao explanantur. An per Pharaonem juraverit? An verba ea contineant juramentum execratorium? Cornelius à Lapide ad partes vocatur.* 8. *Non verum juramentum iis verbis contineri, ſed atteſtationis ſpeciem aſſeritur. Mos Chriſtianorum veterum jurantium per ſalutem, non itidem per genium Cæſaris.* 9. *An obteſtationi & aſſeverationi ei Joſephi veritas conſtet?* 10. *An hujus formulæ Joſephi veſtigia extent apud Martialem? De Anchialo Martialis ſententia, Scaligeri, Farnabii, Petiti, Seldeni, Authoris.* 11. *Fratrês Joſephi duriter habiti torquentur conſcientiâ venditi Fratris. Rubenis exprobratio. Simeon ligatus datur obſes.* 12. *Joſephus ſub aſpero vultu manſuetum affectum tegit, reſtitutis fratribus pecuniis.* 13. *Fratres reduces domum Jacobo narrant novercantem ſibi fortunam. Jacobi mœror. Rubenis vana conſolatio.*

Digitized by Google

tio. 14. *An Joſephus detento Simeone & poſtulato Benjamine in parentem iniquum ſe geſſerit?* 15. *Poſterior fratrum in Ægyptum profectio, ejusque cauſa. Quomodo frumentum aſportatum à novem Fratribus numeroſæ Jacobi familiæ vel ab breve tempus ſuffecerit? Calvinus defenditur.* 16. *Diſceptatio Jacobum inter & filios de Benjamine in Ægyptum deducendo.* 17. *Munera miſſa Joſepho. Quid* זמרת הארץ*? Quid* בטנים*? Cur mel miſerit Jacobus Joſepho? Mel olim inter Magnatum dapes. Querimonia Jacobi Benjaminem dimittentis, concepta his verbis:* ואני כאשר שכלתי שכלתי *explicatur.* 18. *Fratres in Ægypto appellentes Joſephus jubet in hoſpitio ſuo convivio excipi.* טבח *&* ἱερεῖα *de communi etiam mactatione uſurpata.* 19. *Lotione pedum, qualis olim Orientalibus uſitata, Fratres ſe ad convivium præparant.* 20. *Fratrum in convivio aſſidentium ordo diſceptatur. Quæ cauſa admirationis?* 21. *Fercula in convivio ſeorſim appoſita Joſepho, Fratribus & Ægyptiis. Cur Ægyptii cum Hebræis communi victu non uſi? Ægyptiorum inſtituta peculiaria in cibus parandis ex Herodoto exponuntur.* 22. *Joſephus Fratribus portiones ferculorum mittit inæquales. Quid* משאת*? Mos vetuſtus portiones diſtribuendi in menſa. Quid Strobila? Quid* Θετταλικὴ ἔνθεσις*? Mos Principum in menſa fercula mittentium iis, quibus favent.* 23. *Convivii cataſtrophe. Dolus Joſephi Benjaminis ſacco ſcyphum immittentis. Quo ſenſu accipienda ſint verba Oeconomi de ſcypho Joſephi* נחש ינחש בו*? Variæ eorum expoſitiones ventilantur.* הנביץ. κόνδυ. *Calvinus adverſus Nicolaum Abrahamum defenſus. An magicum augurium Joſepho tribuat Oeconomus? An* κατοπτρομαντείαι*? Urſini & Grotii de eo ſententia diſcutitur.* 24. 25. *Verus verborum illorum ſenſus. Verbum* נחש *etiam licitam divinationem notat.* 26. *Fratres Joſepho purgant facinus ablati ſcyphi. Judæ oratio pathetica.* 27. *Joſephus ſe fratribus patefacit levato velo, eósque trepidantes divinæ providentiæ fulcro ſuſtentat. Dei circa peccatum providentia & decretum adverſus Suarezium aſſeritur. Quo ſenſu ſe Joſephus appellet* אב לפרעה *patrem Pharaonis?* 28. *Dimittuntur fratres cum mandatis & muneribus*

neribus ad parentem. Quid חלפות שמלת *? Cur Fratres diſcedentes, at mox redituros, Joſephus muneribus oneraverit? 29. 30. 31. Jacobi poſt acceptum de Joſepho ſuperſtite nuntium ſtupor. Quo ſenſu* ויפג לבו*? Spiritus ejus reviviſcens notetne reſtitutum propheticum donum? An ſpiritus propheticus in lugentibus habitare nequeat? 32. Jacobi in Ægyptum migratio & mors. Legatio Fratrum ad Joſephum de condonanda ipſis offenſa. Joſephi humaniſſimum reſponſum. Senſus verborum* כי התחת אלהים אנכי *exponitur. Hebræa lectio adverſus Grotium vindicata. 33. Joſephi cum Fratribus cohabitatio & humilitas. Ejusdem nepotes & abnepotes. 35. Joſephi moribundi mandata ad Fratres. Unde ipſi innotuerit futura populi ex Ægypto redemptio? Ejusdem mors & ſepultura.*

I. IN Joſephi cum Fratribus negotiatione panditur occaſio, quâ Deus Jacobum cum tota familia traxit in Ægyptum, ac ſimul conſiderandum nobis relinquitur, quàm occultis modis & inopinatis perficiat Deus, quicquid ſtatuit. Eſt ſanè providentia Dei labyrinthus quidam. Ubi tamen rerum exitus cum principiis connectimus, perſpicuè tandem refulget admirabilis illa operandi ratio, quæ quoniam à ſenſu noſtro remota eſt, non ſtatim liquidò apparet. Cùm ergo vix ulla extet illuſtrior providentiæ divinæ pictura, quàm hæc ipſa hiſtoria, tantò ea ſolertiùs proſequenda fuerit, quò res etiam in ſpeciem fortuitas Dei manu dirigi agnoſcamus. Hac vice geminam filiorum Jacobi in Ægyptum ad comparandum frumentum profectionem, Joſephi cum iis negotiationem, & tum negotiationis tum profectionis utriusque eventum, quæ inde à capite XLII. ad XLVI. uſque Moſes delineat, enarrabimus.

II Prioris profectionis cauſa fuit, invaleſcens in terra Canaan fames, & gravis, quæ quatiebat urbem, frumenti inopia. Eâ enim neceſſitate compulſus Jacobus filios omnes, uno Benjamine excepto, miſit in Ægyptum ad comparandum videlicet שבר *frumentum* cap. XLII. 1, 2. Frumentum vocatur שבר forte quòd panes apud Hebræos ita formarentur, ut frangi & fracti diſtribui poſſent. Hebræi ita dici putant לפי שהוא שובר הרעב *eò quòd illud frangat famem*, uti Kimchius habet. Sed hoc longiùs petitum videtur. Antea eos compellaverat verſ. 1. למה תתראו *ut quid aſpicitis vos ipſos?* Quorum verborum ſenſus non eſt, quem reddunt Hebræi, Abenezra, Kimchius, alii, quaſi filios ſuos Jacobus increparet, eò quòd ſe oſtentent coram hominibus, quaſi famem nullam paterentur & frumento

mentò abundarent. Verba Kimchii ſunt: למה תתראו עצמכם שאתם שבעים ויש עמכם אוכל כי כל שאר העולם הולכים לשבר שבר ואתם יושבים *Cur oſtentatis vos, quaſi ſaturi eßetis atque eſſet vobis eſca? Omnis ſiquidem mundus proficiſcitur, ut emat ſrumenta, & vos ceſſatis!* Sunt potiùs verba hæc κελεύοντος & *excitantis* ſive trepidos, ſive negligentes, ſive conſilii inopes. Benjaminem Jacobus dimittere noluit פן יקראנו אסון *ne forte accidat illi mors* verſ. 4. Pro אסון Græci μαλακία *languor*, Syrus קרסא *infortunium*, Aquila σύμπτωμα *caſus*, Symmachus κίνδυνος *periculum* habent. Uterque verò Chaldæus מותא *mors*. Neque aliter Kimchius & Gorionides. Timebat rei ſibi omnium chariſſimæ, ne tam longinquum emenſurus iter, variiſque caſibus jactandus mortis periculum adiret.

III. Cùm in Ægyptum veniſſent fratres, Joſephum, virum ſibi ignotum, rerum potentem, & quem penes arbitrium erat annonæ, adeunt & more regio adorant. Nam ישתחוו לו אפים ארצה *incurvârunt ſe ei in faciem ſupra terram* verſ. 6. Qui honor civilis erat, fiebatque corpore in terram proſtrato, quod Græci dicunt προσκυνεῖν. Jarchius dicit וכן כל השתחואה פשוט ידים ורגלים היא *Omnis adoratio fit extenſis manibus & pedibus*. Atque ita impletum eſt ſomnium Joſephi, quod antehac in paterna adhuc familia agitans ſomniâſſe dicitur cap. XXXVII. 10. Joſephus porro non agnitus à fratribus, fratres tamen ipſe agnoſcit. Quoad fratres haud equidem mirandum eſt, eos Joſephum non agnoviſſe. Etenim is extra eorum conſortium exegerat annos integros viginti duos. Tum loquentem audiverunt Ægyptiacè. Deinde hominem ſummâ majeſtate fulgentem nunquam fratrem agnoviſſent. Alia verò ratio erat Joſephi. Is enim cùm non unum ſed plures haberet ante oculos, & quidem Hebraicè loquentes, fieri non poterat, quin ſaltem unum ex iis agnoſceret, & ex uno de cæteris conjecturam caperet. Fieri etiam potuit, ut prophetico ſpiritu agnoſceret, fame urgente fratres ſuos venturos.

IV. Hac fiduciâ Joſephus omnes occaſiones & commoditates aucupatus eſt, ut tum animos ipſorum, tum conſtitutionem paternæ familiæ penitus agnoſceret. Nam יתנכר אליהם *alienum ſe eis oſtendit* verſ. 7. Et alienum ſeſe finxit tum pactionibus, tum ſermonibus. Duriter cum illis locutus eſt, quemadmodum veriſſimè Sapiens in Proverbiis dicit, divitem cum paupere loqui duriter. Quærit primò ex ipſis tanquam ignotis, unde, quinam, & quorſum venirent? Cumque quod res erat reſpondiſſent, ille verba eorum ſuſpectans, eos palam & exertè appellat מרגלים *exploratores*, utpote qui illuc venerint לראות את ערות הארץ *ad videndum nuditatem terræ* verſ. 9. Ubi ערות הארץ Græci reddunt τὰ ἴχνη τῆς χώρας, *veſtigia regionis*,

regionis, Thargum Onkeloſi ית בדקא דארעא *infirmiora terræ*; Syrus שׁאבה דארעא *famem terræ*. Quomodo etiam Arabs. Sunt etiam qui explicent כלו הארץ *arcanum terræ*. Abenezra monet eſſe locutionem דרך כשל *metaphoricam, quia mos obtinet, ut nuditas tanquam res turpis abſcondatur*; vel, *quia nuditas ſolet tegi*. Omnino hoc dicere vult Joſephus: Veniſtis, ut interiora & ſecreta terræ exploretis: Et qua parte terra ſcilicet noſtra ſit inermis & imbellis; ubi maximè hoſtilibus incurſionibus pateat. Accuſationem hanc graviſſimam bis intentatam bis ſtudioſiſſime illi amoliuntur, & ſuam conditionem candidè aperiunt: ſe nimirum duodecim fratres filios eſſe unius ejusdemque patris: & ex his duodecim fratribus unum minimum natu manſiſſe apud patrem, unum etiam in vivis non amplius eſſe. Inter alia ajunt verſ. 11. כנים אנחנו quæ verba variè redduntur. Græci *εἰρηνικοί ἐσμὲν, pacifici ſumus*. Aquila *ὀρθοὶ recti*. Symmachus *ἁπλοῖ ſimplices*. Onkelos כיני *recti*. Jonathan מהימני *fideles*. Senſus eſt: Viri ſumus bonæ fidei, uti apparet infra verſ. 19. 31. 34. Quàm non vera fuerit hæc ipſorum de ſe prædicatio, nôrat Joſephus, nôrat Emor & Sichem. Cæterùm Joſephus tanquam ex ſermonibus eorum de fratre minore natu mendacia evicturus, duriùs inſtat, & probationem imperat hunc in modum: בזאת תבחנו חי פרעה אם תצאו מזה כי אם בבוא אחיכם הקטן הנה. *Hac re probabimini. Vivit Pharao, ſi egreſſi fueritis hinc niſi cùm venerit frater veſter minor huc* verſ. 15. Primò igitur imperat, ut unus ſolùm reverteretur domum, Benjaminem adducturus. Deinde compingit eos in carcerem in tertium uſque diem. Mox tertio die, quaſi rigoris pœnitens, & de ſua pietate ac Dei timore præfatus, novo conſilio jubet unum de fratrum numero pignoris loco detineri, reliquos verò domum reverſuros fratrem minorem natu Benjaminem adductum conſpectui ſuo ſiſtere.

V. Multa occurrunt in hoc tum facto tum colloquio Joſephi cum fratribus, quæ juri & æquitati, nec non pietati Joſephi conſentanea ſint necne, ambigi meritò poſſit. Primò enim quamvis fratres ſuos agnoverit, tamen ſe fratrem eſſe ſtrenuè diſſimulat, & nihil omnino pro fratre facit. Nam & verbis aſperrimis eos exagitat, & in carcerem omnes concludit, tanquam mox ad ſupplicium eos rapturus. Quas habuerit diſſimulationis hujus cauſas, ſatis ante omnia conſtat. Duæ nempe illæ fuerunt. Nam & fratrem Benjaminem recuperare optabat, & quaſi adhibitâ quæſtione excutere volebat, quid haberent fratres in animo, reſipuiſſentne, necne: qualis denique ab eo tempore fuiſſet eorum vita. Etenim ſi primo ſe colloquio pateſeciſſet Joſephus, timendum erat, ne patre celato, deteſtabile quod admiſerant, ſcelus tegere volentes, novo illud ſcelere

Digitized by Google

ſcelere augerent. Suberat etiam ſuſpicio, ne in fratrem Benjaminem perfidiæ quid & crudelitatis etiam tentâſſent. Voluit igitur eos propiùs excutere, donec de ſtatu paternæ domûs factus certior conſilium ex re ipſa caperet, deinde aliquid caſtigationis infligi ante impertitam veniam, ut ſceleris ſui atrocitatem expenderent. In eo verò apparuit ſingularis Dei ad totam hanc actionem inſtinctus, quòd viſis fratribus tot ſuarum calamitatum authoribus non excanduit, neque immutatus eſt, neque in exprobrationes erupit, ſed compoſuit vultum & ſermonem, quaſi quod acturus fuit, diu per otium meditatus eſſet.

VI. Sed gravior quæſtio eſt: *An diſſimulatione ea apud fratres rectè uſus Joſephus fuerit?* Eam quæſtionem doctiſſimè enodant Calvinus, Franciſcus, Junius & Rivetus ad præſentem locum. Nos eam paucis expediemus, primò figendo regulam communem juris de diſſimulatione, deinde ſermones factumque Joſephi ad eam exigendo. Diſſimulatio res eſt media ſeu indifferens, modò bonis & certis rationibus bona, modò malis mala. Duæ autem rationes ſunt eam dignoſcendi, nempe tum modus tum finis. Uterque ſi bonus ſit, non poteſt eſſe mala diſsimulatio. Tum autem bonus eſt, quando non pugnat cum religione, juſtitia, veritate & charitate, ſed eam potiùs promovet & juvat. Ubi cautio hæc obſervanda, ut videant pii, quotiescunque de diſsimulatione cogitant, apud quos adhibeant ipſam. Alia quippe ejus ratio eſt apud ignorantes, alia apud ſcientes: alia apud infirmos, alia apud firmos: alia apud amicos, ſimplices, & apud quos de ſalute ſpes eſt, alia apud inimicos, malitioſos, deſperatos: alia etiam ratio eſt privati hominis, alia Magiſtratûs & Judicis. Aliter agendum cum reo, aliter cum innocente. Nec quæ vel joco, vel tentandi & examinandi animo proferuntur, ad categoricas propoſitiones ilico referenda ſunt, ut de veritate vel falſitate feratur judicium ante rei exitum & cataſtrophen, aut loquentis de ſenſu ſuo declarationem, vel verbis vel factis tandem indicatam.

VII. Ad hanc regulam ſi applicentur ſermones & facta Joſephi, judicium de iis æquum ferri poterit. Etenim quod יתנכר *alienum* ſe fratribus *præbuit*, in eo ſanè non admodum peccavit. Habuit enim juſtam diſſimulandi cauſam, explorationem nimirum fratrum, alióſque quos ſuprà expoſui fines. Quòd cum fratribus locutus eſt קשות *dura*, id ipſum quoque non magnopere reprehendendum. Fecit hoc non vindictæ exercendæ animo, ſed ut ipſi in ſe deſcenderent, & ſcelerum ſuorum memoriam ſibi ipſis refricarent, & ad ſeriam pœnitentiam tandem inflecterent animos. Quòd מרגלים *exploratores* eos nuncupat, non fuit affirmatio certa,

Digitized by Google

certa, ſed proponitur ut ſuſpicio, non *categoricè* & *aſſertivè*, ſed *tentativè* & *probativè*, ut judices ſolent aſſerere crimen, dum reum pertentant, ut verum eliciant. Ut eos adigeret ad vera enuntianda de abſente patre & fratre minimo natu, agit cum iis tanquam exploratoribus, non vindictæ ſtudio motus, ſed veritatis agnoſcendæ & emendationis eorum promovendæ deſiderio incitatus, tanquam miniſter Dei. Ita Deus cum ſuis agere ſolet, qui cùm caſtigat, videtur perdere eos velle, cùm tamen benevolè cum iis agat, nihilque aliud moliatur, quàm ut ad culpæ confeſſionem adigat, quò poſtea beneficiis cumulet planè liberatos, quos etiam in ipſa afflictione non deſerit. Quomodo etiam ipſe Joſephus feriens fratres, nihilominus ſigna iis dabat benevolentiæ. Non malè Gregorius homil. in Ezechiel. XIX. *Qui fratrum*, inquit, *facinus & dimiſit & vindicavit, ſic in rigore clementiam tenuit, ut delinquentibus fratribus, nec ſine ultione pius exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ, ut culpis & diſcretè noverit parcere, & eas piè reſecare. Qui autem diſcretionis ſpiritum non habent, aut ſic dimittunt peccata, ut non corrigant, aut ſic quaſi corrigendo feriunt ut non dimittant.* Quod porro carceri eos includit, id quoque non referendum eſt ad vindictam. Non enim lædendi animo impulſus iſtud fecit, ſed animo caſtigandi & probandi fratres, ſtudio ſanandi, & ad pœnitentiam eos adducendi propoſito. Foris ſeveram frontem oſtendens, intus amore fraterno totus flagrabat. De cætero Calvini de Joſephi ſermonibus & factis judicio exactiſſimo ſubſcribendum etiam putem, quod ita habet: *Scimus quantopere Deo placeat integritas, & quàm ſeverè à fuco & fallaciis ſuos prohibeat. An Deus ſpeciali motu ſervum ſuum gubernaverit, ut à communi regula diſcederet citra culpam, neſcio. Sicut interdum piè fideles quædam deſignant, quæ in exemplum trahere non licet. Hoc quidem in Sanctorum patrum factis ſemper cavendum, ne ab ea lege, quam Dominus communiter omnibus præſcribit, nos abducant. Et generali Dei mandato colenda eſt nobis ſinceritas. Quòd aliud ſimulavit Joſeph quàm res erat, hoc prætextu minimè excuſabimur, ſi quid ſimile tentamus. Nam ut veniam obtinuerit libertas privilegio conceſſa, ſi quis privato exemplo fretus Legem Dei evertere non dubitet, ut ſibi licitum faciat, quod illic vetatur, meritò ſuæ audaciæ pœnas dabit. Et tamen non magnopere ſudandum arbitror in excuſando Joſepho, quia magis probabile eſt aliquid humanitus fuiſſe paſſum, quod illi Deus ignovit. Sola enim illius indulgentia ſimulationem, quæ per ſe vitio non carebat, reatu eximere potuit.*

VIII. De juramento Joſephi, quod is bis, ſemel verſ. 15. & ſemel 16. adhibuit, hac nimirum formulâ concepto חי פרעה *vivit Pharao*, quæritur, an illud legitimè adhibere potuerit? Formulam illam Græci reddunt

dunt νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραὼ, *per ſalutem Pharaonis.* Ita etiam Vulgatus. Reliqui interpretes per *vitam Pharaonis.* Notat Abenezra, graviſsimum hoc apud Ægyptios fuiſſe juramentum, quod violatum capitis pœnam ſecum traxerit. Illud ante omnia firmiter tenendum, non licere jurare per creaturas. Non tantùm enim Dei præceptum, ſed ipſa etiam natura docet, honorem hunc ſoli Deo deberi, ut judicium illi deferant homines, ſummumque fidei & veritatis vindicem & arbitrum ipſum conſtituant. Quòd ſi igitur per Pharaonem vel ejus vitam juravit Joſephus, non poteſt ſanè à gravi peccato excuſari. Non deſunt ſanè, qui putent, juramentum hoc eſſe execratorium, reſolvendum hunc in ſenſum: *Juro, teſtor & rogo Deum, ut Pharaoni Regi meo vitam & ſalutem adimat, niſi vos quaſi exploratores habuero, ſi non adduxeritis Benjaminem.* Ita Cornelius à Lapide. Cl. Calixtus etiam in Hiſtoria Joſephi ad h. l. in verbis Joſephi agnoſcit execrationem, in qua invocetur Deus tanquam vindex falſi & fraudis, ſi quæ commiſſa fuerit, & ſimul Deo vindici ſubjiciatur ſeu devoveatur id, quod Joſephus habuit chariſsimum, vita nempe & ſalus regia Pharaonis. Sed in juramento execratorio diſsimiles planè formulæ locum habent. Non deſunt etiam, quibus perſuaſum ſit, formulam illam, *vivit Pharao*, eandem eſſe cum nota illa formula jurandi Hebræorum: *Vivit Dominus.* Quos falli manifeſtum eſt. Nam in his verbis: *Vivit Deus*, includitur invocatio Dei, perinde ac ſi ita jurans diceret: ſcio Deum vivere & audire, qui me, ſi mentior, pœnis afficiet meritis. An igitur idem voluit Joſephus de Pharaone dicere: *Vivit Pharao*, vindex falſi, qui me, ſi mentiar, puniet. At potuiſſet Pharao, ſi falſum dixiſſet Joſephus, id planè negare, cujus vita non erat ut vita Dei, purus actus, & qui vivens non omnia ſimul videbat.

IX. Calvinus ſanctum virum aliqua ex parte reddi excuſabilem putat, ſi dicamus, non verum juramentum hoc fuiſſe, ſed obteſtationis quandam ſpeciem. *Qui enim*, inquit, *per Deum jurat, eum vult medium intercedere, ut pœnam exigat perjurii. Qui per vitam ſuam vel caput jurant, quaſi fidei ſuæ pignus in medium deponunt, quod maximè habent pretioſum.* Quomodo etiam Cl. Rivetus judicat, hîc non tam propriè dictum juramentum, quàm obteſtationis ſpeciem, ſive aſſeverationem teſtimonio aliquo confirmatam obtinere. Talis autem obteſtatio & aſſeveratio cùm fieri duplici modo poſſit, ut nimirum in eo ſit vel comparatio unius veritatis cum alia, non tamen quoad gradum veritatis, ſed quoad veritatem ſimpliciter, quâ videlicet una veritas non manifeſta declaratur per comparationem veritatis evidentis; vel votum potiùs quàm execratio, quo alicui

Digitized by Google

cui bene precamur, & teſtificamur affectum noſtrum erga veritatem quam aſſerimus, per comparationem affectus noſtri in rem aliquam nobis chariſſimam. Prioris exemplum eſt 1. Sam. xvii. 55. *Vivit anima tua ô Rex, ſi novi,* hoc eſt, ut verum eſt, animam tuam vivere, ô Rex, ita verum eſt, me ignorare, de qua ſtirpe deſcendat hic adoleſcens. Et ad prius illud aſſeverationis & obteſtationis genus commodè verba Joſephi reducuntur. Hoc nempe vult dicere: *Tam verum eſt quod dico, quàm verum eſt vivere Pharaonem, cujus ſum miniſter*; quia videlicet ſalus & vita Regum magis eſt in aperto, quàm cujuslibet è vulgo. Veteres Chriſtiani, teſte Tertulliano Apologet. cap. 32. renuebant jurare *per genios Cæſaris*; quod genus juramenti apud eos erat ſanctiſſimum & φιλοδέσποτον. Noverant autem, hoc genus juramenti eſſe idololatricum, quippe à gentilibus factum *per genium* tanquam divinitatis participem, & proinde occultorum teſtem & fraudis vindicem. Iidem tamen jurabant *per ſalutem Cæſaris*, auguſtiorem omnibus geniis, quæ verba interprete Franciſco Zephyro paraphraſte, hunc ſenſum habebant: *Ita nobis ſit ſalvus Cæſar, ita incolumis regnet.* Sed notavit Baſilius in Pſal. xiv. in iis verbis non tam fuiſſe jusjurandum, quàm θεράπειαν πρὸς τοὺς ἀκούοντας, genus obteſtationis, quo auditorum animi conciliabantur & confirmabantur.

X. Cæterùm quæri adhuc poteſt de aſſeverationis Joſephi veritate. Aſſeverabat nempe illos non egreſſuros, niſi adventante fratre natu minimo, & exploratores illos eſſe. At poſtea illos, excepto uno Simeone, dimiſit omnes, & exploratores eos non eſſe, probè noverat. Sed quoad prius, ſenſus aſſeverationis eſt, non egreſſuros eos eſſe omnes, nec egreſſuros ſine obligatione & neceſſitate redeundi. Simeon nempe manere coactus eſt: cæteris quidem permiſſus fuit abitus, ſuo tamen loco obſidem à fratribus unum relinquentibus. Igitur ne cæterorum quibem abitus liber fuit, & ſine obligatione redeundi. Quoad poſterius, aſſeverans propoſitio non abſoluta ſed conditionalis fuit. Senſus eſt, fore ut præſumantur exploratores, niſi videlicet Benjaminem adduxerint: & quòd ſe veraces non eſſe ſecus prodituri ſint. Ita etiam explicat Auguſtinus in Geneſin quæſt. 139. eumque ſecutus Cajetanus.

XI. Nicolaus Abramus *de Mendacio ac Veritate* lib. iii. 28. veſtigia juramenti adhibiti formulæ oſtendit apud Martialem lib. ii. Epigramm. 95. Ubi Judæum quendam *Solymis qui natus in ipſis*, ita compellat & jurare compellit:

Ecce negas, juraſque mihi per Templa tonantis,
Non credo. Jura, Verpe, per Anchialum.

Anchia-

Anchialum eſſe Judæorum Numen ſanctiſſimum, oſtendit Stephanus Forcatulus *Dial.* 12. *Necyomantiæ juris.* Cenſet autem Joſephus Scaliger tum prolegomenis ad Emendationem temporum, tum literis ad P. Scriveriumdatis, vocem *Anchialus* ex fontibus Hebræis eſſe detortam, quaſi חי אלה *vivit Dominus.* Atque, ut facilè eſt inventis addere, Thomas Farnabius ita concepit, אם יחי אלה. Samuel Petitus: אין חי עלין *non vivit excelſus.* Johannes Seldenus Prolegomenis libri de Succeſſionibus, apud Martialem legendum putat:

Non credo. Jura, Verpe, iperan chiolam.

יפרע חי עולם *ulciſcatur*, aut, *vindictam exerceat is qui vivit in æternum.* Johannes Crocus: *Jura per Alchialum*, אלהי עולם *per Deum, qui vivit in æternum.* Si quis conjecturæ locus ſuperſit, dicerem, locum integrum eſſe,. & *Anchialus* idem eſſe, quod אנכי אלה *ego juro.* Sed de eo quicquid fiat, planum eſt à juramento Joſephi vocem illam nequaquam derivari poſſe.

XII. Filii porro Jacobi ita duriter à Joſepho habiti, & in ultimas anguſtias redacti, admiſſum plures ante annos fratricidium revocant in animum. Nam aſpicientes alter alterum dicebant: *Verè peccavimus adverſus fratrem noſtrum. Nam vidimus anguſtiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcirco venit ſupra nos anguſtia hæc* verſ. 21. Priusquam urgeret eos afflictio, torpebant. At nunc coguntur ſuas in conſcientias ingredi. Ita nempe rebus adverſis examinat Deus homines, & excuſſis blanditiis non modò arcano metu animos eorum pungit, ſed confeſſionem etiam, quam cæteroquin lubenter fugerent, extorquet. Hanc verò fratrum ſeram nimis pœnitentiam etiam Ruben exaggerat his verbis: *Nonne dicebam vobis hoc modo: Ne peccetis in puerum, & non audiſtis* וגם דמו הנה נדרש *En jam ſanguis ejus requiritur* verſ. 22. Is nempe antehac conatus fuerat fratrum violentis ſævientium manibus eripere. Cæterum Joſephus quamvis averſus ϛοργῇ incitante lachrymas fundens, tamen quaſi iratus adhuc in oculis fratrum Simeonem, ſive quia is ſceleris antehac patrati author erat, uti videtur Jarchio, ſive quia poſt Rubenem reliquis eſſet natu grandior, adeóque pœnâ dignior, ut Abenezra & Abarbanel cenſent, ligatum in vinculis detinet, atque ſic fratres ſuſpenſos perplexosque dimittit. Quod ipſum tamen non factum malevolentiâ, ſed quia de fratre Benjamin, & ſtatu paternæ familiæ ſolicitus erat. Periculum etiam erat, ne fraternæ cædis machinatione prodita, deſperatorum inſtar vel aliud infandum facinus aggrederentur, vel ſaltem deſerto patre aliam in partem confugerent. Prudenter tamen etiam hic Calvinus monet, hoc

Digitized by Google

cui bene precamur, & teſtificamur affectum noſtrum erga veritatem quam aſſerimus, per comparationem affectus noſtri in rem aliquam nobis chariſſimam. Prioris exemplum eſt 1. Sam. XVII. 55. *Vivit anima tua ô Rex, ſi novi*, hoc eſt, ut verum eſt, animam tuam vivere, ô Rex, ita verum eſt, me ignorare, de qua ſtirpe deſcendat hic adoleſcens. Et ad prius illud aſſeverationis & obteſtationis genus commode verba Joſephi reducuntur. Hoc nempe vult dicere: *Tam verum eſt quod dico, quàm verum eſt vivere Pharaonem, cujus ſum miniſter*; quia videlicet ſalus & vita Regum magis eſt in aperto, quàm cujuslibet è vulgo. Veteres Chriſtiani, teſte Tertulliano Apologet. cap. 32. renuebant jurare *per genios Cæſaris*; quod genus juramenti apud eos erat ſanctiſſimum & φειλοδέσποτον. Noverant autem, hoc genus juramenti eſſe idololatricum, quippe à gentilibus factum *per genium* tanquam divinitatis participem, & proinde occultorum teſtem & fraudis vindicem. Iidem tamen jurabant *per ſalutem Cæſaris*, auguſtiorem omnibus geniis, quæ verba interprete Franciſco Zephyro paraphraſte, hunc ſenſum habebant: *Ita nobis ſit ſalvus Cæſar, ita incolumis regnet.* Sed notavit Baſilius in Pſal. XIV. in iis verbis non tam fuiſſe jusjurandum, quàm θεραπείαν πρὸς τοὺς ἀκούοντας, genus obteſtationis, quo auditorum animi conciliabantur & confirmabantur.

X. Cæterùm quæri adhuc poteſt de aſſeverationis Joſephi veritate. Aſſeverabat nempe illos non egreſſuros, niſi adventante fratre natu minimo, & exploratores illos eſſe. At poſtea illos, excepto uno Simeone, dimiſit omnes, & exploratores eos non eſſe, probè noverat. Sed quoad prius, ſenſus aſſeverationis eſt, non egreſſuros eos eſſe omnes, nec egreſſuros ſine obligatione & neceſſitate redeundi. Simeon nempe manere coactus eſt: cæteris quidem permiſſus fuit abitus, ſuo tamen loco obſidem à fratribus unum relinquentibus. Igitur ne cæterorum quibem abitus liber fuit, & ſine obligatione redeundi. Quoad poſterius, aſſeverans propoſitio non abſoluta ſed conditionalis fuit. Senſus eſt, fore ut præſumantur exploratores, niſi videlicet Benjaminem adduxerint: & quòd ſe veraces non eſſe ſecus prodituri ſint. Ita etiam explicat Auguſtinus in Geneſin quæſt. 139. eumque ſecutus Cajetanus.

XI. Nicolaus Abramus *de Mendacio ac Veritate* lib. III. 28. veſtigia juramenti adhibiti formulæ oſtendit apud Martialem lib. II. Epigramm. 95. Ubi Judæum quendam *Solymis qui natus in ipſis*, ita compellat & jurare compellit:

Ecce negas, jurasque mihi per Templa tonantis,
Non credo. Jura, Verpe, per Anchialum.

Anchia-

Anchialum eſſe Judæorum Numen ſanctiſſimum, oſtendit Stephanus Forcatulus *Dial.* 12. *Necyomantiæ juris.* Cenſet autem Joſephus Scaliger tum prolegomenis ad Emendationem temporum, tum literis ad P. Scriveriumdatis, vocem *Anchialus* ex fontibus Hebræis eſſe detortam, quaſi חי אלה *vivit Dominus.* Atque, ut facilè eſt inventis addere, Thomas Farnabius ita concepit, אם יחי אלה. Samuel Petitus: אין חי עלין *non vivit excelſus.* Johannes Seldenus Prolegomenis libri de Succeſſionibus, apud Martialem legendum putat:

Non credo. Jura, Verpe, iperan chiolam.

יפרע חי, עולם *ulciſcatur*, aut, *vindictam exerceat is qui vivit in æternum.* Johannes Crocus: *Jura per Alchialum*, אלהי עולם *per Deum, qui vivit in æternum.* Si quis conjecturæ locus ſuperſit, dicerem, locum integrum eſſe,. & *Anchialus* idem eſſe, quod אנכי אלה *ego juro.* Sed de eo quicquid fiat, planum eſt à juramento Joſephi vocem illam nequaquam derivari poſſe.

XII. Filii porro Jacobi ita duriter à Joſepho habiti, & in ultimas anguſtias redacti, admiſſum plures ante annos fratricidium revocant in animum. Nam aſpicientes alter alterum dicebant: *Verè peccavimus adverſus fratrem noſtrum. Nam vidimus anguſtiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus. Idcirco venit ſupra nos anguſtia hæc* verſ. 21. Priusquam urgeret eos afflictio, torpebant. At nunc coguntur ſuas in conſcientias ingredi. Ita nempe rebus adverſis examinat Deus homines, & excuſſis blanditiis non modò arcano metu animos eorum pungit, ſed confeſſionem etiam, quam cæteroquin lubenter fugerent, extorquet. Hanc verò fratrum ſeram nimis pœnitentiam etiam Ruben exaggerat his verbis: *Nonne dicebam vobis hoc modo: Ne peccetis in puerum, & non audiſtis* וגם דמו הנה נדרש *En jam ſanguis ejus requiritur* verſ. 22. Is nempe antehac conatus fuerat fratrum violentis ſævientium manibus eripere. Cæterum Joſephus quamvis averſus στοργῇ incitante lachrymas fundens, tamen quaſi iratus adhuc in oculis fratrum Simeonem, ſive quia is ſceleris antehac patrati author erat, uti videtur Jarchio, ſive quia poſt Rubenem reliquis eſſet natu grandior, adeóque pœnâ dignior, ut Abenezra & Abarbanel cenſent, ligatum in vinculis detinet, atque ſic fratres ſuſpenſos perplexosque dimittit. Quod ipſum tamen non factum malevolentiâ, ſed quia de fratre Benjamin, & ſtatu paternæ familiæ ſolicitus erat. Periculum etiam erat, ne fraternæ cædis machinatione prodita, deſperatorum inſtar vel aliud infandum facinus aggrederentur, vel ſaltem deſerto patre aliam in partem confugerent. Prudenter tamen etiam hic Calvinus monet, hoc

Joſephi factum pro lege non eſſe habendum, quia tanta auſteritas non ſemper expediat. Itaque ſpiritus diſcretionis è Cœlo petendus, qui nos moderetur, ne quid vel turbido impetu, vel immoderatâ duritie à nobis fiat.

XIII. Sub aſpero vultu Joſephi non modò lenem & manſuetum affectum, ſed tenerrimam etiam mollitiem latuiſſe, prodidit etiam in eo Joſephus, quòd in mandatis dedit, ut fratrum digredientium vaſa implerentur frumento, nec non alimentis in iter, denique iisdem pecuniis, quas antea pro frumento numeraverant. Quod cùm in itinere fratres animadvertiſſent, יצא לבם ויחרדו איש אל אחיו לאמר מה זאת עשה אלהים לנו *egreſſum eſt cor eorum, & dixit unus ad alium obſtupeſcens: Quid hoc eſt, quod Deus fecit nobis?* verſ. 28. Quibus verbis non tam cum Deo expoſtulant, quàm attoniti & à ratione omni & conſilio deſerti ſuam ipſi miſeriam deplorant, utpote adverſum ſibi Numen perſentiſcentes. Poterant ſanè cogitare de Joſepho, utpote qui fraude id fecerit, novasque ipſis inſidias ſtruxerit. Sed ejus immemores rectâ ſibi Deum vindicem proponunt, quia nempe ſemel eorum animos occupaverat hæc cogitatio, juſtam peccatis ſuis mercedem rependi. Itaque hæc non vulgaris prudentia & peræquè utilis eſt, quoties adverſi aliquid contingit, Dei unius judicia & providentiam reputare.

XIV. Sic fratres variis modis agitati, redeunt tandem ad patrem Jacobum, & longas injurias longis ambagibus ei referunt, triſtique eum nuntio de retento in vinculis Simeone & adducendo Benjamine percellunt. Is igitur ſentiens, ad ſe potiſſimùm hæc mala ſpectare, in hæc coram ipſis verba erupit: *Me orbaſtis. Joſephus non extat. Et Simeon non extat. Et Benjaminem accipietis.* עלי היו כלנה *Super me reciderunt omnia hæc!* verſ. 36. Quaſi diceret: Vos quidem hæc parvi penditis. Vos in fratrum exitiis ſecurè luditis, perinde ac ſi nihil ad vos eorum vita pertineret. At in me unum hæc mala omnia recidunt, quorum ego magnitudinem penitùs capio. Ruben quidem erecturus mœſtum patrem, ait: *Duos filios meos mori facias, niſi reduxero illum ad te: da illum in manu mea, & ego eum ad te reducam* verſ. 37. Ita duos filios patri mactandos offert, niſi Benjaminem illi reducat. Scilicet Jacobus nepotes ſuos occideret. Et quid ſolatii caperet, ſi in ſua ipſius viſcera ſæviret? Eſt igitur ſermo ſine mente, qualis eſſe perturbatorum ſolet. Graviùs igitur Jacobus inſtat: *Non deſcendet filius meus vobiſcum. Frater ejus mortuus eſt, & ipſe ſolus relictus eſt. Si accideret illum mori, deſcendere faceretis canitiem meam cum mœrore in ſepulchrum* verſ. 38. Ex quibus verbis patet, quanto mœrore ſanctus Vir conſtrictus fuerit.

Digitized by Google

fuerit. Videt famelicam univerſam domum. Mavult tamen à vita quàm à filio divelli. Unde colligimus, minimè illi ferreum pectus fuiſſe.

XV. Videri poſſit ſaltem Joſephus iniquus in parentem optimum, qui detento Simeone & Benjamine poſtulato, tantæ ipſi mœſtitiæ author extiterat, nec non in fratrem Benjaminem, quem è gremio ſinuque parentis avelli & ignotam in regionem abduci voluit. Verùm cùm tot benevolentiæ ſigna præbuiſſet fratribus quamvis exagitatis, & patrem ſagacem ſatis eſſe probè noverit, haud dubiè cogitavit, cum in Dei operibus diſcernendis & examinandis perſpicaciſſimum, argumenta ſufficientia habiturum, quibus totum tandem negotium divinæ providentiæ ſecurè commendaret. Quamvis ergo totius illius negotii fuerit extraordinaria diſpenſatio, quæ non omnibus ad imitandum proponi debet: in tali tamen viro, omnibus circumſtantiis ritè expenſis, & cum eventu collatis nihil temerè reprehendendum eſt.

XVI. Hactenus fuit prior fratrum in Ægyptum profectio, & Joſephi cum iis negotiatio. Poſteriori anſam præbuit annona antehac ex Ægypto advecta deficiens & propemodum conſumta. Mirum equidem eſt, frumentum à novem fratribus aſportatum tam numeroſæ Jacobi familiæ, quæ tot aluit ſervos, potuiſſe vel ad paucos dies ſufficere. Reſpondet Calvinus, vero conſentaneum eſſe, ſervos Jacobi glandibus, herbis & radicibus victitâſſe. Orientales nempe, urgente inprimis neceſſitate aliqua, contentos eſſe tenui & arido victu. In ipſa autem illa tritici penuria fuiſſe aliorum fructuum proventum, uti ex cap. XLIII. II. abundè liquet. Igitur non plus emptum fuiſſe tritici, quàm quod Jacobo, liberis & nepotibus ejus in frugalem & reſtrictum cibum ad tempus aliquod ſufficeret. Servis verò demenſum aliunde confectum fuiſſe. Hæc ſanè non contemnenda eſt reſponſio. Nam quòd Cl. Schotanus objicit de *lautitiis*, qua voce uſus fuerat Calvinus, dicens, *panem triticeum fuiſſe divitum lautitias*, parum ſtringit. Non enim Calvini ſenſus eſt, in tanta fame Jacobum lautitias ſectatum eſſe, ſed συγκριτικῶς loquitur, triticum comparans cum fructibus. Ita dicimus, in regno cæcorum luſcum ducem eſſe: optimum condimentum cibi eſſe famem.

XVII. Jacobo præcipienti filiis, ut concederent denuo in Ægyptum, & compararent ſibi מעט אכל *parum cibi*, quantum nimirum anni ejus inediæ depellendæ ſufficeret: Jehuda controverſiam movet de Benjamine aſciſcendo in itineris conſortium. Hinc longa diſceptatio orta Jacobum inter & filios, ultro citróque depugnantes, in qua multa ſatis inconſiderata exciderunt filiis, inprimis Judæ. Inter quæ fuiſſe inprimis cautio ſeu

 fide-

Digitized by Google

fidejuſſio Judæ videtur. Is nempe ad expugnandum patrem ſpondet hæc in verba: אנכי אערבנו מידי תבקשנו אם לא הביאתיו אליך והצגתיו לפניך וחטאתי לך כל הימים: *Ego fidejubebo pro illo. De manu mea requiras illum; niſi reduxero eum ad te & ſtatuero eum ante te, pœnæ obnoxius ero tibi omnibus diebus.* verſ. 9. Ubi חטא idem eſt quod reum eſſe criminis, obnoxium pœnæ. Senſus enim eſt: Fatebor me reum eſſe apud te fidei violatæ, quamdiu vixero, adeóque pœnæ tuæ obnoxium. At imprudentem ſe geſſit in eo, quod ſpondet pro eo, cujus ſalutem & vitam in ſua poteſtate ſitam non fore probè noverat, vel ſolâ memoriâ eorum, quæ fratribus antea in Ægypto acciderunt, repetitâ. Sed eam ſponſionem huncce in ſenſum etiam accipere poſſumus, quòd ad fideliſſimam fratris cuſtodiam hac ratione ſe obſtringeret. Factum hinc, ut Jacobus ἀέκοντι ἑκόντι γε θυμῷ in Benjaminis dimiſſionem conſentiret. Nullum enim aliud medium depellendæ neceſſitati occurrebat.

XVIII. Ne verò ἀσύμβολοι venirent ad virum illum, Jacobus, uti erat ſanè civili & humaniſſimo ingenio, munera mittit. *Tollite*, inquit, מזמרת הארץ בכליכם *de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris* verſ. 11. Pro זמרת הארץ Græci ſimpliciter habent, ἀπὸ τῶν καρπῶν τῆς γῆς, *de fructibus terræ*. Targum Onkeloſi מדמשבח דארעא *de optimis terræ*. Ita etiam Samaritanus. Syrus verò מן טובא דארעא *de bonitate terræ*. Præſtantiſſimum terræ fructum voce hac זמרת הארץ denotari obſervat R. Solomon, שהכל מזמרין עליו כשהוא בא לעולם *eò quòd omnes cantent ſuper hoc, quando in mundum intrat.* Eſt igitur Hebraiſmus pro מיטב פירות *bonitate fructuum* terræ. Eſt enim זמרה *carmen*, nec non res carmine digna. Intelligit igitur fructus raros, & qui regioni alicui laudem & celebritatem conciliant. Jubet igitur deferri viro illi מנחה *munus*, nempe מעט צרי ומעט דבש נכאת ולט בטנים ושקדים *nonnihil reſinæ, & nonnihil mellis, ſtoracis & ſtacten, pineas & amygdala.* De צרי nec non נכאת, & לט actum nobis Sect. 1. Theſ. 11. Quid verò ſint בטנים dubium eſt. Græci τερέβινθον *terebinthum* reddunt. Onkeloſus, Syrus & Arabs vocem retinent. R. Solomon Jarchi profitetur ſe neſcire, quid ea ſibi vox velit. In Lexico tamen R. Machir ait ſe vidiſſe פישטקיאם. Unde ſibi videri, quòd ſint *perſica*. Nec deſunt qui interpretentur אגוזים *nuces*. Pineam verò plerique Rabbini. Sed Græcis Interpretibus habendam omnino fidem putem, cùm diverſæ ſignificationis argumenta nulla ſuppetant. Cur verò mel miſſum Joſepho? Nempe illud erat inter Regum & Magnatum dapes. Ita Davidi, cùm eſſet in Mahanajim, mel obtulere vicini nobiles 1. Sam. xv. 11. 29. Et apud Homerum Hecamedes Neſtori & Patroclo in convivio μέλι χλωρὸν, *mel flavum*

aut

Digitized by Google

aut *recens* apponit, Iliad. λ'. v. 630. Suetonius in Nerone cap. 27. *Indicebat & familiaribus cœnas, quarum uni mellita quadragies ſeſtertiûm conſtiterunt.* Hodie poſt ſaccharum inventum multum de mellis pretio deceſſit. Hæc porro munera non ingrata fore viro illi Ægyptio augurabatur, utpote quæ Ægyptus regio plana, depreſſa & ob id frumenti tantùm ferax, non ferebat: Syria autem & Chananæa regiones montanæ arborumque & fruticum feraces, proferebant. Præterea pecuniam etiam duplo quàm prior erat majorem, nec non illam ipſam, quàm in vaſis ſuis reperiebant, reſtitutam illis commiſit. Atque ſic cum voto enixiſſimo eos dimittit. Non ſine querelis tamen his verbis verſ. 14. conceptis: ואני כאשר שכלתי שכלתי ἐγὼ μὲν γὰρ καθάπερ, ἠτέκνωμαι, ἠτέκνωμαι, *ego verò ſicut orbatus ſum, orbatus ſum.* Ita Græci. Vulgatus: *Ego autem quaſi orbatus absque liberis ero.* Targum Onkeloſi: *ſicut orbatus ſum*, Joſepho nempe & Simeone, *ita orbabor*, Benjamine nempe, vel vobis etiam univerſis. At Abenezra ſenſum eſſe putat, in mente Joſephi perinde ſibi eſſe, ac ſi omnibus filiis orbatus eſſet. Alii aliter. Ego verba illa puto eſſe Jacobi ſeipſum conſolantis, perinde ac ſi diceret: *Fiat voluntas Domini. Sicut orbatus ſum Joſepho, ita ſi contingeret me Benjamine quoque orbari, orbabor ſanè ſic volente Deo, cujus voluntati ultro acquieſcam.* Ita ceſſat, quæ hîc agitari ſolet, quæſtio, annon divinæ gratiæ diffiſus Jacobus videri poſſit.

XIX. Quam primum apud Joſephum appulerunt fratres, is œconomo in mandatis dat, eos ſuum in hoſpitium adduceret, & טבח *mactationem* mactaret, quò communi cum ipſo prandio veſcerentur. Pro טְבֹחַ טֶבַח Græci habent: Σφάξον θύματα, *macta victimas.* Ita etiam Vulgatus & Syrus. Sed phraſis ea communis eſt tam ſacris mactationibus quàm communibus. Ita apud Hiſtoricos & Medicos Græcos ἱερεῖα ſunt τὰ θρέμματα, ζῶα, *animanteis*, quarum ſimpliciter veſcimur carnibus, ſive in uſu ſacro ſive communi. Sic cùm Athenæus lib. 1. dicit, viſam antiquis parum convenientem heroibus τροφὴν, τὴν τῶν νεογνῶν ἱερείων, *tenerarum animantium carnes*, voce ἱερείων carnes ſimpliciter etiam in communibus epulis eſitari ſolitas eum intellexiſſe, eruditè probat Caſaubonus *Animadverſ. in Athenæum lib. 1. cap.* 11. Hîc verò novus metus nováque ſuſpicio fratribus, cùm ſe ad convivium Joſephi invitari intelligerent, inceſſit, ne forte propter pecunias in ſaccis ſuis reportatas inſidias ipſis ſtrueret, & in ſervitutem gravem ipſos redigeret. Sed venit videlicet illis in mentem ſcelus adverſus Joſephum commiſſum. Ac proinde metus hic à mala conſcientia profectus erat. Aliâs in diverſam potiùs conjecturam inclinâſſent, hoc ideo facere præfectum Ægypti, ut amicis novum ac inſolitum ſpectaculum

lum

Digitized by Google

lum exhibeat, undecim nimirum fratres una in menſa ſedentes. Sed quicquid de eo fiat, fratres in ipſo atrio, quia ſuſpicio erat, ſimul ac domum ingreſſi fuerant, quæſtionem habitum iri, purgant facinus & innocentiam ſuam demonſtrant. Quibus œconomus reſpondet, bono animo eſſent, & reſtitutam ac in ſaccis repertam pecuniam divinæ gratiæ & benedictioni tribuerent. *Deus veſter*, inquit, *& Deus patris veſtri dedit vobis theſaurum in ſaccis veſtis.* כספכם בא אלי *pecunia veſtra pervenit ad me* verſ. 23. Id ſanè verum erat. Sed reticebat illud, quòd juſſus fuiſſet illam reſtituere, & in ſaccos eam referre. Græci ea verba ita reddunt: *καὶ τὸ ἀργύριον ὑμῶν εὐδοκιμοῦν ἀπέχω, & argentum veſtrum probum acceptum habeo.* Ita etiam Vulgatus. Verſionis utriusque ſenſus eſt, penitus acquieſcere Joſephum in ſolutione, nec quicquam amplius ab illis requirere, ſed acceptam pecuniam illis referre.

XX. Terrore hoc defuncti fratres intrant Joſephi domum, & tum lotione pedum, tum apparatu munerum ſe accingunt ad ſalutandum Joſephum, & convivium cum eo fruendum. Hic nempe mos erat Orientalium, convivis hoſpitibus offerre aquam ad lotionem pedum, propter pulverem in via contractum. Exempla extant Judic. IX. 21. & ſuperiùs cap. XVIII. XIX. Chriſto idem officium exhibitum à muliere illa peccatrice Luc. VII. Ubi in Simeonis Phariſæi ædibus ejus epulantis pedes ſacros unctos lachrymis irrigavit, capillis abſterſit, eosque ore exoſculata, unguento odorato perfudit atque inunxit. Unde Phariſæo illi, à quo ad convivium fuerat invitatus, exprobravit, quòd ſibi intranti in domum ejus *ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας οὐκ ἔδωκεν*, *aquam pedibus non miniſtraverit.* De ritu hoc antiquiſſimo videſis Gulielmum Stuckium *Antiquit. Conviv.* lib. II. cap. 33. Secutum hinc eſt colloquium Joſephi cum fratribus in quo tum percontabatur is in Jacobi parentis valetudinem, tum in Benjaminem præſentem, cujus conſpectu largiſsimis lachrymis temperare haud quivit.

XXI. Admiſsi poſtea fratres ad magnificum illud convivium: וישבו לפניו הבכור כבכרתו והצעיר כצעירתו ויתמהו האנשים איש אל רעהו *Sederunt coram ipſo primogenitus ſecundum primogenituram ſuam. Et admirati ſunt viri illi alter ad alterum* verſ. 33. Græci: *Ἐκάθισαν δὲ ἐναντίον αὐτοῦ, ὁ πρωτότοκος κατὰ τὰ πρεσβεῖα αὐτοῦ καὶ ὁ νεώτερος κατὰ τὴν νεότητα αὐτοῦ. Sederunt autem coram eo, primogenitus ſecundum jura ætatis ſua, & junior ſecundum juventutem ſuam.* Senſus eſt, pro ratione ætatis quemque aſſediſſe. Qui quidem ordo non tam in Joſepho, uti fingunt Hebræi, magicâ quadam ſcientiâ, de qua videatur Jarchius, magiſtrâ, imperatus, quàm recepta apud ipſos hactenus

nus

nus conſuetudine retentus. Quæ verò fuit cauſa illius Ægyptiorum admirationis? Vulgatus Interpres habet, miratos eos eſſe, *ſumptis partibus, quas ab eo acceperant*. Cauſam igitur admirationis refert ad inæqualem portionum diſtributionem, quâ videlicet Benjamini longè major ſemper portio obtigerit, quod in ſequentibus dicitur. Hebræi nonnulli, quos etiam Ephrem *Serm. de Joſepho* ſequitur, admirationem illam referunt ad fictitiam quandam augurationem Joſephi, quâ is ſumpto ſcypho ſuo, eóque percuſſo, ad ſingulos ejus tinnitus quemque ſuorum fratrum nomine ſuo tenus citaverit, & conſidere juſſerit. Putidiſsimam fabulam etiam Lyranus probat, nimiùm Rabbinicis fabulis incoctus. Alii ex Hebræis admirationem ex eo ortam putant, quòd Joſephum ſeorſum edere Ægyptii viderent. Quòd ſi enim Ægyptius eſſet, cum Ægyptiis: ſi Hebræus, cum Hebræis ipſi conveſcendum eſſe. Nunc igitur miratos eſſe, ex quo tandem populo natus eſſet, qui & ab Ægyptiis & Hebræis inter edendum ſe ſepararet. Probabilius eſt, cauſam hujus admirationis eſſe extraordinariam illam benevolentiam & lautiſsimam illam exceptionem, quam mirabantur ab homine Ægyptio adverſis Hebræis, tanta cum comitate, poſtquam antehac rigorem ejus abundè experti erant, exhiberi.

XXII. In ipſo tamen convivio fercula ſeorſim appoſita Joſepho, advenis Hebræis, & Ægyptiis, qui cum Joſepho comedere ſoliti. Additur ratio verſ. 32. כי לא יוכלון המצרים לאכל את העברים להם כי תועבה הוא למצרים *quia non poſſunt Ægyptii cum Hebræis comedere panem: quia illud abominatio eſt Ægyptiis.* Cur verò Ægyptii cum Hebræis communi victu uti non poterant? Cur iis abominatio fuit? Targum Onkeloſi rationem reddit, ארי בעירא דמצראי דחלין ליה עבראי אכלין *quia pecus quod Ægyptii colunt, Hebræi comedunt*. Sanè Hebræos ob paſtoritiam fuiſſe Ægyptiis exoſos, diſcimus ex cap. XLVI. 34. cujus rei rationem explanavimus tomo 1. Exercitat. 1. Sect. 32. Politicam ibi cauſam attulimus. Potuit & religioſa cauſa eos, quò minùs communi victu cum Hebræis uterentur, abſtinere, puta ſpecialia quædam in cibis parandis inſtituta, ob quæ Ægyptii Græcorum nec cultro nec olla utebantur, ut nos Herodotus docet. In Euterpe lib. 2. *Propterea*, inquit, *nemo Ægyptius Ægyptiáve Græci viri aut os ſuaviaretur, aut cultro vel veru vel olla uteretur, aut pura bovis carne Græco cultro inciſâ uteretur*. Accedere potuit & ea cauſa, quòd eodem Herodoto teſte, Ægyptii in ſacrificiis ſoliti ſunt fœminæ bovis Iſidi ſacræ mactatæ caput amputare, reliquo corpore excoriato, eique multa imprecari, & poſtea Græcis, ſi qui adeſſent, divendere, ſi verò Græci abeſſent, in profluentem abjicere. At Hebræi fœminas boves promiſcuè

immolabant, & ad ſacrificia vel victum parabant. Quia verò pro certo non conſtat, quæ Herodotus habet, tam antiqui moris fuiſſe, & eæ ipſæ abominationis cauſæ communes fuiſſent averſandi reliquarum etiam gentium, quæ æquè ac Hebræi promiſcuè animantia & diverſo ritu mactabant, ac præterea hoc loco cibos præparârunt non Hebræi ſed Ægyptii, quibus proinde neceſſe non fuiſſet in victu ſe ab Hebræis divellere: Idcirco politicæ illi cauſæ, quam loco citato ex Scaligero reddidi, donec aptior occurrat, inhæreo.

XXIII. Fuit & hoc convivio illi peculiare, quòd Joſephus ישא משאת מאת פניו אלהם ותרב כשאת בנימן ממשאות כלם חמש ידות *tulit portiones à conſpectu ſuo ad illos, & auxit portionem Benjaminis ſupra partes omnium quinque partibus* verſ. 34. Senſus eſt, Joſephum fercula, vel partes ferculorum à menſa ſua ad fratres miſiſſe, & Benjamini portionem quintuplo quàm reliquis fratribus majorem. His ex antiquo convivantium more lucem fœnerabimur. Nempe mos fuit antiquiſſimus, & pleriſque gentibus communis, ut & ciborum & poculentorum certæ partes ſeu portiones convivis ſingulis diſtribuerentur. Portiones hæ hoc loco vocantur משאות, quam vocem Græci μερίδας, Targum Onkeloſi חולקין reddunt. Alibi vocantur, נתחים, פתים, מנות Græci μοῖραι, μερισμοὶ, ἰδέαι quoque carnium particulæ. Umbrorum linguâ ſacrificiorum & epularum partes *ſtrobila* dictæ ſunt. Θετταλικὴ ἔνθεσις, *Theſſalica buccea* pro ingenti ponitur, Athenæo & Polluce teſtibus. Theſſali nempe in prægrandia fruſta carnes partiri ſolebant. Portiones hæ diſtribui ſolebant ſive à coquis ſive à patribusfamiliâs. Exempla occurrunt 1. Sam. 1. 4, 5. IX. 23, 24. nec non 2. Sam. VI. & 1. Paralip. XVI. alibique. Ad quem morem non malè refertur alluſio Chriſti Luc. X. 42. Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, *Maria bonam partem elegit*. Ex eodem more deductæ ſunt uſitatæ in Pſalmis phraſes, veluti Pſal. XVI. 5. יהוה מנת חלקי וכוסי *Domine ferculum partis meæ, & calicis mei.* Plutarchus Problem. lib. 2. prolixè ventilat hoc problema: πότερον οἱ παλαιοὶ βέλτιον ἐποίουν πρὸς μερίδας, ἢ οἱ νῦν ἐκ κοινοῦ δειπνοῦντες, *laudabiliúsne fecerint majores, certis portionibus, an recentiores communibus dapibus victitantes?* De eadem quæſtione ut & vetuſtis hiſce ritibus, vide virum in Antiquitatibus ſubactiſſimum *Antiq. Conviv.* lib. III. 3. Sed hoc inprimis ad rem etiam facit, quòd moris fuit olim, imò hodie etiam eſt, ut è Principum menſis fercula mittantur ad eos quibus favetur. Unde iis nomen *miſſuum*. Cyrus ſæpe lagenas ſemiplenas & anſeres ſemeſos miſiſſe ſcribitur, ut ſignificaret, de eo ſe miſiſſe, quo ipſe uteretur & maximè delectaretur. Curtius eques Romanus delitiis diffluens, cùm macrum turdum ſum-

Digitized by Google

ſumpſiſſet in convivio Auguſti, interrogavit an mittere liceret? Reſpondit Princeps: *Quidni liceat?* Ille per feneſtram ſtatim miſit. Narrat Macrobius in exemplum patientiæ Auguſti *Saturnal.* lib. II. 4. Athenæus lib. I. Εἰσὶ δὲ καὶ ἀρίστοις κατὰ δεῖπνα τιμαί, *ſunt etiam optimatibus in cœnis honores.* Quales fuerint illi honores, ſtatim ſubjungit. Nam & Tydides carnibus & pluribus poculis honoratur, & Ajax νώτοισι διηνεκέεσσι γεραίρεται, *longis decoratur tergoribus.* Ex quibus obiter delibatis Joſephi factum abundè intelligi poteſt.

XXIV. Convivii illius maximam per accumbentium & largiter ſe invitantium lætitiam exacti cataſtrophe non æquè læta fuit. Nova enim eáque vehementiſſima tentatione fratrum invadit animos, dato in mandatis œconomo, ut fratrum quidem ſaccos cibis & pecuniis, Benjaminis verò ipſius Joſephi ſcypho argenteo & pecuniis impleret, atque ſic eos dimitteret. Verùm dimiſſos & aliquousque jam progreſſos inſectari jubet œconomum, & deprehenſos in hæc verba affari: *Quare reddidiſtis malum pro bono?* הלוא זה אשר ישתה אדני בו והוא נחש ינחש בו הרעתם אשר עשיתם *Nonne ille eſt, in quo bibit dominus meus? Iſte inquam in quo augurari ſolet. Malè feciſtis quod feciſtis* cap. XLIV. 5. Addit verſio Samaritana: הוא נסי ינסה בה *& ipſe tentando in eo* (nempe ſcypho) *tentat.* Unde Druſius è Scholiis Græcis profert: Τὸ Σαμαρειτικὸν, καὶ αὐτὸς πειρασμῷ πειράζει ἐν αὐτῷ. Samaritanus: *Et ipſe tentando in eo tentat.* Aliud Scholion: καὶ γὰρ ἔγνωτε, ὅτι πειρασμῷ πειράζεται ὅμοιος ἐμοί. *Nôſtis enim, eum mihi ſimilem tentando tentare.* Arabs etiam pro נחש ינחש habet והו אנא אמתחנכם בה *& ipſe tentavit vos per illum.* Sed Græci & Targum Onkeloſi de tentatione nihil omnino habent. Illi enim ſimpliciter reddunt: οἰωνισμῷ οἰωνίζεται *augurio auguratur.* Hic omnino Hebræorum verborum ſenſus eſt. Etſi enim augurando tentare & explorare fratres potuerit, tamen id propriè verba Hebræa non ſonant. Targum verò Onkeloſi reddit: והוא ברקא מברק ביה *& ipſe quærens quæſivit eum.* Eſt enim ברק *inquirere, inveſtigare, ſcrutari.* Senſum Interpretis ſic reddit Fagius: *diligentiſſimè quærit augures propter eum, quiſnam eum ſibi ſurripuerit.*

XXV. De Scypho hoc Joſephi nonnihil dicendum. In textu vocatur גביע הכסף *Scyphus argenteus.* LXX. Τὸ κόνδυ, quod poculi Attalici genus eſſe ait Athenæus. Vocem eſſe Perſicam teſtatur. Nicomachus in primo de Feſtis Ægyptiorum apud eundem Athenæum lib. 11. Qui Nicomachus etiam docet, tantæ capacitatis fuiſſe κόνδυ, ut caperet κοτύλας δέκα, *cotylas decem*, hoc eſt, uncias 90. libras $7\frac{1}{2}$. Quis credat Joſephum tam amplo cratere præbibiſſe fratribus? Aquila σκύφον reddit. Symmachus φιάλην.

Digitized by Google

Onkeloſus בליריא. Cæterùm de eo variæ ſunt ſententiæ tum Hebræorum, tum Chriſtianorum. Abenezra ſic exponit: הוא נסה אתכם בו לדעת אם אתם גנבים *Ipſe experiri vos eo calice voluit, an eſſetis fures.* Ita verbum נחש accipitur Geneſ. xxx. 26. Ad cujus mentem ita vertenda eſſent verba Hebræa: *Et ipſe experiendo expertus eſt*, ſeu, *probando probavit in eo* &c. Sequuntur eam interpretationem Pagninus & Tremelius. Poteſt autem ea interpretatio accommodari dupliciter, vel ita ut Abenezra accommodat: Hoc Scypho tentat, explorat, ſive experimentum capit dominus meus, num advenæ picatas habeant manus, & furaces ungulas. Vel hunc in modum: Tentat & explorat per hunc ſcyphum, quomodo in vino ſe gerant hoſpites, & proinde quo animo ſint ac indole. Sic Horatius:

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et tentare mero, quem perſpexiſſe laborent.

Nempe, uti adagium habet, *in vino veritas.* Et eſt apud Hebræos decantatum illud, quod tribuitur R. Eliezeri, בכיס בכוס בכעס, *in loculo, in poculo, in ira* cognoſcitur animus hominis. Hæc quidem interpretatio, fateor, tolleret à ſancto Viro omnem impietatis & profanæ augurationis ſuſpicionem. Verùm ex verſ. 15. ubi Joſephus ait, nôſſe utique fratres, quòd vir ipſi ſimilis divinando divinet, patet, omnino de vera divinatione & auguratione hic ſermonem eſſe. Vulgatus Interpres ſic reddit: *Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Nonnulla equidem hîc aſcititia videmus. Sed in eo convenit cum Vulgata ſententia, quòd Joſephus dicatur hîc Scypho ad magicas artes uſus. Eam ſententiam etiam ſequitur Calvinus, ajens, ſenſum eſſe, quòd ſcypho ad divinationes ad magicas artes uſus ſit: *quod tamen*, ſubjicit, *finxiſſe diximus augendæ invidiæ cauſâ.* In hac tamen ſimulatione graviter eum peccâſſe putat, eò quòd auguria illi profiteri, & cœleſtis gloriæ laudem ad dæmonia transferre, adde & magum ſe pro Dei propheta jactando, Spiritûs S. donum impiè profanare, nefas fuerit. Quam aſſertionem Nicolaus Abramus Lojolæ Socius *de mendacio & veritate* lib. III. 23. graviter perſtringit, Calvini *tribus Anticyris caput inſanabile* traducens. Sed ex ipſa Vulgata verſione Papiſtis authentica, alium ſenſum vix elicias. Ea enim ſi recipitur, neceſſariò ſtatuendum, Joſephum, quem œconomus dicebat in Scypho augurari, profeſſum eſſe augurium. Neque enim œconomus hoc de ſuo dixit, quia ei, quid dicendum ſit fratribus, ipſemet dictavit. Imò etiamſi de ſuo dixiſſet, inde ſaltem conficeretur, non ſatis profanis auguriis ſe Joſephum oppoſuiſſe, utpote qui inter augures adhuc reputari ſolitus fuerit. Quæ ſi juxta Vulgatam

Digitized by Google

tam interpretationem vera ſunt, Calvinus utique ſuctus Scapham dicere Scapham, & ad rectam lineam ac legis divinæ normam actiones hominum etiam ſanctorum revocare, dixit quod res eſt. Quanquam ita aſſertionem ſuam temperat, ut dicat, Joſephum modis omnibus quoad poterat, initio conatum eſſe ſuum aſſerere Deo honorem, ac minimè per eum ſtetiſſe, quin totum Ægypti regnum cognoſceret, illum non magicis artibus ſed cœleſti dono excellere tanta ſolertia. Verùm quia magorum præſtigiis aſſueti erant Ægyptii, prævaluiſſe vetuſtum errorem, ut Joſephum alium eſſe crederent. Quòd ſi in Vulgata verſione tam facilem & expeditam viam purgandi Joſephi eſſe putavit Abramus, cur ipſe ei non inhæſit? Cur reſiliit ad textum principem & LXX. Seniorum? Falluntur igitur etiam illi, qui exiſtimant, Ægyptios Joſephum, quem videbant artis divinandi gnarum, putâſſe augurem, qui ad auguria ſua ſcypho tanquam inſtrumento uſus fuerit, eò quòd modus ille apud Ægyptios eſſet receptus. Quomodo Julius Serenus de Fato lib. IX. cap. 18. docet, Aſſyrios, Chaldæos & Ægyptios pelves aquis replere ſolitos, in quibus argenteas laminas, lapideſque pretioſos certis characteribus ſignatos ponebant, & verbis quibuſdam pronuntiatis dæmonem advocabant, qui voce inſtar ſibili edita reſponſa reddebat. Quo augurio Andronicus ſucceſſorem ſuum cognoſcere avebat, apud Nicetam Choniatem lib. II. Quin & ſpecies quædam erat κατοπτρομαντείας, quæ in aqua & cyatho fiebat, uti ad Spartiani Julianum annotat Caſaubonus. Ubi etiam meritò traducit magicum factum Hilarionis Monachi, de quo teſtatur Menologium Græcorum, *juſſiſſe aquâ impleri teſtaceum vaſculum, in quo bibebat, & poni in manus cujuſdam Italici, qui in aquâ purè aſpexit ſtabulum, equos & aurigas ſuos ligatos præſtigiis adverſariorum.* Quâ poſtea aquâ cùm equos ligatos aſperſiſſet, additâ crucis figurâ, ab eo tempore victoriam ad Italicum tranſiiſſe. Hoc videlicet miraculum ille in Chriſti nomine patravit. Sed miſſo Hilarione, ejuſmodi κατοπτρομαντείαν minimè præ ſe tulit Joſephus. Neque enim hoc ex textu evincitur, nec cum pietate Joſephi convenit. Addo in vaſis quidem pellucidis ejuſmodi divinationem fieri ſolitam, non item in poculis argenteis non pellucidis. Doctiſſimus Urſinus *Analect. S. lib.* VI. 30. putat indicari ab œconomo Joſephi genus quoddam ſortis divinatoriæ licitæ, poculi ſubſidio adminiſtratæ. Verum equidem eſt, memorari apud authores ſortem projectam in urnam, ſitulam, hydriam, galeam. Sed in ſcyphum etiam conjici ſolitam, neſcio an ex Pſal. XVI. 5. Proverb. XVI. 33. ſolidè probetur. Quòd ſi tamen apud Hebræos uſus ille ſortiendi obtinuit, ambigo an de Ægyptiis probari id ipſum quoque poſſit. Hugo Grotius

denique putat, Joſephum ſe ſacrificiis præparâſſe ad præſagia. Porro in ſacrificiis olim fuiſſe uſum phialæ, probat ex Scholiaſte ad Ariſtophanis Veſpas, aliiſque exoticis. Sed incerta ſunt omnia: Joſephum ſe ſacrificiis præparâſſe ad præſagia, vel in ipſis ſacrificiis phialis uſum. Neque puto cum ratione conſentaneum, ut eodem calice Joſephus & in quotidiano potu & in religioſis ſacrificiis uteretur.

XXVI. Rem totam commodè expediri poſſe puto, ſi בו poſitum dicamus pro בגינו uti etiam inter Hebræos cenſent R. Jona & Bechai, teſte Abenezrâ. Quanquam R. Jona, Kimchii, Bechai ſenſum minimè amplector, quòd Joſephus propter ſcyphum conſuluiſſe dicatur augures: ſed ſenſum hunc eſſe putamus: *Nonne ſcyphus ille eſt, ex quo bibit dominus meus? Nonne augurando augurabitur* vel *auguratur de eo*, nempe furto ab hoc vel illo ablato? Perinde ac ſi diceret œconomus ille: Nolo vos ignorare ipſum eſſe Joſephum herum meum, qui augurii ſive hariolandi ſcientiâ, quâ pollet, vos eſſe, qui furto calicem abſtuliſtis, divinârit. Nempe fama vulgaverat, ipſum inſignem eſſe ſomniorum conjectorem, & artis divinandi maximè gnarum. Quod ipſum etiam ex nomine Ægyptiaco ipſi impoſito à Pharaone ſatis conſtare poterat. Quam interpretationem vehementer confirmant verba Joſephi verſ. 15. *Cur ſic agere voluiſtis?* הלא ידעתם כי נחש ינחש איש אשר כמני *annon nôſtis, quòd divinando divinet vir qui eſt ſimilis mei?* Hoc eſt: An ignoratis virum talem, qualis ego ſum, augurandi habere ſcientiam, certóque conjicere & cognoſcere, vos ipſos eſſe, qui calicem ſurripuiſtis? Sanè ſi Scyphus ille fuiſſet augurationis inſtrumentum, hoc potiſſimùm fratribus objeciſſet Joſephus. Et unde fratribus conſtare poterat, Scyphum eum auguralem eſſe? Liquet ſanè, ineptè hoc œconomum fratribus objecturum fuiſſe. Neque obſtant verba נחש ינחש. Sicut enim vox Latina *augurandi* non ſemper pro vero & propriè dicto augurio, quod ex volatu, garritu, tripudio, ſoliſtimo ſeu paſtu veteres captabant, ſumitur, ſed de divinatione quavis etiam licita: ita vox Hebræa נחש μέσος quoque eſt, & quamvis divinationem, imò & ſagax experimentum denotat. Vide Geneſ. xxx. 26. 1. Reg. xx. 13. Unde etiam ſerpentes propter naturalem quandam aſtutiam dicuntur נחשים. Hîc autem pro immiſſis divinitus præſagiis accipitur. Quòd verò futurum adhibuit œconomus, δυνητικῶς explicandum eſt hoc ſenſu: *poteſt, ſolet* augurari. Quin & futurum in Hebraico ſermone non rarò pro præterito uſurpatur. Quòd verò hæc omnia ſimulata ſunt à Joſepho & œconomo, factum eſt denuo non illudendi fratribus, ſed eos explorandi, quomodo tum erga patrem tum erga Benjaminem affecti ſint, animo.

XXVII. Por-

Digitized by Google

XXVII. Porro fratres bonæ conſcientiæ fiduciâ œconomo intrepidè excuſant facinus, & quamvis pœnam ſubire parati ſunt, ſi deprehenſum apud eos fuerit furtum, denique reum noxæ & ſervituti perpetuæ dedendum offerunt. Cumque vaſa eorum ſcrutatus œconomus, in Benjaminis ſacco Scyphum deprehendiſſet, fratres re planè improvisâ attoniti, ſciſſis quisque veſtimentis, vix ferentes magnitudinem doloris, revertuntur ad Joſephum. Ubi ventum eſt in Joſephi conſpectum, Juda communi fratrum nomine noxam fatetur, non quòd penitus agnoſceret objectum ſcelus, ſed quia ſentirent nihil ſe excuſando proficere. Joſephus igitur ſontem Benjaminem ſibi mancupio & nexu dedi poſtulat. Qua re inprimis perculſus Judas, qui pro eo parenti fidejuſſerat, longam & patheticam ad Joſephum pro dimiſſione Benjaminis orationem habet, quæ inde à verſ. 18. cap. XLIV. ad finem usque extenditur. Luculentam ejus orationis paraphraſin legere eſt tum apud Philonem, tum apud Joſephum hiſtoricum. Duo autem potiſſimùm fuerunt ejus capita. Primò enim præfatâ dicendi veniâ, oſtendit, quantam triſtitiam patri ſuo id allaturum ſit, ſi reverſi fuerint absque Benjamine. Poſterius, quòd ejus reducendi ſponſione privatim ſe obſtrinxerit. Unde quò fratrem liberet, ipſemet ſe vadem opponit.

XXVIII. Tandem igitur vis fraterni amoris, quem ſub duro & auſtero vultu hactenus ſuppreſſerat, maximo impetu ſe profundit. Auditâ quippe Judæ oratione, ſemotis arbitris omnibus, & erumpens in lachrymas uberrimas, fratribus ſuis ſe levato velo patefacit paucis hiſce, cùm dolor initiò plura non permitteret, verbis: אני יוסף העוד אבי חי *Ego Joſeph ſum. Adhucne vivit pater meus* cap. XLV. 3? Quibus verbis attonitos & patrati antehac ſceleris conſcientiâ trepidantes, & noviſſima quæque metuentes, ipſemet conſolabatur & erigit eo potiſſimùm argumento, quòd ipſius Dei nutu & imperio factum ſit, ut in Ægyptum ipſe deportaretur, quò ſuis omnibus poſt Deum author vitæ & ſoſpitator exiſteret: למחיה שלחני אלהים לפניכם *propter vitam miſit me Deus ante vos,* inquit v. 5. Targum Onkeloſi: ארי לקימא שלחני יי לקדמיכון *propter ſuſtentationem veſtram miſit me Dominus ante vos.* Pro למחיה Aquila habet *εἰς ζώωσιν, ad vivificationem.* Eſt autem *vivificare* ſæpius in vita conſervare. Sumitur etiam pro *ſervare* ſimpliciter, nempe ut vita quandoq; ſumitur pro vita jucunda & malorum experte. Eundem pœne in ſenſum ſubjicit Joſephus verſ. 8. לא אתם שלחתם אתי הנה כי האלהים לאב לפרעה *Non vos miſtis me huc, ſed Deus, qui & poſuit me in patrem Pharaoni, & in dominum univerſæ familiæ ejus, & dominatorem in tota terra Ægypti.* Quibus verbis non tam fratres eximit ab omni culpa, quàm

quàm ſapientiſſimam Dei providentiam extollit, cui felicem ærumnarum ſuarum eventum ita aſcribit, ut ſimul fratrum animos tanta in perturbatione demulceat, eorumque timorem & ſolicitudinem ſublevet. Ita cùm dicit: *Non vos miſiſtis me huc, ſed Deus*; non abſolutè id intelligendum eſt, quaſi nullo modo fratres in ejus venditione peccâſſent: ſed ita, ut ſtatuatur indicare, ſe non ſubſiſtere in hoc eorum facto, ſed altiùs ſcandere, quia ex ſucceſſu videbat cauſam aliam ſuperiorem omnia moderantem & ad fines ſuos dirigentem. Aliâs ſuæ calamitatis, quam antehac perpeſſus fuerat, culpàm in ipſos etiam fratres conjicit Geneſ. L. 20. *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret ſicut in die hoc, conſervando in vita populum multum.* Ex quibus Joſephi dictis verè ſapientiſſimis Calvinus concludit, inane eſſe illud Scholaſticorum commentum, quòd Dei tantùm permiſſu, non conſilio vel voluntate mala eveniant, quæ ipſe poſtea in bonum finem convertit. Ita Suarez *lib. de concurſu Dei* negat, venditionem Joſephi aut aliquem ejus effectum eſſe à Deo præfinitum ante præſcientiam futuri liberè peccati fratrum Joſephi, contenditque Deum ex præſcientia peccati illius prævisi, ſumpſiſſe occaſionem exaltandi Joſephi, & tunc principatum ejus præfiniviſſe & præordinâſſe. Vult nempe cum Præſcientiſtarum ſecta, Deum ante ullum voluntatis ſuæ decretum ex altitudine ſuæ ſcientiæ penetrare & præſcire, quid cauſa libera in tali vel tali caſu ſive boni ſive mali ſit factura, ac poſt illam præſcientiam demum decernere ac definire, quid ipſe fieri velit. Quas aſſertiones ut abſurdiſſimas fusè perſtringit atque refellit Cl. Rivetus Exercit. 168. in Geneſin. Et ſanè cùm venditio ab Iſraëlitis facta fuerit & ipſa peccatum, non potuit peccatum prævideri ſine ea actione, in qua peccatum futurum erat. Tum ſi venditio Joſephi, & quæ eam conſecuta ſunt, fuerunt media ad ejus exaltationem, utique Deus ſapientiſſimus ante prævisionem & decretum mediorum in decreto ſuo finem, ad quem media ea aurigabantur, determinavit. Id ſi verum eſt, determinavit & decrevit etiam media ad exaltationem Joſephi deducentia. Quòd ſi vera eſt ea adverſariorum ſententia, perperam dixiſſet Joſephus: *Non vos me huc miſiſtis, ſed Deus.* Dicere enim debuiſſet: *Non Deus me huc miſit, ſed vos.* Peccatum enim fuiſſet cauſa impellens divinum de exaltatione Joſephi decretum & præfinitionem. *Fixa igitur maneat ſententia hæc*, inquit Calvinus, *dum exultat hominum libido, & ſe intemperanter jactat huc vel illuc, Deum præeſſe, & arcano fræno eorum motus dirigere, quocunque viſum eſt. Simul tamen hoc quoque tenendum eſt, diſtinctè agere Deum, ut nihil in ejus providentia vitii hæreat, nihil ejus decreta affine habeant vitiis homi-*

hominum. Quòd porrò Joſephus ſe ait datum לאב לפרעה *in patrem Pharaoni*, non deſunt, qui אב capiunt pro מורה *inſtructore, doctore.* Ita Abenezra. At Jarchius חבר ופטרון *amicum & interpretem* notari putat. Zwinglius *curatorem & ſoſpitatorem.* Hoc vult Joſephus, eam ſe apud Pharaonem habere dignationem, ut inſcio ac inconſulto nihil quidquam ipſe attentet, planè ut patris apud eum vice defungi videri poſſit.

XXIX. Deinceps fratres cum mandatis & muneribus áblegat ad parentem ſenem. In mandatis nempe ipſis dedit, uti parentem ad ſe in Ægyptum, & quidem in vicinam terram Goſen invitarent, quò ipſe cum univerſa familia ejus reliquos famis graſſantis annos quinque commodè ibi tranſigat. Ne verò cauſari pater poſſet, forte Joſephum non eſſe virum illum, indicium novum præbet verſ. 12. *Et ecce oculi veſtri vident; oculi quoque fratris mei Benjaminis,* כי פי המדבר אליכם *quòd os meum loquitur ad vos,* nempe ſermone vobis noto & peculiari, Hebraico. Ita rectè ſupplet Jarchius. Sed quod de circumciſione idem inſinuat, frivolum & putidum eſt. Jubet etiam annuntiari parenti כל כבודי *omnem gloriam ſuam*, & quæcunque ipſi viderant in Ægypto. Quare non tam ſe ſuamque potentiam jactat, quàm patrem ſenem cunctaturum forte animat, ut poſthabitâ morâ omni in Ægyptum ſe conferat.

XXX. Munera quoque Joſephus digreſſuris fratribus diſpertitur. Præter currum enim & צדה ἐπισιτισμὸν *commeatum* in iter dedit ſingulis חלפות שמלות *mutatorias veſtes*: At Benjamini שלש מאות כסף וחמש חלפת שמלת *trecentos argenteos & quinque mutatorias veſtes* verſ. 21, 22. Pro חלפת שמלת quas ſingulis fratribus dono dat Joſephus, LXX Seniores habent δισσὰς στολὰς *binas ſtolas.* Ita etiam Vulgatus. Onkeloſus אצטלון *ſtolas.* Intelliguntur veſtimenta pretioſa, nuptialia ad hoc facta, ut permutentur cum iis quæ in quotidiano uſu erant. Vide Judic. XIV. 12. 19. Homerus 8. Odyſſ. vocat ἵματα ἐξάμειβα, *veſtimenta permutatoria.* Siclos porro argenteos trecentos Græci Seniores converterunt denuo in τριακοσίους χρυσοῦς *trecentos aureos.* Sicut etiam factum cap. XXXVII. 28. Ubi gloſſema illud de induſtria oppugnavimus. Sed & patri miſit decem aſinos ferentes מטוב מצרים *de optimis* quibuſque rebus *Ægypti:* nec non totidem aſinos ferentes frumentum, panem & eſcam לדרך *pro itinere.* Sed quorſum, inquias, attinuit pecuniâ & veſtibus onerare eos, qui mox redituri erant? Nempe patrem ſuum & fratrum uxores reſpexit, ne moleſtum iis eſſet terram Canaan relinquere. Vix enim fratribus apud ſuos fidem habitum iri rebatur, niſi manifeſta ſymbola palam geſtarent. Deinde fratribus etiam magis atque magis teſtatum facere ſuum amorem voluit.

Digitized by Google

XXXI. Sic fratres ſuos Joſephus dimiſit cum mandato hoc ἀπολυτικῷ: אל תרגזו בדרך *ne tumultuemini in via* verſ. 24. Græci: Μὴ ὀργίζεσθε ἐν τῇ ὁδῷ, *ne iraſcamini in via*. Ita etiam Vulgatus. Cæterùm cùm רגש notet *tumultuari*, non tam iram ipſis prohibet, quàm ejus pediſſequas, jurgia, rixas, contentiones, quæ iram ſequuntur. Ita Targum Onkeloſi: לא תתנצון *ne rixemini* in via. Neque aliter Syrus & Arabs. Jonathan etiam & Jarchius addunt, prohibere Joſephum rixas & jurgia ob venditum fratrem, dum alii in alios culpam rejicere poterant.

XXXII. Poſtquam Jacobus à filiis reducibus ſuperſtitis & regnantis in Ægypto Joſephi nuntium accepit יפג לבו כי לא האמין להם *diſſolutum fuit cor ejus, quia non crediderat eis* verſ. 26. Græci: ἐξέστη τῇ διανοίᾳ Ἰακώβ, *obſtupuit mente Jacobus*. Quaſi videlicet audito hoc nuntio ſuffocatum fuiſſet cor ejus, & velut ecſtatico ſtupore correptum. Vulgatus: *Quaſi de gravi ſomno evigilans tamen non credebat eis*. Quæ procul à fonte & ſenſu recedunt. Quidam ex Hebræis exponunt verbum פוג per נחלף *immutatum eſt*. Kimchius רפה & הלש *diſſolutum eſt atque elanguit* cor illius. Arabs: ושכך קלב *& hæſitavit cor ejus, nec fidem præbuit eis.* Id ſanè ſenſum commodum exprimit. Si tamen verbum פוג notione *diſſolvendi* & velut *exanimandi* accipere quis, adeóque ſequentibus verbis ותחי רוח *& revixit ſpiritus* Jacobi, opponere malit, non admodum repugnem. Sic enim fuerit in Jacobo quædam affectuum colluctantium mixtura, ita ut inter ſpem & metum ſuſpenſus & conſtrictus, ad memoriam filii dolore renovato, animi deliquium paſſus ſit. Quod fieri ſolet in magnis ſubitiſque animi perturbationibus. Qui autem ita ſtupeſit, non illico quod dicitur, credit, donec ad ſe redeat, & argumenta fidem facientia expendat. Ubi verò collecto animo non modò verba & per circumſtantias narrari omnia audiret, ſed etiam rerum argumenta coram intueretur, plauſtra videlicet illa ſplendida & magnificentiæ regali congrua, quæ Joſephus ei miſerat, tum demum תחי רוח *revixit ſpiritus* ejus. Qui nempe primò tanquam exanimis obtorpuerat, nunc ad ſe redit. Onkeloſus: ושרת רוח קדשא *& requievit Spiritus S. ſuper Jacob patrem ſuum*. Jarchius: שרתה עליו שכינה *requievit ſuper eo divinitas*. Jonathan, *ſpiritus prophetiæ*. Volunt nempe Hebræi, Jacobum ex eo tempore, quo ob amiſſum filium cœpit triſtari & dolere, ſpiritu prophetico haud afflatum amplius eſſe. Cauſam hanc aſſignant, quod Spiritus S. non agat in hominibus triſtibus, dolentibus & ignavis, ſed in alacribus duntaxat, ſtrenuis & expeditis. Unde hæc vulgò apud illos jactata ſententia: רוח הקדש אינו שורה אלא מתוך שמחה *Spiritus S. non quieſcit niſi ſuper hominem alacrem*. Eandem ob cauſam ajunt, omnes propemodum

modum Prophetas fuiſſe juvenes, eò quòd juvenes ad res gerendas ſint prompti, alacres, hilares, ſenes contra plerumque difficiles, moroſi, pigri & ignavi. Sed hæc Judaica ſunt, hoc eſt, dicuntur, at non probantur. Nos potiùs cum Salvatore noſtro dicimus, ſicut ventus, ita etiam Spiritum Dei flare ubi vult Joh. III. 8. Moſes etiam & Aaron in ſenectute ſua, octogeſimum ætatis annum ſupergreſſi, prophetici ſpiritûs afflatum ſenſerunt. Neque etiam verum, toto illo tempore Jacobum ſpiritu prophetico in rebus ad Dei cultum neceſſariis caruiſſe. Simplex igitur ſenſus eſt, Jacobum audito nuntio ſuperſtitis Joſephi, poſtquam ei de eo fides facta eſſet, excitatum admodum & ſingulari lætitiâ affectum eſſe, ita ut ei accideret, quod exhilaratis tribuit Regius Vates Pſal. CXXVI. I. *Tunc impletum eſt riſu os noſtrum, & lingua noſtra cantu* &c. Amorem porro ſuum erga Joſephum non elanguiſſe temporis ſpatio oſtendit, quòd non aliud vivendi pretium ſibi ſtatuit, quàm ut frui liceret ejus conſpectu. Sic enim ait: רב עוד יוסף בני חי אלכה ואראנו בטרם אמות *ſufficit, adhuc Joſeph filius meus vivit: Ibo & videbo eum, antequam moriar.* verſ. 28. Sic qui priùs ſibi continuum indixerat mœrorem uſque ad ſepulchrum, nunc lætam ſibi fore mortem pronuntiat.

XXXIII. Sic Jacobus univerſa cum familia colonias migravit in Ægyptum ad Joſephum. De qua ejus migratione, ut & iis quæ in Ægypto ei acciderunt, denique ipſa etiam ejus morte & moribundi vaticiniis, proximis in diatribis acturi ſumus. Poſt mortem verò ejus fratres malè ſibi conſcii ſingulari anxietate torquentur, ne patre non amplius ſuperſtite Joſephus vindictam illatæ ſibi injuriæ repoſceret. Ita ipſi antehac ſævi & implacabiles ſuo ipſum ingenio æſtimant. Cumque ipſos puduerit ad Joſephum verba facere, pacis interpretes, domeſticos forte teſtes ex ſervorum numero ſubornant, qui patris in agone conſtituti mandata ad ipſum, condonet videlicet fratribus offenſam bona fide, ferrent. Quin & ipſi fratres genubus ejus advoluti ſponte ſervitutem promittunt. Et interpretum quidem ſermonem amaro fletu, fratrum verò ſupplicationem ſequentibus excepit verbis: אל תיראו כי התחת אלהים אני *Ne timeatis, nam loco Dei ſum ego?* Geneſ. L. 19. Verba illa Hebræa ita Vatablus, ſed alii aliter reddunt. Septuaginta abſque interpretatione ſic: Τοῦ γὰρ Θεοῦ εἰμι ἐγώ, *Dei enim ſum ego.* At Targum Onkeloſi: *Ne timeatis* ארי דחלא דיי אנא *quoniam ego timens Dei.* Unde codices Samaritanos vetuſtiores prò התחת legiſſe התחת pronuntiat Grotius. Quomodo etiam Scholiaſtæ Græci vertant: γὰρ καὶ φοβούμενος Θεόν εἰμι ἐγώ, *nam etiam timens Dei ſum ego.* Poterat addere Arabem, qui ſic etiam exponit: אני אכאף אללה *ego timeo Deum.* Verùm ſine

ulla ratione originalis lectio in dubium revocatur. Ubi enim Scriptura timentem Dei vocat התחת? Qui Samaritani codices eam lectionem habent? Cur Græci Chaldæo antiquiores non eundem ſenſum reddunt? Præterea paraphraſtæ Chaldæi verba ex Hebræa lectione peti potuerunt. Quia enim Joſephus ſub Deo, adeóque Deo ſubjectum ejusque proinde timentem ſe profeſſus fuerat, hunc ſenſum exprimere ei placuit. Inprimis cùm ante etiam ipſis proſternatis dixerit: *Ego Deum timeo.* Cùm porro alii aliter hæc verba reddunt, ego ſenſum eum præfero, quem eadem verba habent Geneſ.xxx.2. ubi Jacobus dixerat: התחת אלהים אנכי *numquid Dei vice ego ſum?* Eodem hic modo fratres affatur: *Num loco, vice Dei ego ſum?* q.d. Quod factum eſt, Dei conſilio & providentiâ contigit. Num ego; quaſi alius quidam Deus eſſem, ei me opponam, & in veſtram perniciem convertam, quod ille in ſalutem ordinavit? Quocum ſenſu pulchrè cohærent verba ſequentia: *Vos quidem cogitâſtis adverſum me mala: Deus autem cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret ſecundum diem hanc, ut vivificaret populum multum.* verſ. 20.

XXXIV. Poſthac autem Joſephus in Ægypto habitavit non ſeorſim, ſed conjunctim cum domo patris ſui, adeóque fratribus, qui ſuperſtites adhuc agitaverant. Unde proclive conjectu eſt, paulatim eum aulicis valedixiſſe opibus, ſentientem videlicet, nihil magis ſibi conducere, quàm ut vileſceret coram mundo, & ſe terrenæ dignitatis illecebris à Dei regno non ſepararet. Spreverat quidem etiam antehac fortunæ ſuæ blandimenta, quæ ejus in Ægypto mentem occupare poterant. At nunc ulterius progreſſus depoſito honore ignobilem ad ſtatum deſcendit, filiosque ſuos à ſpe ſucceſſionis, quam animo concipere poterant, ablactat. Sic per annos ſexaginta huc tantùm omnia ſtudia ſua impendit, ut ſe ſuosque in ordinem cogeret, ne ſua eos magnitudo à tenui grege Domini arceret: ſerpentes videlicet imitatus, qui exuvias ſuas abjiciunt, ut vetuſtate exuti novum vigorem colligant. Vidit ſanè Ephraimo filio ſuo בני שלשים *filios tertiorum* verſ. 23. hoc eſt, *παιδία ἕως τρίτης γενεᾶς filios ad tertiam uſque generationem*, uti ſeptuaginta exponunt, vel potiùs filios ex tertia Ephraimi generatione natos. Sed & nepotes ejus filii Machir, filii Manaſſis ילדו על ברכי יוסף *nati ſunt ſuper femora Joſephi.* Pro quo Targum Onkeloſi habet: אתילידו ורבי יוסף *nati ſunt, & quos educavit Joſephus.* Neque aliter Jarchius: כתרגומו גדלו בין ירכיו *ſecundum Targum: educati ſunt inter femora ejus.* Cùm igitur ſingulari benedictione divina favente viderit abnepotes, cur non una cum iis creſcit ſolicitudo, ut illis proſpiciat? Ita nempe nulla vel nobilitas vel opulentia tanti ipſi erat, quin mallet paſtoritiæ vitæ

addictus

addictus contemni ab Ægyptiis, & in Iſraëlis familia inter fratres cenſeri.

XXXV. Tandem cùm noviſſima inſtare cerneret, advocatis ad ſe fratribus, iis nimirum, qui ſupererant adhuc, hunc in modum verba facit: *Ecce ego morior. Deus autem viſitando viſitabit vos, & aſcendere faciet vos è terra in terram, quam juravit Abrahamo, Iſaaco & Jacobo.* Quibus verbis ſimul afflictiones ipſi imminentes ipſis prædicit: ſimul eos certa ſpe redemtionis ſolatur & erigit. Unde autem illi hæc vel præſcientia futurorum malorum, vel certitudo tanta, ut futuræ redemtionis teſtis ſit ac ſponſor? Nempe à patre ſic edoctus fuerat. Ipſi enim vel Deum apparuiſſe, vel oraculum divinum aliquod obtigiſſe non conſtat. Sed quia certò perſuaſus erat, Jacobum Prophetam & Doctorem divinitus fuiſſe creatum, qui fœdus ſalutis apud ſe depoſitum ad filios transmitteret, non minùs ſecurè in ejus teſtimonium recumbit, quàm ſi oblata fuiſſet aliqua viſio, vel Angelos è Cœlo delapſos vidiſſet. Porro fratres ſuos adjurat, ut ex Ægypto aſcenſuri in terram Canaan, ipſi quoque oſſa ejus eodem deportarent. Intelligebat nempe, poſt obitum ſuum non eam fore ſuorum apud Ægyptios gratiam & authoritatem, ut funus, quemadmodum ipſe patri ſuo fecerat, extra regnum deducere poſſent. Rem igitur totam uſque ad ſolennem & univerſalem egreſſum jubet differri. Quam porro ob cauſam geſtiverit in terra Canaan ſepeliri, exponimus in ſequentibus, ubi Jacobi ſimile deſiderium occurrat. Atque ſic Joſephus natus annos centum & decem, piè in Domino Salvatore ſuo obdormivit, & aromatibus conditus poſitus eſt בארון *in arca*, in Ægypto, nempe ut ibi expectaret tempus migrationis populi ſui.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXI.

DE

METOIKEΣIA ſeu MIGRATIONE

JACOBI & PATRIARCHARUM IN ÆGYPTUM.

Breviarium.

Jacobi migrationis in Ægyptum cauſæ. Sacrificia Beerſebæ quas ob cauſas Deo patris ſui Iſaaci obtulerit? Sacrificia Patriarcharum non theatrica fuere ſpectacula, ſed ſigna ſacra cum verbo inſtitutionis juncta. 1. *Oraculum divinum ibidem per ſomnum ipſi redditum, ejusque partes explicatæ. Quo ſenſu promiſerit ei Deus reditum in terram Canaan? Jarchius & Abenezra notati. Ritus antiquiſſimus claudendi oculos morituris.* 2. *Continuatum Jacobi in Ægyptum iter. Quo ſenſu filias cum Jacobo in Ægyptum traductas Moſes memoret? Futilis aſſertio R. Jehuda bar Iſhai perſtringitur.* 3. *Cenſus eorum, qui cum Jacobo in Ægyptum migrârunt, quam ob rationem initus? Difficultates variæ circa cenſum & numerum perſonarum cum Jacobo migrantium enodantur. Numerus triginta trium filiorum & nepotum, qui Jacobo ex Lea prognati dicuntur diſcutitur, & variæ de eo Hebræorum aſſertiones examinantur.* 4. *Numerus ſexaginta ſex animarum, quæ de femore Jacobi egreſſæ dicuntur, explicatur.* 5. *Numerus ſeptuaginta animarum Ægyptum ingreſſarum ventilatur. Quo ſenſu Joſephi filii ingreſſi Ægyptum dici potuerint? necnon Heſron & Hamul, & filii Benjaminis nondum nati? Variæ de eo obſervationes. Tarnovii explicatio laudata.* 6. *Græcorum Interpretum ſeptuaginta animabus à Moſe enumeratis quinque alias, Joſephi nepotes & abnepotes annumerantium*

Digitized by Google

rantium error convellitur. 7. *Stephanus ſive Lucas ſeptuaginta quinque animas numerans cum Moſe conciliatus. Lectionis Lucæ* γνησιότης *probata adverſus Bertramum & Capellum.* 8. *Epiphanii ſententia de* 75. *animabus Lucæ probata. Triplex numerandæ familiæ Jacobi ordo à Moſe obſervatus.* 9. *Judas præmittitur ad Joſephum. Explicantur verba verſ.* 28. להורת לפניו גשנה. 10. *Joſephus Jacobo it obviam. Verba* יפל על צואריו *ad Joſephum an Jacobum ſint referenda?* 11. *Joſephi conſilium, ut Jacobus ac fratres coram Rege ſe pecuarios profiteantur, defenditur. Rationes, ob quas terram Goſen paternæ familiæ Joſephus procuraverit.* 12. *Fratres Joſephi in conſpectum Pharaonis adducti. Quid* מקצה אחיו? 13. *Jacobus in ejusdem conſpectum prodit. Benedictio ejus prophetica.* 14. *Jacobi & Pharaonis colloquium. Jacobi de peregrinatione ac ærumnis ſuis querela qualis?* 15. *Terra Rameſſes quo ſenſu Jacobo data* לאחזה? *Vita Jacobi in terra Goſen transacta.* 16.

I. JACOBUS nuntio gratiſſimo Joſephi ſuperſtitis ſibi redditus, & à filio in Ægyptum vocatus variis cum pollicitationibus, tum charitate filii, quem in deliciis maximóque pretio ſemper habuit, tum annonæ gravitate magis atque magis invaleſcente motus, cum univerſa familia ſua colonias migrat. Cumque Beerſebam, locum Abrahami & Iſaaci habitatione nobilem, veniſſet, deſerturus mox fines terræ Canaan, & Ægyptum intraturus ויזבח זבחים לאלהי אביו יצחק *ſacrificia obtulit Deo patris ſui Iſaaci* Geneſ. XLVI. 1. Id etſi aliâs frequenter homo religioni deditiſſimus factitaret, ſingularem tamen ob cauſam hoc loco & hac vice ad ſolitum ſibi inſtitutum redit, percontaturus nimirum divinum de adeunda Ægypto oraculum, ſimulque ſuæ in fide conſtantiæ ſignificationem editurus. Id docet ipſe eventus, oraculum divinum, poſt ſacrificium oblatum, ipſi redditum. Additum fuit nempe ſacrificiis verbum, quo memoriam renovans divini fœderis Deo patris ſui Iſaaci fidem ſuam, eandem nimirum quam etiam Iſaacus tenuit, confeſſus eſt, ſimulque ejus de Ægyptiaco itinere voluntatem exquiſivit. Non enim ſicut Ethnicorum poſt invectam ſuperſtitionem, ita etiam Sanctorum Patriarcharum ſacrificia muta fuerunt & theatrica ſpectacula, ſed ſigna potiùs ſacra, quibus verbum inſtitutionis jungebatur. Chryſoſtomo placet,

placet, Jacobum tum itineris longinquitate tum ſenectutis gravitate territum timuiſſe, ne medio in itinere non viſo prius filio ſuccumberet, adeóque nuncupâſſe εὐχὰς πρὸς τὸν δεσπότην, ἐπιμετρῆσαι αὐτῷ ζωὴν, ὥστε πλείας ἀπολαῦσαι ἡδονῆς, *vota domino ut prorogaret vitam, quò ſuæ* viſendi filii *cupiditati ſatisfacere poſſet.* Quod ipſum ſanè fieri potuit, cùm unius rei plures eſſe fines nihil prohibeat. Alias etiam cauſas Philo & Joſephus comminiſcuntur, quas commemorare nihil attinet.

II. Sacrificium hoc Jacobi Deo gratum odorem fuiſſe arguit, quòd mox illi anxio manum porrigit, & de integro ei fœdus ſuum ſancit. Statim enim ipſi locutus eſt במראת הלילה *in viſione noctis*, ut major videlicet oraculo majeſtas conſtaret. Oraculum his verbis concipitur: *Ego Deus, Deus patris tui: ne metuas deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam ponam te ibi. Ego deſcendam tecum in Ægyptum, & aſcendere faciam te etiam aſcendendo. Et Joſeph ponet manum ſuam ſuper oculos tuos* verſ. 3, 4. Tria complectitur oraculum. Primò fiduciam facit Deus adeundi Ægyptum, ſuumque comitatum & cuſtodiam promittit. Quia enim triſtis admodum erat deſcenſus in Ægyptum, bono alacrique animo eſſe jubet, ſimulque promittit, fore ut magnam in gentem ejus in Ægypto poſteritas excreſcat. Secundò promittit reditum in terram Canaan. In quo quidem cardine præcipua verſabatur conſolatio, quòd intelligeret Jacobus, fore ut non vagetur perpetuò diverſis in exiliis, ſed tandem ſperata hæreditate fruatur. Nam quia divini amoris, ſpiritualium bonorum & æternæ felicitatis ſymbolum erat poſſeſſio terræ Canaan, ſi ea fraudatus fuiſſet Jacobus, nihil juviſſet divitiis, omnique bonorum & opum genere in Ægypto cumulari. Reditus porro ille Jacobo promiſſus non tam de ejus perſona quàm poſteritate, quam in promiſſione tacitè etiam Deus complectitur, intelligi debet. Jacobus enim in Palæſtinam non rediit. Neque rediiſſe in Palæſtinam dici poteſt, quia eò funus ejus deportatum poſtliminio, uti hunc reditum malè interpretantur Jarchius & Abenezra, quia funus Jacobi non erat Jacobus. Itaque etiam R. Levi ben Gerſon explicat prophetiam de Jacobi poſteris. Tertiò & hoc prædicit Jacobo oraculum: fore nimirum, ut ipſi Joſephus ponat manum ſuam ſuper oculos, hoc eſt, ut ipſi ſit ſuperſtes, morituro adſit & ultimum officium præſtet. Antiquiſſimus nempe mos erat, ut morituro chariſſimus quisque clauderet oculos. Abenezra: כן מנהג החיים על המתים *hæc conſuetudo erat viventium ſuper mortuis.* Ejus moris apud Græcos etiam & Latinos veſtigia reperire eſt. Apud Virgilium Æneid. 9. mater Euryali queritur:

— *nec*

Digitized by Google

—— nec te tua funera mater
Produxi preſſive oculos & funera lavi.

Apud Ovidium Penelope ad Ulyſſem de filio Telemacho:

Di precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Varro id dixit *ſugillare mortuorum oculos.* Ratio moris erat, quia cùm morientes apertis oculis expirent, voluerunt tegi eam partem, in qua poſt mortem maxima deformitas apparet, cùm in viventibus nulla pars magis fulgeat. Probabile autem eſt, altiorem ejus rei rationem viguiſſe apud Sanctos, qui claudentes chariſſimorum ſuorum oculos, ſignificârunt eos dormire, ſuo tempore reſurrecturos.

III. Oraculo hoc animatus Jacobus, relictâ Beerſebâ, perrexit cum univerſa familia & impedimentis ſuis in Ægyptum. Ipſe quidem, parvuli ac uxores vecti in curribus à Joſepho miſſis. Deduxit autem ſecum *filios ſuos*, & *filios filiorum ſuorum*, *filias ſuas*, & *filias filiarum ſuarum* verſ. 7. Cùm verò Jacobo non fuerit niſi unica filia Dina, quomodo filias cum Jacobo in Ægyptum traductas memorat Moſes? In Jalcut lib. I. art. 152. traditur futilis aſſertio R. Jehudæ bar Ishai, ſtatuentis, unoquoque partu, quo aliquis duodecim Patriarcharum natus eſt, ſimul natam eſſe filiam. Quæ poſtea, ne Patriachæ gentibus mundi miſcerentur, fratribus nupſerint, ita ut filii Leæ uxores duxerint aliorum fratrum gemellas, alii rurſum fratres gemellas horum. Dinæ autem ſolius mentionem fieri, quòd uno hoc partu non ſint nati gemini: ſive ob illa, quæ cum Hemor acta ſunt. Neque mirandum eſſe, quòd reliquas ſorores Scriptura reticeat, cùm eadem quoque filias Adami omittat. Sed hæc putida ſunt nugamenta Verpi. Cùm enim uxorum & concubinarum Jacobi liberos Moſes ſtudioſè deſcribere inſtituerit, gemellos hos minimè omiſiſſet. Abenezra igitur vocem בנות *filiarum* accipit de ſervabus nonnullis Dinæ, quæ in Jacobi ædibus educatæ fuerint. Probabiliùs alii cenſent, intelligi nurus Jacobi. Poteſt etiam in verbis illis eſſe enallage numeri, ſatis uſitata in ſacris, uti etiam R. Levi ben Gerſon exponit. Ita hoc ipſo capite XLVI. 23. dicitur: ובני דן חשים *& filii Dan Chuſchim.* Similia exempla videſis Numer. IV. 27. XXVI. 8.

IV. Poſthac Moſes cenſum init eorum, qui cum Jacobo in Ægyptum migrârunt. Cujus operæ à Moſe diligenter navatæ gemina ratio reddi poteſt. Prior, ut illuſtrandæ venturi Meſſiæ genealogiæ, necnon diſtinctioni familiarum in gente Iſraëlitica propagandarum inſerviat. Poſterior, ut ex numero exiguo deſcendentium in Ægyptum appareat

Digitized by Google

illuſtrius miraculum gentis in Ægypto propagatæ. Sed in numeris & computatione gravis difficultas eruditorum ingenia torquet. Et primò quidem verſ. 15. filii & nepotes, qui Jacobo è Lea prognati ſunt, ſtatuuntur numero triginta tres. Ubi verò exactiùs rationem iniveris, non reperiuntur niſi triginta duo. Ea de re in *Bereſit Rabba cap.* 94. quatuor potiſſimùm opiniones recenſentur. Prima eſt R. Levi, qui verbis R. Samuel bar Nahman ait, Jochebed matrem Moſis impleviſſe numerum XXXIII. Ita creditum etiam Jarchio, & Moſi Gerundenſi, qui putant, Jochebed natam eſſe in ipſo ingreſſu limitum Ægyti. Sed ratio qua moventur ad id, petita ex Numer. XXVI. 59. planè frivola eſt. Quia enim ibi Jochebed avo ſuo Levi dicitur nata in Ægypto, ſubſumunt illi planè ineptè, extra Ægyptum conceptam, at in Ægypto natam eſſe, quia aliâs ſuperfluum videretur declarare, ubi nata eſſet. Quaſi videlicet locum nativitatis deſignare fuerit ἀπροσδιόνυσον. Altera ſententia non minùs frivola eſt R. Eliezeris cap. 68. Deum nimirum benedictum compleviſſe numerum triginta trium, atque integrum etiam abſolviſſe numerum ſeptuagenarium, quia myſterium in ſe contineat. Rationem affert eam, quòd Deus Jacobo dixerit: *Ego deſcendam tecum in Ægyptum* verſ. 4. Tertia eorum opinio eſt, qui ex verbis verſ. 23. *Filii Dan Cuſchim*, colligunt, Dani non unum ſed duos filios fuiſſe, ſed Scripturam mortuo altero ſolius Cuſchim meminiſſe. Verùm in verbis iis enallagen numeri jam ſuperiùs obſervavimus. Quarta eáque veriſimilima ſententia eſt, ipſum Jacobum finiviſſe numerum XXXIII. Ita ſentiunt Abenezra, Levi ben Gerſon & Abarbanel. Ratio manifeſta continetur verſ. 8. *Hæc ſunt nomina filiorum Iſraël venientium in Ægyptum, Jacobus & filii ejus.* Ubi videmus repeti verba illa, *Jacobus & filii ejus,* ut oſtendatur, ipſum quoque eſſe includendum numero, quem hac ratione plenum habebimus.

V. Porro omnes animæ, quæ venerunt cum Jacobo in Ægyptum, quæ egreſſæ ſunt ירכו *de femore ejus*, præter uxores filiorum Jacobi כל נפש ששים וששׁ *omnes animæ fuerunt ſexaginta ſex* verſ. 26. In hiſce ſexaginta ſex numerandum non eſſe ipſum Jacobum, uti factum in numero ſuperiori triginta trium, manifeſtum eſt. Dicuntur enim numerati יצאי ירכו *egreſſi è femore ejus.* Ipſe autem Jacobus è femore ſuo egreſſus non eſt. Neque etiam eo comprehenditur Joſephus cum duobus filiis, quia numerantur animæ, quæ unâ cum Jacobo Ægyptum ingreſſæ erant. Joſephus autem unâ cum Jacobo Ægyptum ingreſſus ſanè non eſt. Qui numerus, ſi putentur undecim Patriarchæ, unâ cum eorum liberis & nepotibus, necnon filia Jacobi Dina, exactè conſtat.

VI. Omnes

VI. Omnes autem animæ domûs Jacob, quæ Ægyptum ingreſſæ ſunt, dicuntur שבעים *ſeptuaginta* verſ. 27. Nempe ſi prioribus ſexaginta ſex addantur ipſe Jacob, qui caput erat domûs, & Joſephus cum duobus filiis, uti ipſe hic verſus haud obſcurè innuit, exurget numerus ſeptuagenarius. Atque rectè dicitur, fuiſſe animas domûs Jacob, quæ Ægyptum ingreſſæ ſunt, ſeptuaginta. Ad hanc enim domum utique pertinebat Joſephus, licet ipſe unâ cum patre ſuo in Ægyptum non veniſſet, filiique ejus non Ægyptum ingreſſi, ſed in ea Joſepho ex Aſenath nati eſſent. Duo nempe hic notanda. Primò ſolere non rarò Scripturam quod pluribus convenit, imò omnibus, pauciſſimis tantùm exceptis, quaſi omnibus conveniret, generaliter enuntiare, factâ à principaliori denominatione. Non enim ſemper logico modo Scriptura explicanda eſt, ſed quandoque communi & populari. Ita Moſes Deut. x. v. ult. *Cum ſeptuaginta*, ait, *animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum.* Ubi exceptio eorum qui non deſcenderant, & tamen ad eandem familiam pertinebant, non attenditur. Et Exod. I. 5. *Erant omnes animæ* ſive homines, *egreſſi è femore Jacobi, ſeptuaginta animæ*, connumerato ſcilicet ipſo Jacobo, è cujus femore illi egreſſi erant. Secundò & hoc obſervandum, ingreſſos dici Ægyptum eos, qui vivente adhuc Jacobo nati, familiarum capita extiterunt. Quamvis igitur propriè non deſcenderint in Ægyptum Joſephi duo filii, ingreſſi tamen dicuntur, quia vivente adhuc Jacobo nati erant in Ægypto, & capita familiarum fuerunt. Quod ipſum quoque de filiis Benjaminis nonnullis dici poſſe quidam exiſtimant. Nam eos omnes, qui verſ. 21. decem numerantur, in terra Canaan natos eſſe, credibile non putant, cùm Benjamin deſcendens in Ægyptum vix 23. annos impleverit. Quin & filii duo Pharez, nepotes Judæ, nempe Heſron & Hamul, etſi cùm Jacobus in Ægyptum deſcenderet, nondum nati eſſent, connumerantur tamen. Nempe ſuppleturi erant locum Her & Onan mortuorum in terra Canaan. Cujus rei non obſcurum indicium præbet ipſe textus verſ. 12. ſic conceptus: *Mortuus autem erat Her & Onan in terra Canaan. Sed erant filii Pharez Heſron & Hamul.* Hi itaque ſuppleturi defunctorum locum, & ipſorum vice Principes familiarum futuri, vel extituri erant, ſive jam nati alibi extiterint, ſive nondum nati, in lumbis tamen Jacobi deſcendentis computati fuerint. Fateor tamen, ne ſic quidem omnes difficultates tolli. Sed meminerimus, tam feliciter omnia expediri non poſſe, quin ſemper relinquatur ſtudioſis adhuc quærendi & excipiendi locus, quod hoc loco etiam Pererius & Lorinus candidè agnoſcunt. Sapienter Tertullianus de pudicitia: *Melius eſt aliquid neſcire ſecurè, quàm cum periculo diſcere.* Porro

Digitized by Google

nec inutilis ad expediendos nodos hoſce eſt obſervatio Johannis Tarnovii *Exercit. Biblic.* pag. 757. non videri dicere textum, ſeptuaginta animas veniſſe in Ægyptum, ſed animas illius familiæ, quæ ingreſſa eſt in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta, ut ſic vox הבאה conſtruatur non cum נפש ſed cum בית hunc in modum: *Omnes animæ familiæ Jacobi, quæ Ægyptum ingreſſa eſt, ſeptuaginta.* Quo modo filios Joſephi Ægyptum quoque ingreſſos non diceretur, ſed pertinuiſſe eam ad familiam, quæ Ægyptum ingreſſa eſt.

VII. Græci porro Interpretes numerum ſeptuagenarium augent quinario. Ubi enim Hebræa habent: כל הנפש לבית יעקב הבאה מצרימה שבעים *Omnes animæ domûs Jacobi, quæ Ægyptum ingreſſa eſt, erant ſeptuaginta.* Græci ita habent: Πᾶσαι αἱ ψυχαὶ οἴκου Ἰακὼβ αἱ εἰσελθοῦσαι εἰς Αἴγυπτον, ἑβδομήκοντα πέντε. *Omnes animæ domus Jacobi Ægyptum ingreſſæ. ſeptuaginta quinque.* Adjecerunt nempe nomina trium nepotum & duorum pronepotum Joſephi, quæ ſuperiùs poſt verſum 20. ex 1. Chronic. VII. exprimunt, nimirum *Machir, Galaad, Sutalaam, Taam & Edem.* Sed calculum hunc Græcorum Interpretum tanquam nothum paucis argumentis configemus. Etenim primò ipſimet parum ſibi conſtant. Cùm enim poſt verſum 20. Hebræo codici addant quinque nepotes & pronepotes Joſephi, infra verſ. 27. ubi Hebræa lectio Joſepho tribuit animas duas, ipſi habent ψυχὰς ἐννέα, *animas novem*, ſuis illis quinque nepotibus & pronepotibus Joſephi aggregantes duos alios. Unde numerus adhuc major, nempe ſeptuaginta ſeptem animarum exurgeret. Secundò verſ. 22. ipſi Græci Interpretes Racheli annumerant ψυχὰς δέκα ὀκτὼ *octodecim.* Juxta quem numerum calculus conficiendus erat 74. non 75. Tertiò iidem Græci Interpretes Deuteron. X. v. 22. Ubi eadem enumeratio repetitur, Hebræam computationem ſequuntur, enumerantes videlicet animas ἑβδομήκοντα, *ſeptuaginta*, non ſeptuaginta quinque. Ita enim lectionem antiquam illius loci habuiſſe, teſtis eſſe nobis Hieronymus poteſt. Neque aliter hodie Sixtina, aliique vulgati codices. Quartò nulla ratio afferri poteſt, cur non ſolùm nepotes, ſed etiam pronepotes Joſephi huic numero inſerantur, cùm id in aliorum fratrum genealogiis factum non videamus. Neque obeſt, quòd Judæ quoque nepotes Efron & Hamul computentur. Ejus enim rei peculiarem rationem fuiſſe jam ſuperiùs oſtendimus.

VIII. At ipſe etiam, inquias, Stephanus & Lucas θεόπνευστος uterque, ſeptuaginta quinque animas enumerant Act. VII. 14. Ἀποστείλας δὲ Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ Ἰακὼβ, καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. *Mittens autem Joſephus accerſivit patrem ſuum Jacobum,*

cobum, & omnem cognationem ejus, conſtantem animabus ſeptuaginta quinque. Ita eſt ſanè. Neque tamen utor reſponſione Hieronymi *in Quæſt. Hebr.* Eugubini, aliorumque dicentium, Lucam abuſum teſtimonio è ſeptuaginta ſumpto, eò quòd ea verſio ſola eſſet inter gentes, ad quas ſcribebat Lucas, recepta. Hoc enim Lucam vel Stephanum utrumque θεόπνευστον non ſatis ab errore vel mendacio vindicaret. Neque etiam probare poſſum, quòd apud Bezam Cornelius Bertramus conjicit, in loco eo Actorum librarios ex ἑβδομήκοντα πάντες feciſſe ἑβδομήκοντα πέντε, quaſi Lucas primitus ſcripſiſſet, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πάντες, *in animabus ſeptuaginta omnes* ſubintellige conſiſtebant. Neque enim temerè ſolicitanda eſt lectio, quam veterem eſſe ex lectionibus priſcis, MS. codice antiquiſſimo in Angliam allato, cujus meminit Seldenus *de Synedriis Hebr. lib.* 11. *cap.* 4. *pap.* 148. necnon Syriaca, Arabica, Latina verſionibus conſtat. Quin & Auguſtinus ac Hieronymus ſuis in Geneſin Quæſtionibus lectionem hodiernam agnoſcunt, & in eadem explicanda deſudant. Quo argumento confoditur etiam lectio Jacobi Capelli, qui in lectione C. Bertrami notans σκλειοφανῆς, ipſe legendum non πάντες, ſed πάντως ariolatur, Hiſtor. S. & Exoticæ p. 37. Alii aliter reſpondent, & nodum ſecant potiùs, quàm ſolvunt.

IX. Nos omnino fatemur, convenire Lucæ atque Stephano cum Græcis Interpretibus, ſed in numero numerante duntaxat, non in re numerata. Et miſſis tum veterum tum recentiorum plerorumque conjecturis, eam deligimus conciliationis viam, quâ uſus olim Epiphanius Tomo 1. lib. 1. quamque etiam ſecutus deducit Franciſcus Junius Parall. 92. nimirum Stephanum & Lucam totius συγγενείας ſeu cognationis Jacobi ſingula capita, prout in recenſione Moſis extant, unam in ſummam contrahere, comprehenſis etiam quatuor Jacobi uxoribus & duobus Judæ filiis, quos in terra Canaan Deus extinxerat, expuncto interim ipſo Jacobo, utpote quem à συγγενείᾳ *cognatione* ejus manifeſtè Lucas diſtinguit. Nam quòd doctiſſimus Bailius in *Opere Chronologico lib.* 1. *cap.* 5. numerum hunc perficit additis quatuor Jacobi uxoribus & filia Dina, recipi ſanè non poteſt: tum quia Dinam in numero τῶν ſeptuaginta jam comprehenſam docet verſ. 15. tum quia Jacobus ſic computandus eſſet in numero τῶν 75. quem tamen ab eo numero ſecludit Stephanus. Itaque notandum, triplicem numerandæ familiæ Jacobi modum Moſen ſervâſſe. Primus eſt, quo numerat Moſes eas ſolùm animas, quæ egreſſæ ſunt cum Jacobo in Ægyptum, ſed egreſſæ ex femore ejus, exceptis uxoribus filiorum ejus. Atque hæ fuerunt numero ſexaginta ſex verſ. 26. Secundus,

quo totius gentis, comprehenſo Jacobo, Joſepho & duobus filiis ejus numerus exponitur. Quibus quatuor adjunctis aſſurgit numerus τῶν ſeptuaginta verſ. 27. Tertius denique, quo numerus capitum omnium ad familiam Jacobi pertinentium & circumſcriptorum ſuis nominibus, prout in recenſione Moſis extant, in ſummam unam contrahitur, comprehenſis nimirum quatuor uxoribus Jacobi, duobus filiis Judæ jam ante extinctis, & ſubducto Jacobo tanquam συγγενείας capite. Atque poſtremam hanc recenſionem Moſis unam in ſummam τῶν 75. colligunt Stephanus & Lucas. Atque hæc numerandi ratio optimè conveniebat inſtituto Stephani, tum quia præciſè numerum animarum, quas certis nominibus recenſuit Moſes, his verbis perſecutus eſt: tum quia ratione hac luculentiſſimè demonſtravit, ſe tantùm abeſſe à ſermonibus blaſphemis in Moſen enuntiandis, ut magis in rebus etiam levioris momenti religioſiſſimè Moſen ſecutus ſit, & ſingulas veluti ſyllabas ejus in numerato habuerit. Nam citra omnem controverſiam totius cognationis illius nomina propria, excepto Jacobo, quem ſeorſim Stephanus ponit, non plura extant quàm ſeptuaginta quinque.

X. Jacobus Ægyptum ingreſſus præmittit Judam utpote rebus agendis maximè idoneum, ad Joſephum להורת לפניו גשנה *ut nuntiaret ei, & ille occurreret in Goſen* verſ. 28. Ita Vulgatus Hebræa reddit. At Græci: Συναντῆσαι αὐτῷ καθ' ἡρώων πόλιν, *ut occurreret ei ad urbem Heroum.* Thargum Onkeloſi: לפנאה קדמוהי *ut præpararet ante ſe.* Optimè Arabs: לידלנ עלי בלד שדיר *ut indicaret ei regionem Sadir.* Cùm enim ignota eſſet Jacobo peregrino terra Goſen, neceſſe habuit indicio Joſephi, qui ipſi præiret, & in ejus poſſeſſionem ipſum deduceret. Pro גשנה Græci habent: καθ' ἡρώων πόλιν εἰς γῆν ῥαμεσσῆ, *ad urbem Heroum in terram Rameſſe.* Atque ſic legitur etiam apud Joſephum & Philonem. Cur *Heroum urbem* nominârint, planè obſcurum eſt. Conjectant nonnulli, illos להורת pro nomine proprio accepiſſe, quaſi Jacobus miſiſſet Judam ad *Horæos*, ex qua voce ipſi fecerint ἡρώας. Sed id minùs certum eſt. Non deſunt inter Hebræos quoque, qui גשנה putent Thebaidem eſſe. Sed tum Thebæ tum Thebais aliis nominibus Hebræis in Scripturis veniunt. Fuit etiam Thebais pars interior Ægypti.

XI. Joſephus de adventu patris à Juda certior redditus, juncto curru in ejus occurſum ivit. Cumque in conſpectum ejus veniſſet, יפל על צואריו ויבך על צואריו עוד *irruit ſuper collum ejus, & inter amplexus flevit* verſ. 29. Ita Vulgatus, dubium relinquens, de Jacobo, an de Joſepho illud enuntietur. R. Solomon Jarchi Joſephum ſe jactâſſe ſuper collum Jacobi aſſerit.

Ejus

Ejus verba ſunt : יעקב לא נפל על צוארו יוסף ולא נשקו ואמרו רבותינו שהיה קורא שמע *Jacobus non irruit in collum Joſephi, neque eum oſculatus eſt. Dicunt Rabbini noſtri, quòd legerit* שמע. Ineptè nugantur legiſſe ipſum paraſcham, quæ nondum extabat, & hac lectione impeditum non ruiſſe in complexus Joſephi. At contra Maimonides ad Jacobum refert, à quo Joſephum amplexu & oſculis exceptum putat. Hoc enim magis decorum videri, quia majori deſiderio parentes filiorum, quàm filii parentum teneantur. Atque ita acceperunt etiam Vatablus, Junius & Tremelius. Malo tamen de Joſepho intelligere, cujus proximis verbis facta mentio. Neque enim à decoro alienum fuit, ſi Joſephus conſpecto parente è curru exiliens occurrerit, & in chariſſimi parentis amplexus irruerit, quem haud dubiè mutuis amplexibus excepit pater. Pro verbis : יבך על צואריו עוד Græci habent *ἔκλαυσε κλαυθμῷ πλείονι, flevit fletu uberi.* Sed reliqui Interpretes Orientales illud עוד *inſuper* exprimunt. Nihilominus עוד hîc capi videtur pro הרבה *aliquandiu*, uti annotat etiam Munſterus, & Jarchius quoque innuit. Gaudium porro ſuum hiſce verbis teſtatus eſt Jacobus verſ. 30. *Moriar modo poſtquam vidi faciem tuam. Adhuc enim tu vivis.* Quæ verba oppoſita ſunt iis, quibus ſuperiùs ſe deſcenſurum in infernum lugentem, amiſſo Joſepho teſtatus fuerat.

XII. Hinc itum ad Regiam Pharaonis. Joſephus tamen prudentiſſimo conſilio, ſimul ipſe antecedens Regi adventum Jacobi & paternæ domûs, ejusque conditionem, quòd pecuarii eſſent omnes, aperit: ſimul iis conſulit, ut Regium in conſpectum ſuccedentes ſe pecuarios profiterentur. Videmus quid cupierit. Fœcunda commoditas ejus illexit animum, ut illic patrem locare vellet. Diſſimulans autem terræ pinguedinem alium colorem obtendit, nempe Jacobum cum ſuis filiis rejectitios paſtores eſſe, ſeceſſum quærentes, in quo ſeorſim ab Ægyptiis habitare poſſint. Neque hoc fraudi vel aſtutiæ Joſephi deputandum. Noverat enim Rex terræ fertilitatem, quin & ipſe ſponte non petentibus optimum & ſelectiſſimum in Regno locum, טוב ארץ מצרים *optimum terræ Ægypti* cap. XLV. 18. jam ante obtulerat. Hæc proinde ejus largitio doloſè non fuit elicita, quia liberum ei fuit æſtimare quod daret. Et ſanè Joſephus ut modeſtè ageret, neceſſe habuit hoc prætextu habitationem in terra Goſen petere, quia abſurdum fuiſſet novos inquilinos ſedem in optimo & commodiſſimo loco ſibi quærere, quaſi videlicet jure quodam in ipſos competeret optio. Suo igitur & patris pudori ut conſulat, cauſam aliam eamque veriſſimam adducit. Plures porro rationes fuerunt Joſepho paternæ familiæ in terra Goſen collocandæ, fertilitas nempe & nobilitas ſoli, conjunctio

Digitized by Google

junctio fratrum in vita paſtoritia, terra ipſa paſcua, denique habitatio diſtincta, quâ futurum ſperavit Joſephus, ut à pollutionibus Ægyptiorum & idololatria immunes eſſent. Has cauſas etiam recitat R. L. Ben Gerſon.

XIII. In conſpectum Pharaonis adducti ſunt primò מקצה אחיו חמשה אנשים *de extremis fratribus quinque viri* cap. XLVII. 2. Ita מקצה interpretantur nonnulli, ſimulque rationem reddunt, cur de extremitate fratrum, hoc eſt, מן הפחותים שבהם לגבורה uti interpretatur Jarchius, eos qui abjectiore eſſent ſpecie & perſonâ, primò Pharaoni ſtiterit, nempe ne ab iis vel metueret ſibi Pharao, vel ad miniſteria aulica vel militaria eos adſumeret. Noluiſſe nempe Joſephum, eos mutare vitæ genus, cui hactenus adſueverant. Cùm verò extremitas non ſpectetur duntaxat à parte inferiori, ſed etiam ſuperiori, non deſunt qui extremos intelligant primos & eminentiores, quò ex eorum præſtantia & nobilitate Rex de cæteris conjecturam caperet. Sed opus non erat his ambagibus. Apud Hebræos enim קצה notat aliquando etiam *partem, quoſdam, nonnullos*, eò quòd extremitas ſit pars in integro & toto aliquo, uti obſervat etiam Fagius. Confer Judic. XVIII. 2. Ezech. XXXII. 2. Daniel. I. 5. Apud Rabbinos inprimis id uſitatiſſimum eſt. Unde Græci ſimpliciter reddunt: Ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε, *de fratribus autem ſuis aſſumpſit viros quinque.* Neque aliter Syrus & Arabs. Quinque porro hoſce fratres fuiſſe Ruben, Simeon, Levi, Iſaſchar & Zebulon, cenſet Jarchius, ſed frivolâ planè ratione fretus. Inquiſiti fratres, quæ ipſorum conditio eſſet, ſe pecuarios reſponderunt, ſimulque terram Goſen ſibi domicilium expetierunt. Quâ petitione, quæ audax videri poterat, adeò non offenſus Rex eſt, ut domicilium potiùs perpetuum in ea terra ipſis addixerit, ſimulque Joſepho in mandatis dederit, ut ſi quos noſceret אנשי חיל *viros robuſtos*, eos imponeret שרי *Principes* ſuper ea pecora, quæ Pharaoni erant.

XIV. Poſtmodum etiam Jacobus Regium in conſpectum deducitur. Is primò omnium יברך את פרעה *benedixit Pharaoni* verſ. 7. Quod ipſum quoque digreſſurus à Pharaone feciſſe dicitur verſ. 10. Prior benedictio erat *ſalutationis*, poſterior *valedictionis*, utraque tamen haud vulgaris ſed prophetica. Multum nempe intereſt, quis, cui & quâ ratione benedicat. Salutant filii hujus ſeculi Reges & Principes honoris cauſâ, ad Deum verò minimè aſſurgunt. Aliter Jacobus, qui civili reverentiâ adjunxit pium illud ſtudium, ut Regis ſalutem Deo commendaret. Hanc regulam Deus ipſe Jerem. XXIX. 7. præſcribit Judæis, ut pro pace Babylonis orent, quamdiu in exilio vivendum erit.

XV. Pha-

Digitized by Google

XV. Pharaoni de ætate Jacobi familiariter percontanti ſic reſpondet ipſe verſ. 9. ימי שני מגורי *dies annorum peregrinationis meæ ſunt triginta & centum anni.* מעט ורעים *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, nec attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum in diebus peregrinationum ſuarum.* Vitam ſuam vocat מגורים *peregrinationem* προσηλύτευσιν cum generali ratione, quia videlicet omnis hominum vita iter eſt, in via ſumus, & nemo ſibi hiſce in terris ſtabile polliceri domicilium poteſt, *vitáque mancupio nulli datur, omnibus uſu:* tum propter ſpecialem ſuam & ſuorum peregrinationem, quia Abrahamus, Iſaacus & Jacobus nullibi fixas habuerunt ſedes, ſed ſubinde domicilia de loco in locum tranſtulerunt. Sed & dies ſuos appellat paucos & malos. Paucos, ſi comparentur tum cum priſcorum Patriarcharum, tum cum Abrahami & Iſaaci longævitate. Etſi enim ignoraret quamdiu victurus adhuc eſſet, tamen ex ætate afflicta & deficiente abundè collegit, haud perventurum ſe ad annos majorum, etiam Abrahami & Iſaaci, quorum ille 175. hic 180. annis vixerat. *Malos* etiam vocat dies ſuos, quia multas & graves ærumnas ipſum pertuliſſe ex vitæ ejus hiſtoria manifeſtum eſt. Neque enim hæc maligna ejus querela eſt, vel in Deum injuria. Etenim ſi verba ejus ritè expendantur, ſuam potiùs erga Deum gratitudinem teſtatur, celebrans ejus erga patres ſuos bonitatem. Neque enim tam ſuum deplorat ſenium, quàm vigorem patribus divinitus collatum. Plures haud dubiè Pharaonem inter & Jacobum ſermones ultro citróque commeabant. Sed præcipuas narrâſſe ſatis Moſes habuit.

XVI. Sic Joſephus impetratâ à Rege veniâ Jacobo & familiæ ejus dedit אחזה *poſſeſſionem* in terra Ægypti, במיטב הארץ בארץ רעמסס *in optimo terræ, in terra Rameſſes* verſ. 11. Ubi voce אחזה non notatur poſſeſſio perpetua & hæreditaria. Talem enim Jacobus reditum ſui populi volvens animo non optabat. Sic igitur explicandum potiùs, ut Joſephus nomine Regis dicatur dediſſe eis habitandam, nempe, poſſeſſionem ſive fundum, in terra Ægypti. Urbem porro Rameſſes ab Iſraëlitis ipſis poſt obitum Joſephi durâ ſervitute preſſis ædificatam eſſe conſtat ex Exod. 1. 11. ubi unâ cum Paron & Pithom collocatur inter ערי מסכנות *urbes theſaurorum* Regis. Adeóque per anticipationem ita dictus fuerit, quia eum locum incoluere prius, cui poſtea urbe in eo ædificata id nominis impoſitum erat. Ibi Jacobus ſeptendecim annos ſupervixit. De ejus verò toto hoc tempore ſtudiis & rebus in terra Goſen geſtis nihil Scripturæ memorant, ſi diſceſſeris ab iis quæ ſub extremum vitæ ejus contigiſſe Moſes memorat. Quamvis autem nefas ſit ambigere, quin toto eo tempore perrexerit in cultu Dei veri, adeóque varia pietatis exercitia frequentaverit, tamen teme-

Digitized by Google

ritatis notâ inurenda ſunt ea, quæ Boulducus *de Eccl. ante legem* lib. III. 11. de Jacobi in Ægypto pro bono Eccleſiæ ſtudiis commentatus eſt.

EXERCITATIO XXII.

DE

ULTIMIS JACOBI.

Breviarium.

Diſtributio argumenti. 1. *Jacobus Joſephum adjurat, ut ſepulturam ejus in terra Canaan procuret.* 2. *Cauſa ob quam Jacobus in terra Canaan ſepeliri deſideravit, evolvitur. Fictitiæ Hebræorum cauſæ ad partes vocatæ. Bellarminus notatus.* 3. *Theodoreti, Chryſoſtomi, Ruperti, Calvini veriſimiliores cauſæ.* 4. *Cur ſepulturæ curam gravi juramento potiùs quàm ſimplici ſtipulatione Joſepho demandaverit Jacobus?* 5. *Jacobi ſe ad caput lecti incurvantis actus civilis an religioſus fuerit?* 6. *Græcorum Interpretum* παρερμηνεία. *Quo pacto Paulus, ſine veritatis detrimento, Græcam lectionem, quæ lectum mutavit in baculum, ſequi potuerit? Heinſii* ῥάβδον *interpretantis* σφάλμα *ſententia improbatur.* 7. *Vulgata loci Hebr.* XI. V. 21 *prava verſio, & perperam deductum inde Concilii Niceni dogma perſtringitur.* 8. *Joſephi ad parentem ægrotantem reditus. Jacobus filiis Joſephi benedicit* 9--24. *Ephraim & Manaſſes inſtituuntur hæredes unciæ, & adoptantur à Jacobo. Quamobrem Jacobus tribus multiplicare propoſuerit? Jarchii & Abenezræ de eo opinio.* 10. *Hæreditatem Jacobus nepotibus ſuis aſſignat circa Sichem. Quid* שכם אחר*? Cur Johannes cap.* IV. 5. *prædium Joſepho donatum diſtinguat à Sichem?* 11. *Quo ſenſu portionem Joſepho donatam arcu & gladio ſuo ab Amoræis ſe accepiſſe aſſerat Jacobus? Jarchius perperam id de cæde Sichemitarum explicat. Onkeloſi & Hieronymi aſſertio, quòd gladius & arcus Jacobi ejus preces denotet?*

Digitized by Google

denotet? Maſii & Calixti ſententia rejicitur. 12. *Signa benedictionis filiorum Joſephi explanantur. Quomodo nepotes ſuos viderit Jacobus, qui præ ſenio videre non potuiſſe dicitur? Maimonidis & Abarbanelis de eo ſententiæ.* 13. *Oſculum, amplexus, fotus inter genua Jacobi.* 14. *Manus imponit Jacobus nepotibus. Contraria in eo Jacobi & Joſephi ſtudia. Quomodo Jacobus dicatur* שכל את ידיד*? An manuum Jacobi decuſſatio inſinuaverit myſterium crucis?* 15. *Impoſitionis manuum origo uſus & ratio ventilata. Grotius & Sanctius refelluntur. Impoſitio illa ſignum fuit, quòd in ejus, cui manus imponebantur, caput precibus quæratur benedictio, beneficium, munus &c.* 16. *Sermo propheticus Jacobi, quo nepotibus benedicit, explanatur.* 17. 18. *Angelus ille vindicans Jacobum ab omni malo, à quo benedictionem precatur nepotibus, non fuit ſervilis, uti Judæi, Pontificii, Patrum nonnulli pertendunt, ſed Angelus Fœderis. Quæ ratio fuerit* τῦ גואל*?* 19. *Joſephi cum Jacobo manum dexteram minori natu imponente contentio. Quid* מלא גוים*?* 20. *Quæ cauſa ſit, quòd inde ab initio mundi in benedictionibus minores majoribus prælati?* 21. *Finis benedictionis propheticæ. Explicantur verba cap.* XLVIII. 20. בך יברך *&c.* 22. *Benedictio illa prophetica fidei Jacobi & Joſephi luculentum teſtimonium præbuit.* 23. *Jacobi beatus obitus.* 24. *Ejusdem conditura. Qui intelligantur voce* רפאים*? Ægyptiorum cadavera condientium mos exponitur. An Joſephi Ægyptios imitantis factum culpari debeat?* 25. *Planctus Jacobi per* 70 *integros dies. An rectè tempus illud ab Hebræis diſtribuatur in tempus* ἐνταφιασμῦ *& fletûs. Luctus Joſephi fuit ſimilis Regio. An immodicus & ſtreperus nimis fuerit?* 26. *Joſephus per internuntios liberum à Rege in terram Canaan commeatum impetrat. Quo ſenſu Joſephus parenti tribuat, quòd ipſe ſepulchrum foderit in ſpelunca Macpelah?* 27. *Funus in terram Canaan magna cum pompa deducitur. R. Bechai de turmis deducentium* ἔνοχημα. *Cur Deus funus Jacobi tam honorificè celebrari voluerit?* 28. *Luctus ſeptiduanus Iſraëlitarum in Goſen Atad. Mos lugendi per ſeptiduum exponitur.* 29. *Sepultura Jacobi.*

cobi. Reditus Iſraëlitarum in Ægyptum. An religione oraculi, de ſervitute in Ægypto ſubeunda, moti, reverſi fuerint? 30.

I. Ordinem hiſtoriæ Moſis proſecuti nunc demum ad noviſſima Jacobi accedimus. Ubi expendenda veniunt, tum religioſum ejus ſtudium locum ſepulturæ ſpectans, tum hiſtoria ſingularis benedictionis filiorum Joſephi, tum hiſtoria communis benedictionis Patriarcharum, ſeu filiorum omnium Jacobi, tum mors ejus, tum denique ea quæ mortem ejus conſecuta ſunt.

II. Religioſum Jacobi circa locum ſepulturæ ipſius ſtudium inde eluceſcit, quòd mortem inſtare ratus Joſephum, utpote præ cæteris fratribus idoneum ad exequendum id, quod petiturus erat, ad ſe accerſivit, eique juramenti religione obſtricto priùs, demandavit, ne in Ægypto ipſum ſepelire curaret, ſed potiùs in terra Canaan, & quidem in ſpelunca quæ eſt in agro Macpelah, in qua jam ante ſepulti erant Abrahamus, Sara, Iſaacus, Rebecca, Lea cap. XLVII. 29, 30, 31. coll. cum XLIX. 29--33. necnon cap. L. 5. Ritum juramenti Joſepho imperat talem, qualem etiam famulo ſuo Eliezer Abrahamus imperaverat, poſitionem nimirum manûs ſub femore ejus. De quo ſuperiùs in hiſtoria Abrahami nobis actum.

III. Evolvenda ante omnia fuerit ratio, ob quam Jacobus tam anxiè ſepeliri in terra Canaan non Ægypti deſideravit. Cauſam reddunt Judæi, quòd terræ Ægypti pulvis mutandus fuerit in pediculos, neque quiſquam ſepultus extra terram Canaan vivificandus ſit, niſi per occultos terræ meatus volutatus in terram Canaan. Jarchius hoc loco: סופה להיות עפרה כנים ושאין מתי חוצה לארץ חיין אלא בצער גלגול מחלות ושלא יעשוני מצרים ע״ז *Terræ* Ægypti *pulvis mutandus erat in pediculos. Et mortui extra terram* Iſraël *non vivificabuntur niſi dolore volutationis cavernarum. Et ut ne Ægyptii me faciant idolum.* De eo plura vide in Tanchuma, necnon apud Buxtorfium *Lexico Talmud*: voce גלגל. R. Jacob ben Habib rationem, cur in terra Canaan futura ſit reſurrectio, hanc reddit, *quia illic primò facta eſt creatio, & Deus terram illam ſingulari providentiâ dignatus eſt, ideo conſentaneum eſſe, ut in ea tantum miraculum, quod eſt inſtar novæ creationis, primò fiat.* Alii verò hanc rationem deſiderii Patriarcharum reddunt, quòd defuncti terræ Canaan primi reſuſcitandi ſint tempore Meſſiæ, & annis Meſſiæ fruituri. Inſulſas ejuſmodi cogitationes ſancto Patriarchæ homines infruniti tribuunt. Quaſi videlicet vel ſanctitas terræ Canaan poſtulaverit, ut in ea fieret reſurrectio: vel circa tempora reſurrectionis ea ſanctitas terræ Canaan, quâ ad tempus ex Dei inſtituto ſingulari pollebat, hæſura adhuc

Digitized by Google

huc ſit. Quæ omnia finguntur temerè ſine præſidio Scripturarum. Neque minùs frivolè Bellarminus nugatur, voluiſſe Patriarchas ſepeliri in terra Canaan, *ut fierent participes precum & ſacrificiorum*, *quæ ibi offerentur* lib. 1. de Purgat. cap. 4. Atqui tum nulli erant, qui ſacrificia purè Deo offerrent in terra Canaan. Neque in ea inſtitutus eſt cultus, niſi poſt ducentos & plures annos. Neque etiam pro defunctis unquam in terra Canaan ſacrificia oblata eſſe conſtat. Sancti enim poſt obitum ſuffragiis hominum non indigent; quibus ſi indigerent, ne ſic quidem opus fuiſſet translatione oſſium, quia ſuffragia cadaverum præſentiam aut propinquitatem non exigunt.

IV. Longè veriſimiliores cauſas intenſiſſimi hujus deſiderii afferunt Veteres. Theodoretus quæſt. 108. in Geneſin. *ψυχαγωγῶν τὸ γένος καὶ διδάσκων, ὡς ἅπαντας αὐτοὺς ὁ δεσπότης Θεὸς μεταστήσει ἐκ τῆς Αἰγύπτου, καὶ τὴν ἐπηγγελμένην αὐτοῖς ἀποδώσει γῆν.* Non quod de ſepultura valde ſolicitus eſſet, uti cenſent quidam, *ſed ut familiam ſuam conſolaretur*, *ac doceret, Dominum ſuum traducturum illos omnes ex Ægypto*, *& daturum iis terram promiſſam.* Chryſoſtomus in h. l. *Μηδεὶς τοίνυν νομιζέτω μικροψυχίας εἶναι τὴν διάταξιν, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ προορᾷν τὴν μέλλουσαν αὐτῶν ἔσεσθαι ἐπάνοδον, πάσης αἰτίας ἀπολυέτω τὸν δίκαιον. Nemo diſpoſitionem eam arguat puſillanimitatis ſed ab omni culpa liberet eum*, *quia prævidebat futurum eorum reditum.* Præcipua igitur ratio erat profeſſio fidei Jacobi, quâ ſic veras eſſe credidit promiſſiones Patribus factas de herciſcunda hæreditate terræ Canaan, ut in ea fide ſe ad mortem usque perſeverare hoc ſymbolo teſtificaretur. Ita factum eſt, ut mortuus etiam quaſi tubæ clangore vivos & ſuperſtites animaverit, uti pulchrè Calvinus loquitur. Hæc enim publica hortatio fuit ad perſequendam terram Canaan, & conſolationem in ſuis difficultatibus & diuturna peregrinatione obtinendam. Et Rupertus: *Jacob exemplum vivis dedit mortuus*, *ut in ſpe Patris cœleſtis pignus amarent æternæ hæreditatis.* Eâdem etiam operâ teſtificatus eſt fidem in Chriſtum, cujus pignus erat terra Canaan, quam hoc nomine diligendam eſſe innuit & poſteritatem quoque docuit. Accedit, quòd hoc ſymbolo etiam poſteris ſuis ſe cum Eccleſia conjungendi deſiderium ingenerare voluit. Neque etiam ſuperſtitioſum fuit hoc ſtudium Jacobi, quia à Deo imperatum ipſi non erat, ut deportari *λείψανα* ſua in terram Canaan curaret. Etenim noverat, Deum regionem Canaan ſedi Iſraëlitarum ſanctificâſſe. At qui de ſpecie imperat, eum de inviduo quoque imperare hinc idoneè collegit.

V. Quòd porro hanc ſepulturæ ſuæ curam demandavit non ſimplici ſtipulatione, ſed juramento impoſito, id ſancto viro vitio verti non debet.

Nam res ipſa, quam petebat, maximi erat momenti, teſtificatio fidei propriæ, & confirmatio fidei ſeminis ſui. Neque exegit juramentum, quaſi diffideret filio, ſed ut oſtenderet ſe id habere pro re maximi momenti, quæ non ex carnali aliquo affectu aut ambitione procederet, ſed ex ſeria cogitatione myſticæ ſignificationis. Quà igitur ſanctior ſolenniorque erat promiſſio Joſephi, hoc magis ei in mentem venire debuit, magni momenti fuiſſe, ejus cadaver referri in ſepulchrum patrum. Sed & probabile eſt, prudenter cogitâſſe Jacobum de levandâ Joſephi invidiâ. Ægyptiis enim minimè gratum fore ſciebat eam corporis Jacobi translationem, quippe eam interpretaturis ſuam contumeliam, quaſi tam ſplendidam ac nobilem terram floccipenderent Iſraëlitæ. Itaque quò liberiùs hoc à Rege petere auderet Joſephus & faciliùs impetraret declinatâ populi invidiâ, hoc ipſum ſacramento obſtringere & tutiorem reddere voluit.

VI. Poſt juramentum à Joſepho conceptis verbis præſtitum, Jacobus ישתחו על ראש המטה *incurvavit ſe ad caput lecti* verſ. 31. Quandoquidem Jacobus chariſſimum filium, tanquam è mortuis redivivum præter ſpem & opinionem recuperaverat, maxima in Ægypto dignitate prominere viderat, & nunc etiam de funere ſuo Palæſtinæ importando juratam promiſſionem ab eo acceperat: idcirco adoravit ad caput ſeu cervical lecti ſui, hoc eſt, ſuper lectum proſtratus cervicali ſuo incubuit ad agendas Deo gratias tum pro univerſis Dei beneficiis ſibi collatis, tum inprimis etiam pro ſepultura à Joſepho ſibi juratò promiſſa. Ita 1.Reg. 1. 47. David dicitur adorâſſe על המשכב *ſuper lectum*, pro quo hîc eſt על ראש המטה *ſuper caput* ſeu *cervical lecti.* Inter Hebræos alii ſtatuunt, adorationem eam ſeu reverentiam civilem ceſſiſſe למלכות *regiæ dignitati* Joſephi, qua in ſententia ſunt etiam Græci nonnulli Patres. Alii, quos ſequitur Abenezra, rectiùs religioſum honorem habitum eſſe ipſi Deo. Jarchius, convertiſſe ſe Jacobum ad partem שכינה *divinæ Majeſtatis*, atque hinc colligit, quod שכינה locum habeat למעלה מראשותיו של חולה *ſupra à capitibus ægrotantis.* Thargum Hieroſolymitanum: ושבח ישראל על ריש דרגשיה *Et laudavit*, ſeu *gratias egit Iſraël ſuper caput lectuli.*

VII. A ſimplici hac & rei ipſi convenienti interpretatione abire videntur Græci Interpretes, qui pro מִטָּה legentes מַטֶּה ſic verterunt: προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *adoravit ſuper faſtigium baculi ſui*, hoc eſt, baculo ſuo ſeu ſcipioni, utpote decrepitus ſenex, innixus. Hebræa enim punctis nudata utrovis modo legi & accipi poſſunt. Nec in re ipſa diſcrimen eſt alicujus momenti. Quæ cauſa eſt, quòd etiam Apoſtolus Hebr. XI. 21. Græcam verſionem utpote receptam ubique ſecutus, Jacobi fidem

Digitized by Google

fidem prædicet, eò quòd adoraverit ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *ſuper faſtigium baculi ejus* Joſephi. Intellexit nempe Apoſtolus, utramque lectionem quadrare, neque omnino referre, dicatur Jacobus ſuper cervical lecti, an baculo innixus adorâſſe. Quin fieri potuit, ut Jacobus ſedens in lecto, & ſcipionem manu tenens juſſerit manum ſuam ponere infra femur ſuum, hoc eſt, genua ipſius tangere; qui habitus ejus etiam fuit, cùm filiis benediceret cap. XLIX. 33. Peracto autem juramento adorabundus inclinaverit *in caput ſcipionis*, vel, quod idem eſt, reſidens *in capite* ſive *extremo lecti:* vel Jacobus ſenex & infirmus lumbis à tergo cervicalis cubitis, à fronte ſummitate virgæ nixus fuerit, prout faciunt infirmi ſenes, fracti laboribus ac ætate infirmâ. Si uſpiam locum habet obſervatio Hieronymi, hîc certè habebit, propter exiguitatem diſcrepantiæ: *Hoc*, ait Quæſt. Hebr. in Geneſin, *generaliter obſervandum, quòd ubicunque ſancti Apoſtolici viri loquantur ad populos, iis plerumque teſtimoniis abutantur, quæ jam fuerant in gentibus divulgata.* Allegationem hanc Pauli non tam eſſe Scripturæ, quàm rei conceſſæ, etiam agnoſcunt Eſtius & Janſenius: perinde ac ſi dixiſſet Apoſtolus: *Et adoravit ſuper extremitatem baculi ſui*, quemadmodum habetur in Bibliis Græcis, quæ vos legitis. Hoc malumus ſanè, quàm cum doctiſſimo Heinſio ad allegorias confugere, quaſi videlicet ῥάβδος impropriè hîc notet potentiam ſeu στήριγμα, parentem & fratres in Ægypto ſuffulcientis.

VIII. Non omnino malè Vulgatus interpres verba Moſis reddit: *Adoravit Iſraël Dominum converſus ad lectuli caput.* At infeliciùs longè verba Apoſtoli, ſic reddit: *Et adoravit faſtigium virgæ ejus.* Unde colligunt Pontificii, Concilium Nicenum ſecuti, Jacobum adorâſſe baculum Joſephi, ſeu ſceptrum, ſive ut inſigne poteſtatis ejus, ſive ut ſignum Chriſti, adeóque fas etiam eſſe Chriſtianis imagines aliáve ſigna religiosè venerari. Verùm ſi concederemus, & baculum eum fuiſſe Joſephi, & inſigne poteſtatis, & adoratum fuiſſe, non idcirco adoratio ea, utpote merè civilis, poſt ſe trahit adorationem religioſam, utpote quæ non ex moribus hominum ſed Dei inſtituto pendet. Deinde quo jure excludit Vulgatus interpres præpoſitionem ἐπὶ? Quæ ſatis oſtendit non baculum fuiſſe objectum adorationis, cùm ſic dicendus fuerit προσκυνῆσαι τῇ ῥάβδῳ, ſed aliud à baculo diſtinctum, quod Joſephus baculo innixus adoravit. Quod etiam Hebræa lectio confirmat, in qua non מטה ſed על מטה adorâſſe dicitur. Ita 1. Reg. 1. 47. David dicitur adorâſſe על המשכב ἐπὶ τὴν κοίτην, non τὴν κοίτην. Et Eliezer Geneſ. XXIV. 52. dicitur προσκυνῆσαι ἐπὶ τὴν γῆν. Tertiò ipſe Vulgatus interpres in loco Moſis, adoratum dicit ab

Iſraële

Digitized by Google

Iſraële *Dominum*, non *Joſephum*. Nam quòd ea voce non *Deum* ſed *Dominum* terræ Joſephum indigitari fingit Vaſquez, planè impudens eſt, cùm nec Joſephus Dominus terræ fuerit, nec vox ea abſolutè poſita alium quàm verum Deum ſignificet.

IX. Joſephus à Jacobo, juramento ei præſtito, digreſſus, mox tamen nuntiato ei parentis morbo ad eum rediit. Cujus adventu lætus pater, & non tam humanitus quàm divinitus inſtitutionem ſanctam filiorum Joſephi enuntiaturus, cùm ſtare non poſſet more Prophetarum futura enuntiantium, in lecto ſe erexit, & promiſſiones ſibi divinitus de hæredibus & hæreditate ipſorum ab ipſo tanquam communi parente dividunda factas, apud ipſum repetiit, hac ratione indicans authoritatem, quâ fretus filiis Joſephi benedicturus erat. Benedictio porro illa filiorum conſiſtit tum in eorum tanquam hæredum inſtitutione, tum in hæreditate aſſignanda, tum in exprimendis ſignis benedictionis, quæ ſigillatim explananda.

X. Hæredes unciæ inſtituit Jacobus filios Joſephi cap. XLVIII. 5. *Nunc ergo duo filii, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam venirem ad te in Ægyptum,* לי הם *mei ſunt, Ephraim & Manaſſe,* כראובן ושמעון יהיו לי *ſicut Ruben & Simeon erunt mei.* Senſus eſt: Ephraim & Manaſſen pari loco futuros cum filiis ſuis, ut in hæreditate herciſcunda ex æquo partem accipiant, & peculiares tribus conſtituant. Et ne exiſtimaret Joſephus, pari cum cæteris fratribus loco non futuros, vel infimo loco futuros, eos adæquat Simeoni & Rubeni natis ex primaria uxore, & præ reliquis honore & dignitate pollentibus. De reliquis autem Joſephi filiis poſthac naſcituris ſubjicit Jacobus verſ. 6. *Liberi quos genueris poſt eos* לך *tui erunt.* על שם אחיהם יקראו בנחלתם *de nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.* q. d. ſi præter hos alii tibi naſcantur filii (quod an factum ſit, dicere non habemus) illi non ambulabunt cum his duobus pari paſſu, neque conſtituent peculiares tribus, neque ſeorſim à fratribus hæreditatis partem adibunt, ſed Manaſſi vel Ephraimo annumerabuntur, vel ſub iis comprehendentur. Quæ verò ratio moverit Jacobum, ut multiplicaret tribus, Hebræi quærunt. Jarchius ex Dei oraculo id conjectâſſe Jacobum reſpondet. Verba ſequentia Jacobo tribuit: בשרני שעתידים לצאת ממני עוד קהל ועמים ואע״פ שאמר לי גוי וקהל גוים גוי אמר לי על בנימין קהל גוים הרי שנים לבד מבנימין ושוב לא נולד לי בן למדני שעתיד אחד משבטי ליחלק ועתה אותה מתנה אני נותן לך *Promiſit mihi futurum eſſe, ut è me egrediantur adhuc cœtus & populi.* גוי *dixit mihi de Benjamin.* קהל גוים *ecce duo quomodo de ſolo Benjamin? At poſt eum non eſt mihi alius genitus. Proinde docet me quòd unam de tribubus debeam dividere.*

Apud

Apud Abenezram R. Gaon id Jacobum collegiſſe ex verbis Dei הנני מפרך *ecce creſcere facio te*, putat. Hæc enim verba Deum ad Jacobum feciſſe propter filios Joſephi demum naſcituros. Sed expoſitionem eam traducit ipſe Abenezra his verbis: אין לו טעם ו״ח *ſapore & odore caret.* Nam poſt eam prophetiam etiam Benjaminem natum eſſe, nec rationem reddi poſſe, cur diſtingueret Jacobus inter filios Rubenis & Joſephi. Ipſe verò Abenezra ideo hoc factum aſſerit, quia in Joſephum Jacobus, ſingulari nimirum erga ipſum affectu, jus primogenituræ, adeóque duas portiones transferre voluerit. Quod ipſum divino inſtinctu haud dubiè factum.

XI. Hæreditas verò Joſepho & filiis ejus aſſignatur à Jacobo in ea terra, in qua Rachel mater Joſephi, veniente Jacobo in terram Canaan, ſepulta eſt. Hoc innuere videntur verba Jacobi verſ. 7. quibus ſepulturæ Rachelis meminit. Locus enim ille fuit præciſè Ephraimi & Judæ conterminus. Sed ſermonem eum interrumpit Jacobus & ſuſpenſum relinquit uſque ad finem capitis, cùm per occaſionem filios Joſephi adeſſe animadverteret. At verſ. 21, 22. eum ſermonem proſequitur, ubi ait: ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמרי בחרבי ובקשתי *Ego verò dedi tibi portionem unam ultra fratres tuos, quam accepi è manu Emoræi gladio meo & arcu meo.* שכם אחד Græci Interpretes reddunt *Σίκιμα ἐξαίρετον Sicimam præcipuam.* At Thargum Onkeloſi חולק חד יתיר *partem unam præcipuam.* Nempe vox שכם appellativè accepta ſignificat *humerum, latus, partem, portionem*; quia ſolent homines res ſuas humeris aſportare: proprie verò, civitatem Hemor patris Sichem. Accipiendam eſſe hoc loco appellativè, ſatis indigitat particula אחד quæ parti rectè tribuitur, non civitati. Proinde etiam Syrus & Arabs appellativè convertunt. Interim eadem voce ſingulari ὑπαινίττεται ſubinnuit etiam Sichem, quæ fuit metropolis Ephraimi. Euangeliſta Johannes cap. IV. 5. id quod Jacobus Joſepho donavit, vocat *χωρίον agrum, prædium, villam*, & illud *χωρίον* diſtinguit à Sichem, utpote cui illud vicinum eſſe dicit. Hinc viri docti convellere ſe poſſe putant ſententiam eam, quæ urbem Sichem Joſepho à parente donatam exiſtimat, quam ſequuntur è Judæis Jarchius, è noſtris Hieronymus, Chryſoſtomus, Procopius, Lyranus, Mercerus, Fagius, Junius, alii. Verùm ratio ea id haud efficere videtur. Etenim Jacobus addicto Joſepho illo *χωρίῳ* ſeu prædio, ſimul addixit vicinam metropolin Sichem, imo totum vicinum tractum, qui poſtea tribui Ephraim ceſſit. Donatio partis importabat donationem totius. Imo donatum illud prædium erat ſymbolum, quo Joſephum immiſit in poſſeſſionem reliquæ terræ, quomodo moris eſt datâ glebâ immittere in poſſeſſionem totius fundi.

 Præterea

Præterea אש־ poni potuit pro כאשר hoc ſenſu: *Dedi tibi portionem eam unam ejus, quod acquiſivi* &c. Cùm igitur ex primogenitorum jure duplex hæreditas ad Joſephum, diſponente ſic Jacobo, pertineret, ſimplam hæreditatem ſive unciam, quæ ad Joſephum fuerat perventura, Jacobus reticet: ſed alteram quæ inſuper erat addenda ipſi, iis verbis Patriarcha circumſcribit.

XII. Anxiè hîc requirunt viri eruditi, quo ſenſu Jacobus dicat, ſe portionem eam Joſepho donatam è manu Emoræi gladio & arcu ſuo accepiſſe? Jarchius aliique eum ſecuti hoc explicant de cæde Sichemitarum patrata à filiis Jacobi, quam ipſam ſibi hic authori vendicare aſſerunt. Sed abſit Jacobum facinus filiorum, quod deteſtatus eſt uſque ad extremum halitum vitæ ſuæ, ſuum hic facere, adeóque illud ratum probatumque habere. Et ex facto filiorum iniquiſſimo nullum jus in urbem Sichem ſibi comparâſſet. Denique Sichem urbem filii Jacobi non è manu Amoræi, ſed Hivæi ceperunt. Quippe Hemor & Sichem Hivæi erant Geneſ. XXXIV. v. 1. Thargum Chaldaicum Onkeloſi gladium & arcum Jacobi accipit ſenſu metaphorico de oratione & deprecatione Jacobi. Sic enim reddit: *Ego tibi dabo partem præcipuam ſuper fratres tuos* די נסיבית מידא דאמוראה בצלו י ובבעותי *quam tuli de manu Amorhai oratione & deprecatione mea.* Neque paulò aliter Hieronymus: *Arcum hîc & gladium juſtitiam vocat, per quam meruit peregrinus & advena, interfecto Sichem & Hemor, de periculo liberari.* Verùm ne hoc quidem modo Jacobus urbem Sichem ſibi vindicâſſe cenſeri poteſt. Cùm enim factum filiorum graviter deteſtatus fuerit, perperam diceretur eos precibus ſuis adjuviſſe. Nec verba hæc *gladius* & *arcus* ita abſolutè poſita preces ac deprecationem notare queunt. Proinde etiam Toſtatus non impetrat aſſenſum, qui illud de retenta à Jacobo Sichem figmentum explodit equidem, at ſenſum eſſe putat: Jacobum precibus ſuis impetrâſſe, ut poſt vaſtatam Sichem agrum ſuum & prædium ab hoſtium incurſione tutum retineret. Etenim & hæc expoſitio allegorica eſt, nimiùm à litera recedens. Qualis etiam eſt altera Hieronymi, dicentis: *Vel certè ſic intelligendum: Dabo tibi Sicimam, quam emi in fortitudine mea, hoc eſt, in pecunia, quam multo ſudore & labore acquiſivi.* Neque etiam aſſeri poteſt, pecuniam iſtam gladio & arcu ſignatam fuiſſe, ut nummi Perſici ſignati erant Sagittario, quomodo teſte Plutarcho Ageſilaus dixit, ſe à Rege Perſiæ decem mille Sagittariis ex Aſia ſummotum, quòd Perſa totidem Daricos Oratoribus Atticis & Thebanis diſtribui feciſſet. Certum quidem eſt ex oratione Stephani, agrum *pretio argenti* emptum eſſe. Sed ſignum argento impreſſum agni fuit, non gladii & arcûs, uti alibi oſtenſum. Nec deſunt, qui putent, agrum, quem à filiis Hemor emerat, aliquando è

Digitized by Google

do è manu invadentium Amoræorum gladio & ſagittâ ſive armis à Jacobo ereptam & vindicatam eſſe. Ita Maſius Comment. in cap. ult. Joſuæ: *Jacobus redemit primùm pretio ab Hamoris populàribus exiguum fundum, in quo cum ſuis manere poſſet. Deinde paulatim ex vicino agro pepulit Amoræos, quem illi non jure ſed armis eripuerant Sicemitis, quum Jordanem transmiſiſſent populabundi.* Sequitur eundem Calixtus in hiſt. Joſephi pag. 67. Verùm ejus rei Scriptura nuſpiam teſtis eſt, minimè id ſilentio tranſitura, quòd non exigui momenti eſſet. Inclino igitur in eam potiùs ſententiam, quòd in verbis Jacobi ſit πρόληψις, ut ſe gladio & arcu ſuo cepiſſe dicat, quod poſteri ejus gladio & arcu capturi erant. Ita interpretatur etiam Abenezra, וטעם אשר לקחתי אשר יקחו ישראל בחרבם ובקשתם והזכיר האמורי בעבור שאין בשבעה גוים חזק כמוהו הלא תראה אחר שנהרגו שני מלכי האמורי הגדולים אמר יהושע להת אותנו ביד האמורי ואל תתמה על מלת לקחתי כי לאחר שהשם נתנה בפה לאברהם הם יחשבו שהיא שלהם וכן נאמר ליעקב לך אתננה ולזרעך: *Senſus verborum* אשר לקחתי *hic eſt: quam accipient Iſraëlitæ arcu & gladio ſuo. Meminit autem Amorhæorum, quoniam nulla de ſeptem gentibus illis fortitudine erat æqualis. Nonne animadvertis, quòd poſtquam occiſi eſſent duo Reges magni Amorhæorum, dixerit Joſua* (cap. VII. 7.) *ad ponendum nos in manu Amorhæi. Et ne mireris de dictione* לקחתי *acquiſivi, quia poſtquam Deus eam dediſſet ore Abrahamo, illi reputârunt quòd ſua eſſet. Et ſic dictum eſt Jacobo: Tibi eam dabo & ſemini tuo.* Eam ſententiam etiam probat R. Levi ben Gerſon, qui notat etiam, conſuetudinem hanc eſſe Prophetarum, reputare quod erit, ac ſi factum eſſet, hoc eſt, verbis præteriti temporis vel præſentis, futura tanquam non minùs certa enunciare. Dicuntur etiam patres facere quod liberi faciunt ob nominis ſanguinisque communionem. Exemplum conſpicuum ſupra habuimus Geneſ. XLVI. 4.

XIII. Nunc de ſignis, quibus Joſephum ejusque filios Jacobus de benedictione & inſtitutione antegreſſa confirmavit. Occaſio ſignorum impertiendorum inde oblata, quòd Jacobus ירא את בני יוסף *vidit filios Joſephi* verſ. 8. Quomodo verò videre potuit eos, cùm oculi ejus præ ſenio verſ. 10. ita comparati fuiſſe dicantur, ut videre non potuerit? Maimonides *Moreh Neboch* lib. 1. 4. notat, verbum ראה duas habere ſignificationes, quarum una de viſu oculorum, altera de judicio intellectûs uſurpetur. Igitur cæcutientem Jacobum oculis, vidiſſe hos nepotes ſuos animo. Rectiùs Abenezra, Abarbanel, Levi ben Gerſon ita explicant, ut viderit Jacobus vultus filiorum Joſephi, ſed quia obtuſa erat oculorum acies, eos perfectè dignoſcere non potuerit. Quæ cauſa eſt, cur quæſiverit ex Joſepho מי אלה *qui ſunt iſti?*

Digitized by Google

XIV. Signa porro Jacobi benedicentis nepotibus ſuis erant oſculum, amplexus, fotus inter genua, impoſitio manuum & ſermo. Nam Jacobus illos propiùs ad ſe accedere juſſos ישק ויחבק *oſculatus & amplexatus eſt* v. 10. Deinde eosdem inter genua foviſſe ipſum arguit verſ. 12. ubi Joſephus filios ſuos dicitur eduxiſſe מעם ברכיו *è genubus ejus*, nempe Jacobi. Nam pectori avi, dum eos oſculabatur & amplexabatur, incubuerant. Ne igitur imbecilli ſeni moleſtiam crearent, retrahit & abducit eos Joſephus, ac ſimul ad benedictionem accipiendam diſponit. Sed abductis ſic filiis ipſe Joſephus ישתחו לאפיו ארצה *incurvavit ſe in faciem ſupra terram.* Quæ quidem Joſephi erga Patrem reverentia eò ſpectabat, ut tum gratitudinem pro beneficio jam præſtito teſtarètur, tum benedictionem filiis impertiendam ſupplex ab eo peteret. Venerabatur enim patrem non ut patrem tantùm ſed etiam ut prophetam & Dei in hac actione miniſtrum.

XV. Deinceps manum iis imponit. Ubi diverſa Jacobi & Joſephi ſtudia emicuere. Nam Joſephus capit Manaſſen primogenitum ſuum ſiniſtrâ, quæ obverſa erat dextræ Jacobi, & Ephraimum minorem natu dextrâ ſiniſtræ paternæ obverſâ, hunc omnino in finem, ut pater dextram ſuam, quæ eſt ſignum fortitudinis, gloriæ, lætitiæ primogenito imponeret. Sed Jacobus ſpiritu prophetico edoctus, Ephraimi poſteros fortunatiores ac potentiores futuros, alia omnia agit. Nam שכל את ידיו *prudenter dirigens* vel advertens *manus ſuas*, perinde ac ſi ipſæ intelligerent, quod facere inſtituerat, uti Abenezra notat; ἐναλλάξας τὰς χεῖρας *commutans manus*, uti Græci & Vulgatus ſenſum potiùs quàm verba ſpectantes reddunt, brachiis decuſſatis, ſive crucis in formam modumque extenſis, dextram Ephraimo, ſiniſtram Manaſſi impoſuit. Ubi fruſtra Bonfrerius aliique Papiſtæ hac manuum decuſſatione inſinuari & præmonſtrari crucis myſterium nugantur. Etenim ratio illius decuſſationis manifeſta eſt ex verſ. 19. ut incertis ſpeculationibus inhærere nihil attineat.

XVI. Atque hîc quidem prima in ſacris mentio eſt χειροθεσίας, ſeu *impoſitionis manuum.* Secutis temporibus Deus ipſe præcepit Moſi, ut Joſuæ coram Eleazaro imponeret manus Num. XXVII. 18, 19, 23. Deut. XXXIV. 9. ubi de Moſe dicitur סמך את ידיו עליו *manus ſuas impoſuerat ei* Joſua. Unde ipſa χειροθεσία Hebræis venit nomine סמיכת ידים. Ex eo autem, quòd Moſes juſſus eſt Joſuam inaugurari impoſitione manuum, manavit deinceps, ut apud illam gentem in omni fere ſacra & civili ad publicum aliquod munus, ſive etiam ad ſimplicem dignitatem ordinatione, manûs impoſitio uſurparetur. Etiam Senatorum, Archiſynagogorum & Seniorum

rum Synagogæ munia eo ritu collata ſunt. Et Rabbinos ſeu Doctores Hebræos ritu *χειροθεσίας* creari hodiéque moris eſt. A quo ritu ipſa promotio vocari ſolet סמיכה vel סמיכות ידים· Videſis quæ de eo habent Buxtorfius *in Lex. Talmud.* voce סמך necnon Galatinus *de Arc. Cath. relig. lib.* IV. 5. Ex Jacobi autem exemplo, nepotibus ſuis impoſitis manibus benedicentis, Hebræis ſemper obſervatum, ut ad eos, qui ſanctimoniâ præſtare cæteris crederentur, pueros deferrent, ipſorum precibus commendandos διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως. Et hunc morem hodiéque apud eos manere dicit. Fuiſſe certè eum morem tempore Chriſti receptum, liquidò oſtendit, quòd Chriſto oblati ſunt parvuli, ut eis manus imponeret & oraret Matth. XIX. 13. Et qui offerebant parvulos, petebant ut iis manus Chriſtus imponeret, minimè id facturi, niſi mos ille publicè receptus fuiſſet, ut parvuli virorum inſignium precibus & manu benedicerentur. De ritûs ipſius ratione non una eſt eruditorum ſententia. Grotius in Matth. IX. 17. putat eam propriè deſignare efficaciam divinæ potentiæ. Idque ex Act. XIV. 30. Ubi χεῖρα ἐκτεῖναι de Deo eum in ſenſum uſurpatur, probat. *Ideo*, inquit, *quia per preces divina potentia pro altero invocabatur, uſitata erat cum precibus manuum impoſitio.* Verùm aliud eſt imponere manus, aliud ſimpliciter ἐκτεῖναι *extendere* eas. Prioris non poſterioris ritus ratio reddenda. Sanctius in Act. VIII. 17. obſervat, manuum impoſitionem plerumque fieri à ſuperiori aliqua poteſtate, quæ inferiorem aliquem muneri alicui conſecrat, aut illi beneficium aliquod optat vel impertit. Cùm igitur per *manum* poteſtas ſignificetur, unde illa *ſub manu alicujus eſſe, in manum alicujus venire*, in jure Romano de uxore, quæ in viri poteſtatem venit; & *ſervum manumitti*, cùm heri poteſtate abſolvitur; ſigno hoc impoſitionis manuum ſubjectionem ejus, qui alienam in poteſtatem concedit, notari colligit. Verùm hoc ſubtilius quàm ſolidius eſt. Etenim ſi hæc eſſet ritûs illius ratio, non tam imponenda manus fuiſſet, quibus ex more imponebatur, quàm ii potiùs alteri alicui in manum, aut ſub manum tradendi, ut in matrimoniis ex jure Romano fieri ſolebat. Tum parum liquet, quem iſta ratio locum habuerit in hac ipſa benedictione Jacobi, in qua non id utique intendit, ut ſui juris & beneficii faceret nepotes, qui antea paternæ ejus poteſtati obnoxii erant. Ita cùm ægrotos liberarent Prophetæ impoſitis manibus, non utique hic ritus indicium præbuit ægrotantium vel convaleſcentium Prophetarum poteſtati ſubjectorum. Simplicius igitur & probabilius eſt, hoc ritu id tantùm ſignificatum, quòd in ejus, cui precatio totáque actio fiebat, caput quæratur benedictio, beneficium aut munus, de quo preces fiebant, vel arceſſatur

 mors,

mors, de qua conteſtabantur. Nam quicunque manus imponebant, Deum vel expreſſè vel tacitè precabantur; qui benedicebat, ut in puerum ſuæ bonitatis munera effunderet; qui ægrotum curabat, ut fugato morbo vires ac valetudinem immitteret; qui muneri præficiebat, ut dona ad id gerendum neceſſaria conferret; qui victimam offerebat, ut mortem, quæ in ejus caput ſtatim erat incubitura, acceptam haberet; qui denique reum vel ſuo teſtimonio, vel ſuo miniſterio ad mortem ducebat, ut quam commeritus erat pœnam, ſuo is capite lueret. Ita Jacobus Geneſ. XLIX. v. 26. benedictionem optat לראש יוסף *in caput Joſephi.*

XVII. Sequitur ipſe ſermo, quo nepotibus benedixit Jacobus. Sic autem habent verſ. 15, 16. *Deus in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei Abraham & Iſaac, Deus* הרעה *qui pavit me à tempore meo uſque ad diem hunc.* המלאך הגאל אתי מכל רע *Angelus ille qui vindicavit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis, & vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum Abrahami & Iſaaci, & multiplicentur plurimùm in medio terræ.* Benedictionem petit primò *à Deo, in cujus conſpectu ambulârunt patres* ejus *Abrahamus & Iſaacus.* Nempe quia benedictio, quam mox enuntiaturus erat, pendebat à fœdere cum Abrahamo & Iſaaco percuſſo, eorum fides intervenire debuit. Deus enim illos unâ cum ſemine illorum elegit ſibi in populum. Et ideo fuit efficax divina promiſſio, quia fide apprehenſa radicem vivam egit. Unde factum ut jus ſucceſſionis ad ipſum Jacobum transmiſerit. Non igitur fruſtra nec intempeſtivè patrum fidem in medium proponit, utpote ſine qua non fuiſſet legitimus gratiæ ſucceſſor ex Dei fœdere: Non quia Abrahamus & Iſaacus ſibi & poſteris acquiſiverint tantum honorem, vel à ſe ipſis excelluerint: ſed quia Dominus fide conſignat ac ſancit, quæ nobis promittit beneficia, ne effluant. Deinde benedictionem petit à Deo הרעה *qui pavit ipſum* מעודי עד היום הזה *à tempore ipſius uſque ad diem hanc.* Pro מעודי Græci habent *ἐκ νεότητος à juventute.* Thargum Onkeloſi מראיתי *à nativitate mea.* Syrus מטליותי *à pueritia mea.* Optimè & ad verbum Arabs, מנד כנת *à quo fui.* Oſtendit iis verbis, ſe inde à pueritia divinum erga ſe favorem aſſiduè expertum eſſe. Perinde ac ſi diceret, non inania verba fore, quibus benedictionem iis petiturus erat, cùm & ipſe totâ vitâ ſuâ ejus benedictionis fructum perceperit. Sic igitur ſeipſum tanquam exemplum luculentiſſimum ſiſtit, cujus experimento conſtet, quàm verè & bonâ fide pepigiſſet Dominus, ſe Abrahæ filiis fore in patrem. Paſcuntur ſanè, imò etiam ſaginantur Dei liberalitate increduli. Sed aliter Deus pavit Jacobum, cujus beneficia ipſi fuerunt pignora & teſſeræ paterni erga ſe favoris. Denique petit benedictionem ab המלאך הגאל אותו מכל רע

Angelo

Angelo illo, ipſum ab omni malo vindicante ſeu aſſerente. Fueritne Angelus ille λειτουργικὸς *ſervilis*, an Angelus Fœderis, ipſe Jehova, poſtmodum diſceptabimus, ubi primùm ipſam benedictionis formulam expoſuerimus.

XVIII. Tria in univerſum Jacobus in benedictione ſua precatur ſuis ex Joſepho nepotibus. Primum ut Deus ille, coram quo patres ejus ambulârunt יברך את הנערים *benedicat pueris iſtis.* Ubi benedicere nihil aliud eſt quàm beneficium conferre, augere omnibus bonis, imo amplificare & multiplicare, uti ſequentia declarant. Secundò precatur iis, *ut vocetur in iis nomen ſuum, & nomen patrum ſuorum Abrahami & Iſaaci.* Hæc nota eſt adoptionis. Suum illis nomen imponit, ut inter Filios ac Patriarchas impoſterum cenſeantur, & ejuſdem cum illis hæreditatis compotes facti pari loco & ſorte habeantur, adeóque in capita ſuccedant, non ſtirpis nomine. Quæ ipſis prærogativa præ reliquis Jacobi nepotibus eximia fuit. Sic invocari nomen mariti dicitur ſuper uxorem Eſai. x. 1. quia uxor à capite cui ſubeſt nomen mutuatur. Ut ridiculi planè & ſtupidi ſint, qui cum Eccio & Bellarmino hinc colligunt, mortuos invocari poſſe. Cumque hoc prætextu innumeros ſibi patronos fabricati ſint, mirum eſſe meritò monet Calvinus, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum tanquam indignos fuiſſe præteritos. Quantò rectiùs Toſtatus hæc Jacobo verba tribuit: *Rogo Deum, quòd faciat eos vocari nomine meo, ſcilicet quòd vocentur de Jacob, & ſint duo capita tribuum inter filios Jacob.* Noſtri etiam hîc ſunt Ribera, Cajetanus, Cornelius à Lapide, Hugo Cardinalis, necnon Arias Montanus in Idiotiſmis & Hector Pintus Luſitanus aliique. Vide de eo plura apud Sixtum Senenſem Annot. Bibl. p. 277, 278. Tertiò precatur nepotibus ſuis ידגו לרב בקרב הארץ *πληθυνθείησαν εἰς πλῆθος πολὺ ἐπὶ τῆς γῆς, multiplicentur in multitudinem multam ſuper terram.* Sed emphaſin verbi ידגו meliùs expreſſit Thargum Onkeloſi וכנוני ימא יסגון בגו בני אנשא על ארעא & *quaſi piſces maris multiplicentur inter filios hominum ſupra terram.* Nempe דגה notat multiplicationem, qualis eſt piſcium in mari. Nota autem eſt piſcium fœcunditas. Quæ quidem multiplicatio & amplificatio promiſſa erat etiam Patriarchis Jacobi majoribus. Itaque ſumma benedictionis huc redit, ut Dominus in iis compleat, quod identidem Patriarchis eſt pollicitus.

XIX. Proclive nunc conjectu erit, quis fuerit המלאך הגאל *Angelus ille vindex*, à quo juxta Deum Jacobus benedictionem in caput ſuorum nepotum expetiit. Notum eſt non Judæos tantùm, ſed Pontificios hîc etiam cæſpitare, qui Angelum ſervilem ſive creatum intelligentes Ἀγγελο-
θρησκείαν

θρησκείαν ſuam hinc palliare ſatagunt. Etiam Chryſoſtomus *homil. de aſcenſione* ex hoc loco probat, Angelos piorum hominum curam gerere, & ad eorum tutelam ubique iis adeſſe. Baſilius lib. 3. contra Eunom. init. hinc deducit, *συνεῖναι ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελον, οἷον παιδαγωγόν τινα καὶ νομέα τὴν ζωὴν διϊθύνοντα*, *ſingulis fidelibus Angelum adeſſe ut quendam pædagogum & paſtorem ad vitam dirigendam.* Sed & Calixtus eumque ſecutus Hackſpanius putant extra negotium incarnationis & redemptionis noſtræ, quando non agitur de filio Dei in carnem propter ſalutem noſtram mittendo aut jam miſſo, ſed ut hic, de rebus longè aliis, de proſperitate videlicet uni & alteri homini conferenda, tutum non eſſe Filium Dei Angelum, hoc eſt, nuntium, legatum, ſive quod idem eſt, miniſtrum dicere. Nihilominus jam olim Athanaſius oratione 4. contra Arianos & Cyrillus Theſauri Sermone vel Aſſertione XII. & Glaphyris in hunc locum, hosque ſecutus Procopius Gazæus Angelum magni conſilii, id eſt, ipſum Filium Dei intelligunt. Quod ita evidens eſt, ut nihil eſſe poſſit evidentius. Non enim Jacobus obiter & ſeorſim loquitur de Angelo, ut optet ab Angelo cuſtodiri filios Joſephi, nempe ut miniſtro Dei mittendo ad ſalutem ipſorum; ſed de induſtria, cùm dixiſſet: *Deus ille, coram quo ambulârunt patres mei: Deus qui paſcit me*; antequam quidquam à Deo petat, adjungit: *Angelus qui aſſerit me* &c. Non dicit, *Deus, qui miſit Angelum ſuum mittat eum; vel, cujus Angelus me cuſtodivit, mittat eundem* &c. Sed ſimiliter atque *Deum* nominaverat invocandi gratiâ, pariter benedictionem à Deo & ab Angelo petit. Deinde Angelum eum Jacobus vocat הגואל ἀγχιστεύοντα, *aſſertorem* ac *vindicem*, hoc eſt, ſibi aſſerentem tanquam rem, peculium, hæreditatem ſuam, cujus ipſe Dominus erat. Nam גואל *aſſertor* dicit, *Hic meus eſt* Eſai. XLIII. 1. Et quis eſt גואל *aſſertor* Jacobi? Idem Eſaias docet cap. XLI. 6. *Sic dixit Jehova Rex Iſraëlis, & aſſertor ejus Jehova Deus exercituum.* Præterea Jacobus ab Angelo illo non miniſterium aliquod, puta cuſtodiam, tutelam vel ſimile quid petit, ſed ut nepotibus ſuis *benedicat.* Quid autem hic eſt benedicere niſi beneficium conferre? Et omnis illa benedictio, quæ à Jacobo intelligi potuit, eſt divina ἐνέργεια procedens à divina potentia, divitiis divinis, poteſtate divina, voluntate & gratia divina. Quòd ſi hoc petiit Jacobus, ut Angelus ſervilis intercederet pro nepotibus ſuis, aut faveret iis à Deo benedicendis: cur de uno dixiſſet, *Angelus ille vindex benedicat pueris iſtis?* Cur non potiùs dixiſſet: *Benedicant illis omnes Angeli & omnes homines?* Denique Angelum illum vocat Jacobus גואל *vindicem* מכל רע *ab omni malo*, adeóque etiam à peccato, à judicio Dei, à poteſtate Diaboli, ab omni miſeria. Nam quomodo

modo malum non aufert, non avertit, qui quem ut ſuum & tanquam jure ſuo eripit *ex omni malo?* At talis vindex à peccato & Diaboli poteſtate non fuit Angelus ſervilis, ſed Angelus Fœderis, deſtinatus nimirum, ut mitteretur in carnem ad divini Fœderis Sanctionem. Veritati manus dedit Moſes Gerundenſis, ita in hunc locum commentatus: המלאך הגואל הוא העונה אותו בעת צרתו ושאמר לו אנכי האל ביתאל והוא שנאמר עליו כי שמי בקרבו *Et Angelus* גואל *aſſertor is eſt, qui ei reſpondebat in anguſtia ſua, & qui dixit ipſi: Ego Deus Bethel. Et is eſt de quo dicit: Nam nomen meum eſt in medio ejus.*

XX. Cæterùm Joſepho diſplicuiſſe dicitur, quòd Jacobus dexteram impoſuit capiti Ephraimi, ſiniſtram capiti Manaſſis, adeò quidem, ut interturbans patrem benedicentem, commutare ejus manus, & dexteram in caput Manaſſis detorquere conaretur. Putabat nempe hebetudine viſûs errare parentem. Sed arcanum is ſecutus erat ducem Spiritum Dei, ut jus honoris, quod natura contulerat primogenito, in minorem natu transferret. Sicut enim temerè benedicendi partes non ſumpſit: Ita nihil illi fas fuit proprio arbitrio tentare. Et tandem eventus probavit, dictatum illi è Cœlo eſſe, quod protulerat. Proinde modeſtis verbis Joſepho Jacobus reſpondet, ſibi facti ſui rationem probè conſtare. Et ne Manaſſen planè neglectum putet, tum ritum ſuperiùs adhibitum explicat, tum benedictionem ipſam illuſtrat his verbis verſ. 19. *Etiam ipſe* (Manaſſes) *erit in populum, atque etiam ipſe creſcet. Veruntamen frater ejus minor creſcet magis quàm ipſe. Et ſemen ejus erit* מלא הגוים *εἰς πλῆθος ἐθνῶν, multitudo gentium.* Non diſputat uter ſit altero dignior, ſed pronuntiat tantùm, quid apud ſe Deus de utroq; decreverit, & quid futurum ſit longo poſt temporis ſucceſſu, nimirum majori incremento beandam eſſe poſteritatem Ephraimi, (utpote quæ futura ſit מלא הגוים plenitudo gentium.) Quæ verba ἐξηγεῖται Thargum Onkeloſi: ובנוהי יהון שליטין בעממיא *Et filii ejus erunt dominantes in populis.* Nempe Regnum decem tribuum in Ephraimi poſteritate cœptum eſt, & in eadem diu conſedit. 1. Reg. XI. 26. Itaque Prophetæ illud Regnum Ephraimi nomine appellant. Quod eſt in terra, & terram replet, plenitudo dicitur terræ. Quod eſt in mari, plenitùdo maris Pſal. XCVI. 11. XCVIII. 7. Eſai. XLII. 10. Sic igitur etiam Ephraim dicitur futurus *plenitudo gentium*, quia tribus Ephraim futura erat tum ampla, tum glorioſa, Principum, Regumque genitrix. Jarchius putat, dictum hoc eſſe propter Joſuam, cujus nomen & fama implebat totum mundum, cùm fecerit ſolem & lunam ſtare. Id minùs appoſitum. Quod ad numerum prolium attinet, Manaſſis filii fuerunt numerati 52700 Ephraimi 32500

Tttt Num.

Num. xxvi. 34, 37. Et ex libro Judicum apparet, Ephraimitas magnos animos geſſiſſe. Tranſtulit ad ſe regnum. Et decem tribus nomine Ephraim ſæpe nominantur, ut Jerem. xxxi. 18, 19, 20.

XXI. Inde ab initio mundi in benedictionum divinarum diſtributione minores majoribus prælatos videmus. Sic Caino Habel, Japheto Sem, Iſmaëli Iſaacus, Eſavo Jacobus, Rubeni Judas & Joſephus, hîc Manaſſi Ephraim, filiis Iſai natu majoribus David præpoſitus eſt. Cujus quidem naturalis ordinis inverſi haud alia verè ratio præter liberrimam Dei voluntatem reddi poteſt. Nam meritis quidem propriis eos diſcretos minimè videmus, præſertim cùm Jacobus Eſavo fuerit prælatus, antequam uterque quidquam boni vel mali patrâſſet Rom. ix. 11. Quin poſteritas Ephraimi multò deterior evaſit poſteritate Manaſſis. Sic ergo ſæpè conſultò Deus jura naturæ mutavit, ut intelligeremus in mero Dei arbitrio poſitum eſſe, quod gratis nobis confert. Si enim cuique rependeret Deus quod debitum eſſet, tum gratiis ejus certa præfigi poſſet regula. Verùm cùm nemini quicquam debeat, jure ſuo liber eſt in diſtribuendis donis ſuis. Agnoſcit etiam Pererius, hac ratione adumbratum fuiſſe myſterium divinæ electionis hominum ad gratiam & vitam æternam, ac præterea ſignificatum eſſe, quàm diverſa ſint judicia & ſententiæ Dei à judiciis & ſententiis hominum.

XXII. Benedictionem hanc finit Jacobus his verbis verſ. 20. בך יברך ישראל *In te benedicet Iſraël: Ponat te Deus ſicut Ephraim & ſicut Manaſſe.* Ubi בך ſignificat, *inſtar tui.* Particula enim ב fungitur loco כ particulæ ſimilitudinis. Mutat numerum, cùm ante dixiſſet *eis.* Nempe filiorum proſperitas & patris una cenſebatur. Nam multiplicato & proſperè agente ſemine Joſephi, ipſius quoque Joſephi ſemen multiplicari & proſperè agere reputabatur. Senſus igitur eſt, adeò felices futuros hoſce nepotes ſuos, ut Iſraëlitæ proſpera ſibi aliiſve optantes, eos in exemplum ſint producturi, & ſuis felicitatem huic ſimilem apprecaturi. Qui quidem mos hodiéque apud Judæos durat. Qui enim manu impoſita pueris benedicit, his verbis utitur, ſiquidem puer ſit: ישמך אלהים כאפרים וכמנשה *Ponat te Deus ſicut Ephraim & Manaſſe.* Quod ſi filia eſt, cui benedicitur, hac formulâ utuntur: ישמך אלהים כשרה וכרבקה *Ponat te Deus ſicut Saram & ſicut Rebeccam.*

XXIII. Benedictio porro hæc Jacobi, quâ nepotes ſuos adoptat, ſimulque iis regale veluti patrimonium, ſextam nimirum terræ Canaan partem aſſignat, fidei tum ipſius Jacobi erga divinam promiſſionem ad extremum uſque halitum flagrantiſſimæ tum & Joſephi ſingulare documentum

Digitized by Google

mentum præbet. Cùm enim Jacobus in terra Canaan peregrinus & exul vixerit, potuiſſet non ipſe tantùm præ ſenio videri delirare, qui adoraret ea, quæ ejus in poteſtate non erant: ſed etiam Joſephus umbram pro re ſolida prenſare, qui cùm eo loco in Ægypto eſſet, qui filiis ſuis ibidem natis ampliſſimas poſſeſſiones procurare, eoſque inter Regni Proceres collocare poſſet, magni tamen beneficii loco duxit clauſulam teſtamenti paterni, quâ videbatur in exilium ſuis cum poſteris evocari. Sed videlicet ea fuit vis fidei ipſorum, *ὑποστάσεως τῶν ἐλπιζομένων, καὶ ἐλέγχου μὴ βλεπομένων*. Verbo Dei uterque adhærens, quod ſenſu & ratione non aſſequebantur, id Deum pro ſua bonitate & potentia effectum daturum minimè dubitabant.

XXIV. Deinceps Jacobus ſe accingit ad benedicendum ſingulis filiis, toto capite XLIX. Quaſi quidem benedictiones myſterii pleniſſimas ſingulari diſſertatione proximè ſequenti explicare Σ. Θ. conabimur. Iis benedictionibus cùm finem impoſuiſſet, filiis univerſis, uti antea ſoli Joſepho, ſepulturæ ſuæ modum præſcribit, atque ſic: יאסף רגליו אל המטה ויגוע ויאסף אל עמיו *collegit pedes ſuos in lectum & obiit: aggregatusque eſt ad populos ſuos* cap. XLIX. 33. Compoſuit ſe iterum moriturus ad modum ejus, qui ſanus & vegetus ſe ad placidum ſomnum componit. Nam prophetans hactenus & benedicens, alacri fuiſſe animo, & in lecto erectus ſediſſe omnino videtur. Atque ſic placidè in Domino obdormivit. Ad populos verò ſuos congregatus dicitur eodem modo, quo Abrahamus ſupra cap. XXV. 8. Eam phraſin explicatam dedimus Exercit. III. 67.

XXV. Mortuum parentem Joſephus, provolutus in terram uberibus lachrymis, ut ſunt juxta Homerum *ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες*, irrigavit, & oſculis proſecutus eſt, ut quàm ægrè ab ejus amplexu ſe divelli pateretur, teſtatum ederet. Hac pietate defunctus ad ſuprema officia, quæ *juſta* vocârunt Latini, quòd juſtè fierent iis, qui de nobis præclarè merentes mortui fuerant, perſolvenda Jacobo ſe accingit. Et ante omnia quidem רפאים *medici* ejus, hoc eſt, ii qui unguentis corpora curabant, quæ ob id Latinè quoque *medicata* dicuntur Pomponio Melæ lib. I. cap. 9. perinde ut Græcè *θεραπευθέντα* Diodoro Siculo lib. I. hi inquam Medici ſeu *ἐνταφιασταὶ*, uti Græci Interpretes, *ταριχευταὶ*, uti Diodorus, ita jubente ipſo, ויחנטו את ישראל *aromatibus condiverunt Iſraëlem*, cap. L. 2. Nempe quia cadaver ex Ægypto transportandum erat in terram Canaan haud modico itinere & per regiones calidas, corporis ejus conditura erat omnino neceſſaria. Aliâs *Ægyptiis mos eſt cadavera aſſervare medicata*, uti loquitur Plinius Hiſtor. Natural. lib. XI. 37. Et *mortuos ab Ægyptiis condiri & domi*

 ſervari

ſervari ait Tullius Thuſcul. quæſt. lib. 1. Plato quoque Phœdone: *Corpus arefactum & conditum, quemadmodum in Ægypto condiunt, diu incorruptum permanet.* Argumento eſſe poſſunt, quæ hodiéque ad nos ex Ægypto adferuntur corporum conditurӕ, quæ caromomiæ aliâs Mummiæ nomine in officinis veniunt. Modum condiendi deſcribunt Herodotus medio libro ſecundo, & Diodorus Siculus lib. 1. num. 91. Hac nimirum arte ita Ægyptii defunctorum cadavera ſiccabant, ut quaſi ænea redderentur, quæ etiam linguâ ſuâ *Gabaras* appellabant, uti teſtatur Auguſtinus *de diverſ.* Serm. 120. cap. 22. Duravit ea corporis Jacobi conditura ſeu pollinctura ארבעים יום *quadraginta dies* verſ. 3. Diodorus quidem περιχεύοντ huic plures quàm triginta, Herodotus verò ad extremum ſeptuaginta dies impendi, quot nimirum dies luctus hîc narrat Moſes, memorant. Itaque non eadem quovis tempore adhibita vel condiendi ratio, vel temporis ſpatium. Hæc autem conditura à Medicis juſſu Joſephi facta, ipſi Joſepho verti vitio minimè poteſt, cùm videamus ab ipſo Chriſto ejusmodi conditurам rejectam non eſſe. Neque enim hunc finem propoſitum habuit Joſephus, ut cadaver conditum domi ſervare, & hoc ſpectaculo oculos ſuos ſubinde paſcere poſſet, qui finis pravus fuit Ægyptiorum condientium, ut Lucianus & Diodorus Siculus deſcribunt: ſed alia omnia, nimirum ut corpus Jacobi, ſicut ſacramento obſtrictus erat, commodè in terram Canaan deportandum, & in gentilitium ſepulchrum inferendum curare poſſet.

XXVI. Porro & ipſi Ægyptii Jacobum ויבכו שבעים יום *fleverunt ſeptuaginta diebus.* Totidem nempe diebus publici luctûs ſigna pro ſuo more exhibuerunt, quomodo apud nos qui lugent, atrati & pullati incedunt. Id in aulis præcipuè uſurpari ſolitum eſt, ut publici luctûs ſigna depromantur, ſi qui ex magnatibus functi fato fuerint. Aulam verò imitantur reliqui ferè omnes. Cùm igitur Joſephus ſumma authoritate apud Ægyptios pollens, optimum parentem amiſiſſet, ſuæ erga ipſum teſtificandæ reverentiæ ergo, eadem ejus parenti officia deferre non ſunt dedignati. Dies hos ita dividunt Hebræi, ut quadraginta ἐνταφιασμῷ, triginta verò fletui deputati fuerint. Jarchius: ארבעים לחנטה ושלשים לבכי לפי שבאה להם ברכה לרגלו שכלה הרעב והיו מי נילוס מהברכין: *Quadraginta dies ad conditurам, triginta ad fletum: quoniam ipſis benedictio evenerat ad pedem ejus, & finita eſt fames, ac benedictæ Nili aquæ.* Ita etiam Michlol Ioſephi. Verùm textus clarè fletui ſeu luctui non triginta duntaxat, ſed ſeptuaginta dies tribuit. Neque ratio apparet, quæ permittat diſcedere à proprietate literæ. Novimus equidem Aharonem triginta diebus, & totidem Moſen

Digitized by Google

Moſen Iſraëlitas luxiſſe. Sed eandem fuiſſe Ægyptiis & Hebræis lugendi rationem, idem tempus, non conſtat. Imò dies ſeptuaginta duos luctui Regio apud Ægyptios impenſos eſſe teſtis eſt Diodorus Siculus lib. I. Ut enim quintam partem proventuum ſuorum ex Joſephi præſcripto Regibus viventibus penſitabant: ſic Regibus defunctis quintam ferè anni partem luctui dabant. Sed immodicus erat, inquies, iſte luctus, & ſtrepera nimis triſtitiæ incitamenta, plus ambitionis quàm pietatis, plus falſi quàm veri habentia. Fateor equidem. Sed morem illum non invexit Joſephus, verùm invectum peculiares ob cauſas uſurpari paſſus eſt, quò damnabiliores eſſent ii, qui poſteros inſontes vexaturi erant, quorum parentem regiis honoribus affecerunt. Sed & optimatibus ac Regibus aliquid debetur, quò à vulgi fæce faciliùs internoſcantur.

XXVII. Poſt exactum luctûs publici tempus, Joſephus quam fidem juratam de transferendo corpore parenti dederat, exolvere ſtudet. Nempe cùm ipſe utpote pullatus coram Rege comparere non auderet, juxta legem in aula etiam Perſica, uti ex Eſther. XII. 2. colligere licet, vigentem, internunciis apud Pharaonem uſus commeatum liberum à Rege petiit, prudenter prætexens non cauſam religionis & ſanctitatis ſimpliciter, ſed cauſam communem ſepulchri religioſi & familiaris, necnon adjurationis conjunctæ, ne quid eſſet, quo Pharaonis aut Ægyptiorum animi in hac poſtulatione offenderentur. Dubitationem habet, quòd internunciis mandat Joſephus, dicerent Pharaoni: *Pater meus adjuravit me dicendo: Ecce ego morior, in ſepulchro meo* אשר כריתי לי *quod fodi mihi in terra Canaan, ſepelies me* verſ. 5. Etenim non Jacobus, ſed Abrahamus ſepulchrum ab Ephron Hitthæo ſibi comparaverat Geneſ. XXIII. 16. Verùm nihil obſtat quò minùs Jacobus in eadem terra, quam emerat in uſum ſepulturæ, ſibi ſuperſtes ſepulchrum foderit tum temporis, cùm ibi Leam uxorem ſepelivit. Simile quid de Aſa 2. Chron. XVI. 14. de Sebna Eſai. XXII. 16. legere eſt. Putant alii כרה hoc loco habere notionem emendi. Unde מכר & מכרה *pretium.* Et ſumendum eſſe *emi* pro *ex empto acquiſivi.* Ita Grotius. Longiùs quidem petitum illud. Alii dicunt titulum authoris eſſe titulum hæredis. Quod igitur fecit Abrahamus, rectè id ſibi vindicare Jacobum. Quæ poſtrema expoſitio præbet ſolutionem dubii loci, qui extat Act. VII. 16. de quo ſuperiùs à nobis actum. Cæterùm liberum, quem per internuntios expetiit à Pharaone Joſephus, commeatum nullo negotio impetravit.

XXVIII. Funus in terram Canaan uſque proſecuti ſunt tum primores Ægypti, famuli Pharaonis, necnon univerſa domus Jacobi, ex-

ceptis iis, qui juſtam ætatem nondum attigerant. Novem fuiſſe turmas funus Jacobi in terram Canaan deducentes, obſervat R. Bechai in כר הקמה fol. 7. In prima acie collocat Joſephum, in ſecunda omnes ſervos Pharaonis ſeu Principes, in tertia Seniores domûs Pharaonis, in quarta omnes Seniores terræ Ægypti, in quinta domum Joſephi, uxorem nimirum, liberos, ſervos & ancillas ejus, in ſexta fratres omnes Joſephi, in ſeptima majores natu illorum fratrum, in octava currus, in nona denique equos. Sed turmarum harum diſpoſitionem ex ingenio ſuo, non Scriptura depromſit. Quicquid verò ſit, ſicut luctus ita etiam funus, quod proſequebantur tot illuſtria agmina, tantùm non Regium fuit. Nec abs re voluit Deus tam honorificè hoc funus celebrari. Interfuit enim non parum, quaſi ſublime trophæum erigi, quod memoriam fidei Jacob ad poſteros uſque transmitteret. Si clam & plebejo more fuiſſet ſepultus, protinus extincta eſſet fama. Nunc verò futurum erat, ut aſſiduè iis ante oculos verteretur nobile ſpectaculum, quod ſpem hæreditatis promiſſæ foveat.

XXIX. Cùm perventum eſſet Goſen Atad uſque, diſtantem tribus paſſuum millibus ab Jerichunte; duóbus à Jordane, uti Hieronymus notat, ibi יספדו כספד גדול וכבד מאד ויעש לאביו אבל שבעת ימים *planxerunt planctu magno & gravi valdè, fecitque patri ſuo luctum ſeptem diebus* verſ. 10. Cur verò planctum eum non diſtulerint Iſraëlitæ ad locum ſepulturæ, rationem eam reddunt nonnulli, quòd tutius fuerit conſiſtere ad fines terræ Canaan, ut Cananæis hoſtile quidpiam molientibus expeditior eſſet fuga in Ægyptum. Ita Pererius: Sed forte metus non erat, ne Cananæi Ægyptiis potentioribus moleſtiam faceſſerent. Videntur potiùs poſt trajectum vadum planctum ſuum inſtituiſſe, quia ibi ingreſſi erant regionem, in quam mortuum deportabant. Quoad tempus autem ſeptidui, incertum eſt, an antehac etiam ſive lege ſive conſuetudine quadam inoleverit inter Hebræos mos lugendi per ſeptem dies. Sed verò conſtat, eum ſeptiduani luctus morem apud Hebræos manſiſſe. Siracides cap. XXII. 12. πένθος νεκρῦ ἑπτὰ ἡμέραι, *luctus mortui ſeptem dies.* Apud Joſephum ejusdem moris ad ultima uſque tempora ſervati memoria eſt, necnon apud Clementem Stromatum lib. IV. Sed hoc ipſum aliis quoque gentibus uſurpatum eſſe, teſtis eſſe poteſt Ammianus Marcellinus lib. XIX. *Per dierum*, inquit, *ſpatium ſeptem, viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, ſaltando & cantando triſtia quædam genera næniarum, Regium juvenem lamentando: Fœminæ verò miſerabili planctu in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant.* Ob luctum porro hunc loco, qui antea venit nomine *Goſen Atad*, impoſitum à Cananæis nomen אבל מצרים *luctus Ægyptiorum*

Digitized by Google

rum verſ. 11. Tum Onkeloſus tum Jonathan nomen illud tanquam proprium relinquunt immutatum. Videſis notam Druſii.

XXX. Sic Joſephus & fratres unà cum Ægyptiis, executi ſedulò noviſſimam defuncti parentis voluntatem, eum ſepeliverunt במערת שדה המכפלה *in ſpelunca agri Maepelah*, quam emerat Abrahamus & Ephron Hitthæo. Et defuncti hac pietate reverſi ſunt omnes in Ægyptum, ubi pignora ſua reliquerant. Acceſſiſſe Dei oraculum de ſervitute in Ægypto ſubeunda, quod erat Geneſ. xv. 13. utpote quod in memoriam ſibi revocaverint, fideli cuſtodiâ inſtar pretioſi theſauri hactenus ſervatum, Iſraëlitæ, judicat Calvinus. *Redeunt*, inquit, *in Ægyptum non præſenti tantùm neceſſitate coacti, ſed quia jugum Dei manu cervicibus ſuis impoſitum excutere fas non erat. Quare ſpecialis hac in parte religio eos domuit, ut quieti & ſilentes ad ferendam duriſſimam ſervitutem ſe pararent.* Non putem tamen, Iſraëlitas de ſervitute illa Ægyptiaca cogitâſſe tum temporis. De Joſephi potiùs offenſa fuiſſe anxios, quàm de Ægyptiorum oppreſſione, ſequentia declarant. Quæ verò Hebræi ad quidvis fingendum projecti, nugantur de Eſavo ſepulturam impediente, necnon bello cum Idumæis in itinere geſto, eadem facilitate rejiciuntur, quâ ſine ullo teſtimonio aſſeruntur.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXIII.

DE

TESTAMENTO JACOBI

SEU

Benedictionibus Propheticis duodecim Patriarcharum.

SECTIO I.

DE TESTAMENTO JACOBI IN GENERE.

Breviarium.

Gentilium de hominis ad mortem appropinquantis animo diviniore perſuaſio. 1. *Virorum Sanctorum vaticinia emortualia,* 2. *Quo conſilio Spiritus S. Jacobo illuſtres haſce prophetias dictaverit?* 3. *An vaticinia hæc Jacobi rectè veniant nomine benedictionum? Ambroſii de eo aſſertio ad examen vocata. An Patriarcha filiis quibusdam maledixiſſe cenſendus ſit?* 4. *Jacobus ad ſe filios convocat. Cur mandatum, quo congregari juſſit filios, iteraverit? Sententia de eo Abarbanelis & Midras refellitur.* 5. *Explicantur verba Jacobi, quibus ſe indicaturum promittit filiis, quid futurum ſit* באחרית הימים *noviſſimis diebus? Jarchii & Rabbinorum impietas, quòd Jacobus de tempore Meſſiæ vaticinaturus, Spiritum S. amiſerit, & ſcopo ſuo exciderit, pulſatur.* 6. *Verborum* אחרית ימים *in ſacris uſus. Diſtinctio duorum temporum & cataſtrophes utriusque. Hoc loco* אחרית ימים *notat. finem temporis prioris, quo Chriſtus in carnem venire*

Digitized by Google

venire. debuit. 7. *Scopus Jacobi vaticinantis præcipuus fuit, adventum Meſſiæ, & ejus exhibendi ſigna revelare. Abarbanelis dogma, quòd ſcopus Jacobi fuerit, diſpicere ex indole filiorum, cujus poſteritati regnum & dominium ſit ceſſurum, quatuor argumentis refellitur.* 8.

I. Animum hominis ad mortem appropinquantis multò diviniorem eſſe, olim pronuntiavit Cicero *de Divinat. lib.* 1. *cap.* 30. Apud quem Poſidonius id ipſum comprobat exemplo Rhodii, qui moriens ſex æqualeis dixerit, qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinde deinceps moriturus eſſet. Quomodo etiam Homericus Hector moriens propinquam Achilli mortem denuntiavit. Cùm autem tribus modis Deorum appulſu homines ſomniare cenſeat Cicero: *Uno quòd prævideat animus ipſe per ſe, quippe qui Deorum cognatione teneatur: altero, quòd plenus aër ſit immortalium animorum, in quibus tanquam inſignitæ notæ veritatis appareant: tertio quòd ipſi Dii cum dormientibus colloquantur*; id faciliùs longè evenire judicat appropinquante morte, ut animi videlicet futura augurentur. Sed & Socrati in ejus apologia ſequentia verba tribuit Xenophon: Attamen cùm Homerus quibusdam in locis faciat eos, qui moriuntur, prænoſcere futura, βούλομαι καὶ ἐγὼ χρησμῳδῆσαί τι. *Volo & ego jam aliquid divinare.*

II. At quod temerè ſibi finxerunt Gentiles, Spiritu Dei deſtituti, & à Sathana eludente hac ratione & elevante, quæ noverat à Deo in ſanctis viris fuiſſe facta, miſerè decepti; ejus documentum veriſſimum inter multos præbuit ſanctus Patriarcha noſter Jacobus, qui noviſſimis appropinquantibus Spiritus S. afflatum expertus filiis ſuis benedixit, & benedicendo futura poſteritatis ipſorum fata gravi & heroico ſermone quaſi ſupra Cœlos evectus, non in hominis perſona, ſed ex ore Dei ediſſeruit.

III. Spiritus S. vaticinia hæc illuſtria Jacobo dictantis, & per os ipſius promulgantis, conſilium ante omnia obſervandum venit. Primò enim ante tempus Iſraëlis certos reddere voluit, qualis ipſos maneat fortuna, ut agnoſcerent peculiarem ſui curam Deo eſſe. Quamvis enim providentiâ Dei totum regi mundum probè noverint, tamen hac ratione ſe ut domeſticos aliis gentibus longè præferri animadvertere potuerunt. Secundò ſpem hæreditatis promiſſæ de integro hac ratione Iſraëlitis renovare voluit. Ac proinde, quaſi manu eos in poſſeſſionem quemque ſuam duceret, qualis cuique habitatio ſit ſucceſſura, familiariter non ſecus ac in re præſenti exponit. Tertiò præcipuum totius prophetiæ caput eſt,

Digitized by Google

quòd propiùs deſignat, unde venturus ſit ille Rex, qui plenam felicitatem afferet, Salvator totius mundi Chriſtus. Quibus ſanè rebus tantum ſubeſt pondus, ut vel ſimplex earum tractatio in extremam nos admirationem rapere debeat.

IV. Benedictionum propheticarum velut in teſtamenti tabulis ſcriptarum nomine vaticinium hoc inſignimus. Sed intercedit Ambroſius in *Benedict. Patriarcharum* cap. 2. ubi ita loquitur: *Nonne Ruben redargüi magis quàm benedici videtur? Prophetia enim annuntiatio futurorum eſt, benedictio autem ſanctificationis & gratiarum actionis votiva collatio.* Neque aliter Ruffinus lib. *de benedict. Patriarch. ad Paulinum*, Theodoretus *Quæſt. in Geneſin.* Sed refelluntur verbis ipſius Moſis cap. XLIX. 28. *Hoc eſt quod dixit illis pater eorum, & benedixit iis, unicuique juxta benedictionem ſuam benedixit.* Nam quòd Pererius putat, iis verbis inſinuari benedictiones proprias, diverſas à vaticiniis præcedentibus, quas proinde Moſes prætierit, in eo planè fallitur. Nam ſenſus verborum Moſis ſatis apertè refertur ad ea, quæ dicta ſunt, nempe in his verbis, quæ protulerat pater, contineri benedictiones omnium tribuum Iſraëlis unicuique ſeorſim. Neque obſtat, quòd Jacobus quibusdam non tam benedicere quàm maledicere videtur, pœnas nempe ob ſcelera patranda irrogandas præſagiens. Nam denominatio ſumi poſſet à potiori. Deinde nec maledixiſſe cuiquam cenſendus eſt pater. Quamvis enim quorundam vitia notavit, & pœnas iis meritas prædixit, tamen noverat, id ipſum eorum bono ceſſurum, ut externè caſtigati vitam emendarent, & ad Deum ſeriò redirent. Quæ quidem admonitio adeo tum ipſis, tum poſteris ipſorum proficua fuit, ut gratiâ Dei non exciderint, nec ex populo Dei exciſi fuerint. Ipſa igitur paterna illa correptio benedictionis quoque rationem habuit.

V. Oracula redditurus convocat filios ſuos hisce verbis: האספו ואגידה לכם את אשר יקרא אתכם באחרית הימים : הקבצו ושמעו בני יעקוב ושמעו אל ישראל אביכם *Congregamini & renuntiabo vobis, quod eventurum eſt vobis in ultimis diebus. Congregamini & audite filii Jacob, audite, inquam, Iſraël parentem veſtrum* cap. XLIX. 1, 2. Ad ſanctiſſimam actionem filios ſuos præparat humaniſſima & argumentoſa convocatione, quâ ſibi attentionem apud illos conciliare ſtudet. Cur ſanctus Patriarcha repetierit mandatum, primò quidem ponens verba האספו *congregamini & ſignificabo vobis eventura*, poſtea verò eadem ſic immutans הקבצו *congregamini & audite filii Jacob*, inquirit Abarbanel. Et rationem reddit, quia conſultum duxerit, primò allicere potiùs filios ſuos promiſſa futurorum prædictione, quippe qua homines rerum futurarum cupidi unicè delectantur; quàm abſterrere eosdem intentata

tentata

Digitized by Google

tentata eorum correptione. At cùm hac invitatione pellecti jam adeſſent pronis auribus ejus oracula excepturi, tum denuo dixiſſe Jacobum הקבצו *congregamini*, ſed addidiſſe, *audite filii Jacob, audite Iſrael patrem veſtrum*, quaſi diceret: Cùm ſitis filii mei, ego parens veſter, æquum eſt ut non futura duntaxat cupidis mentibus imbibatis, ſed correptionem etiam paternam, quam à me enuntiari percipietis, æquis auribus & animis hauriatis, & in ſanguinem ſuccumque veſtrum convertatis. Sed hæc ſubtiliora forte ſunt, quàm ut genuina eſſe cenſeamus. Neque etiam adeò σκληροτραχήλους facere convenit filios Jacobi, ut ad eum emortualia verba facturum non acceſſuros putemus, niſi ejusmodi orationis illecebris & artificio delinitos. Idem Abarbanel paulò poſt ex Medraſch aliam interpretationem citat, quòd videlicet האספו *congregamini*, innuat פקירת בית שני *viſitationem domûs ſecundæ*, & הקבצו ſignificet. הגאלה העתידה *redemptionem futuram*, quia *tum colligentur captivitates omnes; & audient Iſraëlem patrem ſuum, & ambulabunt in viis ipſius.* Sed haud veriſimilior hæc expoſitio eſt. Nam verba ipſa Jacobi hanc diſtinctionem minimè inſinuant. Potius igitur eſt, ut dicamus, repeti hoc mandatum à Jacobo, ut oſtendat, hoc officium nullam poſſe moram ferre, & tempus inſtanter urgere, quia mortis hora approximet.

VI. Promittit Jacobus, ſe annuntiaturum filiis, quid eventurum ipſis ſit באחרית הימים ἐπ' ἐσχάτων ἡμερῶν *diebus noviſſimis, ultimis.* Nachmanides obſervat, לדברי הכל אחרית הימים הם ימות משיח *juxta verba omnium* אחרית הימים *noviſſimos dies notare dies Meſſiæ*, quem ipſi adhuc expectent. Non malè hactenus. Sed ad manifeſtam deinceps impietatem delabuntur Judæi, ſtatuentes Jacobum equidem propoſitum habuiſſe denuntiare noviſſima, adeóque tempus ultimum Meſſiæ, ſed recedente ſtatim ab eo Spiritu S. excidiſſe ipſum ſua intentione. Ita Jarchius: בקש לגלות את הקץ ונסתלקה ממנו שכינה והתחיל אומר דברים אחרים *Quæſivit revelare finem. Sed receſſit ab eo præſentia divina. Unde incepit loqui alia omnia.* Et Abarbanel quæſt. 2. ad h. l. וחז״ל אמרו שבקש יעקב אבינו לגלות את הקץ ונסתלקה ממנו שכינה והנה הביאם לזה אמרו את אשר יקרא אתכם באחרית הימים כי כמ״ש הרמ״בן לדברי הכל אחרית הימים הם ימות המשיח אשר קוינו *Sapientes noſtri b. m. dixerunt, Jacobum patrem noſtrum voluiſſe revelare finem, & ab ipſo receſſiſſe divinam præſentiam. In hanc nempe ſententiam eos adduxit, quòd dixit, quid eventurum ſit vobis in extremo dierum. Namque ut ait R. Moſes filius Nachman, juxta verba omnium* אחרית הימים *ultimum dierum ſunt dies Meſſiæ, quem expectamus.* Hæc, inquam, manifeſtam impietatem ſapiunt. Etenim vaticinia adeò illuſtria & eventu, uti videbimus deinceps, probata &

ſancita,

Digitized by Google

ſancita, ſine præſentis Spiritus S. afflatu edi minimè potuerunt. Deinde tum verſus decimus Meſſiam indubiè, juxta veteres etiam Hebræos prænuntians, tum decimus octavus fidem & ſpem Patriarchæ in Meſſiæ redemptionem declarans, abundè demonſtrant, nec ſpiritu prophetico deſtitutum hic eſſe Patriarcham, nec intentione denunciandi ea, quæ noviſſimis diebus eventura erant, ipſum excidiſſe.

VII. Idem Abarbanel verba באחרית הימים *in noviſſimis diebus*, interpretatur ſimpliciter de longinquo tempore. Verba ejus ſunt: ויל״ר הפשט באחרית הימים רוצה לאיזה זמן ארוך שהוא באחרית הימים בערך אל אל ימי המדבר: Simpliciſſimè autem באחרית הימים *in extremo dierum innuit quodvis tempus longinquum, quod in extremo dierum reſpectu habito ad dies loquentis.* Sunt ſanè verba ea ambigua, nec eodem ubique ſenſu uſurpantur. Genuinus ſenſus ex appoſitis colligendus. Eſt ubi ſignificent *tandem aliquando*, adeóque tempus aliquod indefinitum, longè poſt futurum. Alibi notant ultimam periodum temporis N. T. proximè anteceſſuram conſummationi ſeculi, velut Deut. IV. 30. XXXI. 29. Ezech. XXXVIII. 16. Hoſ. III. 5. 2. Pet. III. 3. Alibi verò deſignant finem מועד *προθεσμίας ſtatutæ* viſioni & politiæ carnali populi Iſraël; Confer Eſai. XI. 1. Mich. IV. 1. Habac. II. 3. Sicut nempe Scriptura diſtinguit paſſim tempora promiſſionis & Euangelii, ſervitutis & libertatis, viſionis & teſtimonii, teſtamenti vetuſti & novi עולם הזה *αἰῶνος τούτου, καιροῦ ἐνεστηκότος*, & עולם הבא *αἰῶνος μέλλοντος* ſive *οἰκουμένης μελλούσης*: ita utriusque ejus temporis gemina periodus & cataſtrophe in Scripturis deſignatur, quæ utraque venit nomine קץ הימים *finis dierum* אחרית הימים ſive *τοῦ ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν noviſſimorum dierum.* Hoc autem loco אחרית הימים nec indefinitum & remotum aliquod tempus notat, nec cataſtrophen temporis poſterioris, ſed potiùs prioris, ſub cujus finem videlicet במועד *ἐν προθεσμίᾳ præſtituto tempore* Chriſtus Jeſus in carnem venire debuit. Nam tempus ſpeciale definitum eſt verſ. 10. ut ſatis clarè conſtet, voluiſſe Jacobum de futuro poſteritatis ſtatu, ac inprimis circa Meſſiæ adventum *ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν*, uti loquitur Paulus Hebr. I. v. 1. vaticinari. Agnoſcit hoc etiam Nachmanides, qui אחרית ימים interpretatur ימי משיח *dies Meſſiæ.* Et ſanè Jacobo morituro incumbebat definire ſigna illius temporis, quo promiſſio illa facta Abrahamo Geneſ. XII. 3. & ab illo in Iſaacum tranſlata Geneſ. XXV. 5, 6. ab Iſaaco autem traducta ad Jacobum Geneſ. XXVIII. 3, 4. de ſemine nimirum illo benedicto implendo fuerit, & cui potiſſimùm ex filiis ejus ea felicitas eximia futura ſit, ut ex ejus tribu illa mundi ſalus exoriatur. Ut igitur minimum ſignificent hæ voces, notant, eſſe nunc expectationem promiſſorum, &

ani-

Digitized by Google

ὑπόϛασιν τῶ ἐλπιζομένων. Ipſa autem ἐλπιζόμενα nondum adeſſe. Proinde verba Jacobi pollicentur explicationem ſtatus filiorum ipſius circa id tempus, cùm τὰ ἐλπιζόμενα erant eventura.

VIII. Patet hinc potiſſimum Jacobi vaticinantis ſcopum fuiſſe, tum ut fata poſteritatis ſuæ, tum inprimis ut adventum Meſſiæ ejusque exhibendi ſigna pleniùs & uberiùs detegeret. Aberrant igitur toto Cœlo Judæi, qui ut vaticinio huic nervos incidant, docent, Jacobi vaticinantis animo hanc unam curam inſediſſe, ut de imperio aliquid ſtatueret, & cujus ex filiis humeris illud præ cæteris ob eximias ejus dotes aptari poſſet. Hunc emortualis Jacobi orationis præcipuum ſenſum fuiſſe Abarbanel ad h. l. docet his verbis: אמנם בכונת אלה המאמרים והברכות דעתי נוטה שיעקב בעת מותו רצה לבאר מאיזה מבניו יצא שבט המלכות והממשלה בזרעו כי ראה וידע בכח נבואתו שיתרבה זרעו מאד והיה ראוי שיכנו עליהם מנהיג או מלך שוטר ומושל ולפי שלא יפול ביניהם קטטה על מנוי המלך ראה הזקן בשעת מותו לבאר מאיזה שבט מהם תהיה ההנהגה והמלכות ובו מלכים ימלוכו ובעבור זה עשה החפוש והחקירה בכל אחד מבניו כפי טבעו ותכונתו מי הוא הראוי למלכות כי טבע הבנים אשר יולדו להם ראה שיהיה נוטה לטבע האבות ויהיה תמיד חמורם מהם כיוצא בהם כי טבע המקור ראוי שימצא במה שיחצב ממנו ולכן מפני הבחינה הזאת זכר בכל א׳ מבניו פעם תכונותיהם בעצמם ופעם העתיד לבא על זרעם לא לתכלית הברכה ולא לתכלית התוכחה ולא להגיד עתידות ולא לספר מעלתם בארץ כי אם להודיע אם הם ראוים למלכות ולשררה אם לא *Veruntamen quod ad intentionem horum ſermonum & benedictionum eò mea inclinat ſententia, voluiſſe Jacobum tempore mortis ſuæ declarare, ex quo filiorum ſuorum egreſſurum eſſet ſceptrum Regni & dominatus in ſemen ſuum. Vidit enim & novit vi prophetiarum ſuarum ſemen ſuum admodum multiplicatum iri, & æquum fore, ut ſuper ſe conſtituerent gubernatorem aut Regem, moderatorem aut dominatorem. Ne verò inter eos caderet rixa propter conſtitutionem Regis, vidit ſenex horâ mortis ſuæ declarandum eſſe, ex qua tribu ipſorum futura ſit gubernatio & Regnum, & in ea Reges regnabunt. Eapropter per ſcrutationem ac perveſtigationem inſtituit circa quemvis filiorum ſuorum ſecundum naturam & diſpoſitionem ſuam, quis dignus ſit Regno. Naturam enim filiorum, qui naſcituri erant ipſis, obſervavit inclinaturam eſſe ad naturam ipſorum & ſemper futurum, quod ſuccederet in locum ipſorum ſimile ipſis. Conveniens quippe eſt, ut natura fontis aperiatur in eo, quod inde exciſum eſt. Idcirco juxta hanc explorationem memorat in quovis filiorum ſuorum diſpoſitiones ipſorummet, jam quid eventurum eſſet ſemini ipſorum, non in finem benedictionis, neque in finem redargutionis, neque ad ſignificandum futura, neque ad recitandam excellentiam ipſorum in terra, ſed ad notificandum, an digni forent regno ac principatu necne.* Hactenus ille, conſilium Spiritus S. & Jacobi turpiter pervertens. Etenim primò quem ſcopum propoſitum habuerit Jacobus, ejus oratio planiſſimè

mè pandit, in qua non tam filiorum ipſius ad regnum capacitas, quàm ſingulorum futura conditio, ac inprimis Meſſiæ adventus ediſſeritur. Unde veteres Rabbini, citante ipſo Abarbanele, docuerunt, verbis הקבצו ושמעו *congregamini & audite* &c. Jacobum innuiſſe, ſe illis revelaturum futuram ſub Meſſia redemptionem. Sed & Thargum Hieroſolymitanum agnoſcit, Jacobum in hac prophetia ſpiritualia potiùs quàm temporalia reſpexiſſe. Sic enim איתכנישו : ואתני לכון קיצא גניזא רזיא טמירייא ומתן אגרייא דצדיקיא ופורענותהון דרשיעיא שלוותה דעדן מה הוא *Congregamini & docebo vos finem reconditum arcana abſcondita & præmium mercedis, quod manet juſtos, pœnam item impiorum, atque felicitatem horti Eden, quænam illis ſit.* Secundò ſcopum non feriiſſet Patriarcha, ſi inſtituiſſet definire, quem penes regia poteſtas ſit futura. Nam Judices & Reges, ſummáque poteſtas ſtabilis penes nullam tribum permanſit. Neque unquam dominii hujus ſeu Regni poteſtatem veluti à Jacobo ſibi legatam tribus Juda urſit, vel eo nomine reliquis controverſiam movit, minimè id omiſſura, ſi tale quid emortualibus Jacobi tabulis legatum intellexiſſent. Tertiò nec illud recipi poteſt, quòd Jacobus ex indole filiorum poſteritatem cujusque ritè penſitare potuerit. Neque enim poſteri ſemper majorum ſuorum mores referunt & exprimunt. Quod facilè agnoſcit, quisquis vel Davidis, Hiskiæ, Joſiæ liberos cogitaverit, vel Joſephi ſuaviſſimos mores cum Ephraimitarum moribus contenderit. Quartò nec Judæ excellentius aliquod meritum regiam hanc poſteritati ejus poteſtatem conciliavit. Quin potiùs Joſephus fratribus ſuis conſpicuis meritis & ſanctitate anteferendus, iis palmam præripuiſſet. In propatulo etiam fuit Judæ cum Thamare inceſtus. Prærogativæ verò, quas Judæ vindicat Abarbanel, facilè diſcuti poterunt, ſi cum reliquorum fratrum ingenio & moribus in comparationem vocetur.

SECTIO

SECTIO II.

DE
BENEDICTIONE PROPHETICA
RUBENIS.

Breviarium.

A Rubene cur ordiatur Patriarcha? 1. *Dignitas Rubenis primæva deſcribitur.* 2–5. *Primogenitura Rubenis.* 2. *Perſonæ Rubenis conditio ex naturæ ordine. Quo ſenſu Jacob ipſum vocet* ראשית אוני? *Vulgata necnon Aquilæ & Thargum Hieroſolymitani verſio perſtringitur. Ut & Arabs ac Græci LXX. Quid notet* פטר רחם *an aperientem vulvam, an potiùs initium vulvæ? Bocharti ſententia examinata. Significatus vocis* פטר. 3. *Dignitas Rubenis ex jure primogenituræ ipſi competens. Quid* יתר שאת? 4. *Privatio Rubenis, & mutatio ſtatûs ejus. Quid* פחז המים? *Ad culpam an ad pœnam Rubenis id referendum ſit?* 5. *Cauſa privati & exauctorati Rubenis exponitur. Verbum* עלה *non ſeorſim ponendum, ſed conſtruendum cum* יצועי. *Impuritas Rubenis. Scortum cur* חללה *nuncupatum? Kimchii & Abenezræ ſiniſtra verbi* עלה *interpretatio.* 6. *Prophetiæ Jacobi complementum exponitur. Prærogativæ potiſſimæ primogeniti à Rubene in alios tralatæ, fructûs in Joſephum, dignitatis in Judam, ſacrorum ſeu Sacerdotii in Levi.* 7. *Idem complementum probatur ex* 1. *Paralip.* v. 1, 2. *qui locus illuſtratur. Quo ibi ſenſu dicatur Joſepho primogenitura data,* ולא להתיחש לבכורה? *Quid* התיחש? 8. *Prophetia hæc ejusque complementum ex Thargum Hieroſolymitano declaratur.* 9. *An prærogativarum illarum jactura in Rubene vel poſteris ejus cum æternæ ſalutis jactura conjuncta fuerit?* 10.

I. Bene-

Digitized by Google

I. Benedictionem cur nuncupemus Rubenis, quæ aliis maledictio potiùs videri poterat, ſuperiùs rationem reddidimus. Orditur igitur ſanctus Patriarcha à primogenito, non tam honoris cauſâ,ut ſuum ei gradum aſſerat, quàm ut plus illi pudoris inurat, eumque juſtis probris depreſſum ad ſeriam pœnitentiam invitet. Revocat autem ipſi ad animum ſeriò, tum qua dignitate hactenus eminuerit, tum quàm turpiter ea exciderit & privatus fuerit, paternum thorum inceſto flagitio contaminans.

II. Qua dignitate eminuerit Ruben antehac, exprimit Jacobus his verbis verſ. 3. ראובן בכרי אתה כחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium roboris mei: excellentia dignitatis & excellentia Roboris.* Primò ponitur naturæ ordo, velut cauſa dignitatis. Vocat enim ipſum בכרו *primogenitum ſuum.* Qua voce ipſi ad animum revocat maximum illud beneficium, quo natura ipſum affecerat, quòd primus natus hæres futurus erat ὑπερβάλλοντος μέρους, prærogativarum nimirum primogenituræ, de quibus fuſè nobis actum tomo 1º Exercitat. 1. 19.

III. Deinde exprimitur perſonæ Rubenis conditio ex naturæ ordine in ſe. Vocatur enim כוח וראשית און *fortitudo & principium roboris* Jacobi. כוח *fortitudinem* ipſum vocat, quia ea ætate ipſum genuerit, qua virilis vigor maximè ſe erexit. Quod ipſum etiam ſequentibus verbis exprimitur, quibus vocatur ראשית און quod vulgatus reddit *principium doloris* Jacobi. Aquila κεφάλαιον λύπης, *caput triſtitiæ.* Thargum Hieroſolymitanum שרוי צערי *principium doloris mei.* Unde varias cauſas commenti ſunt Interpretes Vulgati mancipia, ob quas *principium doloris* Jacobi nuncupari Ruben potuerit. Alii enim eò id referunt, quòd Rubene primogenito nato demum Jacobo inceſſerit cura & ſolicitudo nova pro liberis. Alii verò referunt ad peccatum Rubenis, paternum thorum violantis, quo Jacobus maximo dolore affectum ſe ſenſerit. Sed plurimas curas coxiſſe animum Jacobi, priusquam vel nati ipſi liberi, vel Ruben ſcelus illud admiſit, ſatis liquet. Jeſuitæ cauſas alias depromunt, à quibus aures teretes abhorrent. Nulla ſanè cauſa allegatur ſolida, cur Ruben principium doloris paterni nuncupari debeat. LXX Interpretes reddunt ἀρχὴ τῶν τέκνων μου, *principium liberorum meorum*, ad ſenſum potiùs quàm verba intenti. Sicut & Arabs, qui illud explicat אול ניל׳ *prima impetratio mea*, quia precibus Jacobi primus ille impetratus fuerat. At Thargum Onkeloſi vertit ריש תוקפי *principium fortitudinis meæ.* Ita etiam Syrus. Rectè uterque. Cùm און utrumque notet, & dolorem & robur hoc loco, quo elogia dignitatis Rubeni

Rubeni primogenito competentis conjungit pater, poſterius potiùs quàm prius, adeoque principium roboris ſeu potentiæ denotat. Eſt nempe hæc periphraſis primogeniti, quæ occurrit etiam Deuteron. XXI. 17. Pſal. CV. 36. Generare enim liberos eſt argumentum naturalis roboris. Proinde primogenitura primum eſt roboris ejus argumentum. Vel certè principium roboris & potentiæ patris dicitur primogenitus, quia is eſt veluti columen & prima columna familiæ. Alibi vocatur primogenitus פטר רחם Exod. XXXIV. 19. Num. III. 12. VIII. 16. Ezech. XX. 26. Græci reddunt *διανοίγων τὴν μήτραν aperiens vulvam*, quam verſionem etiam Lucas retinet cap. II. 23. Nempe vulvam hactenus clauſam primogenitus aperit. Sed CL. Bochartus Hieroz. lib. I. cap. 30. putat פטר רחם convenire cum noſtra hac periphraſi, qua primogenitus vocatur ראשית און *initium roboris.* Nempe pertinere illud ad Arabiſmum putat, in quo פטר eſt *inchoare, incipere* & לאפטר *initium, exordium, quod in unaquaque re primum eſt.* Ut פטר רחם nihil aliud ſit quàm *principium vulvæ.* Unde etiam pro פטר רחם Arabs Pariſiis editus quandoque habet אול כא יולד *quod primum generatur*, item אול בטן *primum ventris.* Fateor tamen non apparere rationem, cur ab antiquiſſima hic interpretatione, quam etiam Lucas ſecutus eſt, diſcedendum, & ad Arabiſmum deflectendum putemus. Nam quæ argumenta affert Bochartus, facilè ſolvuntur. Primò ſi פטר, inquit, *eſt apertio in loco Exod.* XXXIV. 19. פטר שור ושה *erit apertio bovis & ovis, & ſtatim ſequente verſu* פטר חמור *apertio aſini.* Sed ex præcedentibus proximè facile eſt ſupplere רחם ut פטר ſimpliciter *primogenitum* notet. Deinde, inquit, *verbum* פטר *nuſquam eſt aperire, ſed diſcedere, dimittere, emittere.* Habet ſanè פטר notionem tranſitivam *emittendi, dimittendi, ſolvendi.* Sed propria ejus tum apud Hebræos, tum Chaldæos & Syros notio eſt, *emiſſus, apertus, dimiſſus, laxatus eſt, exivit, erupit.* Etiam apud Arabes vox אנפטר quæ in Alcorano occurrit, ſignificatum habet *ſeipſum aperiendi.* Neque etiam primogenitus commodè appellaretur initium vulvæ.

IV. Dignitas autem Rubenis ex jure primogenituræ ipſi competens ſupra fratres, exprimitur hiſce verbis יתר שאת ויתר עז *excellentia dignitatis & excellentia roboris.* Vulgatus reddit: *Prior in donis, major in imperio*, quia videlicet primogeniti prærogativæ concernebant tum dona, hæreditatem puta, tum imperium. Sed verbis Hebræis hæc verſio non ſatis congruit. Ac multò minùs etiam illa LXX. Interpretum, *σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης, durus ad ferendum, & durus pervicax*, quod pertineret non tam ad primogenituræ dotes, quàm ad

Digitized by Google

præfracti animi dedecus. Onkeloſus etiam ita [illegible] לך הוה חזי למסב תלתא חולקין בכירותא כהונתא ומלכותא *Tu accepturus eras partes tres, primogenituram ſcilicet, ſacerdotium & regnum.* Quod ipſum etiam ſenſu potiùs quàm verbis Hebræo textui reſpondet. Notat nempe hoc loco שאת *elationem, Majeſtatem, dignitatem.* Confer Job. XIII. 11. necnon XLI. 16. ubi eſt שאת *elatio* balænæ. Opponitur ei Job. XXXI. 23. איד אל *contritio à Deo.* Eſt in verbis Jacobi hypallage, qua יתר שאת *excellentia dignitatis* idem notat, quod *excellentiſſimus dignitate.* Hoc vult igitur Jacobus, Rubenem primogenitum omnium liberorum ut natura robuſtiſſimum, ita dignitate & honore maximum eſſe debuiſſe. Poſſet etiam שאת verti *acceptatio*, ut dicatur Ruben excellere jure *acceptionis*, quia primogenitorum jus erat נשא *accipere, auferre* פי שנים *τὸ δίμοιρον* in hæreditate. Hæc igitur ſors manebat Rubenem, ut cæteris fratribus jure *τῶν πρωτοτοκίων* tum in honore & dignitate tum in poteſtate anteferretur, & privilegiis omnibus gauderet primogenito competentibus, ſiquidem tanto honoris faſtigio ſe dignum geſſiſſet.

V. Sequitur prophetia privationis & mutationis ſtatûs Rubenis. Sententia privationis paucis verbis pronuntiatur v. 4. פחז כמים אל תותר *fluxus inſtar aquarum, non excelles.* Verba פחז כמים non eodem modo reddunt interpretes. Alii enim iis inſinuari cauſam privationis ſeu pœnæ, alii ipſam pœnam exiſtimant. Cauſam privationis in eo collocant, quòd mobilis & rapidus ac levis aquarum extiterit. Ita Tzeph. III. 4. נביאיה פוחזים *Prophetæ ejus futiles, leves.* Et Jerem. XXIII. 32. dicuntur Prophetæ ſeducere populum בפחזותם *ἐν ταῖς πλάναις αὐτῶν, futilitatibus ſuis* propriè. Atque ſic ad cauſam privationis referunt Interpretes Greci: *ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ contumeliam feciſti ſicut aqua* rapida & velox. Thargum Onkeloſi: על דאזלת לקבל אפך הא כמיא ברם *Quia ſecutus es voluntatem tuam ſicut aqua effuſa, non proficies.* Ita etiam Abarbanel. Potuit ſanè his verbis futile leviſſimum & ad libidinem proclive Rubenis ingenium notari. Quia tamen vera privati ſua dignitate Rubenis cauſa redditur in ſequentibus, potius eſſe puto, ut ad ipſam pœnam ſeu privationem Rubenis ea verba referantur, hoc videlicet ſenſu, quòd inſtar mobilis aquæ omnis illa dignitas ruens defluxerit. Atque ita etiam accepit Syrus, ita convertens: טיעת איך מיא *defluxiſti inſtar aquæ.* Arabs quoque ad pœnam refert, ſed aliunde petita ſimilitudine. Sic enim reddit: ואלאן בנה לה מן מא לא תפצל *Hauſtu aquæ non abundabis.* Vetus vulgata: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Tigurina: *Diffluens ut aqua, non excelles.* Junius: *Rapiditate aquarum inſtar ruens ne excellas.* Quaſi dicat Jacobus; Dicto citiùs, ut aqua non po-

poteſt deorſum non ferri, ita ruat iſte deorſum præceps, & de omni ſua excellentia adeoque præclaro illo primogenituræ jure, quod in ipſum competiturum erat, deturbatus. Ita verba illa אל תותר non malè hunc in ſenſum Thargum Onkeloſi לא אהניתא חולק [illegible] יתיר לא תסב *non proficies. Portionem ſuperexcreſcentem non accipies.*

VI. Cauſam pronuntiatæ adverſus Rubenem pœnæ Patriarcha ſequentibus verbis deſcribit: כי עלית משכבי אביך או חללת יצועי עלה *Quia conſcendiſti ſtrata patris tui. Tum impuratus es. Stratum meum conſcendit.* Ita vertenda ea verba puto, ut עלה conſtruatur cum יצועי non ſeorſim ponatur diverſo ſignificatu à verbo עלית antea poſito. Optimè ſanè Thargum Onkeloſi, præterquam quod tertiam perſonam verbi עלה mutat in ſecundam. Sic autem verba habent: ארי כלקתא בירח משכבי אבוך בכין אחלתא לשווי ברי סלקתא *quoniam aſcendiſti cubile patris tui; tunc fili mi violâſti, quando aſcendiſti ſtratum meum.* Factum Rubenis paternum thorum violantis exhibuimus & à gloſſis Rabbinorum aſſeruimus Exercit. XXVIII. Sect. 3. Igitur Jacobus exponens hanc privati Rubenis cauſam ſermonem vertit primò ad Rubenem, mox ad omnes filios, ut conteſtaretur juſtitiam divini judicii. Et Rubeni quidem duo exprobrat: unum inceſti concubitus, in patrem contumelioſiſſimi; alterum impietatis in ſe ipſum, & jus primogenitorum, ex quo ſacratus erat Domino. Prius exponit his verbis: כי עלית משכבי אביך *quoniam conſcendiſti cubile patris tui.* Poſterius paucis verbis אז חללת *tunc impurâſti*, nempe & te & primogenita tua, ac proinde abalienâſti te ab illa ſanctitate, quam in primogenitis impreſſit Deus & imperavit. Nempe חלל aliâs *commune facere*, vel *pro communi uti*, aliâs *impurare* ſignificat. Unde etiam ſcortum dicitur חללה ſanctitate nimirum & jure ſanctitatis privatum. Uno eodemque verbo geminam impuritatem exprimit, tum eàm quâ impuravit thorum paternum, tum eam, quâ ſe ipſum, nempe tum corpus ſuum, tum integrum ſtatum ſuum, quem privavit eo facto ſanctitate ea, quæ peculiaris primogenito erat. Tandem ſequitur anaſtrophe, ſeu converſio ſermonis ad fratres: יצועי עלה *ſtratum meum conſcendit*, quaſi diceret: Vos omnes appello judices, utrum bona fide necne reum impietatis iſtius diſſimulare queam, & ſinere adeò, ut impunè abeat, qui nec ſui ipſius, nec mei, nec Dei rationem habuit. Verbum poſtremum עלה ſeorſim ponunt Interpretes nonnulli. Et alii quidem ironicam locutionem interpretantur, ut ſenſus ſit: עלה *aſcendit* ſcilicet: hæc eſt excellentia iſtius fratris veſtri primogeniti, ad quam aſcendit, videlicet ut primogenitura privaretur.

 Sed

Digitized by Google

Sed veriſimile mihi haud eſt, Patriarcham adeò vicinum morti inſultâſſe hac ratione filio, cui ſatis erat divinam in ipſum ſententiam pronuntiâſſe. Alii ita vertunt: *Evanuit* excellentia ejus, ſeu aſcendit inſtar fumi. Ita Vatablus. Sed hoc durum nimis etiam eſt. Præſtat omnino, cum יצועי conſtruatur eo, quem reddidimus, ſenſu. Non ignoro Hebræos eodem quidem modo conſtruentes, alium tamen ſenſum aptare his verbis, quaſi videlicet Jacobus queſtus fuerit, Rubenem hoc facto cauſam extitiſſe, quòd à ſe thorus Billhæ receſſerit. Abenezra: יצועי עלה מעלי *ſtratum meum receſſit à me.* Ita etiam Kimchius. Probabile equidem eſt, Jacobum abſtinuiſſe à thoro Billhæ, poſtquam is à Rubene violatus eſt, quod in ſimili caſu poſtmodum fecit David, poſt uxores ab Abſolone inceſtatas. Sed talis ſignificatio verbi עלה exemplum non habet, & hoc loco alia ſignificatio, quàm quæ in priori membro vix obtinere poteſt.

VII. Nunc prophetiæ complementum paucis delineandum. Primogenito competebat ἐπιβάλλον μέρος prærogativa multiplex. Potiſſimæ: quòd in hæreditate cernere potuit פי שנים διπλᾶ, *duplicem portionem*; quòd poteſtas ipſi & dignitas præ cæteris major competiit; quòd ad ipſum pertinuit jus Sacrorum & Sacerdotii. Id probatum à nobis tomo 1. Exercit. 1. Sect. 18. 19. Prærogativæ igitur potiſſimæ concernebant fructum, dignitatem, Sacerdotium. Non conſtat equidem quid Rubeni viventi contigerit. Nec tam viventes Patriarchas ſeu capita ipſa in hac prophetia ſpectari, quàm eorum poſteros, clarum eſt, quia Jacobus ſe indicaturum filiis oſtendit, quid futurum iis ſit noviſſimis diebus. Jam poſteritas quidem Rubenis naſcendi ſorte hactenus perfruita eſt, quòd in ordine cæteris ſemper præfertur. Sed hoc ad inania potiùs quàm ad vim rerum pertinet. In cæteris enim primogenituræ prærogativas non adivit. Etenim prærogativa *fructûs*, ſeu duplicis portionis non tribui Rubenis ſed Joſephi obtigit, juxta eam benedictionem, quam ſuperiùs expoſuimus. Nempe Joſephi poſteritas diviſa eſt in duas tribus, juxta nomina duorum Joſephi filiorum, Ephraimi & Manaſſis. At Rubenis poſteritas unius tribûs portionem adivit, & quidem non trans, ſed cis Jordanem unâ cum tribu Gad & dimidia Manaſſis, uti liquet ex Joſuæ partitione cap. XIII. 15--24. Procul à ſanctuario rei pecuariæ operam dabat Jud. V. 15, 16. Prærogativa quoque *dignitatis* & *poteſtatis* ceſſit tribui Judæ. Ex Juda enim proceſſére non tantùm Reges, ſed inprimis Rex Regum, dominator Iſraëlis, Chriſtus, τὸ κατὰ σάρκα. Id quod hoc ipſo in vaticinio clariſſimè Patriarcha divinavit.

De-

Denique & prærogativa *Sacrorum* ſeu *Sacerdotii* tranſcripta eſt tribui Levi, ex qua ſumi debuit *Sacerdos*, *qui aſcendat ad Jehovæ altare*, *& adoleat incenſum*, *& portet Ephod coram eo* 1. Sam. 11. 28.

VIII. Complementi hujus teſtem habemus Spiritum S. 1. Paralip. v. 1, 2. Ubi ſic illud deſcribitur: *Ruben erat primogenitus. Cùm autem violaſſet thorum patris ſui*, נתנה בכרתו לבני יוסף בן ישראל ולא להתיחש לבכרה כי יהודה גבר באחיו ולנגיד ממנו והבכורה ליוסף *data eſt primogenitura ejus filiis Joſeph filii Iſraëlis: non tamen ut ipſi attribueretur primogenitura. Jehuda enim fortiſſimus fuit inter fratres ſuos, & princeps ille ex eo. Et primogenitura ipſi Joſeph data eſt.* Dicitur Joſepho data primogenitura ולא להתיחש לבכרה *non tamen ut ipſi attribueretur primogenitura*, nempe ſoli, & in ſolidum, uti Vatablus exponit. Nempe primogenitura *fructus* Joſepho, at *dignitatis* Judæ conceſſit. Sed התיחש non notat attributionem, ſed potiùs recenſionem, genealogiam, numerationem ſtemmatis, à יחס & יחוס *familia*, *proſapia*, *progenies.* Rectiùs igitur Græci Interpretes ita vertunt: ϗ ὐκ ἐγενεαλογήθη εἰς πρωτοτόκια, *& non eſt in genealogia computatus in primogenituram.* Nempe quia in genealogia Patriarcharum & tribuum non cenſetur Joſephus primo loco uti cenſeri aliâs ſolebant primogeniti: ſed Ruben potiùs, perinde ac jus primogenituræ ad ipſum adhuc pertineret. Ratio autem cur non cenſeretur primo loco Joſephus, ſtatim redditur, *quia Jehuda fortiſſimus fuit inter fratres ſuos*, qui proinde etiam crevit prærogativam *dignitatis.* Cùm igitur inter plures fuerint diſtributæ prærogativæ primogeniti, adeoque plures illi non potuerint ſimul primo loco recenſeri: Conſentaneum fuit, Rubenem ſuo loco relinqui, & Judam ac Joſephum ſuo etiam quemque loco recenſeri. Sic commodè locum hunc capi poſſe exiſtimem.

IX. Omnia hæc tum Prophetiam, tum complementum ejus paucis complectitur Thargum Hieroſolymitanum, cujus paraphraſin adſcribere non pigebit. Sic autem habet: ראובן בוכרי את חילי ושירוי ציערי חבי הוה לך ראובן ברי למסב תלתא חולקין יתיר על אחך בכורותא כהונתא מלכותא ועל דחטית ראובן ברי אתיהבת בכורותא ליוסף ומלכותא ליהודה וכהונתא רבתא לשבטא דלוי *Ruben primogenitus meus es tu, robur meum, & principium doloris mei. Vide, tuum erat, ut acciperes tres partes priores præ fratribus tuis, primogenituram, Sacerdotium & Regnum. Verùm quia peccaſti, Ruben mi fili, data eſt primogenitura Joſepho, Regnum Judæ, & Sacerdotium magnum tribui Levi.*

X. Cæterùm eæ prærogativæ, quibus privatum videmus Rubenem, tales omnino fuerunt, ut earum amiſſio cum ſalutis æternæ jacturâ conjuncta non fuerit, Rubene ejuſque poſteritate haud fucatâ pænitentiâ

 ſcelus

Digitized by Google

ſcelus eluente. Neque enim credere fas eſt, Rubenem tanto temporis ſpatio in peccato ſuo obdormiviſſe, ſed potiùs abominandi ſceleris pœnitentiâ tactum cum Deo in gratiam rediiſſe, & apud parentem ſuum etiam id teſtatum eſſe. Unde erga fratrem Joſephum ſe moderatiùs geſſit, & in Ægypto, cùm vexarentur fratres, primus Dei vindicis manum, & in puniendis peccatis providentiam agnovit. Nec ſi ipſe in peccato ſuo fuiſſet mortuus, propterea Deus univerſam ejus poſteritatem voluiſſet à ſalute æterna excludere. Unde ſequitur, Deum hanc pœnam dictâſſe Rubeni, ejusque poſteritati haud eo animo, ut ipſi tanquam irato judici ſatisfacerent, ſed potiùs ut paternè caſtigati Deo fidem ac patientiam ſuam probarent. Huc reſpexit Moſes in emortuali ſua benedictione tribuum Deuteron. XXXIII. *Vivat Ruben, & ne moriatur!* Quin & id ipſum ſpectavit hoc loco Arabicus Interpres, qui verba Jacobi או חללת &c. malè intellecta, ſic reddidit: כיניד ממא הברלת תחלץ *Tum ex quo mutaveris te, ſalvaberis.*

SECTIO III.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA

SIMEONIS & LEVI.

Breviarium.

Prophetia de Simeone & Levi poſſitne benedictionis nomine venire? 1. Cur in eadem prophetia Jacobus conjunxerit Simeonem & Levi? אחים *dicuntur præcipuè ob ſimilitudinem morum. 2. Commune crimen Simeoni & Levi objicitur. Explicantur verba* כלי חמס מכרותיהם*. Vox* מכרות *nec Græca nec Perſica eſt, ſed Hebræa. Variæ ejus expoſitiones examinantur. Veritas lectionis Hebraicæ contra Capellum defenſa. 3. Deteſtatio & horror facinoris Simeonis & Levi. Verba* בסודם אל תבא *&c. explicata. Græca verſio verborum* בקהלם אל תחד כבודי *contra Voſſium diſceptatur, & Hebræa lectio defenditur. 4. Exponuntur verba* ברצנם עקרו שור*. Vox* שור *murum*

an

an taurum ſignificet? An cum tauro Jacobus vel Magnates, vel Joſephum, vel Chriſtum contenderit? Taurus viri fortis apud exoticos ſymbolum. 5. Verborum Jacobi, quibus deteſtatur factum filiorum, clara periphraſis. 6. Boulduci aſſertio, quòd Jacobus voce כבודי *gloriæ mea intellexerit Caathum, jam ante ab ipſo in Ægypto Pontificem electum, perſtringitur. Genebrardi notatus error. Locus Hebr.* VII. 11. *vindicatur. 7. Maledictio furoris filiorum. 8. Pœna ſingularis eorundem, diſperſio nimirum. Quid* אחלקם? *9. Eventus prophetiæ ediſſeritur. Diſperſio tribus Levi, necnon Simeonis. 10. Quomodo diſperſio ea utriuſque bono ceſſerit, anquiritur. Hebræorum de doctoribus legis ex tribu Simeonis & Levi oriundis ſententia exprimitur.* 11.

I. Poſſit & hæc prophetia maledictio potiùs quàm benedictio videri, ſiquidem furori Simeonis & Levi disertè Patriarcha maledicit. Titulum tamen benedictionis præfigere maluimus, tum quia Spiritus S. aſſerit v. 28. Jacobum unicuique filiorum ſuorum impartiviſſe ברכה *benedictionem*, tum quia procedente hâc ipſa exercitatione manifeſtum evadet, haud planè benedictionis exſortes utrumque hunc filium fuiſſe.

II. Simeonem & Levi conjungit Patriarcha, non tam eam ob rationem, quòd fratres germani eſſent, ambo ex Lea oriundi, quàm quia communis maleficii non planè communem, ſed tamen bona ex parte convenientem pœnam iis vaticinatus eſt. Iccirco eos compellat Jacobus initio: שמעון ולוי אחים *Simeon & Levi fratres*, hoc eſt, velut gemini & pares tum crimine, Sichemitarum cæde, tum ſupplicio, quod adverſus vos jamjam pronuntiaturus ſum. Ita ſimiles moribus & meritis appellantur fratres, quomodo Proverb. XVIII. 9. dicit Sapiens: *Etiam qui remiſſus eſt in opere ſuo,* אח הוא לבעל משחית *frater eſt domino diſſipanti.*

III. Commune crimen fratribus his objicit v. 5. Simeon & Levi fratres, כלי חמס מכרתיהם *vaſa iniquitatis bellantia.* Ita Vulgatus verba ea reddit. Obſcura eſt vox מכרותיהם. Hebræi plerique exiſtimant, vocem peregrinam eſſe, Græcam videlicet, quæ idem ſonet, quod *machæræ eorum* ſunt vaſa violentiæ, hoc eſt, violentæ, iniquæ. Jarchius: לשון כלי זין הסיף בלשון יוני מכיר הנחומא *Notionem habent vaſorum, qualia ſunt gladii, enſes. In Lingua Græca eſt* μάχαιρα. *Ita Tanchuma.* R. Elie-

zer

zer cap. 38. ſcribit, שקלל את חרבם בלשון יונית *quòd deteſtatus ſit Jacobus gladium* Simeonis & Levi *phraſi Græca*. Verùm ineptum planè eſt, Jacobum Helleniſmum advocare voluiſſe ad deteſtationem ſceleris filiorum. Ejus enim ignarus fuit. Neque probabile eſt, peregrinos idiotiſmos jam tum linguæ ſanctæ immixtos eſſe. Neque plus veriſimilitudinis habet, quòd Grotius ex Perſia nobis eam vocem acceſſit, quaſi videlicet vox μάχαιρα à Perſis in Græciam tranſiverit. Gladios enim, inquit, Perſicos Xenophon *machæras* vocat. Si omnino vox מכרות notionem haberet *machærarum*, potius eſſet dicere, prima ſua origine Hebræam eſſe, atque inde ad alias gentes, Græcos, Perſas tranſiviſſe. Græci ita reddunt: Συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν, *conſummaverunt iniquitatem propoſiti ſui*. Pro כלי legerunt כלו à כלה *conſummare*. Fieri ſanè poteſt, ut מכרות olim apud Hebræos notaverint conſilia, propoſita: ſicut hodiéque in lingua Æthiopica מכר eſt *conſultare*, συμβουλεύσασθαι, uti liquet ex verſione Æthiopica locorum Matth. I. 19. XII. 14. XXVI. 4. Unde nomen מכר *conſilium* notat Luc. XXIII. 51. Unde Ludovicus de Dieu commodè verti poſſe putat, *arma violentiæ ſunt conſilia eorum*. Thargum Onkeloſi reddit: גברין גברין בארעא הותבותהון עבדו גבורא *Viri fortiſſimi in terra perigrinationis ſuæ fecerunt fortitudinem*. Legiſſe videtur מגורותיהם *peregrinationis eorum*. Ita Pagninus: *Arma iniquitatis in habitationibus eorum*. Hinc Capellus Hebraicam lectionem ſolicitat falſi. Sed errat ille. Nam etiam מכורה poteſt idem eſſe quod מגורה ut Ezech. XVI. 3. מכרתיך idem eſſe quod מגורתיך ſcribunt Kimchius, Jarchius & Nachmanides. Ita Ezech. XXIX. 14. pro על ארץ מכורתם Jonathan habet על ארע תותבותהון *in terram habitationis ſuæ*, ut hic Onkeloſus. Neque tamen peregrinationem hoc loco notari putem. Cur enim Jacobus *peregrinationis ipſorum* meminiſſet, quæ communis tum ipſius, tum fratrum erat? Cùm porro apud Arabes מכר etiam notet *fallere*, *fraudem facere*, hinc eſt quòd alii commodè reddi poſſe putant: *Arma violentiæ ſunt fraudes eorum*. Nec deſunt etiam, qui à כרת *excidit*, eam vocem derivent, quaſi voluerit Jacobus eâ deſignare excidium Sichemitis illatum. Ita Zwinglius. Placet præ cæteris eorum ſententia, qui reddunt *pactiones eorum*, *ſeu conventiones*, quibus videlicet Sichemitas in fœdus tranſmiſerunt, ſed inſigni fraude, fœderis hujus obtentu necem eorum machinati ſunt. Ita Abenezra: והטעם על החמס שעשו שאחר שהכניסו אנשי שכם בברית הרגום במרמה *Senſus eſt, ob violentiam quam intulerunt, eò quòd poſtquam Sichemitas tranſmiſerunt in fœdus, eos fraudulenter occiderunt*. Nempe á מכר *vendidit*, deducitur מכורה vel מכרה quod pactum negotia-

tia-

tiationem vel commercium notare poteſt. Paucis igitur verbis tum cædem Sichemitarum, tum inſignem fraudem, qua velut inſtrumento iniquitatis cædem eam procurârunt, Jacobus exprimere voluit. Cumque Chaldæis מכר notet etiam *deſponſionem* & מכירה *ſponſam*, ejusmodi pactum ſeu contractus, qualis eſt in matrimoniis intervenire ſolet, ſubintelligi voce מכרה poſſet. Tales nempe fuerunt pactiones, quibus abuſi ſunt fratres hi ad patrandum ſcelus. De ipſa verò Sichemitarum fraudulenta cæde egimus prolixè ſuperiùs Exercitat. XIII. Sect. 10-15.

IV. Deteſtatio & horror facinoris hujus ſequitur v. 6. בסודם אל תבא נפשי בקהלם אל תחד כבודי כי באפם הרגו איש וברצנם עקרו שור *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu ipſorum non ſit gloria mea: quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Ita vulgatus interpres. Sed alii aliter. Græci: Εἰς βουλὴν αὐτῶν μὴ ἔλθοι ἡ ψυχή μου, καὶ ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου. Ὅτι ἐν τῷ θυμῷ αὐτῶν ἀπέκτειναν ἀνθρώπους, καὶ ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον. *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in congregatione eorum non contendant viſcera mea: quia in furore ſuo interfecerunt homines, in cupiditate ſua ſubnervârunt taurum.* בקהלם אל תחד כבודי ipſi habent, ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου, *in congregatione eorum non contendant viſcera mea*, vel, ut Hieronymus reddit, *non æmuletur jecur meum.* Origenes & Tertullianus legerunt ἐρείσαι *incumbant. Pro* תחד *uniatur*, legerunt Græci תחר *excandeſcat*, vel *contendat*; & pro כְּבֹדִי *gloria mea*, unico diſcrepante puncto כְּבֵדִי *jecur meum.* Lectionem hancce Græcorum adverſus receptam lectionem Hebraicam tueri conatut Iſacus Voſſius. Quænam eſt, inquit, hæc locutio: *In cœtu illorum ne ſit gloria mea. Profectò hæc interpretatio non hiſtoriæ tantùm adverſatur, ſed etiam communem ſenſum offendit.* Et paulò poſt Græcam lectionem defendit: *Jecur*, inquit, *eſſe ſedem iræ, & inde apud Horatium:* tumet bile jecur; *nemo qui hæc leget, neſciet, ut exiſtimo.* Sed verborum Hebræorum interpretatio nec hiſtoriæ adverſatur, nec communem ſenſum offendit. Hoc enim oſtendere vult Jacobus, nunquam ſe conſenſiſſe, nunquam conſenſurum nefando facinori. Sicut in *ſecretum* eorum, primum nempe & clancularium conſilium Simeonis & Levi nunquam intravit *anima* ejus, ita nec in cœtum eorum, eum videlicet, quem convocârunt fratres poſt captatum cædis conſilium, unitam dicit *gloriam* ſuam, eandem pura animam, cujus ante meminerat. Idem duobus nominibus inſinuat. Intelligi facilè poterit, ſi conferantur loca ſimilia Pſal. XVI. 9. & XXX. 13. ubi כבוד pro *anima* etiam poſitum, velut Græci exponunt,

pro lingua. Utrumque locum hic habere poſſet. *Septuaginta verò*, ita pergit, *non hîc fuiſſe myopes, ſed rectè legiſſe & rectè interpretatos eſſe, patet ex altero Hebræo exemplari, quo Samaritæ utuntur, quod illam ipſam, quam reprehendunt, exhibet lectionem.* Ita eſt ſanè. Convenit in voce תחר cum Græcis. Sed in reliquis cum Hebræo codice lectio verſus illius planè conſentit. Nulla verò ratio cogit, ut ex Samaritico codice Hebræus emendetur, cùm & ipſe hic commodum ſenſum fundat, & authentia Hebræi codicis adverſus Samariticum aliis argumentis abundè comprobata ſit. Conformis Hebrææ lectioni etiam eſt interpretatio Onkeloſi, quæ ita habet: באתכנשיהון למרך לא נחתית מן יקרי *in congregatione eorum non conveniat gloria mea.* Syrus: ובכנושיהון לא נחתת איקרי *in cœtu illorum non decidi ex gloria mea.* Arabs: דפי תחוקרה כא לם הנתכין ראתי. *Et in congregatione eorum non eſt conjuncta ſubſtantia mea.*

V. Verba verò ſequentia ברצנם עקרו שור optimè converterunt Græci: Καὶ ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *& in cupiditate ſua ſubnervârunt taurum.* Perperam contra שור *murum* ſuffoſſum interpretantur Onkeloſus, Syrus & Arabs, Vulgatus, Munſterus, Tigurini, ex Hebræis Abenezra, ex Græcis Auctor veteris Scholii ad hunc locum, alii. Quaſi videlicet non tantum Sichemitas interfecerint fratres, ſed etiam mœnia urbemque ſubverterint. Nam murum non שור ſed שור ſignificat. Neque etiam hæc cohærerent: *Occiderunt viros & ſubverterunt muros.* Ne dicam, filiis Jacobi liberum fuiſſe aditum urbis Sichem, ut mœnia demoliri neceſſum non habuerint. Nec ſi voluiſſent, facilè id exequi potuiſſent duo viri, qui neque machinis neque armis ullis uſi leguntur in oppidi direptione, præter gladios, Genes. XXXIV. 25. Denique præter Græcos etiam Samaritanus & Kimchius de tauro interpretantur. Qui cum Græcis taurum rectè explicant, in ſenſu tamen ipſo haud planè conveniunt. R. Jacob Eleazari filius boum nomine *Magnates* intelligit, quomodo in his Pſal. XXII. 12. *Tauri circumdederunt me.* Hieroſolymitanus interpres ad Joſephum ita refert: זבינו יוסף אחיהון דמתיל לתורא *Vendiderunt Joſephum fratrem ſuum, qui cum tauro confertur*, nimirum in benedictione Moſis Deuteron. XXXIII. 17. Nec aliter R. Solomon Jarchi. Nempe ταῦρος οὐ τὸν τυχόντα σημαίνει, ut ait Artemidorus: nempe quia taurus manſueta inter animantia principatum habet, ut ait Macarius. Et in Hieroglyphicis Ægyptiorum virum ſimul fortem & temperantem, qualis eximiè fuit Joſephus, tauri imagine deſignari notat Horapollon. His argumentis inductus etiam Grotius Joſephi venditionem innui exiſtimat. Fateor tamen id remotum nimis videri.

Ne-

Digitized by Google

Neque enim ratio erat, cur ſcelus in Joſepho patratum peculiariter objiceretur Simeoni & Levi. Clarius putat prophetiam eſſe de Chriſto, quem Levitæ & Scribæ crucifixerint. Sed quid multis? Hiſtoria direptæ à fratribus his Sichem vetat dubitare, quin propriè dicti boves intelligantur. Nempe Genes. XXXIV. 25. in direptione urbis ejus dicuntur abegiſſe *pecora eorum*, *& boves & aſinos.* Hoc igitur iis nunc objicit Jacobus, dicens, eos ſubnervâſſe bovem. Ita olim ſubnervatos etiam eſſe equos, liquet ex Joſ. XI. 6, 9. & 2. Sam VIII. 4. nec non 1. Paralip. XVIII. 4. Eſt autem העקירה *ſubnervatio*, finitore Kimchio, *inciſio pedum jumenti à genu ad infra, quo facto non moritur, ſed incedere non valet, & in illa parte vulnus non eſt inſanabile.*

VI. Planus igitur nunc verborum Jacobi ſenſus eſt. *In ſecretum eorum ne eas ô anima mea, in cœtu eorum ne uniatur gloria mea*, inquit: סוד *ſecretum* diſtinguit à קהל *cœtu.* Nempe conſilium ſecretum primò unâ cœperunt de miſeris illis opprimendis ſub prætextu affinitatis contrahendæ. Poſtea cœtum convocârunt eorum, quos manu promptos eſſe noverunt. Neque enim duo ſtragi tantæ edendæ pares fuerunt. Utrique actui ſe conſenſiſſe negat. Imò utrumque execrabilem & horrendum fuiſſe teſtatur, à quo tam alienus fuerit, ut toto ab eo pectore abhorruerit. Non ſimpliciter negat ſe veniſſe in conſilium & cœtum ſontium horum, ſed hoc negat μάλα ἐμφατικῶς de *anima* ſua & de *gloria* ſua, quibus vocibus unam eandemque rem ſignificari ſupra indigitavimus, quia videlicet anima eſt deus & ornamentum corporis, ſine qua corpus eſt exanimis & exanguis truncus. *In furore ſuo*, ita pergit, *occiderunt virum.* איש *vir* ſingulari numero ponitur collectivè pro *viris*, ſeu virorum multitudine. Nempe cæco impetu irâ perciti irruerunt in Sichemitas, eoſque omnes peremerunt, abductis mulieribus. *In concupiſcentia ſua ſubnervârunt taurum.* Non contenti occidiſſe homines, ipſa quoque armenta, prædam abegerunt, adeoque quod alienum erat, nefariè & concupiverunt & rapuerunt. Hæc ex ipſa hiſtoria, quæ Genes. XXXIV. extat, manifeſta ſunt.

VII. Verba Patriarchæ, *in cœtu eorum non uniatur gloria mea*, detorquet ad figmentum aliquod pro more ſuo Boulducus *de Eccleſia ante legem* lib. III. cap. 12. Ait in iis eſſe apoſtrophen ad Caathum jam tum ad ſacerdotium ab ipſo Jacobo electum, hoc pacto: *In cœtu eorum ne uniaris ô gloria mea*, Caathe nimirum Sacerdos jam ritè electe. Quaſi diceret Jacobus: Quamvis optimè noverim, Deum elegiſſe tribum Levi, ex qua ſumeretur Sacerdos, *qui aſcendat ad ejus altere, & adoleat incenſum &*

Digitized by Google

portet Ephod coram eo; non decet tamen, ut gloria ſacerdotii uniat ſe cum iſtis duobus viris, humani & innoxii ſanguinis effuſoribus. Abſit ut iſti corde & opere homicidæ unitam habeant unquam & adhærentem ſibi ſacerdotii & pontificatus mei gloriam. Superiori capite 11. aſſerit, Jacobum ipſum ad ſacerdotium in Ægypto ėlegiſſe Caathum, ſecundum natu Levi filium, idque probare conatur ex verbis quæ extant 1. Sam. 11. 27. ſed contorta ſunt omnia. Primò enim כבדי *gloria mea* notat aliquid, quod inſitum erat Jacobo, non illatum. Deinde ex primo membro, & ſequentis analogia liquet ſatis, quæ fuerit Jacobi loquentis intentio, probare nimirum, quantopere à ſcelere filiorum eorum abhorruerit. Tertiò nulla ratio erat, cur Caathum, non reliquos etiam filios Levi abſterreret à ſimili cœtu. Quarto nugæ meræ ſunt de Caatho à Jacobo ad pontificatum electo. Dicit ſanè Deus ad Levi 1. Sam. 11. 27. manifeſtatum ſe eſſe domui patris ejus, cùm eſſet in Ægypto in domo Pharaonis: & ex omnibus tribubus Iſrael eam tribum ſibi elegiſſe, ut offerret ſuper altare. Diſtincta beneficia recitantur, quæ non eodem ſed diverſo tempore obtigerunt. Primò cùm in Ægypto adhuc verſarentur, revelavit ſe Deus ſingulari modo tribui Levi, Moſi nempe & Aharoni ex ea tribu oriundis. Poſtea cùm jam Ægypto exiviſſent, Aharonem Pontificem delegit. At de Caatho ante Aharonem in Pontificatum delecto altum ubique ſilentium. Neque etiam Genebrardus probari poteſt, qui in Chronol. A. 62. 294. n. 7. ait, Levi, Caath, & eorum propinquos ſpeciem quandam ſacerdotii exhibuiſſe usque ad Aharonem, è benedictione & Teſtamento Jacobi Geneſ. 49. Etenim benedictio Jacobi concernit potiſſimùm tribum Levi, ejusque poſt diviſionem terræ Canaan conditionem, uti inferiùs videbimus. Peſſimè verò pervertit Boulducus locum Hebr. VII. 11. ubi ait Paulus: Ὁ λαὸς ἐπ' αὐτῇ, nempe λευιτικῇ ἱερωσύνῃ νενομοθέτητο. *Populus in illud, nempe Leviticum ſacerdotium legem accepit.* Quæ ita ille exponit, ac ſi populus ſub Levitico ſacerdotio, adeoque jam ante inſtituto legem accepiſſet. Perſpicua eſt mens Apoſtoli, nempe legem ſacerdotio Aharonis Iſraelem alligâſſe. Reliqua argumenta, quæ pro ea ſententia adducit ingenioſiùs quàm veriùs, alibi forte diſcutiemus.

VIII. Ex horrore iſto ſequuntur duo, maledictio nempe tum communis in authores iſtius violentiæ, tum ſingularis in duas iſtas tribus Simeonis & Levi. Prior exprimitur v. 7. his verbis: ארור אפם כי עז ועברתם כי קשתה *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & ira eorum, quia indurata eſt.* Eò magis execrabilem eorum iram pronuntiat, quò & initio violentior, & uſque in finem implacabilior fuit. Obſervandum tamen, quòd

quòd maledictio ea non directè in authores violentiæ, ſed in iram & furorem eorum pronuntietur. Secus quàm in maledictione ſerpentis & Caini, in quos ea directè vibrata eſt. Hæc videlicet electorum eſt conditio, & lex divini erga eos fœderis, ut ſcelera quidem condemnentur, at perſonis pœnitentibus parcatur, quoad æternam condemnationem, licèt in iis ſtatuatur exemplum in temporalium pœnarum inflictione.

IX. Singularis maledictio adverſus tribus Simeonis & Levi pronuntiatur his verbis: אחלקם ביעקב ואפיצם בישראל *διαμεριῶ αὐτοὺς ἐν Ἰακὼβ, καὶ διασπερῶ αὐτοὺς ἐν Ἰσραήλ, dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Ita quidem אחלקם plerique interpretes, etiam Orientales vertunt: *Dividam eos.* Sed agnoſcunt commentatores, comma hoc ἐκ παραλλήλως poſitum cum ſequenti ואפיצם בישראל & unam eandemque rem utroque iſtorum ſignificari. Ita Abenezra: ויעברתם כפול הטעם וכן אחלקם ואפיצם וחטעם שהם אלה ראוים שיתפרדו ולא יתחברו יחדו: hoc eſt, אפם & עברתם *ſunt æquipollentia, ſimiliterque* אחלקם & אפיצם *Et ſenſus eſt, iſtos promeritos eſſe, ut diſtraherentur, neque manerent conjuncti.* Et Jarchius אחלקם explicat per אפרידם זה מזה *ſegregabo ipſos, unum ab altero.* Eodem modo accipitur Lament. IV. 16. De verbi illius חלק ſignificatibus fuſè diſſerit doctiſſimus Boetius Animadverſ. ſacr. lib. IV. 12. Ita mala coitio diſperſione punitur, uti factum etiam iis, qui ad turrim Babylonicam extruendam coiverant.

X. Nunc de eventu hujus prophetiæ. Quoad tribum Levi, is planè manifeſtus eſt. Dicata enim miniſteriis ſacris non accepit peculiarem & diſtinctam portionem, ſed habitavit intermixta aliis tribubus, ſortita urbes quadraginta octo ad habitationem, unâ cum ſuburbiis & agris eorum, uti conſtat ex Joſuæ cap. XXI. & I. Chronic. cap. VI. De tribu Simeonis itidem conſtabit, ſi expendantur ea, quæ extant initio capitis XIX. Joſuæ, ubi Simeonis hæreditas dicitur fuiſſe בתוך נחלת בני יהודה *in medio hæreditatis filiorum Judæ.* Fuerunt itaque Simeonitæ quaſi inquilini tribus Judæ. Cùm autem multiplicatis pars, quam in tribu Judæ acceperant, non ſufficeret, quæſitum novas ſedes ivere. Et alii quidem vallem Gedaris acceperunt: alii verò ad montem Seir profecti Amalekitas inde expulerunt, I. Chronic. IV. 38, 39. &c.

XI. Hanc ipſam tamen tribus Levi & Simeon Iſraeli bono ceſſiſſe, notant Hebræi. Quibus præivit Thargum Hieroſolymitanum, quod ſic commentatur ad verba illa Jacobi: אפליג: ית שבטא דשמעון כברין כלפי אוריתא בכנישתא דיעקב ואבדר ית שבטא דלוי בבתי מדרשיא דבני ישראל *Dividam tribum Simeonis, ut ſint poſiti doctores legis in Eccleſia Jacobi & diſpergam tribum*

Levi in Academiis Gymnaſiisve ſcholaſticis filiorum Iſraelis. Jarchius tamen Simeonis poſteros doctores Leviticis facit longè inferiores. Ejus verba adſcribam: אין לך עניים סופרים ומלמדי תינוקות אלא כשמעון כדי שיהיו נפוצים ושבטו של לוי עשאו מחזר על הגרנות לתרומות ולמעשרות נתן לו תפוצתו דרך כבוד *Non erant tibi pauperes ſcribæ & pædagogi niſi ex Simeone, ut diſperſi agant. Tribum verò Levi fecit circumeuntem areas propter oblationes ſpontaneas & decimas, & dedit ei diſperſionem ſuam honoris gratiâ.* Bechai in Leg. Fol. 59. col. 1. נחלת לוי ערי מקלט מפוצות בכל ישראל ומה שפזר אותם בכל ישראל הענין הזה לתועלת ישראל בהוראותיהם וכענין שכתוב בהם יורו משפטיך ליעקב ותורתך לישראל *Hæreditas Levi ſunt urbes refugii diſperſa per univerſum Iſraelem. Et cur diſperſit eos per univerſum Iſraelem? Hoc ceſſit utilitati Iſraelis per inſtitutionem ipſorum, juxta id quod de ipſis ſcriptum eſt:* (Deut. 33: 10.) *Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Iſraelem.* De tribu Levi verum eſt, quod dicunt illi. Etſi enim diſperſio ejus ob ſcelus patris Levi pœnæ rationem habuerit, uti ex hoc Jacobi vaticinio colligitur: tamen in executione ſententiæ pronunciatæ plura fuerunt, quæ illam tum tribui Levi, tum & reliquis tribubus vertiſſe in incrementum felicitatis arguunt. Et tribui quidem Levi, quia Deus ipſe declaravit, ſemetipſum ipſorum ſortem futurum. Reliquis verò tribubus quia eas diſſeminare voluit Deus in populo ſuo, ut hac occaſione ex vocatione ſua paſſim Dei-timorem ſpargerent & foverent, Deique adeò cultum purum & intemeratum docerent. Facit huc, quod extat Deuteron. XXXIII. 10. de officio Levitarum: *Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Iſraelem. Ponent ſuffitum ante nares tuas, & holocauſtum ſupra altare tuum.* Quoad tribum Simeonis autem, non conſtat equidem, ex ea tribu peritos doctores legis præ cæteris oriundos fuiſſe. Nuſpiam hoc dicit Scriptura. Imo, certum eſt, ex aliis quoque tribubus fuiſſe doctores & ſcribas. Interim nec ejus tribus diſperſio à ſimili bono prorſus immunis fuit. Etſi enim non eadem, qua tribus Levi, felicitate gaviſa fuerit: tamen quodammodo glorioſum ei fuit, parem habere cum Juda habitationem, communibus armis paratam, & quòd ſuo tempore ita Deus eos auxit, ut colonias migrare neceſſum habuerint, & novas adeò ſedes illuſtri contra gentes victoria ſibi paraverint. quod non ſine favore Numinis factum. Sed diſtinguendum hic inter id, quod peccato debitum fuit, & eventum ac finem, qui ſummâ Dei miſericordiâ contigit, alius planè quàm expectari potuiſſet, poſtquam utriusque poſteros Deus expurgâſſet, piis inter illos Deumque timentibus vitæ puritate & ſanctimoniâ rigorem pœnæ mitigare ſtudentibus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

DE BENEDICTIONE PROPHETICA JUDÆ.

Breviarium.

Argumentum prophetiæ. 1. *Magnifica Patriarchæ ad Judam apoſtrophe.* 2. *Ejusdem alluſio ad nomen Judæ in verbis* יודך אחיך. *Prærogativæ tres Judæ à Patriarcha enunciatæ, in ſenſu diminuto ipſi tribui Judæ, in pleno Chriſto competunt.* 3--6. *Generoſitas Judæ hieroglyphico leonis adumbrata.* גור. *Leonum mos à præda aſcendentium in montana. Leonum luſtra, in quibus poſt prædam recubant.* לבאי כך. *Leonem nemo excitat tutò.* 6. *Judæ cum leone comparatio inſtituitur. Leo regiæ fortitudinis ſymbolum.* 7. *Chriſti ex tribu Juda oriundi comparatio cum leone. Explicatur locus Apocal.* v. 5. *Quomodo Chriſtus eodem loco leo & agnus mactatus dicatur? Chriſtus agnus fuit in morte, leo in reſurrectione.* 8. *Similitudo leonis per gradus applicatur Judæ & Chriſto. Paraphraſis Onkeloſi explicata.* 9--10. *Examinatur ſententia Hebræorum de quatuor animalibus pictis in vexillis Judæorum, veluti hominis in Rubenis, leonis in Judæ, bovis in Ephraimi, aquilæ in Danis.* 11. *Vaticinii de Schilonis adventu, ejusque ſigno, propoſiti* v. 10. *verſio tum Græca tum Chaldaica.* 12. שילה *Schilo non alium quàm Chriſtum denotat. Ejus vocis origo diſceptata. Notat* εἰρηνοποιόν. 13. *Variæ Judæorum & Chriſtianorum oraculi ejus expoſitiones ad partes vocatæ.* 14--27. *Traditio Gemaræ Sanhedrin, quòd æchmalotarchæ Babylonii voce* שבט *denotentur, rejicitur. Hillelis dubia proſapia.* 15. *R. Lipmanni expoſitio, quòd* שבט *notet virgam percutientem, eliditur.* 16. *R. Bechai particulas* עד כי *divellentis,*

ut

ut ſenſus ſit, præſente Meſſia in æternum non receſſurum ſceptrum à Juda παρερμηνεία *perſtringitur.* 17. *Chriſtianorum in expoſitione vaticinii conſenſus, quatenus is ad convictionem Judæorum requiritur.* 18. *Origenis, Auguſtini, Theodoreti, Epiphanii, Baronii ſententia, quod tribui Judæ promittatur regia poteſtas, quæ finita demum ſit ſub Herode magno, refellitur. Aſſamonæi an fuerint ex tribu Juda?* 19. *Juſtini Martyris, Euſebii, Caſauboni ſententia, quòd regia poteſtas non tribui Judæ, ſed populo à Juda denominato, adeoque omnibus* XII. *tribubus Iſraelis promittatur, ad incudem revocata.* 20. *An ſceptrum promittatur tribui Judæ, hoc eſt, populo, ut perinde ſit, an Reges illud tenentes ſint nativi an aſcititii? An populus decem tribuum Jſraeliticarum in captivitate perierit, neque unquam in terram promiſſam redierit?* 21. *Tremellii & Authoris libri Schilo expoſitio, quòd* שבט *notet tribum, adeoque promittatur diſtinctio tribuum uſque ad adventum Schilonis, ad limam revocata.* 22. *Genuina interpretatio vaticinii* ϑελικῶς *proponitur.* שבט *notat ſceptrum regium.* מחוקק *verò concilium legislatorum ſeu ſynedrium. Inſtitutio Synedrii. Ex qua tribu delecti fuerint aſſeſſores ſynedrii? Hebræorum & Muhammedis opinio, quòd ex ſola tribu Levi delecti ſint, refutatur. Diſtinctio aſſeſſorum, quorum alii fuerunt primores populi ſeu* ἄρχοντες, שרי כהנים *ſeu* ἀρχιερεῖς, *capita ſacerdotalium claſſium, alii ſcribæ. Quid* מבין רגליו? *Quomodo legiſlator promittatur è medio pedum Judæ, cùm aſſeſſores ſynedrii omnes ex tribu Juda oriundi haud fuerint? Explicantur particulæ* עד כי. 23. *Verſio & expoſitio uberior vaticinii.* 24. *Verba ſequentia* ולו יקהת עמים *explanata.* 25. *Indefinitus & ænigmaticus vaticinii ſenſus eruitur.* 26. *Explicatur prophetia ſequens de pullo aſinæ alligando ad vitem &c. Quid* שרק? *Quid* ἕλιξ? דם ענבים *periphraſis eſt vini.* חכלילי *eſt* διάπορος *rubicundus. Verſus* XI. & XII. *accurata verſio.* 27. *An propheriâ illâ temporalis tribus Judæ felicitas portendatur?* 28. *Onkeloſi & Hebræorum parabolica prophetiæ illius interpretatio refellitur.* 29. *Continuari in ea ſermonem de Schilone ſeu Meſſia probatur. Periphraſis*

Digitized by Google

phraſis Chaldaica tum Hieroſolymitana tum Jonathanis rejicitur. 30. *Patrum, Theodoreti, Chryſoſtomi, Juſtini expoſitio, quâ prophetia illa Chriſto applicatur.* 31. *Epicriſis authoris. Pullus ad vitem alligandus gentes adducendas ad Chriſtum: lotio veſtimenti in vino paſſionem Chriſti; rubedo oculorum Schilonis ejus in hoſtes iram; albedo dentium ejusdem & Eccleſiæ ſanctitatem ac puritatem ſignificat.* 32. *Complementum totius prophetiæ ediſſeritur.* 33–39. *Prærogativæ, quas Judæ Jacobus tribuit, in tribu Judæ & Chriſto quomodo impletæ ſint.* 33. *Quomodo tribus Juda & Chriſtus leo factus ſit?* 34. *Adventus Schilonis. Abolitio ſceptri Judæ & ſynedrii. Variæ ſynedrii mutationes. Aboletur ab Herode, relicto Samea & Pollione, hoc eſt, Schammai & Hillele. Reſtituitur idem ab Herode. Non quadraginta ante excidium urbis annis, ſed ſub ipſum excidium ejus ſublatum eſſe ſynedrium probatur. Locus Joh.* XVIII. 31. *explicatur.* 35. *Invicta contra Judæos demonſtratio exhibiti Meſſiæ.* 36. *Complementum prophetiæ de convertendis gentibus.* 37. *Periphraſis Chriſti, quòd ſit rubicundior præ vino &c. in eventu oſtenditur.* 38. *Sathanæ inſignis fraus, ex hac prophetia Sileni fabulam impiè cudentis.* 39.

I. Glorioſiſſima ſequitur benedictio Judæ, in qua continetur claſſicum dictum, & illuſtriſſimum de adventu Salvatoris mundi Meſſiæ vaticinium. Aſſerit prophetia tribus Judæ dignitatem & authoritatem, qua futurum erat ut longè ſupra reliquas tribus excelleret. Ac primò eam universè enunciat v. 8. Poſteà verò ſpeciatim eam explicat v. 9--13.

II. Orditur cum magnifica apoſtrophe, his verbis יהודה אתה *Jehuda, Tu.* Quaſi diceret: Tu ille es, quem prædicare multis nominibus debeo. Tu ille πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Tua nunc πλεονεκτήματα, tuas prærogativas proſequi animus mihi eſt.

III. Tria πλεονεκτήματα Judæ eodem verſu recitat. Primum his verbis: ירוך אחך *Confitebuntur te fratres tui.* Paranomaſia eſt egregia, ſeu alluſio ad nomen Judæ. Lea hoc ipſi nomen impoſuerat pollicita Deo תודה *confeſſionem* his verbis: הפעם אודה את יהוה *Vice hac confitebor Jehovæ.* Sicut autem ipſa tunc Lea Judam enixa confitebatur Jehovæ,

 laudi-

Digitized by Google

laudibus & gratiarum actione eam proſequens: ita nunc ipſum Judam confitendum, laudandum & celebrandum pronuntiat Jacobus à fratribus. Perinde ac ſi diceret: Non abnegabunt te fratres tui, quin potiùs agnoſcent te, & in te gloriabuntur; maximè quia Chriſtus ex te oriturus. Thargum Onkeloſi ita convertit: יהודה את אודיתא ולא בהתיתא בך יודון אחך *Juda, confeſſus es, & non erubuiſti, in te confitebuntur fratres tui.* Ita paraphraſin eam reddit Fagius. Ubi etiam diverſas Hebræorum paraphraſeos illius interpretationes exponit. Nos eas, quia verba priora in textu Hebræo non reperiuntur, ultro omittimus.

IV. Secundam Judæ prærogativam recitat: ידך בעורף איביך *Manus tua erit in cervice hoſtium tuorum.* Optimè ea verba explicat Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus: ידך התקף על בעלי דבבך יתבדרון שנאך יהון מחזרין קדל קדמך *Manus tua prævalebit contra inimicos tuos: diſpergentur hoſtes tui, convertentur retrorſum in conſpectu tuo.* Significat Jacobus, Jehudam non fore immunem ab hoſtibus. Sed quamvis multi ei negotium faceſſant, fore tamen ut victoriam reportet, adeoque ſe ab adverſariis vindicet.

V. Tertium quod promittitur Judæ, exprimitur his verbis: ישתחוו לך בני אביך *Incurvabunt ſe tibi filii patris tui.* Græci: προσκυνήσουσι σοι οἱ υἱοὶ τοῦ πατρός σου. *Adorabunt te filii patris tui.* Duplex eſt adoratio, civilis & religioſa. Prior quæ Regibus exhibetur. Poſterior, quæ Regi Regum. Utraque rectè intelligitur. Prior quâ Iſraelitæ ſecundum carnem erant ſe incurvaturi Regibus ex Juda oriundis, Davidi, Solomoni, aliis, quibus duodecim tribus fuerunt ſubditi. Poſterior, quâ filii Jacobi ſecundum promiſſionem, adeoque ſpirituales erant adoraturi filium Judæ, Filium nempe Dei, authorem juſtitiæ & ſalutis, objectum fidei & obedientiæ omnium filiorum Dei. Tenenda enim hic regula ἑρμηνευτικὴ, Spiritum Dei non tantùm videri debere dixiſſe, quod apertiſſimis verbis dicitur, ſed & omne id, quod cum iis quæ dicta ſunt, συνάφειαν quandam & connexionem neceſſariam habet, etiamſi non primo cœtu, ſed multò poſt hæc connexio declarata ſit. Cùm igitur cum ea adoratione, quâ Iſraelitæ carnales Judam, hoc eſt, Reges ex eo oriundos adorârunt civiliter, connexa fuerit religioſa illa, quâ Iſraelitæ ſpirituales adorare debuerunt Judam, hoc eſt, filium & germen Judæ, Schilonem, Salvatorem mundi: quis dubitet, utramque hoc loco adorationem inſinuari? Inprimis cùm poſteriorem illam Prophetæ paſſim declarent.

VI. Generoſitatem verò Judæ explicat Patriarcha, adhibito hieroglyphico leonis v. 9. גור אריה יהודה מטרף בני עלית כרע רבץ כאריה וכלביא מי יקימנו *Catulus leonis Judah. E præda, fili mi, aſcendiſti. Incurvavit*

vit ſe, accubuit ſicut leo, & ſicut leæna. Quis ſuſcitabit eum? גור *catulum* notat, leonis puta, & aliorum quoque animalium, urſi, canis, ceti &c. Deſcendit ab אגר *congregare.* Unde Græcum ἀγείρω. Inde igitur גורים ſunt catuli, qui circa matrem colliguntur & congregantur, quomodo pulli in avibus, quos mater ἐπισυνάγει, ſub alis ſuis congregat, Luc. XXIII. 34. *E præda, fili mi, aſcendiſti,* inquit. Nempe leones poſtquam in planis prædati ſunt, aſcendunt & redeunt ſaturi ad montes. Confer Deuteron. XXXIII. 22. Cant. IV. 8. Jerem. XLIX. 19. Xenophon de Venat. Τὰ δὲ αὐτῶν καταβαίνοντα εἰς τὸ πεδίον τῆς νυκτὸς, ἀποκλειοθέντα μετὰ ἵππων καὶ ὅπλων, ἁλίσκεται εἰς κίνδυνον καθιςάντα τοὺς αἱροῦντας. *Quæ feræ noctu in plana deſcendunt, equis & armis à reditu intercluſæ, non ſine venatorum diſcrimine capiuntur.* Ibidem leones, pardi, lynces, pantheræ & urſi degere dicuntur in montibus, puta in Pangæo & Citto ſupra Macedonium, & Olympo Moeſiæ, & Pindo Macedoniæ, & Nyſa ſupra Syriam. Proinde Pollux: Τῶν δὲ θηρίων τὰ μὲν ὄρεια ἐπὶ πλεῖςον εἰσὶν, ὡς οἱ λέοντες. *Ferarum quædam ſunt plerunque montanæ, ut leones.* Pergit in eadem metaphora leonis: כרע רבץ כאריה וכלביא *Incurvavit ſe, recubuit ſicut leo.* Notum eſt, leonem habere luſtrum vel in antro, vel in vepretis, vel in denſis arboribus, ubi latet interdiù tanquam in inſidiis. Id Hebræi vocant סך vel סכה propriè tugurium, tabernaculum Job. XXXIX. 2. Pſal. CIV. 22. Cant. IV. 8. מסתר quoque pro eodem luſtro uſurpatur Pſal. X. 9. Jerem. IV. 6. In luſtris iis prædam colligunt, & eadem veſcuntur. In iis igitur luſtris Leo cubat. Jobi cap. XXXVIII. 41. *Numquid veneris leoni prædam, & animam leunculorum imples, cùm* ישחו *inclinantur* (pro quo Jacobus כרע) *in habitaculis &* ישבו *ſedent in tugurio?* Et Ezech. XIX. 2. *Leæna inter leones* רבצה *recubans.* Ælianus de Hiſtor. Animal. lib. IX. cap. I. author eſt, vetuſtos leones (qualis juxta nonnullos eſt לביא quamvis ea voce leænam notari probat Bochartus) ad venandum eſſe inertes, atque in antris ac dumis inſidiari; & à juvenibus venationem inſtitui, atque eos præda potitos claro ac ſonoro rugitu vetulam ad ejus participationem invitare. Id ſi verum eſt, patet ſanè, comparationem inter leonem & Judam inſtitui per gradus. Sicut leo primò catulus prædam colligit, mox in montes ſe proripit; poſtea verò leo annoſus vel leæna in antro ſuo recubat, prædam à catulo leone operiens: Ita Judas. Subjicit tandem de leone & leæna ſic in antro recubante: מי יקימנו *quis ſuſcitabit eum?* Ita Balaam de populo Iſraelitico Num. XXIV. 9. *Inclinavit ſe & dormivit ut leo & leæna, quis ſuſcitabit eum?* Leones nempe ubivis dormiunt. Quaſi ſcirent, neminem eſſe omnino, qui dormientem

Digitized by Google

excitare, vel vexare audeat. Quod inſigne fiduciæ ipſius & animoſitatis præbet indicium.

VII. Sic igitur cum leone aptiſſimè comparatur Juda, duobus nominibus. Primò quia ex ea tribu oriundi Reges. Docent id verba ſtatim ſequentia: *Non recedet ſceptrum à tribu Juda &c.* Ea ſimilitudine Scriptura utitur etiam alibi, velut Proverb. XIX. 12. XX. 2. Ezech. XXXII. 2. Eò pertinet, quòd in Regalis potentiæ ſymbolum Solomon duodecim leones aureos duodecim in ſolii ſui gradibus inſculpi juſſit, & in fulcris leones duos etiam aureos. Quo exemplo Ægyptii *ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ ὥρου λέοντας ὑπολιθέασι*, *ſub Hori ſoliis leones ponunt*, uti habetur in Hori Apollinis Hieroglyph. lib. 1. cap. 17. Leo nempe, utpote Rex animalium, ſymbolum eſt animi magni, רוח עצון *ſpiritus alacritatis* potentiæ invictæ & omnia ſuperantis. Leoni enim, innatus eſt animus invictus alacris & generoſus. Utitur magnanimitate adverſus feras & truculentas beſtias, nec agit ex inſidiis, ſed apertè & à fronte reliqua animalia aggreditur. Parcit humilibus & abjectis. Non multum dormit, & inter dormiendum oculos apertos habet. Ea quomodo Regi convenire debeant, ſatis apertum eſt. Itaque Davidis tempore, qui primus in illa tribu Rex creatus eſt, Juda pro leone habitus eſt. Quod Hebræi per rationes Cabaliſticas ex ipſis verbis conantur elicere. Baal Hatturim Comment. in Pentateuchum: גור אריה יהודה׳ בגימ׳ דוד ושלמה גור אריה יהודה רת׳ בגימ׳ דוד Senſus eſt voce גור אריה יהודה Catulus leonis Juda, *per Gematriam idem valere quod* דוד ושלמה *David & Solomon.. Et harum vocum initiales literas, nempe Gimel, Aleph & Jod per Gematriam idem valere quod* דוד. Quorum poſterius verum eſt; nam utrumque valet quatuordecim. Prius autem falſum, cùm numeri non conveniant.

VIII. Secundò cum leone comparatur Juda, quia ex ea tribu oriundus erat Meſſias, quod ſtatim ſequenti verſu indicatur. Is nempe eſt φερωνύμως leo ille, cùm cæteri Judæ Reges in emphaſi tales minimè fuerint. Etenim ſi Juda eſt ut leo, quando fortes Reges habet: multò magis ipſe Dominus, cui eſt obedientia populorum, eſt leo ille, cujus hic fortitudo deſcribitur. Hoc ſignificatur Apocal. V. 5. *Ἰδοὺ ἐνίκησεν ὁ λέων ὁ ὢν ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα. Ecce! Vicit leo ex tribu Juda.* Vicit is, nempe execrationem legis, ejusque valorem ad accuſandum peccatum, & ad detinendum in ſervitute Satanæ. Idem tamen ſtatim verſu ſequente, & paſſim alibi vocatur *ἀρνίον ἐσφαγμένον agnus mactatus.* In Æliani variis lib. 1. cap. 29. *λέγουσιν κώων παῖδες ἐν τῷ τίκειν ἔν τινι ποίμνῃ Νικίππου τοῦ τυράννου οἶν. Τέκειν δὲ οὐκ ἄρνα, ἀλλὰ λέοντα. Coi dicunt in Co inſula, in quodam*

quodam Nicyppi tyranni paſcuo ovem peperiſſe: peperiſſe autem non agnum ſed leonem. Sed Chriſto majus aliquid evenit. Is enim cùm agnus fuerit in morte, factus eſt in reſurrectione leo, poſtquam *dæmone & inferis morte ſua devictis, omnem accepit poteſtatem in Cœlo & terra, adeoque nomen ſupra omne nomen.* Philipp. II. 9. Ad rugitum leonis hujus pertinent, quæ habentur Hoſ. XI. 10, 11. *Poſt Dominum ambulabunt, qui tanquam leo rugiet. Quando ipſe rugiet, tunc properabunt filii à mari. Properabunt, inquam, ut aves ex Ægypto, & ut columba ex terra Aſſyriorum, & habitare faciam eos in domibus ſuis, inquit, Dominus è Sione rugiet, & è Jeruſalem edet vocem ſuam. Commovebuntur Cœli & terræ, & dominus refugium erit populi ſui, robur filiorum Iſraelis.*

IX. Similitudinem hanc Judæ & leonis per partes nonnulli explicant, referuntque illam gradatim ad regni auſpicia, progreſſum & durationem cum firmitate & ſecuritate conjunctam. Huc reſpexiſſe putatur Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus. Sic enim is locum reddit: שלטון יהי בשירויא ובסופא יתרבא מלכא מרבית יהודה ארי מדין קטלא ברי נפשך סלקתא ינוח ישרי בתקוף כאריא וכליתא לית מלכו דתזעזעניה: *Dominium erit in principio, ſed in fine magnificabitur regnum domus Judæ: quoniam de judicio mortis, fili mi, animam tuam abſtuliſti: Requieſcet & habitabit in fortitudine, quaſi leo, & quaſi leæna: Non erit regnum quod commoveat eum.* Verba illa, *quoniam de judicio mortis, fili mi, animam tuam abſtuliſti*; quò referenda ſint, non admodum apparet, cùm in Hebræo textu non reperiantur. Alii referunt ad recantatam ſententiam, quam adverſus nurum ſuam pronunciaverat. Alii ad id, quòd in mortem Joſephi non conſenſerat. Videri poſſet paraphraſtes ille reſpexiſſe ad verba Eſaiæ de Meſſia cap. XLIII. 8. מעֹצֶר וממשפט לקח *Ex anguſtiis & judicio ſublatus eſt.* Atque ſic tota illa paraphraſis intelligi deberet de Chriſto ejusque regni magnificentia, quam mortis ſuæ merito peperit. Sed de hoc quicquid ſit, gradus in hac leonis & Judæ parabola obſervant viri eruditi. Grotius tres numerat. Primum refert ad generoſum ipſius Judæ animum, qui apparuit Geneſ. XXXVII. 26. & in omni hiſtoria rerum in Ægypto. Hoc nempe fuiſſe initium excellentiæ ipſius. Huc refert verba גור אריה יהודה *Catulus leonis Jehuda.* Secundum gradum ponit in incremento tribus Judæ, Davidis maximè temporibus, cùm vicinorum plerique ſubacti. Huc ſpectare putat verba ſequentia מטרף בני עלית *Ex rapina, fili mi, aſcendiſti.* Tertium gradum oſtendit in verbis ſequentibus, quibus impletum ait tertium excellentiæ gradum. Omnes tamen prophetiæ illius gradus in Davide alii demonſtrant. Hunc enim primò inſtar *catuli leonis* regnum ſuum

glorioſis victoriis, debellatis circumcirca Regibus & populis auſpicatum eſſe: at mox in ſenectute debellatis hoſtibus inſtar leonis & leænæ in antro recubantis quieviſſe, nec tamen auſum eſſe quenquam illum quieſcentem bello laceſſere & inquietare. Ita Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, Oleaſter, Vatablus, Lyranus, alii.

X. Nullus dubito ſanè, quin gradus excellentiæ tribus Judæ in prophetia hac inſinuentur. Sed id tum de Regibus ex tribu Juda oriundis, tum de Rege Regum Chriſto explicari commodè poſſe putem. Et de Regibus quidem Judæ in ſenſu diminuto, de Chriſto verò in pleno & emphatico. Tribus enim Judæ erat inſtar *catuli leonis* tum, cùm David heros ille illud auſpicatus eſt, & hoſtes vicinos domuit. Cum illis ſpoliis David inſtar catuli leonis aſcendit, hoc eſt, in quietem nonnullam ſe vindicavit. At poſt obitum ejus Solomon leonis inſtar & leænæ quietem ſolidam captavit, tutus adverſus hoſtes quosvis. Sub eo enim, uti Scriptura commemorat, tanta pax floruit, ut unusquisque ſecurè ſederit ſub vite ſua & ſub ficu ſua, à Dan uſque ad Beerſeba. Sed longè magis ea omnia competunt illi, qui κατ' ἐξοχὴν vocatur leo de tribu Juda & בן *filius*, quomodo ipſum hic compellat Jacobus. Is enim inſtar *catuli leonis* primò quidem mortem & Sathanam, qui mortis tenebat imperium, vicit & profligavit. Dein profligata morte מטרף עלה *ex rapina ſua aſcendit*, hoc eſt, uti interpretem habemus Davidem & Paulum, ἀναβὰς εἰς ὕψος, ἠχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem & dona dedit hominibus*. Pſal. LXVIII. 19. Epheſ. IV. 8. Tandem evectus in Cœlum conſedit ad dextram magnificentiæ ſuæ, ubi dominatur adhuc in medio inimicorum ſuorum, donec hoſtes ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum, & ipſe tanquam leo denuo è Sione ad abolendum ultimum hoſtem, mortem videlicet, rugiat, & ex Hieroſolyma vocem ſuam edat Pſal. CX. 1, 2. 1. Cor. XV. 25.

XI. Prophetiæ huic, quæ Judam cum leone comparat, inædificârunt Hebræi figmentum de quatuor animalibus, quæ picta fuiſſe volunt in quatuor Judæorum vexillis. De quibus ita habet Abenezra in Num. II. 2. וקדמונינו אמרו שהיה בדגל ראובן צורת אדם מכח דרש דוראים ובדגל יהודה צורת אריה כי בו המשילו יעקב ובדגל אפרים צורת שור מפ׳ם בכור שורו ובדגל דן צורת נשר עד שדמו לכרובים שראה יחזקאל הנביא *Et anteceſſores noſtri dixere, fuiſſe in Rubenis vexillo figuram hominis juxta vim ſymbolicam mandragorarum. Et in vexillo Judæ formam leonis, quia illum Jacob leoni comparavit. Et in vexillo Ephraim figuram bovis, quia dicitur* (Deut. XXXIII. 17.) *primo-*

primogeniti bovis illius decor eſt ei. Et in vexillo Dan figura aquilæ, ut ſimilis ſit Cherubinis, quos vidit Ezechiel Propheta. Apud Genebrardum etiam R. Abraham in hiſtoria ſua Cabalica refert, Davidem in ſuis inſignibus, ac cæteros deinde Reges Judæ geſtâſſe leonem, & annulo ſignâſſe, cui leonis imago impreſſa, idque ob hanc Jacobi prophetiam. Sed inſulſum hoc eſt & Rabbinicum commentum. Etenim primò putidum eſt, quòd Rubenitas figuram hominis volunt habuiſſe in vexillo ſuo propter mandragoras à Rubene repertas. Nam דודאים alia omnia quàm *mandragoras* ſignificare ſuperiùs comprobavimus. Imò ſi certum eſſet, ea voce mandragoras notari, tamen mandragoras eſſe ἀνθρωπομόρφους, ſomnium etiam eſt ex eburnea porta. Deinde & illud abſurdum, Ephraimitas figuram bovis, & Danitas figuram aquilæ in vexillis habuiſſe, illos propter ultima Moſis morientis verba de Joſepho & Ephraimitis: hos, quia è quatuor Cherubinorum faciebus, quos vidit Ezechiel, una fuit ἀετόμορφος. Agitur enim de vexillis, quæ erexerant Iſraelitæ anno ſecundo ab Ægypti exitu Num. I. I. & II. 2. annis ante Moſis obitum triginta octo, ſeculis ante Ezechielem circiter novem. Neque Ezechiel in ea prophetia ſive de Danitis, ſive de aliis Judæorum tribubus vel apicem unum habet. Quin potiùs in Danitarum vexillo ceraſten pingi conveniens fuerat, cùm Jacobus Danem cum ceraſte comparaverit. Præterea omnino probabile non eſt, illis ipſis, quos antea Deus ob cultam bovis vel vituli imaginem adeò graviter mulctaverat, Moſen alias bovis vel aliorum animalium imagines paulò pòſt erexiſſe, & populo ad idololatriam proclivi hocce ſcandalum objeciſſe. Accedit, quòd Vitellio in Arabas bellum moturo, & è Ptolemaide per Judæam exercitum ducturo, ὑπαντιάσαντες ἄνδρες οἱ πρῶτοι παρῃτοῦντο διὰ τῆς χώρας ὁδόν. οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾷν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σημαίαις ἐπικειμένας. *Viri* (Judææ) *primarii illi occurrentes tranſitum per regionem deprecati ſunt, cauſati patrios ritus non permittere, ut inferrentur ullæ imagines, quas* Romana *ſigna pleraque habebant*, uti loquitur Joſephus Antiq. XVIII. 7. Vanus & mendax fuit hic prætextus, ſi Judæi etiam in vexillis ſuis ſigna habuere. Denique nec in Scripturis, nec in Joſepho, nec in Philonis de vita Moſis libris, nec in ipſo opere Thalmudico iis de vexillorum inſignibus quidquam habetur.

XII. Cùm igitur hactenus Patriarcha non obſcurè inſinuaverit ſummum illud tribus Judæ πλεονέκτημα, quo futurum erat, ut ex ea orirentur non Reges duntaxat τοῦ κόσμου τούτου, *mundi hujus*, ſed inprimis Rex ille Regum Meſſias, ipſe Dei filius τὸ κατὰ σάρκα: deinceps perſpicuum

cuum promit τοῦ χρόνου προσημασίαν ſeu ſignum temporis illius, in quod Meſſiæ adventus ſublata nimirum omni temporali poteſtate & imperio illius tribus incidere debuit. Sic autem habent verba ejus decantatiſſima: לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים *Non recedet ſceptrum à Juda, nec legislator à pedibus ejus, donec venerit Schilo, & erit ei aggregatio populorum.* Subjiciam verſionem geminam tum Græcam tum Chaldaicam Onkeloſi antiquiſſimam utramque. Græca ita habet: οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν. *Non deficiet princeps ex Juda, & dux ex femoribus ejus, donec veniant quæ repoſita ſunt ei. Et ipſe eſt expectatio gentium.* Thargum Onkeloſi: לא יעדי עבד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד דייתי משיחא דדיליה היא מלכותא וליה ישתמעון עממיא: *Non auferetur habens principatum à domo Judæ, neque ſcribæ à filiis filiorum ejus, donec veniat Meſſias, cujus eſt Regnum. Et ei obedient populi.* Præmiſſis his, vaticinium de Meſſia celeberrimum paucis illuſtrare conabimur.

XIII. In anteceſſum illud pœne extra controverſiæ aleam poſitum puto, voce שילה indigetari Meſſiam, Chriſtum, Salvatorem mundi. Ita explicant vetuſtiſſimi paraphraſtæ Chaldæi, puta Thargum Onkeloſi, Hieroſolymitanum & Jonathanis. Ita Thalmud Babylonicum tract. Sanhedrim cap. 11. fol. 982. מה שמו דבית רשילא אמרי שילה שמו שנ׳ עד כי יבא שילה *Quodnam nomen Meſſiæ? Qui de domo R. Schilæ dixerunt, Schilo nomen ejus; quia dicitur, donec venerit Schilo.* Ita etiam Bereſith rabba, R Solomon, alii. Recentiores equidem Judæi quidem de Moſe, alii etiam de Davide, alii de Saule, alii de Nebucadnezar, alii de Ahia Silonita, de ipſa urbe Schilo alii interpretantur. Sed prædicata prophetiæ hujus minimè iis competunt. Non enim illi venerunt demum poſt ablatum à Juda ſceptrum vel legislatorem. Neque iis fuit יקהת עמים *obedientia populorum.* Nulli hæc præterquam ſoli unique Meſſiæ conveniunt. Parum autem refert ad rei ſummam, unde vox illa שילה *Schilo* derivetur, an ita dictus putetur quaſi שלו *quæ ſunt ei*, qua in ſententia videntur fuiſſe interpretes Orientales omnes: Græci, qui vertunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *quæ ipſi recondita ſunt*, puta regnum Chriſti: Onkeloſus, Syrus, Arabs & Hebræi multi, quaſi videlicet ſcriptum eſſet שֶׁלּוֹ; vel quaſi שיל *filius* mutuata ſignificatione à שליה *ſecundina*, & Rabbinico שליל *embryo*, uti exiſtimant Jonathan, Bechai; vel quaſi שילוח *miſſus*, vel quaſi שיל quod Arabibus *fluxum* notat, ut ſic dictus fuerit quaſi profluvium Judæ, ſemen quod ex eo fluxerit, ut ſentit Lud.

Lud. de Dieu; vel denique à שלה *tranquillum*, *pacificum eſſe*, quaſi *παυστὴρ*, *εἰρηνοποιὸς*, *tranquillator*, qui pacem Deum inter atque homines conciliet. Omnes hæ expoſitiones ejusmodi ſunt, ut Chriſto probè congruant, ut cauſam non habuerit Julianus apoſtata, diverſitatem illam interpretationum rapiendi in argumentum diſſenſûs Chriſtianorum in dogmate ipſo. Magna nempe evidentia eſt hujus prophetiæ, quæ etiam èlumbata tantundem ſignificat. Poſtrema tamen ſententia præ cæteris placet. Sic enim à שלה dici potuit שילה eâdem formâ, quâ dicitur כידור *acies* Job. XV. 24. צינק, *nervus*, *vinculum* Jerem. XXIX. 26. קיטור *fumus* Geneſ. XIX. 28. קימוש *carduus* Hoſ. IX. 16. Notat igitur tranquillum, proſperum, pacatum, felicem, auguſtum, victorem, cui omnia proſperè ſuccedunt, devicta morte, mundo, Sathana, peccato, omnibusque adverſariis poteſtatibus. Eſt igitur nomen appellativum, ad inſtar proprii factum; qualia ſunt Jeſus, צמח, עמנואל. Ut ita dictus ſit quaſi שלו & שלוה. Quid mirum ſi à ſalute aut requiete appelletur? quam ipſe prædicaturus erat Eſai. LXI. 1, 2, 3. Matth. XI. 28.

XIV. Varias tum Judæorum tum Chriſtianorum prophetiæ hujus interpretationes ad incudem revocavit vir doctiſſimus Jacobus Altingius, in eruditiſſimo tractatu, cui *Schilo* nomen impoſuit. Poſt Homerum equidem Iliada ſcribere non ſuſtinemus. Paucis tamen, quia præſens inſtitutum noſtrum hocce penſum quodam jure à nobis poſtulat, tum erroneas præcipuas ſententias removere, tum veram noſtram ſententiam aſtruere conabimur.

XV. In Gemara Codicis Sanhedrim Fol. 5. pag. 1. ejusmodi extat traditio de hac prophetia: תניא לא יסור שבט מיהודה אלו ראשי גלויות שבבבל שרודין את ישראל בשבט ומחוקק מבין רגליו אלו בני בניו שלהלל שמלמדין תורה ברבים: *Traditur:* Non recedet ſceptrum à Juda. *Hi ſunt Æchmalotarchæ Babylonici, qui dominantur Iſraeli ſceptro.* Et legislator è medio pedum ejus. *Hi ſunt poſteri Hillelis, qui docent legem publicè.* Tria hîc duntaxat reponam. Et primò quidem, eam poteſtatem, quam ראשי גלות *Æchmalotarchæ* in Babylonia habuêre planè precariam, & reſtrictam, שבט ſeu *ſceptri* nomine venire non poſſe. Notat enim שבט τὸ κύριον, adeoque majeſtatem & poteſtatem αὐτοκρατορικήν. Secundò nec illud liquet, fuiſſe eos Æchmalotarchas Babyloniæ, vel principes terræ Iſrael & ſummi ſynedrii Præſides, ex tribu Juda. Nam in captivitate ea non ſola tribus Juda, ſed etiam Benjamin fuit. Quin Hillelis proſapia planè dubia fuit. Sanè R. Niſſim in hiſtoriolis Thalmudicis fol. 58. 1.

Aaaaa fate-

fatetur de Hillele, שהיה מזרע דוד מאמו ולא מאביו *quòd fuerit ſeminis Davidici ex materno non paterno genere.* De ejus proſapia vide Druſium *de tribus ſectis lib.* II. *cap.* 10. nec non CL. Coccejum *in Sanhedrim pag.* 127. Sed eſto, fuerint, Æchmalotarchæ Babylonii ex tribu Juda. Non idcirco illorum poteſtas hîc intelligi poteſt. Promittitur enim tale ſceptrum, cujus præſidio Judas dominaturus erat fratribus ſuis, adeoque etiam reliquis tribubus. At reliquæ tribus in Babylonia non fuerunt. Tertiò ipſos Judæos hac gloſſa convinci ſatis poſſe pervicaciæ. Ubi enim jam ſunt Æchmalotarchæ Babylonici ex ſtirpe Davidis orti? Quæ in ſucceſſione illorum certitudo? Ubi Hillelis poſteri? Quæ utrorumque Majeſtas? Ubi judicia, ſacra, tribus, imperia, Magiſtratus?

XVI. Sunt inter Hebræos qui שבט explicent notione *virgæ percutientis* & affligentis. Ita R. Lipmannus in ſuo Nizzacton p. 27. Verba ejus ſunt: שבט האמור כאן אינו לשון מטה ומלוכה אלא לשון רדוי ושיעבוד מלשון כי יכה איש את עבדו או את אמתו בשבט וגו' ומחוקק האמור כאן לא אפרש לשון סופרים ותלמידי חכמים אלא לשון מרדע ויסורין כלשון במחוקק במשענותם והכי פי' רדוי ויסורין לא יסורו לגמרי בלי חזרה מיהודה עד כי יבא שילה אז יתבטלו השיעבוד והצרות לגמרי שלא יחזרו עולמית Hoc eſt: שבט *hoc loco non ſignificat regnum aut virgam, ſed caſtigationem & mancipationem, ex ſignificatione: Cùm percuſſerit aliquis ſervum ſuum aut ancillam ſuam baculo &c.* (Exod. XXI. 20.) *Et* מחוקק *hoc loco non exponunt, at ſignificet ſcribas & ſapientum diſcipulos, ſed ſignificatu ſtimuli & caſtigationum. Ex ſignificatione: Cum* מחוקק *ſcipionibus ſuis* (Num. XXI. 18.) *Ita autem expoſitio ſe habet: Afflictio & caſtigatio non recedent omnino, ut non redeant, à Juda, donec venerit Schilo. Tunc abolebitur mancipatio & afflictio in totum, ut non redeant in æternum.* Fateor equidem שבט notionem habere in Scripturis baculi ſeu virgæ percutientis. At expoſitionem eam huic loco non congruere, rationes evidentes arguunt. Primò enim ut שבט notet virgam percutientem: at מחוקק accipi de caſtigatore, exemplo planè caret. Legiſlatorem propriè notat. Quæ autem cohærentia: *Non recedet afflictio neque legiſlator?* Secundò apparet ſanè Jacobum ſenem Judam meris benedictionibus proſequi, eumque extollere ſupra reliquos fratres, & de eo nonniſi læta & proſpera quæque ſignificare. Quomodo igitur aſſerat, afflictionem à Juda uſque ad adventum Meſſiæ receſſuram nunquam? Et ab eo quidem, cujus manus erunt in cervice hoſtium ſuorum, hoc eſt, qui hoſtes ſuos profligabit & in triumphum ducet? Tertiò pronuntiat aliquid proprium & eximium tribui Judæ. Alloquitur enim Jehudam, & quidem ut diſtinctum

Digitized by Google

ſtinctum à reliquis fratribus. At afflictio non fuit propria Judæ, ſed reliquis quoque Iſraelis tribubus communis. Quartò experientia repugnat. Fuit enim tribus Juda longo tempore ſic ſatis fortunata & felix, cumprimis poſt regni Davidici exordium. Et quamvis ſubinde graviſſimas etiam perſecutiones ea perpeſſa ſit, non fuerunt tamen eæ perpetuæ, ſed crebrò interruptæ, & nova felicitate compenſatæ. Quintò Prophetæ nuſquam teſtantur, Meſſiam tempore plagæ ſeu afflictionis corporalis, appariturum, ſed potiùs tempore pacis Eſai. XL. 4. Daniel. IX. 27. Zach. XI. 10. necnon multiplicium terreſtrium afflictionum, etiam præ temporibus patrum ſuorum Deut. XXX. 1. &c. quæ quidem benedictiones Chriſto Regnum ſuum aggrediente, per inciſionem baculi clementiæ Zachar. XI. 20. in hoc ipſum, quo hodie vexantur, triſte exilium permutandæ fuerunt.

XVII. Non deſunt, qui κελσφύγετον captent in particulis עד כי quas ita divellunt, ut dicant עד notionem habere *æternitatis*, & כי poſitum eſſe pro כאשר *quando*. Senſum igitur hunc faciunt: *Non recedet ſceptrum, nec legislator à pedibus ejus in æternum*, *quando venerit Schilo.* Nempe prophetiam hanc implendam eſſe tum, quando Meſſias ipſorum venerit, & æternum Regnum, & nullis omnino perſecutionibus interrumpendum unquam auſpicatus fuerit. Hæc explicatio occurrit in libris Raboth, & tenetur etiam à R. Bechai, authore שבט יהודה & aliis. Et R. Bechai quidem conatur eandem in ſententiam pertrahere Onkeloſum, qui pro עד כי ſcripſerit עד עלמא עד דייתי משיחא *usque in ſeculum quando venerit Meſſias.* Cæterùm & hanc violentam gloſſam eſſe, multa argumento ſunt. Et primò quidem immenſum nimis ſaltum feciſſet Patriarcha, ſi præteritis tot ſeculis indicâſſet ſtatum Judæ paulò ante finem mundi, ſub quo ſceptro abundatura eſſet ea tribus, cùm tamen plurima ante ſecula ſceptro etiam inſtructa fuerit. Secundò non convenit ea expoſitio cum ſententia Judæorum, qui Meſſiæ tempus extendunt non in æternum, ſed ad reſurrectionem uſque mortuorum & mundi finem. Cui temporis intercapedini annos alii 40. alii 70. alii 300. tribuunt. An probabile eſt, tanto cum apparatu millenos ante annos prænuntiari à Patriarcha, quod pauxillum temporis duntaxat duraturum ſit? Tertiò particulæ עד & כי malè divelluntur, & עד pejùs conjungitur cum membro præcedenti; quod evincit accentus Athnach in voce רגליו cùm hac dictione claudens primum membrum commatis, adeoque à ſequenti per colon diſtinguens. Quoad accentum autem Jethib in עד is non dividit periodum, nec vocem עד à כי ſequente divellit magis, quàm verſu ſequente אסרי *ligans* ad vitem aſellum

 ſuum;

Digitized by Google

ſuum; vel v. 7. in ארור *maledicta* ira eorum; vel v. 9. in גור *catulo* leonis Jehuda; in quibus omnibus aliisque plurimis accentus Jethib periodos nec diſtinguit nec dividit. Inprimis cùm ſub רגליו immediatè antecedente præceſſerit Athnach, qui accentus extra controverſiam facit אתנחתא *reſpirationem*. Quartò עד æternitatem quidem non raro denotat, nempe conſtructum cum antecedente nomine aut particula, nunquam abſolutè. Ita Job. xx. 4. מני עד *ab æterno*. Eſai. ix. 5. אבי עד *Pater æternitatis*. Pſal. CXXXII. 14. עדי עד *usque in æternum*. Pſal. XIX. 10. לעד *in æternum*. Quintò particula כי pro כאשר *quando* alicubi ſanè ponitur. Sed eadem particula cum עד conjuncta ſemper denotat *usque quò*, vel *donec*. Confer Geneſ. xxvi. 13. xxix. 5. xli. 49. Denique Onkeloſus minimè favet huic perverſæ gloſſæ. In quibusdam equidem codicibus reperitur lectio עד עלמא *usque in ſeculum*, ſed amplificationis ergò, nullo ad particulam עד reſpectu habito, quam mox exprimit עד דייתי *usque quò venerit*.

XVIII. Hebræorum παρερμηνείαις valere juſſis, Chriſtianorum etiam interpretamenta nonnulla ad partes vocabimus. Fatemur enim, etſi in rei ſumma & ad ἐπιστομισμὸν ac convictionem Judæorum conſenſus ſit: tamen in omnibus prophetiæ circumſtantiis non unam eandemque omnium Chriſtianorum expoſitionem. Neque id mirum videri debet, cùm prophetiæ omnes ſint חידות *ænigmata*, quorum proinde in evolutione καθ' ἕκαστα facilè aberrari poteſt.

XIX. Veteres plerique, inprimis Origenes homil. 17. in Geneſin, Auguſtinus contra Fauſtum Manich. lib. xii. cap. 47. Theodoretus quæſt. in Geneſin, Ruffinus in libro de benedictionibus Patriarcharum, Iſidorus Hiſpalenſis, Beda, alii in ea fuêre ſententia, promittere Jacobum tribui Judæ שבט *ſceptrum* dominans, adeoqûe principes ex ea tribu oriundos fere uſque ad Chriſtum. Auguſtini verba apponam: *Sunt literæ certiſſimæ, hiſtoriæ quoque ipſorum Judæorum, quibus oſtenditur, primum alienigenam Regem fuiſſe in gente Judæorum, quo tempore natus eſt Chriſtus. Ita non defuit Rex de ſemine Juda, donec venirent quæ repoſita erant*. Secutus eſt eam ſententiam etiam Baronius in apparatu, & ante eum Toſtatus, Lyranus, Carthuſianus, alii. Sumunt hi omnes pro conceſſo & vero, in tribu Juda Regnum Davidicum ſemper viguiſſe usque ad Herodem Magnum. Id expreſſè aſſerit Epiphanius contra Ebionæos: Κατὰ διαδοχὴν διήρκεσεν ἀπὸ τοῦ Ἰούδα, καὶ ἀπὸ τοῦ Δαβὶδ τὸ βασίλειον καὶ οἱ ἐκ τοῦ Ἰούδα ἄρχοντες, καὶ πατριάρχαι. Μετέστη δὲ τὸ βασίλειον εἰς ἀλλόφυλον Ἡρώδην. *Ordine ſucceſſionis duravit à Juda & à David regia poteſtas, &*

Prin-

Principes ac Patriarchæ ex Juda. Tranſiit autem regia poteſtas ad alienigenam Herodem. Sed doctiſſimus Caſaubonus Exercit. 1. ad apparatum Annalium, meritò hanc ſententiam, utpote cum ſacris literis pugnantem, primus, niſi fallor, notavit & refutavit. Hiſtoria enim ſacra in ſtirpe aut tribu Judæ nullum prodit Regem ante Davidem, nullum poſt Zedekiam. Quemadmodum inchoatum eſt Regnum in tribu Judæ à Davide, ita finem habuit in Jechonia & Zedekia poſt annos quadringentos ſeptuaginta quinque circiter. Defecturum regnum in ſtirpe Davidica in Jechonia, prædixit ipſi Jeremias capite XXII. 30. *Non erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Imò tum quando domus Davidis non erat germinatura, vi fœderis Dei, omnis ſalus Davidis & εὐδοκία extitura erat 2. Sam. XXIII. 5. Quòd enim Davidi facta eſt promiſſio de firmando in æternum ejus ſolio. 2. Sam. VII. 13. id in Chriſto adimpletum eſſe fatentur omnes. Cyrillus equidem lib. VIII. adverſus Julianum ait, poſt captivitatem Zorobabelem oriundum ex tribu Juda in regni ſolio ſediſſe: & in Zorobabelis poſteris ſceptrum regium ad tempora usque Herodis duràſſe. Sed Zorobabelem quod attinet, is Rex nunquam fuit. Neque debet ducatus populi, qualis antea fuerat Judicum, poſtea Æchmalotarcharum, aut Patriarcharum cum Regno confundi. Neque etiam in Zorobabelis poſteris regium ſceptrum continuatum eſt. Conſtat enim tribus Levi Pontifices & Aſſamonæos per aliquot ſecula ultima poteſtatem æmulam Regiæ obtinuiſſe, non autem Regiam ſtirpem è tribu Juda. Neque hunc ſolvit nodum Baronius aliique, aſſerentes, Aſſamonæos poſſe cenſeri ex tribu Juda, quia paternum quidem genus ad Levi, at maternum ad Judam retulerint. Unde enim fidem facient, toto illo tempore Pontifices Maximos ex tribu Juda uxores duxiſſe, at ex tribu Levi nullas unquam? Præterquam quòd notiſſima eſt illa juris Judaici regula, quæ in Thalmude Juchaſin aliisque Rabbinorum libris frequenter occurrit: אינה קרויה משפחה אם משפחת *Familia matris non vocatur familia*, hoc eſt: genus maternum habetur pro nullo.

XX. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo aliter quàm Origenes, & qui illum ſecuti, oraculum exponit. Vult nempe, licet ſoli Judæ oraculum illud videatur dictum, eventum tamen ejus ad fratres omnes, & univerſum populum è XII. tribubus exoriturum pertinere. Proinde ſceptrum usque ad Meſſiam duraturum promitti Judæ, puta non tam tribui, quàm univerſo populo Judæo, à Juda ita cognominato; adeoque impletam eſſe prophetiam tum, cùm urbe capta, &

 domo

domo ſecunda ſolo adæquata, omnis ſimul eſt deleta Reipublicæ Judæorum forma ac ſpecies, tam civilis quàm ſacra. Atque huic ſententiæ ſecundas facit Caſaubonus l. c. ubi fuſè juxta ac doctiſſimè locum illum Juſtini & emaculat à mendis & explicat. Quamvis verò eventum oraculi in univerſis tribubus Iſraelis oſtendat, tamen in ea prædictione agnoſcit occurrere quædam maximi momenti Judæ propria. Qualia ſunt, quòd Deus per os Jacobi liberis ejus ſignificat, Judam eſſe electum, ex quo naſceretur Meſſias: quòd præcellentia dignitatis & jura primogenituræ, quoad honorem Rubeni primogenito adempta, in Judam transferuntur. Sed & Euſebius Cæſarienſis in explicatione hujus oraculi, quæ extat Demonſtrat. Euangel. lib. VIII. probare conatur, non ad Judam ſpectâſſe hoc oraculum, ſed ad Judæos omnes: neque ullum Regnum promitti hic Judæ aut ejus ſtirpi, ſed hoc duntaxat, quòd is populus, qui à Juda denominabitur, ſceptrum dominans ſit poſſeſſurus. Hanc ſententiam pro more ſuo iniquè exagitat Andreas Eudæmon Johannes, ſocietatis Lojolæ Theologus, ſed convitiis magis quàm argumentis. Mihi, quò minùs ei ſententiæ aſtipuler, potiſſimùm obſtat, quòd Jacobus hic promittit peculiare quid Judæ, diſtincto videlicet à fratribus reliquis. Huic ſicut excellentiam majorem quàm fratribus, quâ futurum erat videlicet, ut fratres ipſum adorarent, ante promiſerat: ita nunc promiſſionem eam explicaturus pollicetur eidem Judæ שבט *ſceptrum*, *ἀξίωμα ἀρχικὸν*, adeoque poteſtatem regiam. Neque convenit, ut dicamus, Jacobum mutata oratione tantæ ambiguitati locum conceſſiſſe. Etſi igitur promiſſio ea, ratione fructus eventuri ex benedictione Judæ, ſpectaverit omnes duodecim tribus Iſraelis: fatendum tamen eſt, proprium benedictionis illius ſubjectum fuiſſe tribum Judæ.

XXI. Non deſunt inter recentiores inprimis, qui putent, omnino tribui Judæ axioma Regium promitti, diſtinctæ videlicet à reliquis tribubus. Sed perinde eſſe, ſive Reges nativi ſive aſcititii fuerint. Imperium enim tribui ſeu populo promitti, & in eo etiam cenſeri debere reſediſſe, ſive ii qui clavum imperii tenebant ex ipſa tribu Judæ, ſive ex aliis, puta tribu Levi &c. oriundi illi eſſent. Neque enim Rempublicam eſſe Principis, ſed Principem potiùs eſſe Reipublicæ: & penes illum eſſe ſceptrum vel Majeſtatem. Cùm igitur Regnum Iſraelis perierit, abductis in captivitatem à Salmanaſſare decem tribubus, neque unquam priſtinam poſtliminio dignitatem recuperantibus, & in earum etiam loca ſuccedentibus alienigenis: tamen Regnum Judæ ſtabile fuiſſe, quia etſi ipſi etiam Judæi in captivitatem Babylonicam fuerint abducti,

tamen

Digitized by Google

tamen & in captivitate habuerint ſuos Æchmalotarchas, & poſt captivitatem ipſi reſtituti ſint priſtinam in dignitatem hactenus, ut urbs caput Regni fuerit reparata, Templum ædificatum, Reſpublica conſtituta, quæ ſtabilis permanſerit uſque ad Herodem magnum ἀλλόφυλον, cujus ſub imperio Meſſias benedictus mundum huncce ſalutavit. Huc refert Cl. Rivetus locum Hoſ. I. 6, 7. ubi de Iſraele, quæ nomine filiæ *Lo Ruchama* ſignificabatur, pronuntiet Deus, ſe non ampliùs ejus miſerturum, nec eam amplius toleraturum: at de Juda, quæ nomine *Ruchama* veniat, inſinuet, ſe ejus miſerturum, eamque ſervaturum. Plauſibilis eſt, fateor, interpretatio. Eſt tamen, quod animum, quò minùs ei aſſentiatur, cohibere poſſit. Nam ſceptrum, quod Judæ promiſſum eſt, haud dubiè illud ipſum eſt, quod geſſit David ejusque poſteri usque ad captivitatem Babylonicam. Nam ad domum Davidis manifeſtè reſtringitur 2. Sam. VII. 16, 17. &c. At illud poſt captivitatem reſtituendum non eſſe amplius, donec in Chriſti humeros principatus devolvatur, prophetiæ clariſſimæ dubitare non ſinunt. De Jechonia ita prædictum legimus Jerem. XXII. 30. *Non erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem ultra habeat in Juda.* Neque aliunde Judæ ſceptrum promittitur, ſed potiùs illud inſtaurandum in ſolo Chriſto ex ſtirpe Iſai, præfecto nimirum ramo, qui in ſceptrum eſſe poſſet Eſai. X. 33. prodituro Eſai. XI. 1. prædicitur paſſim. Omnis autem illa poteſtas, qua gaviſi ſunt poſt reditum Judæi, non tam regia fuit propriè quam & מחקק *legiſlatoria*. Neque enim quælibet poteſtas cum Regia confundi debet. Quid quòd verba illa, לא יסור שבט מיהודה ſenſum hunc habere poſſunt, non receſſurum ſceptrum, nempe illud, quod eſt מיהודה *ex Juda*, quod aſcititios Reges penitus excludit. Ne jam dicam, quòd poſt reditum ex captivitate poteſtas non fuerit penes populum unius tribus, ſed potiùs penes populum duodecim tribuum, qui Judæorum & Iſraelitarum nomine promiſcuè venit. Etenim populum decem tribuum vel periiſſe in ſua captivitate, vel in ea perpetim manſiſſe, parum omnino eſt probabile. Cùm enim imperium Aſſyriorum occidiſſet & Babylonicum, & Cyrus earum terrarum dominus permiſiſſet, qui vellet *de omni populo Dei* aſcendere Hieroſolymam, quid ipſos, quò minùs ad ſua irent, prohibuit? Fuerint primi illi, qui cum Zorobabele aſcenderunt, de tribu Judæ & Benjaminis. An verò deinceps ſub Dario Notho & Artaxerxe Mnemone, necnon ſub Macedonibus nulli potuerunt in ſuas ſedes ex aliis provinciis reverti? Imò reverſuros tum animo tum corpore, ita ut eadem

ſacra

Digitized by Google

ſacra colerent, & certis temporibus Hieroſolymis comparerent, colligere licet tum ex prædictione Jerem. III. 18. tum ex complemento Act. II.

XXII. Difficultatibus iis, quas hactenus propoſuimus, viri nonnulli docti commoti eam inclinârunt in ſententiam, ut dicerent שבט non ſceptrum imperatorium, ſed *tribum* ſignificare. Senſum igitur oraculi eſſe putant ejuſmodi: *Non prius Jehudæ genus confundetur, & diſtinctæ tribus nomen amittet, neque priùs ab ea Regnum Dei ad alias gentes derivabitur, quàm ex ſe promiſſum humani generis Servatorem, qui lux eſt gentium, genuerit.* Etenim cùm regnum decem tribuum diu ante captivitatem Babylonicam planè diſſipatum fuerit, tribum tamen Judæ divina providentia à reliquis diſtincta gente & religione manſiſſe, etiamque in ipſa Babylonica captivitate reſtitutionis venturæ promiſſis ſuſtentatam eſſe, denique poſt reditum à captivitate manſiſſe impermixtam ſemper usque ad reſtitutionem Chriſti, arguunt. Chriſto autem exhibito, lege & exercitamentis ejus ſpoliatam tribum Juda per Romanos abductam eſſe atque ita diſſipatam, ut ne Judæi quidem ipſi poſſint eos, qui ſunt tribus Jehudæ, à reliquis diſcernere. Quippe jungere eos promiſcuè connubia inter ſe, & nullam eſſe curam conſervandi generis ſui diſtinctam ſeriem, aut rationem eam diſtinguendi. Hæc ſententia eſt Emmanuëlis Tremelii, cui poſt Tarnovium concors eſt author doctiſſimus libri Schilo, qui prolixè juxta atque eruditè tuetur, in hoc vaticinio שבט notare tribum Judæ, מחוקק verò Scribas doctores, adeoque impletum illud eſſe, quando exhibito Meſſia protinus ceſſavit diſtinctio tribus Judaicæ, confuſis promiſcuè Judæis, & *οἱ νομοδιδάσκαλοι καὶ γραμματεῖς legisdoctores & ſcribæ* eſſe deſierunt. Cæterùm etſi non diffiteor, eam expoſitionem in vi ſeu *διανοίᾳ* eorum verborum contineri, eſſe tamen puto, quod in ea deſiderari poſſit. Etenim inſolens fuiſſet locutio, לא יסור שבט מיהודה *non recedet tribus à Juda.* Potiùs dicendum erat: לא יסור שבט יהודה *non recedet tribus Juda*; ad evitandam videlicet *ταυτολογίαν*. Quippe in ipſa voce יהודה ſubaudienda eſt vox tribus Jehudæ. Notiſſimum enim eſt, vocem יהודה non de perſona Judæ, qui nunquam fratribus dominatus eſt, ſed de poſteris adeoque ipſa tribu Judæ intelligi. Tum non video, quid Judæ, quem ſupra alios fratres Jacobus vult extollere, præ cæteris tribubus peculiare & eximium hac ratione tribueretur. Nam Levitarum ſaltem tribus usque ad Chriſtum quoque manſit à reliquis tribubus diſtincta. Præterea vox מחוקקים non notat meros *νομοδιδασκάλους*, ſed poteſtatem habentes ad exigendum cultum lege

Digitized by Google

lege præſcriptum. Denique v. 28. dicuntur duodecim filii Jacobi totidem שבטים *virgæ* Iſraelis. Una *virga* eſt Juda. Quamdiu aliquis eſt de Juda, illa extat שבט יהודה *virga*, ſtipes, ſtirps, ramus, propago Judæ. Si ea ſtirps deficeret, diceretur recedere *ſtirps Judæ*, non *ſtirps à Juda*. Hac enim locutione ſignificatur, Judam manere, ſed non manere apud eam virgam. Quod nonniſi de ſceptro intelligi poteſt.

XXIII. Sed dabunt, niſi fallor, omnes, eam vocem שבט non aliud quàm Regium hic ſceptrum notare, dummodo eventus vaticinio congruus demonſtrari poſſit. Id autem omnino fieri poſſe confido, ſi ſequens etiam vox מחוקק ritè explicetur, & verborum tenor rectè comprehendatur. Notat autem vox מחוקק citra dubium *νομοθέτην legislatorem*, legis peritum, quem penes ſunt חקקים vel חקים *θεσμοὶ*, definitæ conſtitutiones, quibus usque ad præſtitutum tempus gubernari populum conveniebat. Ex qua voce eſt [illegible] *judicium*, *ſtatutum*, Proverb. xxxi. 5. Judic. v. 9. Debora commendat חוקקי ישראל *principes Iſraelis* poteſtatem habentes legum condendarum. Et Pſal. lx. 9. necnon cviii. 9. Juda vocatur מחוקקי *legislator meus*. Talem ex מחוקקים ſeu *legislatorum* ſenatum à Moſe ipſo inſtitutum legimus Num. xi. 14. Venit apud Hebræos nomine סנהדרין *Sanhedrin*, & סנהדרי הגדולה *ſynedrium magnum*, necnon בית דין הגדול *domus judicii magna*, cui obnoxia erant סנהדריות הקטנות *ſynedria minora*. Ad illum ſenatum voluit Deus accedere Iſraelitas in rebus dubiis, uti cautum eſt Deuteron. xvii. 8, 9, 10, 11, 12. Voluit nempe Deus omnia dubia ad ſupremi illius ſenatus notitiam venire, ut quantum fieri poſſet omni ope humana, corruptelæ arcerentur, & doctrina veritatis ac juſtitiæ per capita populi, ſcribas ac legisperitos univerſo populo communicaretur. Eorum autem officium fuit, *ut indicent legem ac verbum judicii*, uti liquet ex Deut. xvii. 9. 11. Et quia eorum poteſtas etiam procedere potuit ad prohibitionem rerum non illicitarum, adeoque ferenda præcepta, qualia Judæi hodieque diſtinguunt à præcepto Dei, ea vocantes סיג התורה *ſepem legis*, necnon דברי סופרים *verba ſcribarum*; hinc eſt quòd dicti etiam ſunt מחוקקים *νομοθέται legislatores*. Præterea etiam tum מחוקקים vocari potuerunt, cùm divinam legem interpretati ſunt & applicârunt præſentibus caſibus, quia nimirum legem tractârunt, & pronuntiârunt על פי התורה *κατὰ τὸν νόμον*, *juxta os legis* divinæ Deuter. xvii. 11. Quòd ſi tamen maluerint alii מחוקק cum paraphraſte Chaldæo Onkeloſo vertere ספרא *γραμματέα ſcribam*, ex prima nimirum & propria ſignificatione vocis חקק notionem nimirum habentis

Bbbbb *ſcri-*

ſcribendi, quanquam eo ſignificatu vocem מחוקק in ſacris nuſpiam veni-re puto, non refragabor tamen magnopere. Nam & ſcribæ præcipua pars ſuére ſynedrii. Ex qua verò tribu delecti fuerint aſſeſſores ſynedrii, dubitatum equidem paſſim video. Hebræi plerique ea ſunt in opinione, ſeptuaginta illos aſſeſſores Levitica ex tribu deligi debuiſſe omnes. Etiam impoſtor Muhammed Surata. 6. narrat, Moſen elegiſſe ſeptuaginta viros רגלאו *ex cœtu ſuo*, hoc eſt, uti paraphraſtes Mahumet Ben Achmet, aliique Orientales interpretes explicant, ex tribu Levitica. Et videtur id ipſum ſanè innuere Moſes Deuteron. XVII. 9. ubi in caſibus dubiis jubentur Iſraelitæ aſcendere אל הכהנים הלוים ואל שופט אשר יהיה בימים ההם *ad ſacerdotes Levitas & ad judicem, qui erit in diebus illis.* Quæ verba de ſynedrio Magno plerique interpretantur. Seldenus tamen *de ſynedriis Hebræorum lib.* II. *cap.* 8. fusè demonſtrat, nulli Tribulium aditum heic eſſe præcluſum Natalium nomine, niſi inquinatorum, hoc eſt, eorum, qui haud puro ſanguine Iſraelitarum creti erant. In loco verò Deuteron. XVII. 8. non ſolus Sacerdos, ſed & שופט *Judex* exprimitur. Sicut Sacerdos plures Sacerdotes, ita Judex plures Judices deſignat. Judices autem eos ex tribu Levi omnes deligi debuiſſe minimè liquet. Imo id ipſum, quòd à ſacerdotibus diſtingvuntur, ex aliis tribubus cooptari debuiſſe non obſcurè arguit. Lectos eſſe ſenes ex ſingulis tribubus, & deinde binos per ſchedulas ſeparatos, habetur in Sanhedrin c. I. Fol. 17. Unde Concilium dictum γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ *ſenatus filiorum Iſrael* Act. V. 21. Septuaginta illis addebatur præſes in eccleſiaſticis nimirum, ſeu לכל דבר יהוה Summus Sacerdos, in politicis verò ſeu לכל דבר המלך princeps Judæ 2 Chronic. XIX. 11. prout lites omnes ad Sacerdotes vel ſummum Judicem remittuntur Deuteron. XVII. 9, 12. Ingrediebantur igitur numerum τῶν ſeptuaginta tum *Principes* ſeu primores populi, dicti ἄρχοντες τοῦ λαοῦ Luc. XXIII. 13. Act. IV. 8. tum שרי הכהנים *principes ſacerdotum* 2 Chronic. XXXVI. 14. dicti aliâs ἀρχιερεῖς *principes* ſeu *ſummi ſacerdotum* Matth. XXVI. 3. hoc eſt, capita viginti quatuor claſſium ſacerdotalium 1. Chronic. XXIII. 23. tum denique סופרים γραμματεῖς *ſcribæ* Matth. XXVI. 3. 57. Marc. XIV. 53. qui plerumque etiam ex Sacerdotum numero. Sicubi enim ſynedrium dividitur in ἀρχιερεῖς & ἄρχοντας ut Luc. XXIII. 13. XXIV. 20. ſub ἀρχιερεῦσι ipſi etiam ſcribæ includi debent, ut ἀρχιερεῦς ibi notet quemlibet Sacerdotem ſedentem in Concilio, oppoſitè ad reliquos Sacerdotes, qui non erant ſynedri. Verba porro מבין רגליו *de inter pedes ejus*, hoc eſt, è medio pedum ejus, alii per εὐφημισμὸν referunt ad naturalem ortum per generationem, ut Græci,

Græci, qui reddunt, *ἐκ τ̃ μηρῶν αὐτοῦ ex femoribus ejus*; alii ad educationem' quia quos educamus, inter pedes fovemus; alii ad ſubſellia Judicum vel Doctorum, quia ut ad illorum pedes Scribæ in judicio, ita ad horum pedes diſcipuli in ſynagogis conſidebant. Parum refert, quæ explicationum harum obtineat. Perinde enim eſt, ſive dicamus, Patriarcham polliceri Judam habiturum legislatores, quos ipſe genuerit, ſive quos educaverit, ſive quos inſtituerit vel in medio ſui conſtituerit & foverit. Singula enim hæc vera ſunt aliquo modo. Cùm verò מחוקק *legislatorem* omnino denotare videatur, conformiter etiam מבין רגליו explicandum fuerit de iis, qui legislatoribus, præcipientibus, poteſtatem habentibus diſciplinæ exercendæ, ſeu uti Chriſtus ipſe loquitur, in cathedra Moſis ſedentibus ad pedes conceſſuri, juſſa & imperata eorum facturi erant. Neque obſtat, quòd non omnes ſynedrii aſſeſſores ex tribu Juda oriundi erant. Sufficit enim ad veritatem prophetiæ, τοὺς ἄρχοντας ſeu principes etiam tribus Judæ ſynedrio juxta cum reliquarum tribuum principibus præfuiſſe. Alia enim ratio ſceptri, alia legislatorum. Illius poteſtas indiviſa fuit, horum non item. Sequentes particulæ עד־כי notant continuationem rei ad terminum deſignatum, non ante, uti loca Geneſ. XXVI. 13. XXVII. 43. XLI. 49. aliaque arguunt. Continuatio autem illa vi particulæ עד deſignata, ubi terminus præfinitus advenit, vel extenditur vel deficit pro conditione materiæ aliarumque circumſtantiarum. Extenditur, velut Geneſ. XXVI. 13. XXVIII. 15. XLI. 49. 2 Samuel. VI. verſ. ult. Deficit, velut Geneſ. XXVII. 43. XXIV. 18. Joſ. II. 16. Hoc loco extendi nonnihil infra in complemento videbimus.

XXIV. Sic igitur commodè, & retenta ſingulorum verborum proprietate, Patriarchæ verba reddi poterunt: *Non recedet ſceptrum à Jebuda* (vel, quod eſt *ex Jebuda*) *neque legislator de inter pedes ejus* (ſive, *è medio pedum ejus*) *donec veniat Schilo* (ſeu, *tranquillator* ille.) Cæterùm illa verba: *Non recedet ſceptrum à tribu Jebuda & legislator*; ambiguitatem habere nonnullam apparet. Senſus enim eſſe poteſt, *vel neutrum receſſurum ante adventum Schilo, vel non utrumque ſimul receſſurum.* Quis autem rerum geſtarum ſeriem expendens dubitet, quin poſterior ſenſus à Spiritû S. intendatur? Nam aliis etiam prophetiis præſignificantibus evenit, ut *ſceptrum* quidem, quod apud Judam, poſt ablatum ſceptrum domus Iſrael, aliquamdiu permanſit, in captivitate Babylonica recederet: & מחוקק *legisdoctor*, & exactor, puta legisdoctorum & legisperitorum in cathedra Moſis ſedentium, ſynedrium *non recederet ſimul*, ſed conſtanter usque ad Schilonem exhibitum, mortuum, exaltatum, prædicari

Digitized by Google

in orbe gentibus cœptum, & cultum pædagogicum per excidium urbis abolitum maneret. Hanc ſanè explicationem, cùm & verborum γνησιότητα retineat, & eventu ipſo luculentiſſimo confirmata, & aliis prophetiis idem prænuntiantibus ſancita ſit, cæteris expoſitionibus virorum doctorum, cum viro ἐν γραφαῖς ἁγίαις præ multis aliis δυνατῷ. qui eam tum paſſim, tum in *ultimis Moſis* SS. 775 inſinuavit, omnino amplectendam putamus. Nam quæ ei objicere videtur author libri Schilo lib. 11. cap. 7. me parum movent, & paucis diſcutientur inferiùs, ubi complementum ipſum prophetiæ hujus explanabitur.

XXV. Sequentia verò verba ולו יקהת עמים non eodem modo convertunt Interpretes. Obſcura enim vox eſt יקהת quæ non occurrit niſi hîc & Proverb. xxx. 17. Græci: *καὶ αὐτὸς προσδοκία τῶν ἐθνῶν, & ipſe erit expectatio gentium.* Quomodo etiam reddidit Vulgatus Interpres. Neque aliter Aquila, Symmachus, Theodotio & Syrus Interpres. Derivârunt nempe hi à קוה expectare, vel certè pro יקהת legerunt יקות. Utrumque alienum eſſe nemo non videt. Neque enim vel יקהת à קוה derivari poteſt, cùm Vau mediam radicalem in He mobile tranſire non patiatur; vel יקוה uſpiam *expectationem* notat, ſed potiùs תקוה ut Exod. vII. 19. Jerem. xIv. 8. Alii vocem וקהת *congregationem* reddunt. Ita Jarchius ait deſignari אסיפת עמים *congregationem populorum*, à קהה quod Thalmudicis notet *congregare*, unde וקהת dicatur per metatheſin pro קהית *congregatio*. Verùm ea ſignificatio loco alteri Prov. xxx. 17. aptari haud poteſt. Thargum Onkeloſi reddit, ולית ישתמעון עמיא *& ei obedient populi.* Et Hieroſolymitanus: וליה עתידין דישתעבדון כל מלכוותא דארעא *Et ipſi futurum eſt, ut in ſervitutem dentur omnia regna.* Ita etiam Arabs. Et Kimchius in Radd. ait, יקהת notare המשמע וקבול המצוה *obedientiam & admiſſionem mandati.* Radix equidem יקה Hebræis eſt inuſitata, ſed Arabibus uſitatiſſima, qui mutato Jod initiali in Vau & He finali in Jod, ut ſemper, uſurpant וקי quod in prima conjugatione eſt *cuſtodire, tueri, defendere*: In quinta verò תוקי & in octava אתקי *timere, revereri, obedire.* Rectè igitur vertitur *reverentia, obedientia, cultus populorum.* Quæ ſignificatio convenit etiam loco Proverb. xxx. 17. *Oculus ſubſannans patrem, & contemnens* ליקהת אמו *timorem matris ſuæ.*

XXVI. Prophetia igitur illa Jacobi, uti hactenus explicata eſt, indefinito & ænigmatico ſermone ſequentia ſignificat. Primò, venturum aliquem Meſſiam. Secundò, eum futurum eſſe principem pacis & quietis. Tertiò, ei, adeoque etiam verbo ejus, obedituros eſſe populos. Unde etiam

Digitized by Google

etiam חמדת הגוים *deſiderium gentium* appellatur Hag. II. 8. & inferiùs v. 26. תאות גבעת עולם *deſiderium collium ſeculorum*. Quartò, antequam veniat Meſſias, in Juda futuram Regiam Majeſtatem. Quintò, futurum quoque eſſe in Juda *legislatorem*, ſeu Collegium legislatorum, ſynedrium, hoc eſt, ſeniores in cathedra Moſis ſedentes, & poteſtatem diſciplinæ cauſa præcipiendi habentes. Sextò, utrumque, nempe Regiam Majeſtatem & Synedrium, in tribu Juda non ſimul receſſurum, donec veniat Schilo. Septimò denique, Chriſtum ſub Principibus legem imperantibus, & templo ſtante, & Juda in loco ſuo habitante, & ſic antequam finis impoſitus eſſet diebus priſcis, venturum fuiſſe. Quæ omnia ex ipſo eventu, quem inferiùs exponemus, magis adhuc liquebunt.

XXVII. Superſunt in eadem prophetia verba ſic ſatis ænigmatica, quæ ſequuntur v. II. & I2. אסרי לגפן עירה ולשרקה בני אתנו כבס ביין לבושו. ובדם ענבים סותה: חכלילי עינים מיין ולבן שנים מחלב Quæ verba ita reddunt non malè Græci: Δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ. Πλυνεῖ ἐν οἴνῳ τὴν στολὴν αὐτοῦ, καὶ ἐν αἵματι σταφυλῆς τὴν περιβολῷ αὐτοῦ. Χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὑπὲρ οἶνον, καὶ λευκοὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα. *Alligans ad vitem pullum ſuum, & ad helicem pullum aſinæ ſuæ. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum. Gratifici oculi ejus ſuper vinum, & candidi dentes ejus quàm lac.* In אסרי Jod finale redundat, ut in multis aliis, ut & in חכלילי ſequente. Porro in עירה. ut & סותה He ponitur loco Vau relativi. Vocem שרק ἕλικα *helicem* reddunt Græci. Eſt autem ἕλιξ propriè *volumen*, *involucrum*. Apud Dioſcoridem notat claviculam, ſeu capreolum, hoc eſt, colicolum viteum intortum, ut cincinnus, qui vites ut teneat, ſerpit ad locum capiundum, uti Varro lib. I. cap. 3I. explicat. Alibi iidem interpretes reddunt ἄμπελον καρποφόρον, vitem frugiferam; Thargum verò גפנא בחירה *vitem electam*. Vitis hæc omnino nomen habet à שרק *Sorek*, quæ erat vallis Philiſtæorum, ex qua oriunda erat Delilah uxor Samſonis Judic. XVI. 4. Eam vallem abundâſſe generoſiſſimis vitibus, illud argumento eſt, quòd vallis *Eſcol* ſeu *botri*, unde eximiam illam uvam attulere exploratores, à Sorek non diſtet ſupra dimidium milliare. Hinc igitur generoſiſſima quæque vitis in ſacris nomine שרק venit. Porro דם ענבים *ſanguis uvarum* eſt periphraſis vini. Etiam ſacerdotes Ægyptii, uti obſervat in Hieroglyphicis Pierius, ſibi perſuadebant, vitem ex fuſo in terram gigantum ſanguine pullulâſſe, atque vino amentiam & furorem ineſſe. Αἷμα βοτρύων etiam vocat *Bacchus* apud Achillem Tatium. Similis vini periphraſis eſt in libro Siracidis cap. XXXIX. 16. & L. 15. ubi vocatur αἷμα

ϛαφυλῆς *ſangvis uvarum.* Videſis doctiſſimum Vorſtium Philol. S. 11. 43. Sequentis verſus prima vox חכלילי non occurrit niſi hoc loco & Proverb. XXIII. 29. Græci, ut vidimus, reddunt χαροποὶ *gratifici.* Vulgatus etiam *pulchriores.* Ita etiam Arabs. Et duo Thargumiſtæ Jonathan & Hieroſolymitanus, יאין *pulchri.* Cæterùm is ſignificatus in loco altero obtinere haud poteſt. Scholiaſtes Græcus: θερμοὶ, διάπυροι, φοβεροὶ, *ferventes*, *rubentes*, *formidabiles.* Omnino oculi *rubentes*, rubicundi, adeoque fervidi, acres intelligi videntur. Ita etiam Thargum Onkeloſi habet, יסמקון *rubicundiores erunt.* Ita nimirum חכלילי *rubicundus* reſpondet ſequenti לבן *candicans*; ſicut *vinum rubicundum* lacti *candicanti.* Derivari videtur à כחל *coloravit.* Inde nempe transpoſitis literis & *Lamed* geminato fieri potuit חכלל ut in aliis vocibus pluribus. Rectè igitur hic vertitur prophetia: *Alligans viti pullum ſuum, & nobiliſſimæ viti filium aſinæ ſuæ. Lavit vino veſtimentum ſuum, & ſanguine uvarum operimentum ſuum. Rubicundiores oculi ejus præ vino, & candidiores dentes præ lacte.*

XXVIII. Senſum porro prophetiæ hujus quod attinet, non deſunt ſanè, qui temporalem tribus Judæ felicitatem innui à Patriarcha exiſtiment, poſtquam ſpiritualem in Chriſto denuntiaverit v. 10. Sed alii aliter explicant. Quidam enim exponunt, quòd initio dicantur tales fore vites in ea terræ promiſſæ parte, quæ cedet tribui Judæ, ut poſſit quis è poſteris Judæ ſecurè ad earum aliquam alligare aſellum vel aſinum; tantus vini proventus, ut poſſit quis etiam veſtes ſuas in vino lavare; tantum vini ibi potandum, ut ex ejus hauſtu oculi rubicundi fiant; tantum lactis, ut eo præ copia largiter hauſto dentes albeſcant. Alii ita παραφράζουσι: *In vindemia ligabit aſellum ſuum ad vitem & uvis onerabit: Inde lavabit veſtem ſuam ſangvine uvarum, quo ſcilicet totus reſpergetur, quando uvas calcabit, & muſtum exprimet. Tanta igitur erit copia vini, ut à potu ejus oculos ſit habiturus rubicundos: tanta copia lactis, ut ab eſu ejus dentes candidos idem ſit habiturus.* Explicationi huic ſuffragantur ex Hebræis Jarchius, Abarbanel; ex noſtris verò Zwinglius, Calvinus, Rivetus, Calixtus, alii, qui tamen terrenam illam Judæ felicitatem ſpiritualis ſub Meſſia typum eſſe non diſſimulant. Cæterùm etſi communi felicitate & fœcunditate terræ Canaan gaviſam eſſe tribum Judæ non diffitemur, non apparet tamen ratio, cur tam hyperbolicam tribui Judæ fœcunditatem à Patriarcha portendi putemus, quàm vel tribui Benjaminis, quæ tribus Judæ ſedibus immixta erat, vel reliquis tribubus, quibus fertiliſſimum etiam ſolum contigit. Neque etiam conſentaneum videtur, adeò profuſam intemperiem vel projectionem in benedictione cenſeri. Quid quòd com-

Digitized by Google

commendantur v. 12. *oculi præ vino rubicundi.* At id ſi propriè intelligatur, non laudem ſed vituperium mereri, ipſe indicavit ſcribens Proverb. XXIII. 29. Et dicendum potiùs fuiſſet, Judæ oculos rubicundos eſſe *è vino*, vel propter vinum, quàm *rubicundiores fuiſſe præ vino.*

XXIX. Hebræi plerique explicant ea verba metaphoricè & parabolico ſenſu. Per *pullum* igitur intelligunt juvenes; per *aſinam* ſeniores; per *vitem* legem; per *vineam* ſynagogam. Viti autem vel vineæ alligari volunt eos, qui legi vel ſynagogæ adhæreſcunt, neque ullo modo ad idololatriam peregrinosque cultus deflectunt, atque adeò juſti ſunt. Per *veſtes lotas vino* intelligunt tribus illius Principes, veſtiendos purpurâ & coccino, quæ per vinum figurentur. *Oculos vino rubicundiores* interpretantur excelſos montes, qui ſunt quaſi ſpeculæ, è quibus in omnem partem pateat proſpectus, qui montes vitibus & vino redundent. Denique *dentes lacte candidiores* intelligunt vel agros triticea meſſe candidos, vel greges & armenta lacte diſtenta. Præivit iis hanc in ſententiam Thargum Onkeloſi, quod ita prophetiam hanc circumſcribit:
יסחר ישראל לקרתיה עמכא יבנון היכליה יהון צדיקיא סחור כחור ליה ועבדי אוריתא באולפן עמיה יהי ארגון טב לבושוהי כסותיה מילת צבע זהורי וצבעונין: יסמקון טורוהי בכרמוהי יטופון נעווהי בחמר יחורן בקעתיה בעבור ובעדרי ענא:
Habitabit Iſrael in circuitu civitatis ſuæ, populi ædificabunt Templum ejus, eruntque juſti in circuitu ejus, & factores legis in doctrina ejus. Purpura optima erit veſtimentum illius, operimentum ejus erit ſericum tinctum coccino variisque coloribus. Montes ejus erunt rubicundiores in vineis ſuis, diſtillabunt colles ejus vinum, dealbabuntur campi ejus frumento, & gregibus ovium. Huic expoſitioni ſimpliciter apponit Abarbanel: אין מקרא יוצא כדי פשוטו *non egreditur Scriptura ex ſimplicitate ſua.*

XXX. Sentire omnino aliter non poſſum, quàm de Schilone ſeu Meſſia ſermonem à Patriarcha continuari, ita ut dicatur Schilo ille אסרי ligans ad vitem pullum ſuum &c. Ita enim poſtulare videtur ipſa contextûs ſeries. Neque ambigendi amplius locus dabitur, ſi verba ea ita comparata eſſe intellexerimus, ut Chriſto probè conveniant & aptari queant. Jam & Hebræi & Chriſtiani vetuſtiſſimi de Chriſto etiam interpretati ſunt, ſed non eodem ſenſu omnes: Thargum Chaldaicum tum Hieroſolymitanum tum Jonathanis de temporali Meſſiæ dominio & poteſtate explicant: Hieroſolymitanum: מא יאי הוא מלכא משיחא *Quàm pulcher eſt Rex Meſſias, qui ſurrecturus eſt de domo Juda. Cingit lumbos ſuos, & egreditur ad prælium contra hoſtes ſuos, & occiduntur Reges cum dominationibus.*

Digitized by Google

nibus. Rubicundos facit fluvios à ſanguine occiſorum ipſorum, & albos facit colles ſuos ab adipe fortium ipſorum. Veſtes ejus intinguntur in ſanguine, qui ſimilis eſt expreſſioni uvarum. Quàm pulchri ſunt illi oculi דמלכא משיחא *Regis Meſſiæ ad videndum præ vino puro, ne videat in iis retectionem nuditatum, & effuſionem ſanguinis innocentis. Dentes ejus exercitati ſunt in ritibus, ne comedat iis violentias & rapinas. Rubent montes ejus à vitibus, & torcularia ejus à vino ipſius. Albi ſunt colles ejus à multitudine proventus & gregibus ovium.* Totidem fere verbis prophetiam Jacobi reddit etiam paraphraſis Chaldaica Jonathanis. Cæterùm ei expoſitioni, cùm redoleat Judaicum de Meſſia terreno Rege ſomnium, ſimpliciter repudium mittimus.

XXXI. Patres Chriſtiani, qui de Chriſto explicant, eosque ſecuti, verbis iis contineri exiſtimant prophetiam tum de converſione gentium, tum de paſſionibus morteque ipſa Chriſti. Igitur *vineam* & *vitem* notare ajunt vel Chriſtum vel Eccleſiam. Nam & Chriſtus ſe *vitem* dicit, & *vineæ* nomine in ſacris Eccleſia venit. Per *pullum* innui putant gentilem populum Judæorum jam ante jugo legis domitum, quem utrumque populum Chriſtus ſibi & Eccleſiæ per veram fidem & religionem alligavit: ad quod ſignificandum ipſe Hieroſolymam ingreſſus pullo & aſinæ inſedit. Quod ſequitur, *lavit in vino ſtolam ſuam*, de Chriſti paſſione exponunt, in qua ejus corpus ſtolæ & pallii nomine ſignificatum totum ſanguine reſperſum & tinctum eſt. Sequentia etiam: *Rubicundior oculis præ vino* &c. de eadem Chriſti morte nonnulli interpretantur. Qui חכלילי exponunt *χαροποιοὶ gratifici, pulchri*, eorum alii hoc interpretantur de Chriſti humanitate, alii de vi delinifica Chriſti, qua homines charitate ſua mulcet, & inſtar vini ad amorem Dei accendit. Poſtrema verò illa, quibus dentes ejus candidiores dicuntur lacte, inſinuare putant ſanctam doctrinam Chriſti, quia candor innocentiæ ſymbolum eſt. Lubet adſcribere verba Theodoreti *Quæſt. ult.* in Geneſin: *Quòd Iſrael*, inquit, *dicatur vitis omnes Prophetæ docent. Pullum gentilem appellat populum*, ὡς ἀδάμαστον ὄντα, καὶ πωλοδάμνην οὐκ ἔχοντα, *quippe indomitum, & nullo hactenus rectore uſum. Deinceps quoque prædicit paſſionem: Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſangvine uvæ amictum ſuum. Poſtea demonſtrat lætitiam ex paſſione procedentem.* χαροποιοὶ *lætitiam afferentes oculi ejus præ vino. Doctrinæ verò decorem atque ſplendorem candidiſſimis dentibus comparat.* Chryſoſtomus ad h. l. Διὰ τοῦ πώλου πάλιν τὴν τῶν ἐθνῶν προμηνύων προσαγωγήν. Ἐπεὶ γὰρ ἀκάθαρτον ζῶον ὁ ὄνος, διὰ τούτου, φησιν, ἐκεῖνα τὰ ἀκάθαρτα ἔθνη μετὰ τοσαύτης εὐκολίας ἐνάξει, ὡς ἄν τις τῇ ἕλικι

τῆς

τῆς ἀμπέλου τὸν πῶλον προσδήσῃ, τῆς ἐξουσίας τὴν ὑπερβολὴν αἰνιττόμενος, καὶ τῶν ἐθνῶν τὴν πολλὴν ὑπακοήν. Πλυνεῖ ἐν οἴνῳ τὴν στολὴν αὐτοῦ. στολὴν οἴομαι, τὸ σῶμα λέγων, ὃ διὰ τὴν οἰκονομίαν φορέσαι κατηξίωσε. Τῷ δὲ αἵματος ὀνόματι τὴν σφαγὴν ἡμῖν καὶ τὸν σταυρὸν ἠνίξατο, καὶ πᾶσαν τῶν μυστηρίων τὴν οἰκονομίαν. Χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ &c. Ἐνταῦθα τὸ φαιδρὸν ἡμῖν ἐνδείξασθαι βούλεται διὰ τῆς μεταφορᾶς τοῦ οἴνου καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. Καὶ λευκοὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα. Τὸ δίκαιον καὶ τὸ λαμπρὸν τοῦ κριτοῦ. *Per pullum rurſus gentium adductionem præſignificat. Quia enim impurum eſt animal aſinus, iccirco dicit: Impuras illas gentes tanta facilitate adducet, velut cùm quis ad vineam alligat aſinum; innuens hac ratione poteſtatis ſuæ excellentiam, & maximam obedientiam gentium.* Lavabit in vino ſtolam ſuam. *Stolam, uti puto, corpus dicens, quod propter œconomiam geſtare dignatus eſt. Nomine autem ſanguinis mactationem nobis & crucem, & omnem myſteriorum œconomiam adumbravit.* Gratifici oculi ejus &c. *Hic alacritatem nobis demonſtrare vult metaphorâ à vino & oculis petitâ.* Et candidi dentes præ lacte &c. *Significat juſtitiam & ſplendorem judicis.* Videantur etiam, quæ eandem in rem diſſerit Juſtinus Martyr, Dialogo cum Tryphone paulò ante medium. Neque deſunt, qui exiſtiment, verba prophetica de aſino Schilonis alligando ad vineam, uberiùs explicari apud Zachariam cap. IX. 9. Et impleta eſſe tum, cùm Chriſtus aſino vectore Hieroſolymam eſt ingreſſus Matth. XXI. 2.

XXXII. Noſtram ἐπίκρισιν paucis adjungimus. Cùm verbis præcedentibus, *Et erit ei obedientia populorum*; Patriarcha in genere gentium converſionem ad Chriſtum prænunciaverit, in eodem argumento pergens, gentes comparat cum pullo, animali tardo & ſtolido. Eum pullum ad vitem alligandum ait, hoc eſt, ad Chriſtum, Schilonem, ἄμπελον τὴν ἀληθινὴν, *vitem illam veram* Joh. XV. 1. ut in ea tanquam germen ferat fructum multum: Vel, ad Eccleſiam, familiam fidelium, ſive patrum & filiorum promiſſionis. Ejus enim ſymbolum eſt vitis. Pullus autem aſinæ ſunt filii eorum, qui jugum legis portârunt. Hi alligandi dicuntur ad vitem generoſiſſimam, hoc eſt, convertendi ſuo tempore ad eccleſiam Chriſtianam, jam olim collectam ex filiis patrum & gentibus. *Lavabit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum.* Nempe Schilo ille in vino, hoc eſt ſanguine ſuo, cujus ſymbolum ipſe Chriſtus vinum eſſe voluit, corpus ſuum intinxit & proluit, nempe inſtar calcantium in torculari. Facit huc prophetia Eſai. LXIII. 1, 2. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, rubras veſtes habens de Bozra* &c. Ubi de Chriſti paſſione & morte agi eſt ἀνεξαγώνιον. Eſt etiam conſpicua utriusque prophetiæ analogia. Veſtes autem Chriſti

Cccccc ſunt

ſunt tum caro ejus, tum fideles ipſius, qui ipſi adhæreſcunt. Cum Chriſto enim patitur etiam eccleſia. Verbis ſequentibus: *Rubicundior oculis præ vino, & candidior dentibus lacte*, reſpondet, niſi fallor, periphraſis Chriſti, quæ extat Apoc. 1. 14. ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών. Καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός. *Caput autem ejus & capilli albi, ut lana pura, ut nix; & oculi ejus ut flamma ignis.* Utrobique *candor* & *albedo* ſymbolum eſt ſanctitatis & puritatis, quæ eſt non tantùm in Chriſto capite, ſed etiam in membris ejus ut ſanctificatis ad amorem veritatis ac ſtudium pietatis, & juſtificatis, & ad plenum aliquandò ſanctificandis: *rubedo* autem *flammans oculorum* ſymbolum fortitudinis ipſius, & iræ ἀπαραιτήτου in adverſarios ipſius, qui regno ejus ſubjicere ſe recuſant.

XXXIII. Hactenus prophetiam Patriarchæ præſtantiſſimam explanavimus. Reſtat, ut eventum & hiſtoriam cum eadem paucis conferamus. *Juda tu*, inquit Patriarcha, *confitebuntur te fratres tui.* Confeſſi ſunt fratres Judam, hoc eſt poſteros ejus, cùm ei in imperio primatum detulerunt, cùm Judæ nomine totus Iſrael venit; cùm germen Davidis, Salvator mundi æternum ſolium occupavit. *Manus tua erunt in cervice hoſtium tuorum.* Nempe Judæ poſteri nec hoſtibus nec victoriis deſtituti ſunt. Prima tribus Juda auſa eſt ingredi mare rubrum. Joſua mortuo tribus Juda cæterarum tribuum in præliis dux fuit. Ex tribu Juda orti ſunt David, Zorobabel, aliique ſtrenui populi duces, bello clariſſimi, qui hoſtium dorſo toties inequitârunt. Sed inprimis illud impletum eſt in Chriſto illo ἀρχηγῷ τῆς σωτηρίας *duce ſalutis* noſtræ, qui victo Sathanæ inſultavit, captivitatem captivam abduxit, hodiéque inter medios hoſtes regnat, quos glorioſiſſimè tandem omnes vincet & ſub jugum mittet. *Adorabunt te filii patris tui.* Judæ poſteros, ſtrenuos belli duces, Reges, adorârunt, hoc eſt, civili competente cultu proſecuti ſunt fratres. Sed inprimis id impletum in Chriſto, quem filii Jacobi ſecundum promiſſionem, adeoque ſpirituales, ut authorem juſtitiæ & ſalutis religioſo cultu venerantur. Cui datum videlicet eſt nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu ſe flecteret Phil. II. 9, 10.

XXXIV. Generoſitatem Judæ leonis hieroglyphico adumbratam eventus nequaquam deſtituit, uti theſi VII. & VIII. &c. docuimus. *Catulus leonis Jehuda. E præda, fili mi, aſcendiſti. Incurvavit ſe, recubavit ſicut leo, & ſicut leæna. Quis ſuſcitabit eum?* Ex tribu nempe Juda orti Reges, & Rex Regum Chriſtus. Regiæ autem poteſtatis & eminen-

nen-

Digitized by Google

nentiæ ſymbolum leo eſt. Gradus excellentiæ utriusque tum tribus Judæ, tum leonis de tribu Juda κατ' ἐξοχὴν ſic dicti, in eventu oſtendimus theſi x.

XXXV. Complementum ſequitur illuſtris vaticinii de Schilone. Sceptrum à tribu Juda, & legislatorem à pedibus ejus non receſſurum utrumque & ſimul, donec veniat Schilo, Patriarcha innuit. Sceptrum ſanè adepta eſt tribus Juda, cùm Regnum ſucceſſit in humeros Davidis. Duravit Regia poteſtas usque ad captivitatem Babylonicam, & in Jechonia Rege Judæ ceſſavit. Non tamen ſimul ceſſavit מחקק *legislator*, Collegium ſeu Synedrium magnum legislatorum, ſcribarum, legisperitorum, qui jure & æquo gubernârunt populum. Manſit enim illud Collegium usque ad Chriſtum. Non ignoro equidem, varias illud mutationes ſubiviſſe, Gabinium nempe Roma miſſum conſtitutis quinque juridicis conventibus in totidem æquales partes provinciam diſtribuiſſe, ita ut alii Hieroſolymæ, alii Gadarâ, alii Amathunte, alii Hierichunte, denique Sapphora oppido Galileæ alii jura peterent, teſte Joſepho lib. XIV. 10. Herodes poſtea regnum adeptus illos judices & Regem quoque ſuſtulit, excepto Samea, cui lib. XV. I. annumerat Pollionem. Cumque Sameam illum Abrahamus ben Dyor in hiſtoria Regum Templi ſecundi Fol. 43. vocet שמאי *Schammai*, hinc Pollionem eſſe eundem cum Hillele, quia Schammai & Hillelen coætaneos & principes Synedrii faciant Hebræi, nonnulli colligunt. Sed cùm Synedrium ab Herode ante Chriſtum ſublatum memoret Joſephus, annon vel perperam explicatur prophetia Jacobi, uti arguit author CL. libri. Schilo; vel eventus prophetiam deſtituit? Minimè verò. Quis enim inficias ire poteſt, tempore adhuc Chriſti ſuperfuiſſe *ſedentes in cathedra Moſis* Matth. XXIII. 2. ἄρχοντας Luc. XXIII. 13. XXIV. 20. πρεσβυτέρους Matth. XXVII. 12. πρώτους τοῦ λαοῦ, primores populi Luc. XIX. 47. Hi enim alii non fuerunt, quàm capita tribuum 1. Chronic. XXVII. I. & 2 Chronic. v. 2. collat. cum 2 Chronic. XIX. 8. Qui hiſtoriam Euangelicam obiter legerit, ea de re dubitare non poterit. Quamvis igitur ab Herode abolitum ſit Synedrium: tamen aliud ei ſubſtitutum eſſe, non ſinit dubitare ipſe Joſephus Antiquit. XV. 9. ubi Herodes literas Malichi in Synedrio protuliſſe affirmatur. Quanquam potentiam ejus imminutam eſſe non ſinit dubitare tum Jacobi condemnatio, ad quam Præfecto Romanorum fuiſſe opus, colligere licet ex Joſepho Antiquit. XX. 8. tum Herodis ejusdem factum, quo Synedrii aſſeſſores teſtes equidem literarum Malichi prælectarum appellaverat, at judices eosdem non

Digitized by Google

agnoverat, ſed ipſemet Hircanum occidi juſſerat. Quanquam verò ceſſâſſe Synedrium quadraginta ante excidium urbis annis, adeoque illo ipſo tempore, quo Chriſtus publicum miniſterium auſpicatus eſt, colligunt nonnulli tum ex Joh. XVIII. 31. ubi negant Judæi ſibi fas eſſe quenquam occidere: tum ex Schabbat Fol. 15. 1. necnon R. D. Ganz in Zemach. millen. 4. anno 788. tamen ex Flavio Antiq: xx. 8. liquet, paulò ante excidium urbis Synedrium convocatum eſſe tum ab Anano contra Jacobum, tum ab Agrippa juniore, ſuper ſtolis Levitarum. Itaque in loco Joh. XVIII. 31. negant Judæi ſibi fas eſſe occidere quenquam, nempe propter feſtum. Quomodo propter eandem cauſam iis intrare prætorium integrum haud erat, ibid. v. 28. Sed & Rabbini, uti non malè obſervat doctiſſimus Noldius *de vita & geſtis Herodum* p. 165. loquuntur non tam de exauthoratione aliqua Synedrii abſoluta, quàm de migratione, aut intermiſſione temporaria.

XXXVI. Petitur hinc invicta demonſtratio Meſſiæ pridem exhibiti. Vaticinium enim habet, non receſſurum à Juda ſceptrum & legislatorem ſimul, adeoque vel utrumque vel alterutrum manſurum, donec veniat Schilo. Proinde Schilone adventante vel utrumque, ſceptrum & legislatorem, vel alterutrum vigere adhuc debuit. Atqui clariſſimum eſt, neutrum inde à longiſſimo tempore vigere. Sceptri enim poteſtas non infracta tantùm, ſed penitus abolita eſt circa captivitatis Babylonicæ tempus. Synedrium verò reſtitutum Hieroſolymis duravit, etſi varias inter mutationes & viciſſitudines, usque ad excidium Templi ſecundi, quod contigit annos præter propter triginta quinque poſt Chriſti paſſi & reſurgentis in Cœlum aſcenſionem. Ex eo tempore obnoxii alieno imperio, & palantes miſerè extra terram ſuam, nullam vel ſpeciem *αὐτονομίας*, Synedrium nullum, cui ejusmodi præſint מחקקים nec in ipſa terra promiſſa, nec extra eam unquam habuerunt.

XXXVII. Pergit Patriarcha: *Et ei erit obedientia populorum; alliganti ad vitem pullum ſuum, & ad vitem generoſiſſimam filium aſinæ ſuæ.* Converſionem gentium indigitari ſupra probavimus. Ea quomodo contigerit, latet neminem. Schilo enim Apoſtolos in terrarum orbem exire ad prædicandum Euangelium juſſit. Mandato paruerunt. Sermonem Apoſtolorum admiſerunt alacri animo gentes. Primitiæ fuerunt Eunuchus Candaces & Cornelius Centurio Act. VIII. 27. x. 1, 2. &c. Crediderunt ex gentibus quotquot deſtinati ad vitam æternam Act. XIII. 46, 47. Paulus Euangelio Hieroſolymis & circum uſque ad Illyricum implevit omnia Rom. xv. 19. Conſulendus Euſebius Hiſtor. Eccl. III. 1. Hieronymus

Digitized by Google

nymus in epiſtola, alii. Sequentia, *lavit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum*; ad paſſionem ejus cruentam pertinent, cujus implementum Euangelica hiſtoria latè demonſtrat.

XXXVIII. Periphraſis porro illa Chriſti, cùm dicitur *rubicundior oculis præ vino, candidior dentibus præ lacte*; Chriſti Domini jus morte partum, in vindicanda ab hoſtibus eccleſia, & iram adverſus hoſtes regni ipſius ἀπαραίτητον, nec non ejusdem ut & eccleſiæ ſanctitatem ac puritatem ſignificat. Nempe Chriſtus merito mortis ſuæ acquiſivit ſibi peculium, eccleſiam, cujus ipſe caput eſt, quamque ſanctificat, & præſenti auxilio adverſus furorem Sathanæ, mundi, Antichriſti tutatur, ac ipſis denique inferni portis inſuperabilem reddit.

XXXIX. Prophetiam hanc nobiliſſimam Dæmones ad Bacchum retuliſſe, & in ejus myſteriis ὄνον *aſinum* recenſuiſſe, Juſtinus Martyr prodidit tum in poſteriore apologia pro Chriſtianis, tum in Dialogo cum Tryphone Judæo, ubi tamen ὄνον in οἶνον librarii mutârunt. Nempe Sileni fabulam inde cudit nequiſſimus impoſtor Sathanas, quod non poteſt niſi gravatò referri. Sicut ex שיר canticum, Phœnices שירן *Siran*, Græci *Sirenes* fecerunt: Ita ex שילה *Silo* ab illis שילן *Silan*, ab his *Silenus* dictus. Quia de Schilo dicitur ולו יקהת עמים quod vertunt nonnulli: *Illi erit congregatio*, nempe docendi cauſâ: hinc Silenum volunt fuiſſe valde doctum, & Bacchi εἰσηγητὴν καὶ διδάσκαλον τῶν καλλίστων ἐπιτηδευμάτων, apud Diodorum lib. IV. Apud Ælianum Silenus de altero orbe mira narrat, apud Plutarchum de morte, apud Virgilium de principiis rerum diſſerit. Quia porro Schilo dicitur ad vitem alligare aſellum ſuum, hinc Silenus dicitur ἐπὶ ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος, *aſinâ plerumque vectus*. Sed & calcandis uvis addicunt Silenum, nempe quia Schilo dicitur laviſſe in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum operimentum ſuum. Illud omnem impietatem ſuperat, quòd ex eo, quòd Schilonis oculi rubicundi dicuntur *ex vino*, ut nonnulli reddunt; hinc Silenum ſemper ebrium eſſe finxére. Denique quia dentes Schilonis albi præ lacte dicuntur, Sileno pro cibo fuiſſe dicitur καὶ τυρὸς ὀπίας, καὶ βοὸς γάλα, & *coagulatus caſeus & lac bovis*. Nihil fœdiùs comminiſci Diabolus poterat, ut ſanctiſſima religionis myſteria profanaret.

Digitized by Google

SECTIO V.

DE BENEDICTIONE PROPHETICA ZABULONIS.

Breviarium.

Benedictionis propheticæ Zabulonis partes. Prædicitur ei habitatio לחוף ימים. *Παρῳδία in verbis* זבלן ישכן. 1. *Commoditas loci Zabuloni aſſignati ad mercaturam exercendam.* 2. *Terminus habitationis ejus. Quo ſenſu Zabulonis terminus dicatur* על צידן *usque ad Sidonem, cùm à finibus ejus Sidon remota admodum fuerit? Andreæ Maſii ſolutio expenditur. Sidon integram Phœniciæ regionem denotat.* 3. *Propheticæ benedictionis complementum.* 4. *Promiſſionem divinam magni momenti fuiſſe aſſeritur.* 5.

I. Benedictio prophetica Zabulonis paucis verbis enuntiatur v. 13. זבולון לחוף ימים ישכן והוא לחוף אנית וירכתו על צידן. *Zabulon apud portum marium habitabit, & erit in portum navium, terminusque ejus usque ad Sidon.* Quibus verbis tum locus certus fixusque habitationis, tum commoditas illius loci ad mercaturam videlicet, tum denique terminus habitationis exprimitur. Singulas pericopas lubet interpretari. Zabulon, inquit, לחוף ימים ישכן *παράλιος κατοικήσει juxta mare habitabit.* Ita Græci. Melius Thargum Onkeloſi, על ספר ימיא ישרי *juxta portum maris habitabit.* Arabs כואכל אלנר שכן *in oris maris habitabit.* In Hebræo ימים *maria* ſignificat. Unde & mare mediterraneum & locum Genneſareth indicari probabiliter ſtatuitur, ſive Zabulonitæ ad mare mediterraneum pertigerint *ἀμέσως immediatè*, ſive *ἐμμέσως*, mediante flumine aliquo & emporiis, è quibus ſua mercimonia in mare mediterraneum derivaret. Porro in verbis זבלון ישכן *παρῳδίαν* egregiam obſer-

obſervamus. Nam & זבלן *habitationem* notat. Perinde igitur eſt ac ſi dixiſſet Patriarcha: Is qui ab habitatione dictus eſt Zabulon, habitabit juxta portum maris.

II. Commoditas loci illius, ad mercaturam videlicet exercendam, ſequente pericopa indigetatur. והוא inquit, לחוף אנית *Et ipſe*, nempe Zabulon, erit *in portum navium*. Thargum Onkeloſi pluribus eam commoditatem circumſcribit: והוא יכבש כחוזין בספינן וטוב ימא יכול *Et ipſe ſubjiciet provincias navibus, & bona maris comedet*. Nempe quia in ejus portu ſtabunt naves, commoditatem ſortitura erat alias ſibi terras ſubjiciendi, & beneficio maris mercaturam exercendi.

III. Denique & terminus habitationis exprimitur extremis verbis: וירכתו על צידן *& terminus ejus usque ad Sidon*. Græci: παρεκτενεῖ ἕως Σιδῶνος, *pertendet usque ad Sidonem*. Nempe ירך metaphoricè latus, plagam & extremitatem denotat. Eſt autem latus & plaga cum extenſione conjuncta. Thargum Onkeloſi: ותחומיה יהי מטי עד צידון *Et terminus ejus pertinget uſque ad Sidonem*. Cœterùm de ſenſu hujus pericopæ dubitatum eſt ab Interpretibus. Cùm enim certum ſit, Zabulonios non ſuperâſſe Carmelum, uti etiam Joſephus teſtatur Antiq. lib. v. 1. & Carmelus ab urbe Sidone diſtet minimùm quadraginta millibus, quomodo Zabulonis terminus futurus dicitur Sidonem usque? Doctiſſimus Maſius ſic nodum hunc expedit, ut dicatur, non Sidonem fore limitem tractûs Zabulon, ſed Zabulonis poſteros habitaturos ad mare, verſaturosque frequenter in portubus & navalibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis mercatoribus toto orbe celeberrimis, quippe qui in eadem maris ora habitarent. Hæc igitur verba, *latus ejus ad Sidonem*, non intelligenda eſſe immediatè, quaſi nihil inter Sidonem & Zabulonios eſſet interpoſitum, ſed talem futuram eorum habitationem, ut ex tractu ſuo maritimo non difficulter Sidonem verſus adnavigare poſſent, & commercia ſua exercere. Cujus interpretationis argumentum petitur ex Deut. XXXIII. 18. ubi Moſes dicit: שמח זבלן בצאתך *lætare Zabulon in egreſſu tuo*, quibus verbis ſignificat, Zabulonios feliciter enavigaturos eſſe ad fora rerum venalium. Atque ſic ירכתו referretur non ad Zabulonem ſed ad ejus חוף *littus*. Fateor ſanè, interpretationem hanc rebus ipſis fore convenientiſſimam, ſi eam ferrent verba ipſa Patriarchæ. At ירכתו non poteſt ſignificare eam opportunitatem enavigandi, ſed latus, ſeu plagam, cui alia plaga contigua eſt. Nam & alia in loca maximè diſſita per mare mediterraneum navigare opportunè Zabulonii poterant. Neque tamen Zabulonis terminus rectè dicerentur. Sentio igitur potiùs, צידן

non

non tam urbem Sidon, quàm regionem Phœniciæ, quam attigere Zabulonii, denotare. Quia enim inter Sidonem & Tyrum de primatu acris contentio fuit, hinc factum, ut ſicut à צור *Sur* quæ Tyrus eſt, Phœnices Σύροι *Syri* & Aſſyrii dicti ſunt: Sic à צידון Sidone iidem Phœnices *Sidonii* dicti ſunt. Unde etiam Heſychius *Σιδονίυς Sidonios* interpretatur *φοίνικας Phœnices.* Et LXX. Interpretes Phœnicas pro *Sidoniis* Deut. III. 9. & pro Sidone Phœnicen habent in loco Eſai. XXIII. 2.

IV. Prophetiæ hujus complementum liquet ex finibus Zabulonis, in diſtributione terræ ipſi à Joſua per ſortem aſſignatis. De quibus agitur Joſ. XIX. 10--17. Conſtat nempe, terminum hæreditatis Zabulonis ſe porrexiſſe עד שריד *usque ad Sarid*, ſitam in ipſo Carmeli promontorio; vel, ut alii exiſtimant, in ultima Carmeli extremitate. Hic limes occiduus verſus Auſtrum, mari nimirum mediterraneo contiguus. Longitudo autem erat à monte Carmelo & mari mediterraneo verſus Orientem usque ad *Remmon*, hoc eſt, Geneſaram lacum, uti putat Joſephus Antiquit. v. 3. Unde nullo negotio intelligitur, tum quomodo juxta prædictionem Patriarchæ habitaverit Zabulon לחוף ימים *apud portum marium*, nimirum portum tum maris mediterranei, tum lacus Geneſareth: tum quomodo fuerit לחוף אנית *in portum navium*. Cumque Zabulonis ſors ceciderit etiam in viciniam Phœniciæ, uti vetus locorum ſitus in tabulis deſignatus demonſtrat, ritè utique prædictum eſt, fore ut Zabulonis terminus ſit Sidon, hoc eſt, Phœnicia.

V. Exiguum equidem primo aſpectu & leve videri poſſit, non aliud quàm fines habitationis & commerciorum opportunitatem à Jacobo Zabulonitis denuntiari. Cæterùm, ſi ritè omnia expendamus, præclara omnino fuit promiſſio. Perinde enim fuit, ac ſi jam tum Deus ad filios Iſraelis liberandos è Cœlo manum porrigeret, ac ſingulis ſua domicilia diſtribueret. Antea enim quàm ulla fiat ſortis mentio, maritima regio datur tribui Zabulonis, quam ſorte poſt annos ducentos adepta eſt. Deinde quanti momenti fuerit ea hæreditas, quæ inſtar arrhæ veteri populo ratam ejus adoptionem fecit, abundè conſtat. Hoc igitur vaticinio animari decuit non unam duntaxat tribum, ſed univerſum populum, ut oblatam gratiam, certóque repoſitam, alacriter capeſſerent.

Digitized by Google

SECTIO VI.

DE BENEDICTIONE PROPHETICA ISSASCHARIS.

Breviarium.

Jacobus cur Iſſaſchari poſt Zabulonem benedixerit, neglecto ordine naſcendi? 1. *Benedictio Iſſaſcharis. Quid* חמר גרם? *Græcorum & Onkeloſi interpretatio rejecta.* אתן *dictus aſinus à fortitudine.* 2. *Explicantur verba* בין המשפתים. *Orientalium verſiones rejectæ.* משפתים *notant vel repagula, inter quæ jumenta recubant, vel ſarcinas.* 3. *Iſſaſcharis comparatio cum aſino forti. Quo ſenſu dicatur futurus* למס עבד? *Perſonalisne ſervitus an ſola tributaria his verbis denotetur? Onkeloſi paraphraſis verbis Moſis contraria improbata.* 4. *Similitudo aſinum inter & Iſſaſcharum evolutiùs redditur.* 5. *In bonam an malam partem accipiendum ſit, quòd cum aſino Iſſaſchar comparatur?* 6.7.8. *Vitæ tranquillæ, & mediocritatis laus. Agricolarum felicitas. Aſinus Kabaliſtis ſapientiæ ſymbolum.* 6. *At ignaviæ & ſtoliditatis olim ſacerdotibus Ægyptiis. Quid homo aſelliceps?* 7. ἐπίκρισις *authoris.* 8. *Benedictionis propheticæ eventus exponitur.* 9. *Boulduci explicatio prophetiæ hujus de Iſſaſcharitis futuris vatibus, necnon Monachorum ad eam prophetiam alludentium vanitas perſtringitur.* 10.

I. Poſt Zabulonem Patriarcha progreditur ad Iſſaſcharem, neglecto naſcendi ordine, quo Iſſaſchar Zabulonem anteire potiùs debuerat. Cujus inverſi ordinis rationem indagare nonnulli conantur. Abenezra: והזכיר בתחלה השבטים כאשר נולדו רק הקדים

זבולן על יששכר בעבור נפול נחלתו בין זבולן ובין דן *Primò quidem* Jacobus *obſervavit ordinem tribuum, juxta ordinem naſcendi. Nunc præponit Zabulonem Iſſaſchari, quia futurum erat, ut ejus ſors incideret inter Zabulon & Dan.* Fuerit hæc an alia mutati ordinis ratio, non ſatis conſtat. Id tamen certum eſt, conſilio divino hunc ordinem à Patriarcha initum eſſe, quia non tam Jacobus quàm Spiritus S. per os ejus hæc prædixit. Unde poſtea eodem ordine hæc executioni mandata ſunt.

II. Comparatur autem Iſſaſchar cum חמר גרם *aſino oſſeo*, hoc eſt, forti & robuſto. Sic enim habet benedictio: יששכר חכר גרם רבץ בין המשפתים וירא מנחה כי טוב ואת הארץ כי נעמה ויט שכמו לסבל ויהי למס עבר *Iſſaſchar aſinus fortis, recubans inter terminos. Vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factusque eſt tributis ſerviens* v. 14. 15. Ubi diſtinguenda tum πρότασις tum ἀπόδοσις. Illa eſt in verbis חמר גרם רבץ בין המשפתים. Pro חמר גרם Græci habent, τὸ καλὸν ἐπεθύμησε, *bonum concupivit.* Conjectat Grotius, pro חכר illos legiſſe חמד *deſideravit.* Sed quid tum legerunt pro גרם? Vel quomodo גרם *bonum* notare potuit? Magis probatur, Græcos hic Interpretes egiſſe ſeu paraphraſtas, quàm in Hebræo aliter legiſſe. Senſum nempe animo ſuo conceptum reddiderunt, quòd Iſſaſchar *bonum concupiverit*, hoc eſt, bonum exiſtimaverit, fortiter inſtar aſini fortis, agriculturæ labores quieta cum induſtria tolerare. Quomodo etiam tum Thargum Onkeloſi, quod pro חכר גרם habet עתיר בנכסין *dives in ſubſtantia*, tum Syrus, qui habet גברא גנברא *vir gigas*, tum denique Arabs qui reddit כנסם מנפרד *corpus ſejunctum*, ſenſum potiùs Patriarchæ quàm verba reſpexiſſe videntur. Quanquam præſtabat inhærere textui, in quo perſpicua eſt metaphora Iſſaſcharem inter & aſinum clitellarium robuſtum. Eſt nempe חמר גרם *aſinus oſſis*, hoc eſt, oſſeus, durus, firmus, ad onera ferenda habilis. Hinc videlicet eſt, quòd aſinam voce אתון etiam deſignant Hebræi, ſive à fortitudine ſive à conſtantia ſeu potiùs pertinacia. Nam איתן notat fortem, durabilem, perennem, intractabilem, pertinacem, & ſubſtantivè fortitudinem ſive vehementiam.

III. Comparatur autem Iſſaſchar non ſimpliciter cum חמר גרם *aſino robuſto*, ſed cum aſino robuſto רובץ בין המשפתים *cubante inter terminos*, uti habet Vulgatus, ſecutus Thargum Onkeloſi, in quo etiam habetur בין תחומיא *inter terminos.* Quomodo etiam Aquilam ſcripſiſſe ἀνὰ μέσον τῶν ὅρων *inter medios terminos*, conjicit Druſius. A quo non abludit Symmachus, qui vertit ἀνὰ μέσον γειτονιῶν *inter vicinias.* At Græci, ἀναπαυόμενος

παυόμενΘ· ἀνὰ μέσον τ͂ κλήρων, *requieſcens inter medios cleros*, ſeu *ſortes*, puta Zabulonis & Danis. Aliter etiam Syrus & Arabs. Ille enim vocem המשפתים reddit שבילא *ſemitas*, hic צפף *choros*. Cæterùm vox illa paulò obſcurior occurrit tum hîc, tum Judic. v. 16. Cui affinis שפתים legitur Pſal. LXVIII. 14. Ezechiel. XL. 43. Etymon eſt שפת quod ſignificat aliquid cum induſtria & ſolertia aptare, diſponere, ordinare, concinnare. Velut cùm Eliſæus dixit ſervo: שפת הסיר *diſpone ollam grandem & coque pulmentum filiis prophetarum*. Notat igitur משפתים & שפתים in genere quamlibet rem probè diſpoſitam, concinnatam, conſtructam. Hoc loco, ut & Jud. v. 16. notare poteſt משפתים vel ſarcinas illas, quæ utrique lateri aſinorum imponuntur bajulandæ, probè conſtructas nimirum & concinnatas: vel *repagula*, *clathra* & *perticas* oblongiores, quibus probè ordinatis in ſtabulis ſpatia pro jumentis diſtinguantur. Et prius quidem magis placet, quia ſequitur, Iſſaſcharem inſtar aſini inclinaturum humeros לסבל ad bajulandum puta onera & ſarcinas. Ita etiam Kimchius & Oleaſter interpretantur. At שפתים in locis Ezechiel. XL. 43. & Pſal. LXVIII. 14. notat ſtrues ſeu ordines lapidum, quibus ahenum imponitur. Eſt igitur חמר גרם רבץ בין המשפתים *aſinus robuſtus, qui recubat inter ſarcinas*. Nota eſt aſinorum ſtolida indoles, ſub ipſis oneribus quieſcentium, imò & recubantium ſi viride pratum vel aliud alimentum ſuppeditans occurrat.

IV. Ἀπόδοσις autem parabolæ hujus propheticæ eſt in verbis ſequentibus, quibus de Iſſaſchar dicitur: *Vidit requiem*, כי טוב *quòd ſit bona*, & *terram* כי נעמה *quòd pulchra. Propterea inclinavit humerum ſuum* לסבל *ad portandum* ויהי למס עבד & *fuit tributo ſerviens*. v. 15. Græci Interpretes pro ויהי למס עבד habent, καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός. *Et factus eſt vir agricola*. Ita Aquila & Symmachus: Καὶ ἔσται γεωργὸς ὑπηρετῶν *& eſt agricola ad miniſtrandum*. Interpretes ſic ſenſus potiùs, quem animo conceperant ipſi, quàm verborum ſe gerunt. Unde Scholiaſtes Græcus verſionem eam explicans, ait: ἄνθρωπΘ· εἰς φόρον δουλεύων. *Vir propter tributum ſerviens*. Alibi eadem verba interpretantur ὑποφόρους δούλους *ſervos tributarios* Joſ. XVII. 13. Notantur propriè iis vocibus ὑπόφοροι *tributarii*, vectigales, quales ſunt qui ex agro exculto tributum pendunt aliis. Rectè igitur Syrus, והוא למראתא & *fuit ſub tributo*. Porro non tributum ſimplex ſeu vectigal pecuniarum iis verbis indicatur, ſed perſonale etiam obſequium, & corporalia miniſteria. Non enim ſimpliciter penſitaturus tributum, ſed futurus למס עבד *vectigalis ſerviens* Iſſaſchar dicitur. Videſis, quæ eam in rem differit Seldenus *de Jure Nat. & Gent. Hebr.*

lib. VI. 14. Contrarium planè ſenſum reddit Thargum Onkeloſi: ויכבש מחוזי עממיא וישיצי ית דיריהון ודישתארון בהון יהון ליה פלחין ומסקי מסין *Et ſubjiciet provincias populorum, & diſperdet habitatores earum. Et qui relicti fuerint in eis, erunt ſervientes & tributarii.* Etiam Hebræi quidam, quos videtur probare Grotius, מס explicant *liquefactos, conſumptos*, ut ſenſus ſit, fore ut Iſſaſcharitæ reliquias Cananæorum ſibi ſubigant. Sed hac interpretandi vel potiùs pervertendi licentiâ ſi quis uti velit, nihil eſt in Scriptura quod non ſurſum deorſum inverti poſſit.

V. Similitudo igitur aſinum inter fortem & Iſſaſcharem in eo collocatur, quòd utrique quietem lætis in paſcuis quamvis conjunctam gravi cum moleſtia onerum & ſervitutis deligant. Sicut aſinus robuſtus & clitellarius ſarcinis ſuis onuſtus quietem tamen captat, inprimis ſi incidat eum in locum, qui alimentum ſuppeditat: ita futurum quoque, ut Iſſaſcharitæ ſortituri amœniſſimum juxta atque feliciſſimum ſolum, procul turbis vitam ſedentariam quamvis gravem & ſervilem exigant, ſecus quàm Zabulonitæ, qui mercaturæ maritimæ intenti, ſtrepitum amantes foras prodituri erant.

VI. Quæ porro de Iſſaſchare enuntiat Patriarcha, alii in laude, in vitio alii ponunt. Qui in laude ponunt, *ἀυτάρκειαν* ejus & patientiam commendari volunt, utpote qui demenſo ſuo & paratis contentus, aliena haud appetiturus, nec cum aliis de ampliandis finibus certaturus, ſed ſolo patrio inhæſurus ſit, quamvis futurum eſſet ut agriculturæ hac ratione deditus onera multa ſervilia ſubeunda haberet. Quò pertinet illud Heſiodi auream mediocritatem commendans: *πλέον ἥμισυ παντὸς, dimidium plus toto.* Necnon Syri Comici conſilium: *Potiùs quàm venias in periculum, ſervéſne an perdas, dividuum face.* Et apud Pœnos proverbium uſitatum fuiſſe teſtatur Auguſtinus: *Ut habeas quietum tempus, perde aliquid: rarò carent lite, qui nunquam ſuſtinent de jure ſuo concedere.* Et monet Sapiens Proverb. XVII. I. *buccellam panis cum quiete potiorem eſſe tauro pingui mactato.* Nec immerito apud Tacitum laudatur Annius Baſſus legionis legatus, quòd ad omnia, quæ agenda forent, *quieta cum induſtria* adfuerit Hiſtor. III. 50: 4. De quiete etiam & fortunato ſtatu agricolarum elegans eſt digreſſio apud Virgilium ſecundo Georgicorum, quæ ita incipit:

> *O fortunati nimiùm, ſua ſi bona nôrint*
> *Agricolæ.*

Eadem de re multa quoque & præclara Homerus lib. 6 & 7. Odyſſeæ, Cato, Varro, Columella, Plinius lib. XVIII. primis aliquot capitibus prodiderunt. Accedit, quòd Hebræi, inprimis Kabaliſtæ monent,

Digitized by Google

nent, aſinum etiam ſapientiæ eſſe hieroglyphicum. Nam ſapientiæ operam daturus, victu utitur admodum parco & plebejo. At hujusmodi parſimoniâ non aliud animal magis præditum eſſe quàm aſinum. Deinde aſinum penuriam, labores, plagas & famem patientiſſimè tolerare, neque ad ullam contumeliam, undecunque tandem illata ſit, excandeſcere, corde eſſe minimè vafro, bile carere, nullum onus detrectare. Hæc omnia efficere putant, ut in bonam partem verba Patriarchæ explicentur.

VII. Neque deſunt tamen, qui aſini cum Iſſaſchare comparationem ponendam in vitio putent. Nempe aſinum ignaviæ, ſtupiditatis & pertinaciæ ſymbolum eſſe ajunt. Etſi enim animal ſit naturâ robuſtum & patiens; tamen idem ſegne eſſe & ſtupidum, ventremque ita curare, ut vix iteratis ictibus à pabulo arceri poſſit, conſtat. Id eleganter narrat Homerus Iliad. Λ. verſu 557. &c. ubi aſinum inducit ſegetes depaſcentem, qui, quamvis à pueris multi fuſtes in ejus tergo frangantur, non prius ex agro ſe ejici patiatur, quàm ad ſatietatem usque comederit. Unde Ægyptii quoque ſacerdotes, Horo teſte, rerum omnium ignarum & ſtupidum *aſellicipitem* vocârunt. Quam imperitiam in eo præcipuè notari voluerunt, qui privatos intra parietes eductus, adeoque glebæ ſuæ addictus nunquam patriâ pedem extulit. Proinde Pierius Hieroglyph. lib. XII. cap. I. Jacobum diu in Ægypto verſatum, & hieroglyphicorum peritum huc reſpexiſſe, *cùm Iſſaſcharem filium ſuum aſinum appellavit, & intra terminos ſuos cubaturum dixit*, putat. Nempe aſini quoque longiùs peregrinari non ſolent, ſed intra provinciam, in qua nati ſunt, plurimùm continentur.

VIII. Inclino tamen potiùs eorum in ſententiam, qui Jacobi prophetiam ita interpretantur, ut aſini ignavia & ſtupiditas reliquáque vitia in ea Iſſaſchari non impingantur. Etenim perſpicuum eſt, qua in re ſimilitudinem figat Patriarcha, in eo nempe, quòd Iſſaſchar, more aſini, quietem quamvis conjunctam cum oneribus & ſervitute ſit delecturus. Cùm verò ea quies in eo potiſſimùm conſtiterit, quòd agriculturæ dediti, nec militarem vitam, nec mercaturam appetierint, quæ utraque crebros errores & vagationes requirit, non video, quo iis aſinina vel ſtupiditas vel ignavia jure imputetur. Neque enim quieta induſtria, qualis eſt agricolarum, aſinina eſt ignavia. Neque in ſimilibus procedendum eſt ultra tertium, in quo comparatio inſtituitur. Accedit, quòd ejusmodi ignavia in Iſſaſcharitis nuſpiam notetur. Quin potiùs occaſione flagitante ſtrenuos ſe geſſerunt, uti ex Judic. V. 16. & I Chron. XII. 32. liquet.

 IX. Pro-

Digitized by Google

IX. Prophetiæ hujus eventus ex ipſa ſorte, quæ tribui Iſſaſchar cecidiſſe dicitur Joſ. xix. 17--23. utcunque liquet. In eam nempe ſortem incidit maxima pars campi *Ezdrelonis*, qui immutatis literis ab urbe Jezreel dictus eſt, quémque poſteriores dixerunt *campum Sabe*. Nullus eo tota terra Canaan locus amœnior, vel frumento, vino, oleo, omniumque rerum, quæ ad vitam cultumque hominum pertinent, copiâ abundantior. In eadem ſorte erant montes Gelböe, fœcunditate nativa reliqua terræ Canaan loca multis poſt ſe paraſangis relinquentes. Cùm igitur ſolum præ cæteris fertile inter Zabulonitas & Danitas nacti ſint Iſſaſcharitæ ei inhærere, quàm more Zabulonitarum mercatorum lucri gratiâ maria ſulcare & terras pervagari maluerunt. Neque mirum eſt, eos, qui propter fertilitatem nativam terræ omnium ſumma in quiete fuére ditiſſimi, præ cæteris oneribus & tributis à Rege vexatos eſſe. Quin & ipſi haud dubiè, ne ab externis hoſtibus infeſtarentur, vel à ſuis Regibus evocarentur ſive ad militiam, ſivè ad aulam, atque ſic patrio ſolo fertiliſſimo juxta atque amœniſſimo abſcedere non ſine ingente damno cogerentur, lubenter hancce moleſtiam largiendis muneribus & penſitandis tributis redemerunt. Fieri etiam poteſt, ut peculiaris aliqua ſervitus imponeretur huic tribui, quæ tamen nuſpiam deſcripta ſit, quia eam cognoſcere non multum Eccleſiæ interfuerat.

X. Boulducus *de Eccl. ante legem lib.* III. 17. rejecta ſine ulla ratione interpretatione noſtra, myſteria ex benedictione Iſſaſcharis venatur. Illi nempe שפתים ſignificant clathra ex ramuſculis facta, ſuper quæ olim vates oracula fundentes decubuerint. Cum qua voce congruere putat vocem Græcam στιβάδιον, quod eſt cubile ex herba ſive frondibus fultum, ſic dictum à ſtibadibus herbis ad diſcumbendum idoneis. Aſini autem nomine ad laborem & ferenda onera idonei, Prælatos denotari ait. Putat igitur, Iſſaſcharitas à Jacobo hic commendari tanquam pios, devotos, patientes, forteſque prælatos, & inſuper futurorum ac ſecretorum revelatores per donum prophetiæ quo eminuerint, qui proinde frequenter dormiverint inter duo clathra, ſeu inter cancellos, ut per ſomnia oraculum Dei per eos ſciſcitantibus darent reſponſa. Huc refert verba Deboræ ad Iſſaſchar Judic. v. 16. לכה ישבת בין המשפתים *Cur ſediſti inter duos clathros, ut audires ſibilos gregum? In diviſionibus Ruben* גדולים חקרי לב *magnæ ſcrutationes cordis.* Quibus verbis hunc ſenſum induit ille: *Quamvis ô Iſſaſchar in tribu Ruben magni ſint decretarii cordis magnique Prophetæ, non minores tamen apud te ſunt, nec pauciores. Quam enim*

quæſo

quæſo ob cauſam juxta inſignem tibi à patre datam benedictionem toties dormiſti inter duo clathra? Numquid hoc feciſti ad audiendos ſibilos gregum? & non potiùs ad audiendum verum verbum Dei ad aurem tibi furtivè dictam, & ad inſtar ſibili venas ſuſurri ejus auræque tenuis vocem? Quin & applicat locum I Paralipom. XII. 32. ubi ad Davidem veniſſe dicuntur de filiis Iſſaſchar יודעי בינה לעתים *periti intelligentia temporum*; nec non benedictionem Moſis Deut. XXXIII. 18. Lætare Iſſaſchar באהליך *in tabernaculis tuis*. Quaſi videlicet diceret: *Deliciæ tuæ ſunt in locis ſacris, ibi cantare, orare, manere tibi volupe eſt.* Non procul abludunt qui aſino huic religioſos ſive Monachos comparant, qui videlicet jugum & labores religionis ferunt, nec non auſteritatem diſciplinæ, quoſque adeò fortiſſimos dicunt ad duriſſima quæque perferenda, & Deo perſolvere tria tributa, cultus, dilectionis, & continentiæ. An hoc non ſit Scripturam ludibrio exponere, & infidelium ſannis objicere, judicent, qui pro cerebro fungum non habent.

SECTIO VII.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA

DANIS.

Breviarium.

Compendium benedictionis Propheticæ Danis. 1. *Aſſertio prophetica communis dignitatis tribus Dan & reliquarum.* 2. 3. *Alluſio verbi* ידין *ad* דן. 2. *Verba* דן ידין את עמו *explicata. Ad Samſonem vel dignitatem vexillorum malè referuntur. Onkeloſus, Jarchius, Abenezra refutati.* 3. *Singularis de Dane prophetia.* 4–8. *Quid* שפיפון? *Vox Arabica* מערון *ceraſten notat. Ceraſtes* שפיפון *dictus à claudicatione.* 4. *Cum ſerpente & ceraſte non Samſon ſed univerſa tribus Danis comparatur, & quo ſenſu?* 5. *Vetuſtorum Patrum,*

Irenæi

Irenæi, Ambroſii &c. παρερμηνεία de Anti-Chriſto prophetiam Jacobi explicantium. Anti-Chriſtus nec ex Juda nec ex tribu Danis oriundus erat. Oleaſtri, Abulenſis, Boulduci, Vulgati Interpretis conſenſus. 6. *Boulduci ſententia, quòd prophetia Jacobi de æneo ſerpente vaticinetur, refellitur.* שרף *notat hydrum vel Cherſydrum.* 7. *Explicantur verba Jacobi:* לישועתך קויתי יהוה *ſalutem tuam expecto Jehova. An* ישועה *notet vel Samſonem, vel quosvis Salvatores, vel Chriſtum contra Antichriſtum depugnaturum?* 8. *Junii & Tremelii verſio. Suam in Chriſtum fidem Jacobum his verbis teſtificatum eſſe oſtenditur.* 9.

I. A filiis Leæ Jacobus tranſit ad filios ancillarum, Billhæ & Leæ. Et primo quidem Danis benedictionem proſequitur. In qua tria potiſſimùm complectitur, primò communem Danis cum reliquis tribubus dignitatem, deinde ſingularem de eo prophetiam, denique enixiſſimum votum, & ſpem à Jacobo conceptam.

II. Communis Danis cum reliquis tribubus dignitas enuntiatur alluſione pulchra ad nomen ipſum Danis, quæ his verbis exprimitur: דן ידין עמו כאחד שבטי ישראל *Dan judicabit populum ſuum, ſicut una è tribubus Iſrael* v. 16. Similium paranomaſiarum exempla occurrunt Geneſ. v. 29. & IX. 29. quæ ſuo loco expoſuimus. Tale illud 1 Sam. XXV. 25. de Nabale: נבל *Nabal eſt nomen ejus,* ונבלה עמו *& nebala, ſtultitia eſt cum eo.* De Aza quoque Sophon. II. 4. עזה עזובה תהיה *Aza Azuba derelicta erit.* Confer Jerem. I. 11, 12.

III. Prophetiam hanc ſic παραφράζει Thargum Onkeloſi: מדבית דן יתבחר ויקום גברא ביומוהי יתפרק עמיה ובשנוהי ינוחן כחדא שבטיא דישראל *De domo Dan eligetur & conſurget vir. In diebus ejus liberabitur populus ſuus, & in annis ejus requieſcent ſimul tribus Iſrael.* Samſon indigitatur, qui fuit ex tribu Danis. De quo prophetiam hanc explicant plerique Hebræi. Jarchius: דן ידין עמו׳ ינקון נקמת עמה כפלשתים כמו כי ידין יהוה עמו: כאחד שבטי ישראל כל ישראל יהיו כאחד עמו ואת כלם ידין ועל שמשון נבא נבואה זו Dan judicabit populum ſuum: *Expetent vindictam populi ſui à Philiſtæis, ſicut enim dicitur: Judicabit Dominus populum ſuum.* Sicut una ex tribubus Iſrael. *Omnis nempe Iſrael erit ſicut unus populus. Et omnes eos judicabit. Hac prophetia vaticinatur.* Statim tamen promit aliam interpretationem eorum verborum כאחד שבטי ישראל ajens: ועוד יש לפר׳ כאחד שבטי ישראל כמיוחד שבשבטים

Digitized by Google

שבשבטים הוא דוד שבא מיהודה *Exponi etiam poteſt*, ut una tribuum Iſrael, *ſicut unica illa inter tribus. Is eſt* David, *qui venit ex Juda.* Ex Chriſtianis etiam plures de Samſone interpretantur. Sed id contortum eſſe ſatis apparet. Non enim ex Dane dicitur oriturus ſingularis aliquis judex, ſed ipſe Dan judicaturus populum ſuum. Deinde illud כאחד שבטי ישראל *ſicut una tribuum Iſrael*, aliud notare non poteſt, quàm *quamlibet tribum Iſrael*, judicaturum nempe Danem populum ſuum, ſicut quælibet tribus id factura erat ſuo videlicet populo. Qui ſenſus ſi obtineat, Samſon intelligi nequit, quippe cui ſimiles judices reliquæ tribus omnes non habebant. Quid enim attinebat dicere, vel, tribus Iſrael omnes futuras unum populum, vel, judicaturum Samſonem populum ſicut David, cùm David ejusmodi, qualis Samſon, judex haud fuerit, neque ratio conſtet, cur præ cæteris David comparetur cum Samſone. Abenezra: רמז שיהיה בעל דגל כאחד בני הגבירות והנה היה כקצין על כל עם מהשפחות *Innuit eum ore dominum vexilli uti unus ex filiis herarum. Et ecce fuit inſtar principis ſuper omnem populum ex ancillis prognatum.* Non aliud igitur ſibi volunt verba Patriarchæ, quàm, futurum eſſe, ut Dan ex ancillæ thoro natus peculiarem tribum conſtituat, æquè ac reliqui filii ex legitima conjuge ſati quisque tribum propriam conſtituet. Itaque judicandi munus intelligitur ordinarium illud, quo in unaquaque tribu & ex ea eligebantur, qui jus dicerent ſuis contribulibus, capita tribuum, qualia ſingulæ tribus habebant.

IV. Singularis de Dane prophetia ſequitur. v. 17. יהי דן נחש עלי דרך שפיפון עלי ארח הנשך עקבי סוס ויפל רכבו אחור *Erit Dan ut ſerpens juxta viam, ut ceraſtes juxta ſemitam, mordens calcaneos equi, & cadet ſeſſor ejus retrorſum.* Ubi pro שפיפון עלי ארח Græci Interpretes habent ἐγκαθήμενος ἐπὶ τρίβου, *ſedens in ſemita.* Sed ſerpentem indigitari, verborum Jacobi contextus planè indicat. De ſpecie tantùm ambigitur, Jonathan explicat רישי חיוין *præcipuus ſerpentum*: Onkelos פתנא *aſpidem*, quem ſequuntur Tigurini: Hieronymus *ceraſten*: Junius *acontiam*: Schindlerus *viperam*: Caſtalio, Itali, Galli, Angli *colubrum.* Sed ceraſtem omnino intelligi liquet, quòd ea quæ de eo ſerpente Jacobus memorat, non alii magis quàm ceraſtæ competunt. Solet enim ceraſtes propè viam inſidiari viatoribus, in arenis maximè & rotarum orbitis, eſtque ejus morſus tum hominibus tum brutis lethifer. Eſtque difficillimum, ejus inſidias evitare, quia cùm ſit arenæ concolor, calcatur ab imprudentibus, quos ille viciſſim remordet. Teſtimonia ejus rei ex Nicandro, Æliano & Diodoro recitat CL. Bochartus *Hierozoic. p.* II. lib. III. 12. Factum hinc, ut olim

Digitized by Google

Æthiopiæ partem Ægypto ſubjectam prorſus hi ſerpentes deſolaverint, uti Diodorus meminit lib. III. Eodem facit verſio Arabica. Uterque enim Arabs reddit מערן à ערן *cornu*. Unde etiam Arabibus ערן eſt *limax cochlea*, ob cornicula nempe duo, quibus iter prætentat, cùm oculorum uſu careat. Pari ratione ceraſtes מערן *cornutus* dicitur, quia cornicula ſimilia cochleæ habet. Ælianus: ὑπὲρ τοῦ μετώπου κέρατα ἔχει δύο, καὶ ἔοικε τοῖς κοχλίου τὰ κέρατα, οὐ μὴν ἐςὶ ὡς ἐκεῖνα ἁπαλά. *Super frontem habet duo cornua cochleæ cornibus ſimilia, quamvis non æquè mollia.* Bellonius vocat *parvas eminentias inſtar granorum hordei, quæ cornicula referunt*. Cumque ſimiles ſint ceraſtes & hæmorrhous, utrumque ſerpentis genus voce שפיפן notari, non malè colligit idem Bochartus. Derivari autem ipſa hæc vox poteſt commodè à שפף *claudicare*, unde שפף *claudum* notat. Unde etiam Thalmudicis tam שפי quàm שפיפן pro claudo uſurpatur. Nempe ceraſtes claudicantis in morem, dubio greſſu fertur, & utrumque latus titubans. Cauſa eſt in dorſi ſpinis, quæ non oſſeæ, ut in reliquis, ſed cartilagineæ ſunt, & in utramque partem ita flexiles, ut nulla ſit in inceſſu firmitas.

V. Hanc quoque ſingularem prophetiam de Dane ad Samſonem, Danitarum clariſſimum, referunt Hebræi, & ex Chriſtianis non pauci. Onkeloſus multis verbis id circumſcribit. *Erit vir*, inquit, *qui eligetur & conſurget de domo Dan, cujus timor irruet ſuper populos, & percutiet fortiter Philiſtæos, quaſi coluber: aſpis inſidiabitur juxta ſemitam, interficiet robuſtos caſtrorum Philiſtinorum equites cum peditibus: enervabitque equos & quadrigas, & dejiciet aſcenſores eorum retrorſum.* Et diſertis verbis Hieroſolymitana paraphraſis והוא שמשון בר מנוח *Is eſt Samſon Manoa filius.* Verum ſanè eſt, Samſonem nunquam apertè & juſto prælio cum hoſtibus ſuis conflixiſſe, ſed ſerpentino aſtu iis plurimum nocuiſſe. Neque tamen in hac prophetia unius hominis ingenium prædicitur, ſed potiùs totius tribus mos & agendi ratio. Neque etiam cum equitibus & quadrigis Philiſtæorum Samſoni negotium unquam fuiſſe, conſtat. Putem igitur, cum ſerpente & ceraſte comparari Danitas, ſeu totam tribum Dan tum ratione ſitus, quem in terra Canaan ſortitura erat: tum ratione ingenii ejus tribus. Ratione ſitus, quia ei ſedes obventura erat *juxta viam & ſemitam*, hoc eſt, in extremis terræ Canaan finibus. Cumque propter habitationis hujus rationem eventurum fuerit, ut ad defendendum ſe, vel ad opprimendos finitimos, inſidiis & aſtu uteretur, hinc factum, ut ſcitiſſimè compararetur cum ſerpente & ceraſte ex inſidiis homines ac jumenta infeſtante. Exemplum ejus rei habemus Jud. XVIII. 27. ubi Danitæ

nitæ Laiſitas incautos adoriuntur. Qualem aſtum & ſtratagemata in juſto bello licita eſſe, alibi oſtendimus. Facilè hic locum concedo etiam Samſonis aſtutiæ, Philiſtæos & robore & aſtutiâ ſuâ contundentis. Nempe is vafro totius tribus Daniticæ ingenio uſus, præclara illa facinora patravit.

VI. Hæc interpretatio cùm ſimplex & plana ſit, mirum eſt, vetuſtos Patres plures eam in ſententiam induci potuiſſe, ut crederent, Antichriſti ex tribu Dan oriundi prædictionem hiſce verbis contineri. Ita enim ſentiunt Irenæus lib. v. cap. ult. Ambroſius de benedictionibus Patriarcharum cap. 7. Auguſtinus in Joſuam quæſt. 22. Theodoretus in Geneſin quæſt. 109. Hippolytus Portuenſis erat. de conſummatione ſeculi; Proſper lib. de Promiſſ. & Prædict. p. 4. Gregorius Moral. cap. 18. & cum his plures alii, quos avidè ſequuntur Papiſtæ plerique. Auſi tamen ſunt Oleaſter & Abulenſis eam expoſitionem tanquam anilem fabulam contemnere ac deridere. Quin & Boulducus *de Eccl. ante legem lib.* III. 12. eam refutat tribus argumentis. Primò quia Jacobus non benedixerit filiis ſuis, niſi poſtquam exemit eos, quos indignos judicavit benedictione, nimirum Rubenem, Simeonem & Levi: poſt quam excluſionem aliis nonniſi fauſta & honorifica prædixerit. At contumelioſiſſimum fore tribui Dan, ſi ex ea oriundus eſſet Antichriſtus homo peccati. Secundò quia Jacob in benedictionibus ſuis tanquam hilaris dator plerumque utatur paranomaſiâ, præſertim in maximis & momenti alicujus benedictionibus, utpote Judæ, Joſephi. Atque hoc ipſum ab eo quoque obſervari in benedictione Danis. Tertiò quia, cùm prima pars benedictionis hujus de Samſone juxta pleroſque intelligi debeat: veriſimile non ſit, alteram benedictionis partem ita eſſe infauſtam, ut de aliis intelligi debeat. Sed argumenta ea parum ſolida ſunt. Illud potiùs argumentum prompſiſſet, quòd Antichriſtus dicatur ab Apoſtolo ſeſſurus in Templo Dei. Non igitur vel Judæus in genere, vel Danita in ſpecie eſſe potuit. Deinde Apoſtolus Antichriſtum deſcribit, tanquam apoſtaſiæ univerſalis caput 2 Theſſ. II. 3. Proinde membra Antichriſti ſunt apoſtatæ à vera fide Chriſti, quales non ſunt Judæi, qui nunquam fidem Chriſti receperunt. Præterea nec moribus Antichriſti, qualem Pontificii deſcribunt, convenit deſcriptio illa tribus Danis. Etenim Antichriſtum futurum ajunt fortem bellatorem, qui apertè bella ſit moturus, miracula patraturus, tres Reges deleturus, per vim Regnum occupaturus, ſeptem Regibus potentior futurus &c. At tribui Dan non vis aperta, ſed dolus, ſed mera vaſrities tribuitur. Denique figmento huic validiſſimè repugnant Græca & Vul-

Digitized by Google

gata verſio, quæ utraque verba Jacobi ſenſu optativo convertit. Græca: Γενηθήτω Δὰν ὄφις ἐφ᾽ ὁδοῦ, ἐγκαθήμενος ἐπὶ τρίβου. *Fiat Dan coluber in via, conſidens in ſemita.* Vulgatus quoque: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* At veriſimile non eſt, Jacobum optâſſe, ut ex ſtirpe ſua oriatur Antichriſtus. Quid verò moverit S. Patres, ut verba hæc Jacobi interpretarentur de Antichriſto, proclive equidem divinatu non eſt. Equidem præjudicata iis erat opinio, Antichriſtum Judæum futurum, & à Judæis recipiendum. Cùm igitur ſerpentis hîc & ceraſtæ fiat mentio, ad nullam tribum aptiùs referri poſſe putârunt Antichriſtum, quàm ad tribum Danis.

VII. Boulducus etiam ſingularem hic interpretationis viam inivit. Rejectâ enim illâ de Samſone & Antichriſto ſententiâ, prophetiam Jacobi explicat de æneo ſerpente erecto à Bezeleele, quem è tribu Dan fuiſſe colligit ex Exod. xxxv. 34. necnon de crucifixione Chriſti, cujus typus æneus ſerpens fuit. *Serpens*, inquit, *aſpectus ab Iſraelitis equi hujus, ſeu exitioſorum vulnerum, mordebat ungulam, & aſcenſor ejus mors cadebat retrorſum & vim ſuam amittens. Hoc autem fiebat in itinere, quo Iſraelitæ ex Ægypto ad terram promiſſionis pergebant, & in ſemita. Cùm autem iſte ſerpens æneus expreſſiſſima eſſet Chriſti crucis imago, ideo Jacobus dulciſſimi hujus noſtræ ſalutis myſterii contemplatione raptus, fauſtam benedictionem his verbis per apoſtrophen ad Deum terminat: Salutare tuum expecto Domine.* de Eccl. ante legem lib. III. 12. Cæterùm nec hæc expoſitio prophetiæ Jacobi ſolida eſt. Primò enim Bezeleelem æneum ſerpentem feciſſe, vel ex tribu Dan oriundum fuiſſe, frivola conjectura eſt nulla vel probabili ratione ſuffulta. Secundò prophetia de tota tribu Dan, non de ſingulari aliquo Danita loquitur. Tertiò tribus Dan confertur cum ſerpente ut ſimilis, non ſerpentis alicujus faber inducitur. Quartò ſerpens æneus non fuit שפיפון *Ceraſtes*, ſed שרף Num. xxi. 8. hoc eſt, *Hydrus* vel *Cherſydrus*, uti fusè probatum à Bocharto *Hieroz. p.* I. *lib.* III. 13. Hydrus autem non in via publica, ſeu terreſtribus locis inſidiatur, ſed in aquis potiùs naſcitur & educatur.

VIII. Sicut Prophetæ plerumque promiſſiones rerum temporalium mentione injecta ſpiritualium rerum interrumpunt & diffindunt: ita hoc ipſum à Jacobo quoque Patriarcha factum videmus. Claudit enim benedictionem Danis hiſce verbis: לישועתך קויתי יהוה *ſalutare tuum expectavi ô Jehova!* v. 18. Græci: τὴν σωτηρίαν περιμένων τοῦ κυρίου, *ſalutare expectans Domini*, ſubaudi, *Jacobus.* Qui ad Samſonem præcedentia retulerunt, variè ſe torquent, quomodo hæc cum iis verba necti valeant.

leant. Alii enim dicunt, Jacobum defixum in conſideratione fortitudinis Samſonis, veniſſe in eam opinionem, quòd is Meſſias futurus eſſet, mox autem ſe correxiſſe hac ſententia, quâ alium Salvatorem expectandum pronunciaverit. Sed hoc indignum fuiſſet Propheta afflato à Spipitu S. Alii per ישועה ſalutare quosvis Salvatores intelligunt, quaſi videlicet diceret Patriarcha, quandoquidem ad ſalûtem Iſraelis talem defenſorem Samſonem videlicet miſſurus ſit, quidni aliâs etiam in anguſtiis conſtitutus populus Iſraeliticus ejusmodi Salvatores expectet? Alii denique à Samſone, qui erat figura Chriſti, repente more prophetico ad Chriſtum tranſiliiſſe putant. Sanè etiam vetuſti Paraphraſtæ, Onkeloſus in editione Complutenſi, Jonathan & Hieroſolymitanus de Meſſia diſertis verbis explicant. Qui verò de Anti-chriſto interpretati ſunt verſum 17. in verſu ſequente fingunt jam tranſitum ab Antichriſto ad Chriſtum, liberantem videlicet poſt breve tempus ſanctos ſuos per cædem Antichriſti, ſive judicem venientem, ut reddat ſanctis ſuis pro laboribus & perſecutione, quam paſſi ſunt, mercedem. Sed figmentum de Antichriſto jam ſupra eliſimus.

IX. Junius & Tremelius verba illa Jacobi ſic convertunt: *In ſalutem tuam expectavi Jehova.* Quaſi videlicet eſſent verba Jacobi ad Dan filium ſuum ſive tribum ipſius. Quaſi diceret: Graviter opprimeris, adeóque graviter, ut nonniſi divinitus ab oppreſſionibus ſervari poſſis: quod futurum certa ſpe amplector. Salute igitur à Jehova opus habuiſſe duobus nominibus, primò, quod ad terrenam hæreditatem attinet. Conſtat enim ex Judic. I. 34. eam tribum ab Amoræis valde fuiſſe preſſam, eamque poſtremam inter tribus ad hæreditatem ſuam, ac potiùs habitationem magnis laboribus perveniſſe Joſ. XIX. 47. & Jud. XVIII. Secundò quod ad religionem, quia tribus Dan prima à puritate illius defeciſſe legitur. Abundet ea expoſitione non incommoda, qui volet. Mihi ſane veriſimile fit, Jacobum ſpiritu providentem tribuum tum variam agitationem tum & defectionem, ſpem ſuam & fidem ſuam in verum Salvatorem hiſce verbis teſtari voluiſſe. Poteſt enim ישועה poni pro *Salvatore*, ſicut pro eodem ponitur σωτήριον Luc. II. 30. *Viderunt oculi mei τὸ σωτήριόν σου ſalutem tuam vel ſalutare tuum.* Cùm igitur tribus tum Danis, tum reliquarum agitiones, pericula & viciſſitudines ſpiritu providerit, ille teſtari voluit, non tam ſe confidere poſteritatis ſuæ felicitati, quàm ſaluti ſibi fidelibusque omnibus in Chriſto Salvatore ſuo repoſitæ. Quomodo David 2. Sam. XXIII. 5. ait: כל ישעי וכל חפץ כי לא יצמיח *Omnis* SALUS *mea & omnis complacentia, ſi non germinaverit domus mea.* Notare etiam

Digitized by Google

videntur hæc verba, ſalutem incepturam eſſe ab illis partibus, in quibus habitaturus erat Dan. Quod etiam Zacharias teſtatur cap. XII. 7. & clariùs Eſaias cap. VIII. 23. IX. 1. Complementum vide Matth. IV. 13, 14, 15, 16, 23.

SECTIO VIII.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA GADIS.

Breviarium.

Benedictio prophetica Gadis. Ejus paranomaſia. Verſio tum Vulgati tum Græcorum Interpretum. πειρατήριον. λόχος. 1. *Chaldæi Paraphraſtæ expoſitio ventilata.* 2. *Genuina ejus verſio.* גדוד *globum armatorum ſignificat.* עקב: *Senſus oraculi exponitur. An in Joſepho impletum ſit?* 3.

I. Benedictio prophetica Gadis paucis paranomaſticis verbis concepta ſic ſonat v. 19. גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב Perpetuæ paranomaſiæ, ſeu, ut Abarbanel vocat, לשון נפל על לשון *voces cadentes ſuper voces.* Vulgatus ita ea verba reddidit: *Gad accinctus præliabitur ante eum: Et ipſe accingetur retrorſum.* Alii aliter. Græci: Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν. Αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτὸν κατὰ πόδας. *Gad tentatio tentabit eum. Et ipſe tentabit eum ſecus pedes.* Aliter tamen Græca ea convertit Hieronymus in Quæſt. Hebr. *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & ipſe latrocinabitur plantam.* Etſi vox Græca πειρατήριον potiùs *globum* ſeu *excurſionem piratarum* notet, uti etiam in loco Job. XIX. 12. ὁμοθυμαδὸν δὲ ἦλθον τὰ πειρατήρια. *Unanimiter venerunt globi, excurſiones piratarum.* Heſychius: πειρατήριον. Τόπος λῃστῶν, *locus latronum.* Symmachus reddit λόχον *cohortem.* Lexicon vetus: λόχος, παράταξις. *turma.* Eadem vox inſidias etiam denotat. Idem Lexicon vetus: λόχος, ἐνέδρα, *inſidiæ.*

II. Chal-

II. Chaldæus Paraphraſtes Onkeloſus neglecta verborum ratione, ad hiſtoriam, ad quam referenda hæc putavit, accommodat. Sic enim reddit: מִדְּבֵית גָד מַשִׁרְיָת מְזַיְנִין כַּד יְעַבְרוּן יָת יַרְדְּנָא קֳדָם אֲחֵיהוֹן לִקְרָבָא וּבְנִכְסִין סַגִיאִין יְתוּבוּן לְאַרְעֲהוֹן: *Caſtra armatorum de domo Gad tranſibunt Jordanem, ad prælium coram fratribus ſuis; & cum multa ſubſtantia revertentur in terram ſuam.* Reſpicit ad narrationem Num. XXXII. de terra Jazheris & Gilhadis cis Jordanem eis ad habitationem decreta hac lege, ut expediti eſſent ad juvandos fratres, donec omnes quietam poſſeſſionem vindicaturi ſibi erant. Id quod impletum legimus Joſ. IV. 12, 13. Ita etiam Jarchius, Abenezra, Hieronymus aliique. Itaque ei גדוד notat *caſtra armatorum*, & עָקֵב *reditum* in terram ſorte ipſis aſſignatam. Non conſtat tamen ratio, cur, quod commune fuit tribui Rubenis, dimidiæ Manaſſis & Gadis in prophetia hac uni Gadi tribuatur. Quin potiùs ſicut reliquis tribubus proprium ac eximium quidpiam benedictio Patriarchæ aſſignat, Gadi idem factum cenſeri debet.

III. Non putamus גדוד aliam notionem habere, quàm *globi* vel *turmæ* militaris, adeoque *ἐζωνων amictorum*, uti etiam Aquila & Vulgatus expoſuêre. Neque abludunt Syrus & Arabs, quorum ille גיסא *cuneum*, hic כרדוס *exercitium* reddidit. Vox autem extrema עָקֵב quæ propriè calcaneum ſignificat, impropriè finem, metam, terminum, hoc loco abſolutè poſita adverbii rationem habet, & *tandem* commodè ſignificat. Sic igitur ad verbum reddi prophetia appoſitè poterit: *Gad globus* armatorum *ſuperabit eum: & ipſe ſuperabit tandem.* Senſus eſt, tribum illam in finibus futuræ hæreditatis collocatam, gentium incurſionibus infeſtandam & vexandam eſſe. Futurum nihilominus eſſe ut bellis aſſueta tandem hoſtes ſuos affligat & quieta maneat. Sic igitur partim Gaditas terret, ne viribus ſuis confiſi ſuperbiant, ſed comparent ſe ad exantlandas ærumnas, quibus eos humiliare volet Dominus; partim eos hortatur ad tolerantiam & erigit ſolatio, eò quòd futurum ſit, ut ab oppreſſione emergant, & de hoſtibus ſuis triumphum agant, ſed nonniſi in fine. Inſtar exempli eſſe poteſt hiſtoria, quæ extat 1. Chron. V. 18, 19, 20. An verò eodem referenda ſit hiſtoria Jephtæ, qui fuerit primò dux latronum, tum electus dux ab Hebræis expeditiùs pugnaverit contra Ammonitas, uti quidem Cajetanus putavit, incertum eſt, quia eum fuiſſe Gaditam non conſtat. Probabilius cenſet Pererius, eum ex tribu Manaſſis oriundum fuiſſe.

Digitized by Google

SECTIO IX.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA

ASCHERIS.

Breviarium.

Aſcheris benedictio Prophetica. שמנה *quò referendum? Paraphraſtæ Chaldæi expoſitio. Quid* מעדני מלך*? Dapes Regales. Benedictionis illius præſtantia unde æſtimari debeat?* 1. *Prophetiæ eventus. Fertilitas ſoli, quod obtigit tribui Aſcher.* 2.

I. Aſcheris benedictio ſic habet v. 20. מאשר שמנה לחמו והוא יתן מעדני מלך *Aſcher pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Neque aliter Græci. Thargum Onkeloſi: דאשר טבא עדעיה והוא מרביא בתפנוקי מלכין *Terra Aſcher optima erit. Et ipſe enutrietur deliciis Regum.* Optimè שמנה refert ad terram Aſcheris, non ad לחמו *panes ejus*, uti faciunt Vulgatus, Græci & Arabs. Illud enim fæmininum, hoc maſculinum eſt. Poſterior autem pericope Chaldaica parum convenit Hebræo textui, in quo non Aſcher enutriendus deliciis Regum, ſed ipſe daturus delicias Regum dicitur. Niſi forte תפנוקי מלכין notat delicias Regiis ſimiles, quomodo id ipſum quoque notant מעדני מלך. Nempe ea quæ præſtantia, exquiſita & excelſa ſunt, *regia* appellari mos eſt. Ita *Regales dapes* Latini dicunt. Fertilitates igitur terræ Aſcher, deliciis abundaturæ prædici manifeſtatum eſt. Si quis objiciat, exiguum eſſe, pane ſapido & delicato veſci; is conſiderandus eſt finis, ob quem data hæc hæreditas, ut nimirum inde agnoſcerent, paterna Dei cura ſe paſci, & longè præſtantiora ſub his velut involucris iis promiſſa eſſe.

II. Prophetiæ eventus intelligi poteſt, ſi ſedes hujus tribus ipſi ſorte aſſignata cogitetur. Nempe tribus Aſer partem ſuam occupavit citra Jordanem ad mare magnum, occupavitque totam regionem à Sidone uſque

ad

Digitized by Google

ad Carmelum maris, quæ in longitudine viginti milliarium ſpatium continuit; in latitudinem verò à mari mediterraneo per novem milliarium ſpatium extenſa fuit, uſque Aſer nempe & Naaſum. Eam porro terræ portionem fuiſſe fertiliſſimam, pinguiſſimam, vino, oleo, ac imprimis optimo tritico fœcundiſſimam, ex topographia liquere poteſt.

SECTIO X.
DE
BENEDICTIONE PROPHETICA
NEPHTHALI.

Breviarium.

Benedictionis Propheticæ Nephthali formula. 1. Jonathanis, Onkeloſi & Hieroſolymitanæ paraphraſtæ verſio perſtringitur. Figmentum geminum de velocitate Nephthali eliditur. 2. An cum cerva dimiſſa comparetur Nephthali, quia ſe intrepidè & incunctanter demiſſurus in cuneos hoſtium? R. Levi ben Gerſon, aliique cum eo Chriſtiani Interpretes malè Prophetiam explicant de Baraco & Debora utroque victore Siſeræ & hac authore Cantici. 3. Boulduci aſſertio, quòd cum cerva dimiſſa comparentur Cinæi, religioſa nimirum ſodalitas eadem cum Rechabitarum ordine exploditur. Fuerintne Nephthalitæ diſertiores reliquis Judæis? 4. Lectionis Hebraicæ Prophetiæ illius veritas defenditur adverſus Bochartum. Nephthalitarum fæcunditas. Eorum in ultimo oriente reliquiæ. Solum Nephthalitarum fertiliſſimum. Græca, Arabis & Onkeloſi interpretatio. 5. Bocharti argumentis occurritur. 6. Maſii interpretatio de libero & felici Nephthalitarum ſolo expenditur. אמרי שפר *non ſunt præcoces fructus. 7. Cum* אילה שלוחה *cerva dimiſſa comparantur Galilæi, Capernaitæ, utrique Nephthalitæ, ad Chriſtum euangelizantem concurrentes.* הנתן אמרי שפר *dans eloquia pulchritudinis eſt Chriſtus euangelizans.* 8.

I. Ad benedictionem propheticam Nephthali progredimur. Ea *συναλίβδλω* ita habet: נפתלי אילה שלחה הנתן אמרי שפר *Nephthali cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.* verſ. 21. Sic vulgatus. Eſt tamen אילה שלחה fœminini generis, adeoque *cervam emiſſam*, quomodo etiam Arabs exponit, ſignificat.

II. Hebræorum doctiſſimi Nephthali cum cerva emiſſa comparari volunt, eò quòd eſſet velociſſimus. Jonathanis paraphraſis in hunc verſum ita incipit: נפתלי עזגד קליל דמי לאילא דרהיט על שיניטוריא מבשר בשורן טבן *Nephthali eſt ἀσγάνδης* (hoc eſt, nuntius) *levis, ſimilis cervo, qui currit per ſcopulos montium, nuntians bona nuntia.* Sequitur: *Is nuntiavit Joſephum adhuc eſſe in vivis. Idem accinctus eſt, ut iret in Ægyptum, & attulit contractum emptionis agri duplicis, ne Eſau in eo partem haberet. Et cum aperiebat os ſuum in congregatione Iſraelis ad laudandum, elegantiſſimis verbis agebat.* Ita etiam Hieroſolymitanus Interpres. Nephthali igitur cum cerva emiſſa comparari volunt, eò quòd fuerit velociſſimus. Cumque res hæc incerta ſit, duas commenti ſunt fabulas. Unam cùm Joſephi fratres, eo agnito, redierunt in terram Canaan, Nephthalim reliquis fratribus expeditiorem, eos prævenisſe, & Jacobo primùm annuntiâſſe, ſuperſtitem adhuc eſſe Joſephum. Alteram pluribus explicat R. Eliezer capitulo 39. Summa huc redit, tum cùm Joſephus ex Ægypto cum fratribus in Judæam aſcendit, ut patrem ſepeliret, in ſpelunca duplici, tum pio conſilio, ſe Eſavum oppoſuiſſe hoc prætextu, quòd ſua eſſet ſpelunca Macpela. Quem ut refelleret, Nephthalim miſſum eſſe in Ægyptum, ut inde afferret emptionis inſtrumentum, ex quo Eſavum appareret ſpeluncam illam Jacobo vendidiſſe: cumque hoc iter breviſſimo tempore confeciſſe. Sed utraque narratio eſt ſomnium ex eburnea quercu. Moſis enim in hiſtoria de ea ne *γρῦ* quidem extat. Neque etiam certum id eſt, Nephthalim facundi ſermonis, præpolluiſſe fratribus, aut linguam habuiſſe חלי כדבשא *dulcem ut mel*, uti Hieroſolymitana verſio habet. Quis enim id docuit Interpretes eos, Nephthali Jacobi filio, juniores annis ferè bis mille?

III. Alii cum *cerva emiſſa* comparari Nephthalim docent, quia ſe intrepidè & incunctanter in cuneos hoſtium demiſſurus eſſet. Atque huc referunt hiſtoriam Siſeræ devicti à Baracho, ex tribu Nephthali. Quem Barachum initiò cervum fuiſſe dicunt ob timiditatem, ſed tandem evaſiſſe in leonem. Baracho quoque convenire אמרי שפר *eloquia pulchritudinis*, ob canticum ſeu *ἐπινίκιον*, quod unà cum Debora cecinit Judic. v. At Hebræorum etiam quorundam hæc ſententia fuit. Ita Abenezra:

ויא

ויא' שאילה רמז לדבורה הנותן אמרי שפר רמז לשירה ברק עמה: *Eſt qui dicat, cervam ſignificare Deboram: verba verò,* quæ dat eloquia pulchritudinis, *ſignificare canticum, quod cum ea Baracus cecinit.* R. Levi Ben Gerſon: *Barac,* inquit, *cum eſſet Nephthalita, natus urbe Cedes facilè atque expeditè tanquam cerva mitti ſe paſſus eſt à Debora in expeditionem adverſus Siſeram, ut eſt in libro Judicum ſcriptum, ac deinde unà cum Debora triumphans edidit ore verba illa elegantiſſima atque ſuaviſſima, quæ in epinicio carmine leguntur.* Hanc verò expoſitionem *ineptiſſimam* meritò vocat Maſius. Quis enim tam inconſideratus eſt, ut exiſtimet auguſtiſſimam illam Patriarchæ de Univerſa poſteritate Nephthali prædictionem unius hominis victoria, paucisque decantatis verſiculis confectam atque exhauſtam eſſe? Deinde ipſa narratio ſacra minimè promptum proſiluiſſe Baracum ad eam expeditionem apertè teſtatur, ſed tergiverſatum eſſe, neque mandatis Dei, quæ à Deo perceperat, niſi illa ſe periculi ſocium adjungeret, obtemperare voluiſſe, ob quam rem etiam victoriæ gloria ipſi à fœmina eſt prærepta. Quid quòd Canticum illud à Debora potiùs, quæ ex Joſepho prognata fuiſſe videtur, quàm à Baraco Nephthalita cantatum fuit?

IV. Boulducus fuſè prophetiam hanc explicare conatus eſt *de Eccl. ante legem lib.* III. 17. Summa huc redit, cum *cervo* comparari filios Dei ſeu Cinæos, quorum primus archimandritæ ſedem habuerit in civitate Emath ſeu Epiphania, in tribu Nephthalim ſita. *Quonam enim,* inquit, *aptiori nomine poſſet donare filios Dei ſeu Cinæos, quàm cervorum? Qui per contemplationem montes affectant?* Montes excelſi cervis, *& per prædicationem agilitate præſtant:* Vox Domini præparantis cervos Pſ. 28. 9. *Iſte cervus primis temporibus ex Emath in Jabes Galaad, poſterioribus autem per obedientiam emiſſus fuerat ab Hobab cognato Moſis ex Hierichuntinis tabernaculis, ſub Heberis moderamine in quercetum Sennim Nephthalinæ ſortis: exinde multiplicatus quàm pulchra, quàm facunda, quàm venuſta &c. protulit eloquia maximè per Eliam, Eliſæum & alios eorum diſcipulos?* ſed figmentum illud de Cinæis, hoc eſt, fidelium religioſorum ac Prophetarum quorundam ordine, quem eundem facit cum Rechabitarum ſed aliter, alibi explodimus. Sanè eos Moſes Gen. x. 19. inter Canaanæas gentes, non religioſarum ordines numerat. Fuerant etiam incolæ terræ Canaan, ante adventum Iſraelitarum. Quo tempore vera religio in ea terra planè exulabat. Neque Nephthalitæ fuerunt, ſed in ea parte terræ Canaan ſiti, quæ poſtea tribui Judæ ceſſit. Falluntur etiam, qui ex prophetia hac colligunt, Nephthalitas fuiſſe aliis Judæis diſertiores. Etenim in illa

Digitized by Google

tribu nullæ fuerunt ſcholæ celebres, nec ulla inſignis urbs, nec Prophetarum quiſquam inde vitam duxiſſe legitur. Nam quod de Elia & Eliſæo habet Boulducus, aſſertio eſt temeraria, cùm Eliam fuiſſe Theſbitam, adeoque ex tribu Gad oriundum, nemo ignoret. Fruſtra etiam apud Hieronymum Hebræi objiciunt Scholam Tiberiadis, quæ in Zabulonis, non Nephthali, ſorte fuit, & erecta eſt poſtremis ſeculis, quibus Galilæa, quam olim illa tribus occupaverat, ſermonis fuit ita impuri, ut incolas eo nomine Hieroſolymitani deriſerint, uti multis probat doctiſſimus Buxtorffius ex Thalmudico tractatu Erubin. cap. 5. fol. 53.

V. CL. Bochartus animadvertens, parum congruere pleraſque, quæ afferuntur, Prophetiæ hujus interpretationes, ſublatis punctis Maſorethicis ita eam reddit, *Nephthali eſt ut arbor ſurculoſa, edens ramos pulchritudinis*, hoc eſt, egregios & ſpecioſos. Nempe אלה vel Jod inſerto אילה notat *arborem*. Et שלוחות Eſai. XVI. 8. ſunt *ſurculi* vel *propagines*, à ſingulari שלוחה. Proinde אילה שלוחה reddi poſſe *arborem ſurculorum*. Et אמרי שפר notare poſſe *ramos pulchritudinis*, ſi אמרי ſit pro אמירי ſuppreſſo Jod quieſcente. Hoc poſito cauſas affert, cur ea verſio receptæ ſit præferenda. Primò quia in recepta, *Nephthali eſt cerva emiſſa* &c: duo hemiſtichia inter ſe non cohæreant, cùm cervæ proprium non ſit pulchra eloqui: imò nec ſatis conſtet, quid ſit *cerva emiſſa*, quia cerva ſemel capta non ſoleat emitti. At ſi vertas eo, quo ipſe dixerat modo, fore ut omnia bellè quadrent. Secundò quia cum dici vix poſſit, quid Nephthali habeat ſimile *cervæ emiſſæ*, aut cur illi tribuantur *eloquia pulchritudinis*, id eſt ſermonis elegantia: minimè tamen obſcurum ſit, cur idem cum arbore ramoſa & fœcunda comparetur. Ita enim ſæpe fideles cum arbore fœcunda conferri, veluti Pſal. I. 3. XCII. 13. Eſai. LXI. I. Proinde verſu ſtatim ſequente Joſephum etiam comparari cum ramo fœcundo. Nephthali autem ramoſæ & ſurculoſæ arbori ſimilem fuiſſe propter fœcunditatem, cujus ratione licet ceſſerit fratrum nonnullis, tamen prodigioſum id fuiſſe, quòd cùm nonniſi quatuor liberos in Ægyptum deduxiſſet, Gen. XLVI. 24. in exitu poſt annos 215. cenſita ſint in illa tribu virorum, qui viginti annos exceſſerunt, plus quinquaginta millia, Num. I. 41, 42. Quin & ex iis ortam credi in ultimo Oriente Nephthalitarum magnam gentem, de qua Agathias libro quarto, & ex recentioribus Schikhardus *de Regibus Perſicis* pag. 131. &c: ubi multis contendit, hos Nephthalitas eſſe Judæorum reliquias de tribu Nephthali, quos Tiglath Pileſer Aſſyrius ea in loca traduxerat. 2. Reg. XV. 29.

Quin

Digitized by Google

Quin etiam potuiſſe Nephthali fœcundæ arbori comparari ratione ſortis illi conceſſæ. Fuiſſe enim eam in ſolo longè fertiliſſimo, uti liquet ex Galilææ, cujus magna pars Nephthalitis obtigerat, deſcriptione apud Joſephum *de Bello Judaico lib.* III. 2. Denique interpretationi ſuæ fidem facit ex verſione Græca, Arabica, & Chaldaica Onkeloſi. Et Græci quidem Interpretes ita habent: Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. *Nephthali virgultum reſolutum, dans in generatione pulchritudinem.* Arabs: נפתלי טניר מנעברה העצי המרר חפנרה *Nephthali ut arbor egregia, quæ bonum fructum fert.* Onkeloſus: נפתלי בארעא טבא יתרמי עדביה ואחסנתיה תהא מעבדא פירין *Nephthali in terra optima cadit ſors ejus, & poſſeſſio ejus erit fructifera.*

VI. Hæc quamvis ſpeciem nonnullam habeant, recipi tamen ob lectionis Hebrææ novitatem minimè poſſunt. Hac enim licentia uſus aliquis quidvis in alios ſenſus permutare poſſet. Deinde שלוחה, nuſpiam ponitur pro *propagine*, ſed שלח. Neque etiam אמרי ſed אמירי *ramos* denotat. Accedit, quòd ſub recepta lectione ſenſus ſatis commodus intelligatur, uti poſtea videbitur. Neque argumenta contraria ſolida ſunt. Etenim ſi Nephthali cum *cerva emiſſa* comparari, & ſubjectum oſtendi poterit, cui commodè *eloquia pulchritudinis* tribui poſſint, ſatis duo illa hemiſtichia cohærebunt. Aliâs ejuſdem verſus hemiſtichia ſenſu non ſemper cohærent, uti exempla plurima, præſertim in propheticis fidem faciunt. Quid ſi cum arbore ſurculoſa comparetur Nephthali, nihil peculiare rei tribuetur. Fœcunditas enim & multiplicatio ejuſmodi non uni tribui propria fuit, ſed communis omnibus. Promiſſio quippe de multiplicando ſemine Abrahami tribus non diſtinguit. Interpretes verò Græcum, Arabem & Chaldæum, quod attinet, illi ſenſum potiùs quàm verba Hebraica expoſuerunt. Quomodo enim אילה שלוחה ad verbum στέλεχος ἀνειμένον, *virgultum reſolutum*; vel אמרי שפר τὸ κάλλος ἐν γεννήματι, *pulchritudinem in generatione* ſignificare poterit? Quomodo etiam אילה שלוחה notare poteſt ארעא טבא *terram optimam?*

VII. Andreas Maſius in Joſ. XIX. hunc oraculi ſenſum reddit, Nephthalitas in tuta atque ubere collocatos regione, exultaturos ſuavi libertate, ſimiliter atque cervæ nullis indaginibus concluſæ, ſed in amœnis herboſiſque ſaltibus liberè verſantes & paſcentes, exſultim luſuros, prætereà blandis appellationibus & humanitatis artibus gratiam ſibi conciliaturos apud omnes, ac proinde in ſumma pace divinis illis donis fruituros. Et quamvis ad extremos terræ Canaan fines apud Boream, tanquam in exilium, relegati ſorte videri poſſint, nihil tamen ipſis de-

fuiſſe earum rerum, quibus cæteræ tribus ad occidentem auſtrumque habitantes abundârunt. Tutos enim eos habitâſſe, cum à Septentione Libanum pro muro haberent, ab Oriente Jordanem, à reliquis partibus ſocios tribus. Liberè autem evagari potuiſſe, cùm ad Septentrionem & Boream nulli ſupra eos habitârint Iſraelitæ, quibus excurſionibus ſuis damnum darent. Jam verò ad commercia quod attinet, ea cum pleriſque tribubus iis facillima fuiſſe, cùm multis eſſent affines aliqua ex parte. Cum Judæis enim, à quibus videri poterant longiſſimè ſeparati, eos per Jordanem facillimè communicâſſe. Jam verò ad ſoli fœcunditatem quod attinet, eſſe eam per univerſum Jordanis tractum & Decapolitanam regionem inde ab ipſis fontibus, agrorum ubertatem, ut multorum ſcriptis ea celebrata ſit. Quòd ſi ad Tiberiadem uſque deſcendamus, quem ignorare, quæ amænitas, vilitas, copia rerum omnium fuerit in Geneſaræ oris? Ex diverſa verò parte Libani, Antilibani valles culturæ omne genus cum maximo operæ pretio compenſare. Hactenus ille. In cujus expoſitione deſiderari adhuc poſſit, quomodo Nephthali dicatur dediſſe eloquia pulchritudinis? Nam humanitatis artibus gratiam ſibi conciliâſſe, neſcio unde probari poſſit. Sunt apud Abarbanelem, quibus verbis אמרי שפר indicare videntur maturi & præcoces fructus terræ Nephthalitarum. Etiam Jarchius notat, circa lacum Geneſareth fructus admodum maturari. Cæterùm violentum id eſſe nemo non videt.

VIII. Magis igitur inclino in ἐξήγησιν, quæ prophetiam hanc explicat de iis Nephthalitis, quæ in Galilæa habitarunt, & Chriſtum Euangelizantem audiverunt. Commodè nempe ſic vertuntur verba Jacobi: *Nephthali cerva dimiſſa*, ejus, *qui dat dicta pulchritudinis* vel *decora*. Ut ita הנתן conſtruatur nec cum אלה *cerva*, cum qua propter genus non convenit: nec cum נפתלי *Nephthali*, tum propter collocationem verborum; tum quia articulus in הנתן non eſt ſupervacuus. Nempe abſolutum nomen ſæpe jungitur cum altero non in appoſitione, ſed in regimine, per ellipſin conſtructi, quod ubi plena eſt oratio, ſolet repeti. Plena igitur oratio erit: נפתלי. אילה שלוחה אילת הנתן אמרי שפר *Nephthali cerva dimiſſa, cerva ejus, qui dat eloquia pulchritudinis.* Igitur Nephthalitæ, imprimis Galilæi, eorum poſteri, ac in illis Capernaitæ concurrentes ad Chriſtum Euangelium adeoque etiam libertatem prædicantem, ſcitè comparantur cum *cerva dimiſſa*. Chriſtus verò eſt הנתן אמרי שפר *ille qui dat eloquia pulchritudinis*. Is enim eſt, *in cujus labia diffuſa eſt gratia.* Pſ. XLV. 3. Per eum gratia & veritas proceſſit Joh. I. 14. Quàm frequen-

quenter Chriſtus locutus ſit ad Galilæorum cætus, hiſtoria Euangelica docet. Rectè igitur appellantur *cerva ejus*, *qui dat dicta decoris*, quia eum ſecutæ ſunt turbæ ut dominum & paſtorem ſuum, erga quas is intimo miſerationis ſenſu affectus eſt Matth. IX. 36. *Cùm vidiſſet turbas, intimis viſceribus commotus eſt ſuper eis, quia erant diſſoluti & projecti, ut oves non habentes paſtorem.* Cerva emiſſa non curatur, non fovetur, vel alitur ab homine. Glocitat ad alveos aquarum Pſ. XLII. I. Ita Galilæi anhelarunt non tam ad aquas, quàm ad אמרי שפר *dicta decoris*, quæ animæ ſatietatem afferre poſſunt. Hanc ſententiam poſt Hieronymum, qui *tradit. Hebr. in Geneſin*, primus eam indigitavit, acceptum fero Viro Clariſſimo, & in prophetiis explicandis perſpicaciſſimo, cujus *de verbis Jacobi ultimis* Theologica diſputatio, dum hæc ſcribo, non ſine Numine ad manus pervenit.

SECTIO XI.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA JOSEPHI.

Breviarium.

Joſephi comparatio cum vite fructifera. Explicantur verba בן פרת *&c: Vulgata verſio taxata, nec non* LXX*viralis: Lectionis Hebrææ veritas contra Voſſium defenſa. Onkeloſi & Arabis conſenſus.* I. *Bella poſteritatis Joſephi cum Cananæis prænuntiata: Quid* בעלי חצים*? Quid apud Onkeloſum* בעלי פלוגתיא*? Verbum* רבו *non à* רוב *ſed à* רבה *deſcendit.* 2. *An moleſtiæ Joſepho faceſſitæ ad Potipharem, ejus uxorem, vel fratres ipſius ſint referendæ? Ad bella Cananæa pertinere oſtenditur.* 3. *Victoriæ poſterorum Joſephi à Cananæis reportatæ, eorundemque author, heros Jacobi, paſtor, lapis Iſraelis. Joſephus non eſt* רעה אבן ישראל. *Neque de ejus*

ex

ex vinculis Ægyptiorum liberatione, ſed victoriis poſterorum agi v. 24. *oſtenditur*. 4. *Benedictio poſterorum Joſephi. Quid benedictio Cœli, abyſſi, uberum, vulvæ*. 5. *Benedictio Jacobi enunciata quomodo ſuperet benedictiones majorum? Id non intelligendum de benedictione, quæ continetur* v. 25. *ſed de verbis iis, quæ ſequuntur*, עד תאות גבעת עולם *&c: Quid* תאות גבעת עולם *appetitus collium ſeculi? Variæ expoſitiones examinantur*. 6. *Appetitus collium ſeculi eſt idem, quod deſiderium gentium, Chriſtus. Prærogativa benedictionis in eo conſiſtit, quòd colles ſeculi, ſeu totus mundus ad Chriſtum convertendus, juxta vaticinium Pauli*. 7. *Quo ſenſu ea benedictio redundatura in caput Joſephi, Naziræi fratrum? Joſephus cur dictus* נזיר אחיו *Naziræus fratrum? Onkeloſi, Syri, Boulduci* παρερμηνεῖαι. 8.

I. Luculenta ſatis eſt benedictio, qua Joſephum filium chariſſimum Patriarcha proſequitur. Et primò quidem comparatur cum vite fructifera juxta fontem poſita. Sic enim orditur Jacobus v. 22. בן פרת יוסף בן פורת עלי עין בנות צעדה עלי שור *Surculus fructuoſus Joſeph, ſurculus fructuoſus apud fontem: ſurculi qui ingrediuntur ſuper murum*. Ita ad verbum ſonat prophetia. Alii tamen aliter converterunt, vel reſpicientes ad ſenſum potiùs quam verba: vel à mente Patriarchæ penitus abludentes. Vulgatus: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu: filia diſcurrent ſupra murum*. Perperam. Nam verba עלי עין *ad fontem* planè omittit. Ea autem oſtendunt metaphoram hic contineri vitis fructiferæ ad fontem poſitæ. Proinde etiam בן פרת malè vertitur *filius accreſcens*. Neque *decorus aſpectu* eſt in textu: niſi fortè voce פרת utrumque inſinuari putavit & *fructiferum* & *decorum aſpectu*. Nam à פרה *fructiferum*, à פאר decorum aſpectu notare poteſt. Sed uterque ſignificatus obtinere non poteſt. Græci haud feliciùs reddidere verba ex ſe plana: *υἱὸς ηὐξημένος Ἰωσὴφ, υἱὸς ηὐξημένος μου ζηλωτὸς, υἱὸς μου νεώτατος· Πρός με ἀνάστρεψον. Filius auctus Joſeph, filius auctus meus Zelotes, filius meus adoleſcentior: ad me revertere*. Primò quid ſibi vult *ζηλωτὸς*? Et cui in Hebræo voci reſpondet? Etenim עלי עין omnia alia ſignificat. Grotius conjicit, legiſſe eos עלין. At nec ea vox Zelotam notare poteſt. Deinde quid ſibi volunt: *υἱός μου νεώτατος· πρός με ἀνάστρεψον*. Numquid Joſephus fuit filius *νεώτατος*? Cur juſſit eum ad

Digitized by Google

ad ſe reverti? Idem Grotius ariolatur, Græcos pro בנות צעדה עלי שור legiſſe בני נער עלי שוב *fili mi adoleſcens ad me revertere.* Græcam lectionem ex Samaritano Codice defendere conatur Iſacus Voſſius, in quo ita legatur: בני צעירי עלי שור Atqui quem ſenſum Samaritanis hiſce induere poterit? Non enim vox שוב *revertere*, ſed שור *murus* occurrit. Et præcedentia Samaritani verba alium planè, quàm Græci, ſenſum habent. Præterea quòd negat, verſionem avi ſui Franciſci Junii, quam & nos ſuperiùs, utpote ſimpliciſſimam & planiſſimam poſuimus, commodum aliquem ſenſum efficere poſſe, in eo quoque minùs conſideratè ipſum agere apparebit ei, qui verba ea mediocriter expendere, & cum Joſephi fortuna, qua duobus filiis tanquam ramis ſupra muros aſcendentibus, duas tribus efficientibus, ampliſſima vitis & fructuoſiſſima factus eſt, contendere dignabitur. Quem ſenſum etiam Thargum Onkeloſi perſpicuè expreſſit his verbis: ברי דיסגי יוסף ברי דיתברך כגופן דנציב על עינא דמיא תרין שבטין יפקון מבנוהי יקבלון חלקא ואחסנתא: *Filius accreſcens Joſeph: Filius qui benedicitur quaſi vitis plantata eſt juxta fontem aquarum: duæ tribus egredientur de filiis ejus, ſuſcipientque partem & hæreditatem ſuam.* Conſignatè etiam Arabs: ויוסף אבן כתמר כיעפן מתמר עלי עין מא לה ערוק קד אמתדת עלי סור *Et Joſeph filius fructifer, veluti ramus fructifer ad fontem aquæ, habens radices extenſas ſupra murum.* Summa igitur eſt, quòd Joſephus ad creſcendum natus ſit, etiam vi nominis יוסף, inſtar vitis prope fontem ſitæ, ab irrigua terra humorem & ſuccum haurientis. Interpretantur alii, concurſum fore virginum ſupra muros, quas illexerit vitis fructiferæ conſpectus. Sed rectiùs continuâ metaphorâ, teneros ac minores ramuſculos בנות *filias* appellari haud dubitamus. Ingrediuntur autem & diſcurrunt ſurculi ſupra muros, cùm ſeſe altè diffundunt. Id quod ad duas tribus, Manaſſe & Ephraim referendum eſſe, nemo non videt. Cumque בנות plurale conſtruatur cum ſingulari צעדה poterit diſtributivè accipi pro unoquoque ſurculo, ut ſenſus ſit, Joſephum, ex cujus poſteritate duæ tribus erant oriundæ, ſimilem eſſe viti bifidæ, fonte perenni irrigatæ, & geminam ex ſe propaginem efferenti, quæ utraque longè latéque ſe diffundat, atque adeò in latitudinem & altitudinem excreſcat, ut murum ſuperet, juxta quem arbor ſita ſit.

II. Bella quoque & glorioſas victorias poſteritati Jacobi divino Spiritu Jacobus prænuntiat v. 23. 24. Et bella quidem v. 23. וימררהו ורבו וישטמהו בעלי חצים *Et exacerbârunt eum, & jaculati ſunt, odioque habuerunt ſagittarii.* Ubi pro בעלי חצים Græci habent κύριοι τοξευμάτων,

 domi-

domini ſagittationum. Malè Onkeloſus בעלי פלגותיה *viri diſſenſionis ejus*, ad verbum *diviſionis ejus.* פלג propriè eſt *dividere*, metaphoricè *rixari.* Unde controverſiam & contentionem פלגותא Hebræi vocant. Intelligit paraphraſtes fratres Joſephi, qui contendebant cum illo, motique invidiâ erga ipſum, eum à ſe ſeparaverant. Pro רבו. malè Vulgatus interpres habet, *jurgati ſunt.* Nempe derivârunt à ריב uti etiam Jarchius. Sed metaphora ſagittariorum oſtendit, vertendum eſſe, jaculati ſunt, adeoque derivandum eſſe à רבב vel רבה. Porro רבה idem eſt quod רמה *jaculari.* Confer Pſal. XVIII. 5. Jerem. L. 29. & ſuperiùs Geneſ. XXI. 20. ubi Iſmael vocatur רבה קשת, hoc eſt, τοξότης, *ſagittarius.*

III. Ad Potipharem & uxorem ejus, quorum calumniis appetitus erat Joſephus, & tandem carceri mancipatus, hæc refert Cajetanus. Hieronymus verò, eumque ſecuti plures alii ad fratres Joſephi, à quibus primò devotus neci, poſtea venditus erat. Connectunt autem cum præcedentibus hoc ſenſu: Etſi tam decorus eſſet Joſeph & amabilis, inveniſſe tamen, quod inviderent fratres. Et חצים *ſagittas* idem Hieronymus *livoris ſagittas*, & *Zeli jacula* explicat; alii convitia, contumelias, calumnias. Nos verba Jacobi tanquam prophetica explicanda potiùs ducimus de futuris poſterorum Joſephi cum Cananæis bellis. His enim meliùs congruunt omnia. Neque obſtat, quòd ea ad cæteras quoque tribus pertinent. Commodè enim pugna illa Joſepho tribuitur, quia Joſua dux exercitûs totius ex tribu Ephraim oriundus erat.

IV. Victoriæ poſterorum Joſephi Deo auxiliante ab hoſtibus reportatæ, explicantur v. 24. 25. ותשב באיתן קשתו ויפזו זרעי ידיו מידי אביר יעקב משם רעה אבן ישראל מאל אביך ויעזרך ואת שדי *Et conſedit in arduo arcus ejus, & conſolidata ſunt brachia manuum ejus à manibus herois Jacobi, inde ubi eſt paſtor, lapis Iſraëlis, à Deo patris tui, qui auxiliatur tibi, & ab omnipotente* &c. Qui de Joſepho præcedentia explicant, ſenſum etiam hic reddunt talem, quòd is arcum innocentiæ ſuæ commiſerit Deo fortiſſimo, ſagittandi arte peritiſſimo, ut ab ejus manu dirigeretur. Unde factum ſit, ut quamvis per fratrum invidiam venditus, & per procacis dominæ ſuæ impudentem calumniam in carcerem miſſus ſit, tandem *diſſoluta ſint vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis*, nempe Dei *Jacobi.* Inde, nempe ex vinculis, *egreſſum eſſe paſtorem*, hoc eſt, factum eſſe paſtorem totius Ægypti, providentem, ne Ægypti fame perirent; & inſuper factum eſſe *lapidem Iſraëlis*, firmantem, roborantem, & inſtar baſis ſuſtentantem in Ægypto totum Iſraëlem. Cui expoſitioni calculum addere non poſſumus. Malè enim vox יפזו explicatur,

diſſo-

Digitized by Google

diſſoluta ſunt vincula brachiorum Joſephi. Vulgatus equidem Interpres ita legit. Et ante ipſum Græci: *Καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων, & diſſoluti ſunt nervi brachiorum* &c. At nec vinculorum vel nervorum mentio eſt in textu, nec פזז ſignificat, *diſſoluta ſunt*, ſed potiùs *roborârunt ſe*. Sed & משם *inde* non poteſt habere relationem ad *vincula*, quippe quorum in præcedentibus mentio facta nulla eſt. Sequentia etiam רעה *paſtor*, & אבן ישראל *lapis Iſraelis*, non Joſephi, ſed Dei ſunt epitheta, uti liquet ex capite præcedente v. 15. necnon Pſal. CXVIII. 22. Deut. XXXII. 15. Eſai. VIII. 14. Rectiùs igitur de victoriis poſterorum Joſephi explicamus. Ita enim *arcus* Joſephi *in arduo*, ſeu inacceſſo loco *conſedit*, quia tanquam ex inacceſſo & tuto loco jaculatus eſt. *Confirmata ſunt brachia manuum ejus*, nempe ad feriendum hoſtes. Eum autem, qui brachia ejus confirmavit, non uno nomine inſignit. Vocat enim אביר יעקב *heröem Jacobi.* Ex ejus manibus confirmata eſſe brachia Jacobi inde, ubi eſt *paſtor*, *lapis*, ſeu *rupes Iſraëlis*, hoc eſt, manus herois Jacobi porrectas eſſe è Cœlo, ubi eſt ille, qui pavit Jacobum, rupes Iſraelis, ille qui vindicavit ipſum ab omni malo, Chriſtus. Sic igitur futuras Iſraelitarum victorias de Cananæis ſplendidiſſimas acceptas refert Chriſto authori.

V. Ab eodem illo heröe Jacobi, paſtore, lapide Iſraëlis, Deo Patris ſui & Omnipotente benedictionem precatur Joſepho in hæc verba: יברכך ברכת שמים מעל ברכת תהום רבצת תחת ברכת שדים ורחם *Benedicet tibi, benedictionibus Cæli deſuper, benedictionibus abyſſi, quæ jacet infra, benedictionibus uberum & uteri*, v. 25. Fertilitatem terræ & ſeminis copiam promittit. Ea fertilitas proceſſura dicitur ex Cœlo & abyſſo. Benedictiones Cœli vocat opportunas pluvias, & Solis ac Lunæ felices influxus. Benedictionem abyſſi fontium & fluminum terram irrigantium & fœcundantium commoditatem. Adduntur ברכות שדים ורחם *benedictiones uberum & vulvæ*, quod de fœtificatione pecudum & abundantia lacticiniorum alii; nos de ſeminis copia intelligimus. Id enim præ cæteris Joſepho conveniebat, ex quo oriundæ duæ tribus reliquorum Patriarcharum poſteritatem multis paraſangis erant antegreſſuræ.

VI. Claudit prophetiam ampliſſima & incomparabili benedictione v. 26. ברכות אביך גברו על ברכת הורי עד תאות גבעת עולם תהיין לראש יוסף ולקדקד נזיר אחיו *Benedictiones patris tui, quæ ſuperant benedictiones parentum meorum, usque ad appetitum collium ſeculi venient in caput Joſephi, & in verticem Naziræi fratrum ſuorum.* Magnas utique promiſſiones acceperat Jacobus à parentibus, uti liquet ex Geneſ. XXVII. 27, 28, 29. Be-

Digitized by Google

nedictionem tamen hanc, quam Joſepho impertit, benedictionibus majorum ſuorum prævalere affirmat. Id de benedictione v. 25. enuntiata intelligi minimè poteſt. Non minora enim paternis in benedictionibus continentur. Conſequitur igitur, Jacobum intelligere benedictionem conceptam ſequentibus verbis: *Usque ad appetitum collium ſeculi venient in caput Joſephi, & in verticem Naziræi fratrum ſuorum.* Pro תאות גבעת עולם Thargum Onkeloſi habet: דחמידו להן רברביא דמן עלמא *quas* benedictiones *optârunt principes qui à ſeculo fuerunt.* Arabs: *id quod optat collis æternitatis.* Hoc alii de Angelis, qui in Cœlo miro flagrant deſiderio videndi humanam redemptionem per Chriſtum, intelligunt: alii ad Patriarchas ac viros omnes ſanctos, qui fuerunt ante Chriſtum, qui animi celſitudine ac ſanctitate inſtar collium & quidem æternorum, quia cùm alii ad temporalia, ipſi contra ad ſpiritualia aſpiraverint; referunt. Alii etiam תאות explicant de *extremitate*, fine, termino. Ita Munſterus, Tremelius, Arias Montanus. Neque deſunt etiam, qui indicari putent, terræ ubertatem, de qua in præcedentibus dixerat Jacobus, diffuſum iri usque ad montium vertices. Montes autem עולם *perpetuos* vocari, id eſt, celeberrimos. Et fore eas ſuper caput Joſephi dici, ne putetur Jacobus vota ſua in aerem ſpargere: ut notetur hac voce ſubſiſtentia. Neſcio tamen, an hæc conveniant vel verbis vel menti Patriarchæ. Si hoc intendit, quomodo dici poteſt prævaluiſſe benedictio, quam Joſepho impertiit, iis benedictionibus, quas à majoribus ſuis Jacobus hæreditariò acceperat? Deinde *montes æternitatis* pro celeberrimis neſcio an dicturus fuerit Jacobus.

VII. Omnibus ritè expenſis putamus omnino, גבעת עולם *colles ſeculi* ſignificare totum mundum, hoc eſt, homines habitantes ubique. Proinde תאות גבעת עולם *deſiderium collium ſeculi* erit idem quod חמדת הגוים *deſiderium gentium*, quod Chriſtus eſt. Benedictiones igitur Jacobi exuberaturæ dicuntur in caput Joſephi uſque ad *appetitum collium ſeculi*, Chriſtum appetendum videlicet à collibus ſeculi, univerſò mundo habitabili. Perſpicuè hoc indicat εἴσοδον πληρώματος τῶν ἐθνῶν, *introitum plenitudinis gentium*, cujus mentio eſt Rom. XI. 25. Hoc nimirum eſt illud περισσὸν, illa prærogativa benedictionis Jacobi, quæ in benedictionibus patrum Jacobi intelligi haud poteſt.

VIII. Ea igitur benedictio Jacobi redundatura dicitur in caput Joſephi, & in verticem נזיר אחיו *Naziræi fratrum ſuorum.* Primò non convenit inter omnes, cur Joſephus vocetur נזיר אחיו *Naziræus fratrum ſuorum.* Thargum Onkeloſi reddit גברא פרישא דאחוהי *virum, qui ſegregatus*

gatus fuit à fratribus ſuis. Reſpicit ad ſeparationem Joſephi à fratribus prima ejus juventute, & procedente etiam ætate, cùm à fratribus odio habitus, & variis modis ab eorum conſortio excluſus eſt. Ita etiam Jarchius. Vel certè ad ſtatum Joſephi in Ægypto, ubi fratribus in terra Goſen agitantibus, Joſephus ab iis ſecretus & aulæ affixus manſit. Alii Joſephum putant dici נזיר אחיו *coronam fratrum ſuorum* ſeu *coronam geſtantem* à נזר *corona*, *diadema*. Ita Syrus habet כלילא דאחוהי *corona fratrum ejus.* Græci, ὧν ἡγήσατο *quibus præfuit.* Forte legendum ὃς ἡγήσατο ἀδελφῶν, *qui præfuit*, *imperavit fratribus* quod de Regia dignitate, quæ fuit in tribu Ephraim, interpretantur nonnulli. Boulducus *de Eccl. ante legem lib.* III. 12. aſſerit, ad perpetuam Joſephi memoriam, qui & comatus manſerat in carcere, & poſtea tonſus indutus ſtola byſſina fuerat à Rege Ægypti, votum Naziræorum de prolixa detonſáque coma, necnon album eorum veſtimentum origenem habuiſſe. Sed inanis ariolatio eſt, nulla ratione ſubnixa. Quid ergo? Notat נזיר אחיו *præcipuum fratrum ſuorum*, prudentiâ nimirum & ſanctitate vitæ ab aliis ſeparatum, eximium & planè unicum. In hujus igitur potiſſimùm caput redundatura dicitur eximia benedictio illa, non ſine aliis tamen tribubus: quia is conſtans & perpetuum exemplum fuit pietatis & fidei in Deum, adeoque caput Iſraelitarum, repræſentans totam gentem. Uti etiam apparet ex Pſal. LXXX. 2. LXXXI. 5. Unde etiam in promiſſionibus de converſione Iſraelis Ephraimi potiſſimùm mentio eſt Jerem. XXXI. 18, 19, 20. Meritò igitur benedictio illa, ſeu promiſſio introitûs gentium *ad deſiderium collium ſeculi*, redundatura dicitur in caput Joſephi, hoc eſt, in ejus perſona in univerſas tribus Iſraelis.

SECTIO

SECTIO XII.

DE

BENEDICTIONE PROPHETICA

BENJAMINIS.

Breviarium.

Benjaminis Benedictio prophetica. עד *prædam notat. Quid* יחלק שלל *?* λάφυρα. *Lupi veſpertini. Prædam prius dividunt, quàm ea veſcantur. Unde Vau in verbis Patriarchæ eſt particula ordinativa, pro poſtquam. Lupi qui* μονόπειραι *dicti?* 1. *Paraphraſtarum Chaldæorum; Thalmudicorum, Baal Hatturim &c. prophetiæ illius de Templo Hieroſolymitano in Benjaminis hæreditate ſito expoſitio ventilatur.* 2. *Varia aliorum, puta Hebræorum, Patrum, Cocceji, Barradii interpretamenta.* 3. *Lupus fortitudinis eſt ſymbolum. Lupi Martiales.* λυκοθαρσοῦς. λυκόφρων. λυκηθμός. 4. *Prophetiæ expoſitio de tribus Benjamin fortitudine. Ejus ſpecimina in bello Gabaitarum cauſâ ſuſcepto, nec non geſtis Saulis Benjaminitæ, & aſſertoribus Regni Benjaminitici poſt rejectum Saulem.* 5.

I. Supereſt benedictio prophetica Benjaminis filii ex Rachele dilecta natu minimi. Ea ſic ſonat v. 27. בנימין זאב יטרף בבקר יאכל עד ולערב יחלק שלל *Benjamin lupus rapax. Manè comedet prædam, & veſperi diſtribuet ſpolia.* Pro עד Græci habent ἔτι *adhuc.* Acceperunt pro עוד. Arabs נהבא *furtim.* Syrus rectiùs בוזא *ſpolia.* Pro יחלק שלל iidem Græci habent: Εἰς τὸ ἑσπέρας δίδωσι τροφὴν, *ad veſperam dat eſcam.* Rectiùs Aquila: διαμερίσει λάφυρα, *dividet exuvias, vel ſpolia.* Lexicon vetus: λάφυρα *exuviæ, ſpolium, præda.* Symmachus;

chus: *μεριεῖ σκῦλα*, *dividet ſpolia.* Scriptura lupos vocat זאבי ערב *lupos veſperæ*, ſeu veſpertinos. Confer Jerem. v. 6. Soph. III. 3. Ita duo, quæ hic diſtingvuntur, tempora non totam diem deſignant, uti vulgò accipitur, ſed totam noctem, cujus pars una veſpertina eſt, altera matutina. Ut ita copula *Vau* ſit ordinativa, idem valens quod *poſtquam*, quaſi Propheta dixiſſet: *Tribus Benjamin erit inſtar lupi rapacis, qui prædam uſque ad matutinum tempus comedendam habet, poſtquam illam veſperi diviſit:* Prædam enim dividere prius eſt, quàm illa veſci. Similia loca vide Joſ. VII. 25. Job. XIV. 10. Hæc porro prædæ diſtributio non de quolibet luporum genere intelligenda. Sunt enim quidam *μονόπειροι*, hoc eſt, *πειράζοντες μὴ ἀθρόοι, ἀλλὰ καθ' ἕνα*, *prædantes non confertim, ſed ſinguli*, uti Heſychius eam vocem exponit.

II. Thargum Onkeloſi prophetiam hanc explicat de altari, quod fuit in tribu Benjaminis, ubi Sacerdotes manè victimas obtulerunt, vel veſperi oblata à populo inter ſe diviſerunt. Verba ſunt: בנימין בארעיה תשרי שכינתא ובאחסנתיה יתבני מקדשא בצפרא ובפניא יהון מקרבין כהניא קורבנא ובעדן רמשא יהון מפלגין מותר חולקהון משאר קודשיא. *In terra Benjamin habitabit Templi Majeſtas, & in poſſeſſione ejus ædificabitur ſanctuarium. Manè & veſpere offerent Sacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino divident reſiduum portionum ſuarum, de reliquis quæ ſanctificata ſunt.* Ita etiam Chaldæi reliqui, Jonathan & Hieroſolymitanus habent. Hinc etiam in Thalmudico tractatu זבחים cap. 5. fol. 53. Templi & altaris portio, in qua cædebantur victimæ, vocatur חלקו שלטרף *pars rapientis* ſeu *diſcerpentis*, id eſt בנימין דכתיב ב״ה זאב יטרוף *Benjamin de quo ſcribitur:* Benjamin *eſt lupus diſcerpens.* In Baal Hatturim verba Jacobi de Benjamine, ולערב יחלק שלל *& ſub veſperam dividet ſpolium*, notantur per Gematriam idem valere, quod verba אלו הקורבנות *Hæ ſunt oblationes.* Ex utriſque nempe exſurgit numerus DCCCXVI. Nihil tamen hac in interpretatione ſani agnoſco. Quamvis enim altare conſtructum ſit in ſolo Benjaminis, tamen Sacerdotes & victimæ non fuerunt Benjaminis, ſed tribus Levi. Deinde ex altari facere lupum rapacem, quid aliud eſt quàm ex quolibet facere quidlibet? Et cùm non minùs veſpertinum fuerit ſacrificium, quàm matutinum, cur hic altare diceretur potiùs manè rapere prædam, quàm veſperi?

III. Ex Hebræis nonnulli prophetiam referunt ad Benjaminitas, quibus permiſſum fuit uxores ſibi rapere ex Siluntinis puellis Judic. XXI. 21. Alii etiam ad Saulem & Mardochæum, qui & ipſi fuerunt ex tribu Benjaminis. Saulem enim manè, hoc eſt, primis Iſraelitici Regni tempori-

poribus uberrimam de Amalekitis prædam retuliſſe. Mardochæum verò veſpere, hoc eſt, poſt captivitatis Babylonicæ tempora, Hamanis & filiorum ejus ſpolia diviſiſſe. Qua de expoſitione utraque videndi Abenezra & Jarchius. Patres plerique, veluti Tertullianus *contra Marcionem lib.* v. 1. Ambroſius *de benedictionibus Patriarcharum*, Hieronymus *lib.* 4. *in Eſaiam*, Auguſtinus *ſerm.* 1. *de converſione Pauli*, aliique Paulum hic intelligunt ex eadem tribu oriundum. Is enim primo manè, hoc eſt, junior, tanquam lupus vaſtavit eccleſiam, & in fideles ſæviit: at veſperi, hoc eſt, ſenior jam ſpolia gentium, Diabolo detracta, Chriſto & Eccleſiæ diviſit. CL. Coccejus exiſtimat, tempus hic Reipublicæ definiri. Nempe in benedictione Judæ eſſe diſtinctionem temporis ſceptri & legislatorum, & temporis Regni Chriſti. At hic diſtingui tempus Regni & Reip. ſub legislatoribus. Habere enim hoc tempus auroram & occaſum. In utroque tempore inſignem eſſe Benjaminem. Saulem quippe incepiſſe regnare in Iſraele, & hoſtes profligare. Alterum verò Saulum, hoc eſt, Paulum diviſiſſe ſpolia ex Judæis & Gentibus erepta Satanæ, quod ipſum quoque dicatur de Chriſto Eſai. LIII. 12. Barradius Hieroſolymam intelligit, Benjamitarum metropolin, in qua Judæi ut lupus manè prædam comederunt, hoc eſt, Meſſiam crucifigendum ad Pilatum adduxerunt, & veſpere milites ſpolia diviſerunt, hoc eſt, ejusdem Chriſti veſtes. Hæc varia ſunt variorum interpretamenta.

IV. Illud maximè probabile, Benjaminem lupo comparari propter fortitudinem. Lupi enim animoſitate & robore ſunt valentiſſimi. Unde Marti dicati ſunt, & à Poëtis vocantur *Martii* & *Martiales*. Horatius lib. 1. oda 17.

Nec virides metuunt colubros,
Nec Martiales hædilia lupos.

Virgilius lib. IX. Æneidos:

Quæſitum aut matri multis balatibus agnum
Martius à ſtabulis rapuit lupus.

Adoleſcens apud Plautum nomine Strabax:

Fuit ædepol Mars iratus patri meo, nam oves illius
Haud procul abſunt à lupis.

Hinc in Epigrammate λυκοθαρσὴς eſt *audax* & *magnanimus*. Et in Heſychio λυκοθερσοὺς, θερσοὺς. In eodem λυκόφρων *lupino animo præditus* exponitur δεινόφρων & ὑψηλόφρων. Gentes etiam nonnullæ lupino ululatu, tan-

quam

quam incentivo carmine, ſe ad pugnam incitârunt. Unde apud Suidam λυκηθμὸς exponitur τῶν λύκων βοὴ, *luporum ululatus.* Et paulò pòſt ex auctore innominato: Οἱ Ἄβαροι ἐσβάλλουσιν ἀθρόως χρησάμενοι τῷ συνήθει λυκηθμῷ· φίλη δὲ αὐτοῖς ἡ τοιαύτη φωνή. *Abari confertim irruunt lupino ululatu de more uſi: qualis ululatus ipſos delectat.* De Cimbris & Teutonis idem habet Plinius lib. XXVI. 4. Quid? quòd fortiſſimi viri luporum cognomine inſigniti? Herculis fatum ſic ænigmaticè deſcribit Lycophron in Caſſandra v. 871.

Καὶ θηροχλαίνου σηκὸν ὠμηστοῦ λύκου
Et ferina pelle induti lupi crudelis templum.

V. Non dubito igitur, quin ſub typo lupi Benjaminitæ ſignificentur ob inſigne robur & fortitudinem. Quæ quidem inſigniter eminuit in bello Gabaitarum cauſâ ſuſcepto, in quo ſoli Benjaminitæ cum viginti ſex millibus hominum reliquas undecim tribus intrepidè adorti ſunt, contra quas victores extiterunt duobus prœliis, cæſis Iſraelitarum duodequadraginta millibus, donec tertio prœlio aſtu à reliquis vincerentur & profligarentur. In eorum exercitu fuêre ſeptingenti funditores Gabaitæ, jaculandi tam periti, ut ne à pilo quidem aberrarent, Jud. XX. 16. Accedunt geſta Saulis Benjaminitæ, qui Regno Iſraelis potitus omnes undique hoſtes, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Reges Sabæ, Philiſtæos, & quocunque ſe verteret, eos ירשיע *malè mulctavit,* & Iſraelitas ab oppreſſoribus vindicavit 1. Sam. XIV. 47, 48. Et poſt rejectum Saulem, ſubſtitutumque Davidem, Benjaminitarum Regnum ſtetit adhuc per ſeptennium, nec niſi poſt longum bellum, & Imperatoris Abneris defectionem deſtrui & diſſipari debuit. Licèt à Davidis partibus ſteterint Benjaminitæ fortiſſimi, adeoque nonnulli ex cognatione Saulis. Meritò igitur cum lupo rapace, qui manè comedit prædam, quam veſpere diviſerat, ea tribus confertur. Neque dubitarem, CL. Cocceji interpretationi ſecundas facere, niſi ſimilitudo lupi à Patriarcha indigitata, in qua, etſi non verbis, ſenſu tamen & reipſa, uti ſuperiùs oſtendimus, præcedit tempore diviſio ſpoliorum, ac ſequitur prædæ comeſtio; obſtaret.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXIV.

Chronologica

DE ANNIS PATRIARCHARUM POST DILUVIUM.

Breviarium.

Partitio temporum mundi ſecundum Poëtas, Terentium Varronem, domum Elianam, Auguſtinum, Damaſcenum. 1. *Annus nativitatis Arphaxadi diſceptatus. Semus an dici poſſit annorum* 100. *cùm gigneret Arphaxadum duobus poſt diluvium annis? Scaligeri de ordine filiorum Noæ error.* 2. *Anni Patriarcharum Chaldæorum inde ab Arphaxado ad Abrahamum uſque diſcutiuntur* 3–12. *Græcorum & Hebræorum Codicum circa eos diſſenſus.* 3. 4. *Argumentis Voſſii, Waltoni, Morini pro calculo Græco contra Hebræum occurritur.* 5–12. *An intra annos* 101. *tanta hominum multitudo naſci potuerit, quæ ſufficeret diſperſioni Gentium?* 5. *Morini objectio, quòd intra annos* 300. *à diluvio ad Abrahamum imperium Aſſyriacum, Ægyptiacum, aliaque plurima Regna exiſtere haud potuerint, ſolvitur.* 6. 7. *&c. Ægyptiaci Regni antiquitas diſceptata. Manethonis impoſturæ. Diodori Siculi calculus annorum Ægyptiacorum. Dynaſtiæ Ægyptiacæ.* 7. *Aſſyriaci ſeu Chaldaici imperii antiquitas ventilata. Nini ætas: Herodoti adverſus Cteſianas fabulas vindiciæ.* 8. *Sinenſis ſeu Serum Imperii fabuloſa antiquitas. Confutii libri de rebus Senenſibus.* 9. *Morini argumentum à bello Pentapolitano petitum ſolvitur.* 10. *Cainanis νοθεία.* 11. *Annus nativitatis Abrahami diſcutitur.* 12–20. *Abrahamum primoge-*

Digitized by Google

mogenitum Thærachi, *adeoque ætatis ejus anno* 70. *natum non fuiſſe demonſtratur ex verbis Stephani Act.* VII. 4. 12. *Exceptiones variæ Georgii Syncelli*, *Maſii*, *Abrami*, *Boulduci*, *Petavii*, *Pererii eliduntur.* 13. 14. *An Abrahamus bis Charane profectus ſit in terram Canaan?* 15. 16. *Petavii argumentis, quòd Abrahamus fuerit primogenitus Thærachi, obviam itur.* 17. 18. *Epilogismus annorum à diluvio ad Thærachum usque generare incipientem.* 19. *Epochæ poſterioris principium figitur in peregrinationis Abrahami initio. Tempus peregrinationis Abrahami definitur ex loco Exod.* XII. 40. *quadringentis & triginta annis. Uſſerii ad locum eum notæ obſervandæ. Vox* מושב *ad advenas relata peregrinationem notat. Peregrinatione Iſraelitarum cur ab Ægypti incolatu petat Moſes?* 20. *An* 430. *anni peregrinationis auſpicandi ſint à Jacobi* μετοικεσία *in Ægyptum? Genebrardus*, *Stapletonus*, *Thaddæus*, *Duræus*, *G. J. Voſſius*, *aliique id aſſerentes fusè refutati*, *primò*, *ex annis Caathi filii Levi.* 21, 22. *Secundò ex generatione Jochebedæ matris Moſis filiæ Levi.* 23. *Tertiò ex loco Pauli Gal.* III. 17. *qui vindicatur à gloſſis Genebrardi*, *Nicolai Abrami*, *Voſſii* 24, 25. *Græcorum & Samaritanorum paraphraſis loci Exod.* XII. 4. *laudata.* 26. *Argumenta contraria Genebrardi & ſuffragatorum ejus eliduntur. Primum, quòd peregrinatio futura dicatur in terrà non ſua. Secundum quia Moſes Geneſ.* XV. 13. *loquatur de peregrinatione ſeminis Abrahami, non ipſius Abrahami.* 27. *Tertium quia id ipſum aſſerat Achior Ammonita Judithæ* V. *capite.* 28. *A quo Abrahami tempore petendum ſit initium* 430. *annorum? Hebræorum*, *Julii Hilarionis*, *Cajetani &c. ſententia*, *quòd Abrahamus Charane* 5. *annos conſederit*, *ac poſt eos anni* 430. *auſpicandi ſint*, *improbatur*, *& pro ea objectiones Thomæ Pii enodantur.* 29. 30. *R. Moſis Lathiph*, *Codomanni*, *Paræi de initio Epochæ ejus ſententia examinatur.* 31. *Necnon Abarbanelis & Gerundenſis.* 32. *Initium* 430. *annorum petendum eſſe à prima vocatione Abrahami*, *eamque ſecuta peregrinatione: at* 400. *annorum à nativitate Iſaaci vel determinatione ſeminis*

Digitized by Google

Abrahami, demonſtratur. 33. *Annorum* 430. *partitio in duo ſpatia æqualia, quorum unum* 215. *annorum deſluxit à vocatione Abrahami uſque ad deſcenſum in Ægyptum: alterum itidem* 215. *annorum in Ægypto tranſactum eſt.* 34. *Peroratio totius operis.* 35.

I. Tempora mundi non eodem periti temporum partiuntur modo. Poëtæ veteres quatuor ferè ſtatuerunt ætates mundi, *auream*, quam durâſſe ajunt, donec regno ſuo expelleretur Saturnus; *argenteam*, auro quidem deteriorem, at fulvo pretioſiorem ære, ut Ovidius loquitur; *æneam*, quæ deſcribitur eidem Ovidio Metamorphoſ. 1.

Sevior ingeniis, & ad horrida promptior arma,

quam ætatem durâſſe ajunt, quamdiu Heröes fuere, ἡμίθεοι, Semidei dicti; denique *ferream*, quam alii à temporibus Oreſtis vel generatione proxima, qua ſiſtunt ii, qui heroum geſta carminibus ſuis celebrârunt: alii à prima Olympiade auſpicantur. At Terentius Varro apud Cenſorinum in libello *de die Natali*, tria diſcrimina eſſe temporum docuit: Primum ab hominum principio ad cataclyſmum priorem. Secundum à cataclyſmo priore ad Olympiadem primam, quòd quia in eo multa fabuloſa reperiantur, μυθικὸν nominavit. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod ἱστορικὸν dixit, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur. Aliter domus Eliana, quæ omne tempus diſtribuit in dies תהו *inanitatis*, תורה *legis*, & משיח *Meſſiæ*. Auguſtinus lib. XII. contra Fauſtum cap. 8. juxta typum ἑξαημέρου omne ævum dividit in ſex ætates, poſt quas fore dicitur æternum illud ſabbathum in Cœlis, quod diei ſeptimo reſpondeat. Prima ipſi ætas eſt ab Adamo uſque ad Noë. Secunda à Nöe uſque ad Abraham. Tertia ab Abrahamo uſque ad Davidem. Quarta à Davide uſque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta usque ad humilem adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sexta quæ nunc agitur, donec Excelſus veniat ad judicium. Sequuntur eam diviſionem Iſidorus Orig. lib. V. 38. & Beda lib. de Ratione Tempórum cap. 64. Imò ante Auguſtinum eam amplexus eſt Chryſoſtomus homil. de Jephta. Paulò aliter Johannes Damaſcenus Orthod. fidei lib. II. 2. Nobis diſtributio domus Elianæ ſano ſenſu accepta placet, ita nimirum ut tres in univerſum conſtituantur ætates, Patriarcharum, Legis & Chriſti. Patriarcharum verò ætas gemina eſt, una ante, altera poſt

poſt diluvium. De illa actum à nobis tomo priori. De hac impræſentiarum tractationem ſuſcipimus, ubi præcipua, quæ in annis Patriarcharum occurrunt, dubia enodare conabimur.

II. Ordiendum nobis à Semo & Arphaxado. De quibus ita Moſes habet Geneſ. xi. 10. *Sem natus annos centum genuit Arphaxadum* שנתים אחר המבול *duobus poſt diluvium annis.* Videri tamen poſſit fuiſſe centum & duorum annorum, ſiquidem Geneſ. v. 32. legitur: *Et fuit Nöe quingentorum annorum, & genuit Sem, Cham & Japhet.* Senſus eſt, anno memorato Noachum cœpiſſe generare. At diluvium cœpit anno Noæ ſexcenteſimo, ut eſt Geneſ. VII. 11. ac proinde Sem jam tum centum annorum fuerit, non biennio poſt demum. Hoc ἐναντιοφανὲς nonnulli ita expediunt, ut dicant, non negari à Moſe, Semum Arphaxadum gignentem annorum fuiſſe centum & duorum: ſed centum dixiſſe, quia rotundum amaret numerum, aliunde ſupplendum. Alii aliter reſpondent, uti videre eſt apud doctiſſimum G. J. Voſſium *Iſag. Chronol. pag.* 45. 46. Plerique verò, qui ſe heic ſupra modum torquent, in eo falluntur, quod Noachum, quando Semum genuit, præciſè fuiſſe annorum quingentorum exiſtimant, atque id ex loco Geneſ. v. 31. ubi Noe dicitur anno quingenteſimo genuiſſe Semum, Chamum & Japhetum, colligunt. Verùm cùm uno eodemque anno omnes iſtos tres, uti delirant Rabbini, nequaquam ſuſceperit Nöe, non aliud Moſen voluiſſe vero conſentaneum eſt, quàm Noachum anno ætatis quingenteſimo operam dare liberis cœpiſſe, adeoque primogenitos procreâſſe. Sed cujus primogenituræ competat, haud æquè certum eſt. Sem equidem primo ſemper loco recenſetur. Unde ipſum fuiſſe primogenitum, Joſephus Scaliger concludit: quia hunc ordinem filii in Scriptura habeant, quem ipſis natura dedit. Verùm id argumentum, pace viri tanti dixerim, frivolum eſt. Nam & Iſacus nominatur ante Iſmaëlem Geneſ. xxv. 9. Et Jacobus ante Eſavum Geneſ. XXVIII. 5. Joſ. xxIV. 4. Quid quod in genealogia Noachi Geneſ. x. & 1. Paralip. 1. primo loco Japhetus, ſecundo Chamus, tertio Semus narratur? Quòd Chamus vocatur filius Noachi קטן *natu minimus* Geneſ. IX. 24? & Japhetus גרול *natu maximus* Geneſ. x. 10? Quòd verò in genealogiis Chamus medio inter Japhetum & Semum loco ponitur, qui natu minimus erat, ejus rei rationem ex Homero oſtendit Ambroſius: *Κακὺς δ' ἐσ μέσσον ἔλασσεν, malos autem in medium inſeruit.* Quomodo etiam Mercerus in Geneſ. x. 1. notat, ſemper medium poni Chamum inter duos probos, quòd ita ſit eccleſia comparata utrinque, ut inter improbos hoſtes verſari cogatur. Scaligeri

Digitized by Google

objectiones ſolidè retuſas vide apud τὸν πάνυ Uſſerium Armachanum *Chronol.* 8. *cap.* IV. pag. 70, 71. &c. Facili igitur negotio nunc nodum extricabimus, ſi dicamus nimirum, anno Noæ quingenteſimo Noachum generâſſe Japhetum: anno quingenteſimo ſecundo Semum: hunc verò genuiſſe Arphaxadum anno Noachi ſexcenteſimo tertio, adeoque duobus poſt diluvium annis.

III. Sequuntur anni Patriarcharum Chaldæorum, inde ab Arphaxado ad Abrahamum uſque. Quæ annorum periodus ob Hebræi & Græcorum Codicum diſſenſum certaminibus etiam doctorum anſam præbuit. Etenim ſecundum Hebræos Codices Geneſ. XI. 12--27. Arphaxadus vixit חמש ושלשים שנה *quinque & triginta annos*, & genuit Schelachum. Hic vixit שלשים שנה *triginta annos*, & genuit Heberem. Hic vixit annos ארבע ושלשים *quatuor & triginta*, & genuit Phalegum. Hic vixit שלשים שנה *triginta annos*, & genuit Reu. Hic vixit שתים ושלשים שנה *duos & triginta* annos, & genuit Serug. Hic vixit annos שלשים *triginta*, & genuit Nachorem. Hic vixit annos תשע ועשרים *novem & viginti*, & genuit Therachum. Hic vixit annos שבעים *ſeptuaginta*, & genuit Abram, Nachor & Charan. Summa igitur annorum ab Arphaxado uſque ad Thærachum gignere incipientem Abram, Nachor & Charan, eſt ducentorum & nonaginta: à diluvio additis annis duobus, poſt quos genitus Arphaxadus, ducentorum & nonaginta duorum.

IV. Sed calculus Græcorum Codicum mirum quantum ab Hebraico diſcedit. Nam Arphaxado generanti Cainanem tribuit ἑκατὸν τριάκοντα πέντε ἔτη, *centum triginta quinque annos*; Cainani generanti Schelachum ἑκατὸν τριάκοντα ἔτη, *centum triginta annos*; Schelacho generanti Heberem ἑκατὸν τριάκοντα, *centum triginta*; Heberi generanti Phalegum ἑκατὸν τριάκοντα τέσσαρες, *centum triginta quatuor*; Phalego generanti Reu ἑκατὸν τριάκοντα, *centum triginta*; Reu generanti Serugum ἑκατὸν τριάκοντα καὶ δύο, *centum triginta duos*; Serugo generanti Nachorem ἑκατὸν τριάκοντα, *centum triginta*; Nachori generanti Thærachum ἑκατὸν ἑβδομηκονταεννέα *centum ſeptuaginta novem*; Theracho generare incipienti ἑβδομήκοντα *ſeptuaginta* annos. Sic igitur inſerto Cainane, & ſingulorum Patriarcharum annis παιδογονίας centum, Nachoris verò centum & quinquaginta annis auctis & locupletatis, calculus eorum inde à diluvio uſque ad Thærachum gignere incipientem, conficitur annorum mille centum & ſeptuaginta duorum, ſuperans Hebraicum calculum annis octingentis & octoginta.

V. Pro Græco calculo adverſus Hebraicum connituntur ſummis viribus

bus viri præclarè docti Waltonus, Voſſius & Morinus. Nos præcipua, quæ illi in medium adduxere, argumenta diſcutere conabimur; Potiſſimum illud eſt, quòd inde à diluvio ad Phalegi, in cujus tempora incidit confuſio labii & diſperſio gentium, ætatem juxta Hebraicum computum effluxerint anni non plures quàm centum & unus, intra quos oriri tanta multitudo, quæ ſufficeret coloniis gentium quaqua verſum per orbem deducendis, nullo modo potuerit. Hæc res ipſi olim Auguſtino expeditu difficillima viſa eſt, *de Civit. Dei lib.* XVI. 10. Sed occurrimus huic argumento jam ſuperiore libro paſſim. Paucis ſummam reſponſi noſtri heic complectemur. Primò perperam ſupponunt, diſperſionem gentium ſimul & ſemel factam eſſe circa ortum Phalegi, cùm cœpta tantùm tum fuerit, non ad exitum perducta. Terra enim per centum annos totos inculta, indeque partim putreſcentibus graminibus paluſtris effecta, quouſque vellent, tam citò currere non ſinebat: ut proinde viciniora primo loco occupare, & procedente tempore creſcente populi multitudine ulteriùs progredi, atque in remotioribus longo poſt tempore ſedes figere cogerentur. Argumento certiſſimo eſt, quòd Joctanis tredecim filii in diſperſione recenſentur, quorum ne pater quidem Joctan tum, cùm naſceretur Phaleg, in vivis erat, utpote minor natu Phalego. Secundò ex octo hominibus circa tempus Phalegi naſci potuiſſe 388605. marium, totidemque fæminarum numerum, demonſtrari poteſt per progreſſionem arithmeticam, ſi vel anno viceſimo demum liberis operam dare primi illi orbis inſtauratores cœpiſſent. Qui quidem numerus hominum primarum coloniarum deductioni abundè ſufficere poterat. Annon Abrahami nepos Jacobus ſuo jam tempore vidit numeroſam gentem Midianitarum & Iſmaelitarum ab eodem avo Abrahamo originem ducentium? Tertiò conſiderandum & illud, Noacho & tribus filiis ejus bis à Deo prolatam fuiſſe benedictionem illam: *Creſcite, & multiplicamini & replete terram* Geneſ. IX. 1. 7. Quæ benedictio fidem facit, futurum fuiſſe, ut intra breve tempus incredibilis multitudo hominum exiſteret.

VI. Morinus *Exercit. Biblic.* VII. *cap.* 2. Hebraici calculi fidem labefactare ſic conatur: *Eſt admodum mirabile, quomodo tam potentes Reges, adeoque multi regnaverint vivente Abrahamo, cùm ad Abrahæ nativitatem à diluvio, quo Noe ſolus cum tribus filiis ſuperſtes fuit, anni trecenti juxta Judæos non effluxerint. Tum ad Jndos uſque ex omnium calculo imperabat Ninus, Aſſyriorum Rex potentiſſimus. Ægyptum tenebat Rex magnus, apud quem aliquamdiu vixit Abraham tribus menſibus. Reges alii plurimi, quorum mentio fit*

in

in ſacris Literis, Abrahæ coætanei erant, ut novem illi, de quibus Geneſ. XIV. *quorum uni, ſcilicet Chodorlahomero quinque Reges annis duodecim ſervivèrunt, annoque decimoquarto redintegratum eſt bellum, quo Loth captus & ab Abrahamo ſervatus eſt. Ecce Abrahamo juvene quàm multi Reges, quàm multa bella, quàm variæ & à ſe invicem diſſitæ nationes? Trecentorum tamen annorum ſpatio hæc omnia ex quatuor hominibus pullulârunt juxta Judaicum calculum. Quantum inde multiplicationis Iſraelitarum in Ægypto ex 75. animabus ducentorum & aliquot annorum ſpatio factæ miraculum elevatur? Imò ſi tantum non fuiſset Iſraelitarum incrementum, ſterilitatis à Deo damnati tum temporis credi potuiſſent.* Hactenus ille. Sed fallit & fallitur multis modis. Primò enim hæc omnia intra trecentos annos geſta eſſe juxta calculum Judaicum, falſum eſt. A diluvio enim uſque ad Abrahamum in bello Pentapolitano victorem interceſſerunt plus quàm quadringenti anni, à Phalego verò plus quàm trecenti, uti patebit ex iis, quæ mox dicturi ſumus. Quæ temporis diuturnitas tanta fuit, ut intra eam ex octo hominibus à diluvio ſuperſtitibus, & tot hominum myriadibus, qui urbi & turri Babylonicæ extruendæ operam dederunt, ea procreari potuerit multitudo, quæ regnis ſufficeret ampliſſimis. Etenim ſi ex uno Abrahamo intra annos 430. tanta multitudo Iſraelitarum, quanta in Exodo recenſetur, deſcendere potuit: annon ex tribus illis genearchis, Semo, Chamo & Japheto, intra annos 427. (tot enim annorum interſtitium fuiſſe inter diluvium & Abrahami migrationem inferiùs probabimus) innumera hominum multitudo derivari poteſt? Secundò comparatio illa inter incrementum Iſraelitarum in Ægypto & primorum novi orbis colonorum inſtituta minùs æqua eſt, tum quia primi illi patres multò diutius quàm Iſraelitæ vixerunt, adeoque ab iis majus poſteritatis incrementum expectari potuit: tum quia peculiaris ille repetitæ benedictionis fructus haud dubiè in principio reſtaurati mundi, quàm in progreſſu magis emicuit: tum denique quia in Scriptura nuſpiam miraculo deputatur, quòd ex 70. viris intra annos 215. ultra ſexcenta virorum millia propagarentur. Non enim hoc ordinarias naturæ vires ſuperabat, cùm non minus mirandum fuerit ab uno Amaleko, Eſavi ex filio Eliphazo nepote gentem adeò numeroſam proceſſiſſe, ut tantæ Iſraelitarum multitudini ipſe poſt egreſſum eorum ex Ægypto altero menſe ſe opponere, & cum iis prælium conſerere auderet, uti liquet ex Exod. VII. 8. Tertio ex novem illis Geneſ. XIV. commemoratis Regibus, quinque non regionum, ſed urbium erant Reguli. Reliqui quatuor autem tam potentes non fuerunt, ut Abrahamum inſtructum 318. vernis, à præda ablata recuperanda cohibere potuerint.

VII. Sed

Digitized by Google

VII. Sed Ægyptiaci, Chaldaici & Sinenſis imperii antiquitatem obſtare ajunt, quò minùs anni poſtdiluviani juxta calculum Hebraicum adeò brevem in gyrum contrahantur. Jam fateor, Abrahami ætate floruiſſe regnum Ægypti. Quàm magnus tamen & potens fuerit Rex ille, apud quem divertit Abrahamus, Scriptura non indicat. Deinde Manetho quidem Sebennita, flamen Heliopolitanus, Ægyptium Regnum ante Alexandrum habuiſſe dynaſtias unam & triginta, quæ imperaverint annis quinquies millenis trecentis & quinquaginta quinque, tradit. Quin Diodorus lib. I. ab Oſiride & Iſide ad Regnum usque Alexandri Ægyptios numerare *πλείω τῶν μυρίων*, *plus decies mille*, vel, ut alii ſcribunt, *βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων*, *paulò minus ter & vicies mille*. Sed primò idem Diodorus libro I. affirmat, in rebus Ægyptiacis ſe *ὐδὲν παρέπηγμα πισευόμενον* *nullam firmitatem fide dignam* reperire ante tempora Trojana. Manethonis verò fallaciam & impoſturam non ſemel increpat doctiſſimus Iſacus Voſſius. Qui quidem rejecto Manethone fruſtra provocat ad Eratoſtenem, cùm hujus etiam fides non nitatur niſi teſtimoniis Ægyptiacorum Sacerdotum, qualis fuit etiam Manethos, Ægyptiorum Sacerdotum Pontifex, qui antiquitates ſuas ex archivis & hieroglyphicis Ægyptiorum columnis nimirum Seriadicis tranſcripſit. Quid quòd Eratoſtenis & Diodori calculum facit eundem? At Diodorus non tantùm ſuo minimè confiſus eſt, ſed etiam ejus numeri annorum ſuperant calculum Græcum. Nam à Mene primo Ægyptiorum Rege ad Buſiridem usque ponit annos ſupra 1040. & à Buſiride ad Pharaonem usque tot millia, ut Eratoſtenis ac Diodori calculus non minùs intra diluvium, vel etiam intra creationem contineri poſſit, quàm ipſius Manethonis. Vel igitur Ægyptiorum antiquitatibus nulla omnino habenda fides eſt, vel ita conciliandæ eæ ſunt cum Scripturarum veritate, ut anni lunares modo menſtrui, modo quadrimeſtres intelligantur, dicaturque Manethonem diverſos Regulos & Sacerdotes, qui in diverſis Nomis ſeu præfecturis ſimul regnârunt, ſeparâſſe, ac longam contexendo ſeriem implicitos in ſolidos permutâſſe: Ut ita initio imperârint ſimul tum Thinnitæ, tum Memphitæ, tum Elephantini, tum Heracleopolitæ &c. Omnia enim magna imperia ex pluribus minorum ditionum ad extremum in unum coaluiſſe, notum eſt. Quæ ſententia etiam fuit Scaligeri *Canon. Iſagog. lib.* III. *pag.* 312. &c. vindicata à doctiſſimo longè viro Gerardo Johanne Voſſio, *de Orig. & progreſſu idololatriæ lib.* I. 28.

VIII. Neque Chaldaici ſeu Aſſyriaci Imperii antiquitates Græco

Iiiii ſuffra-

ſuffragantur calculo. Ait Morinus, tempore jam Abrahami ad Indos uſque ex omnium calculo imperâſſe Ninum Aſſyriorum Regem potentiſſimum. Id verò nullo argmento idoneo probari poteſt. Sanè Nini ac Semiramidis temporibus ingenti mortalium copia jam orbis terrarum affluebat. Teſtantur id ingentes illi exercitus. Ninus enim Bactrianis bellum inferens, ſi Cteſiæ fidem habemus, *πεζῶν μὲν ρό μυριάδας, ἱππέων μὲν μιᾷ πλείους τῶν εἴκοσι μυριάδων*, *peditum decies ſeptics centena millia*, *equitum ſupra ducenta dena millia* numerabat, ut ait Diodorus lib. 2. ubi ſubnectitur: Semiramidem exercitum altero tanto penè majorem in Indiam infudiſſe. Erant enim *πεζῶν μὲν τριακόσιαι μυριάδες, ἱππέων μὲν πεντήκοντα μυριάδες*, *peditum quidem tricies centena millia*, *equitum autem millia ducenta quinquaginta*. At qui Geneſeos hiſtoriam legerit, deprehendet, ævo Patriarcharum Syriam & Meſopotamiam adhuc penè vacuas fuiſſe cultoribus, unde de reliquis etiam facere conjecturam licet. Hinc Moab & Ammon ſuam ſinguli gentem ampliſſimam, ſuam Iſmael in Arabia, ſuas ſinguli Cethuræ filii partim in Troglodytide, partim in Arabia felice, partim in India condiderunt, ſi Joſepho fides eſt. Ante Abrahamum igitur eæ regiones nondum fuerunt coloniis occupatæ. Amraphel etiam cum cæteris Regibus fœderatis Chorræos in montibus Seir deleverat. Eam regionem Eſavus ducenteſimo ferè pòſt anno cultoribus adhuc exhauſtam invenit, ibique gentem Idumæorum à ſe propagavit. Quin & Laban Geneſ. xxx. 35. ſeparavit capras & oves & hircos & arietes varios ac maculoſos. Cunctum autem gregem unicolorem, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum, & poſuit ſpatium inter ſe & Jacobum trium dierum. Id factum non eſſet, niſi ſaltus longè latéque vacantes habuiſſent. Sed & Geneſ. xxxiv. 21. Sichem & Hemor ajunt, terram ſuam latam eſſe & ſpatioſam, adeóque cultoribus indigere. Si igitur tanta fuit in Syria, Meſopotamia, cæteriſque Babyloniæ regionibus ſolitudo, unde diſperſi fuerunt mortales, in cæteris mundi plagis majore intervallo diſſitis majorem etiam fuiſſe vaſtitatem ſequitur. Unde igitur Ninus & Semiramis tam numeroſos exercitus contraxerunt? Sed quid multis? Ninum longè Abrahami ætate fuiſſe recentiorem, ex Herodoto probant Uſſerius Annal. V. T. ad A. M. 2737. ad quem annum ejus imperium refert: Thomas Lydiatus in ſua adverſus Scaligerum defenſione lib. 1. Nicolaus Abramus Phar. V. T. lib. VI. qui eſt de regno Aſſyriorum, ubi pro Herodoto adverſus Cteſianas fabulas maſculè pugnat tum argumentis prægnantibus, tum ſuffragiis Lactantii, Theophili Antiocheni, Porphyrii, Caſtoris apud Euſebium. Quòd

verò

verò Caliſtenes, uti teſtatur Simplicius in 2. Ariſtotelis de Cœlo, ad Ariſtotelem Babylone ſcripſit, eo anno, quo Alexander urbem cepit, Chaldæos obſervationes ſuas aſtronomicas non produxiſſe ultra annos mille nongentos & tres, quod cum calculo Hebraico conciliari poſſe negat Voſſius: id ipſum quoque exigui omnino momenti eſt. Simplicius enim ex Porphyrio hoc deſumpſit, cujus hominis profani teſtimonium adverſus Hebraicam veritatem accipi non poteſt. Neque etiam de Regno vel Imperio Aſſyriorum, ſed de aſtronomicis gentis illius obſervationibus loquitur Calliſtenes. Potuerant autem aſtronomicæ obſervationes maturè admodum, adeóque ante regnum & urbem obtinere.

IX. Sinenſis porro ſeu Serum imperii antiquitates nullo operæ pretio obducuntur. Dicuntur habere hiſtoriam continuam Regum ab annis quater mille quingentis, qui proinde ſecundum calculum Hebraicum diluvium multis annis præverterent. Sed Chronologiæ illius Sericæ quæ certitudo eſt omni exceptione major? Etenim Chinenſium illæ Dynaſtiæ à Scaligero lib. 2. Canonum Iſagogicorum deſcriptæ, fide nituntur Auguſtinianorum Monachorum, aſſerentium, in archivis Sinenſium cuſtodita reperiri ſcripta diebus Moſis antiquiora. Jam olim Ludovicus Vives vir graviſſimus, non dubitavit illas Monachorum de antiquitatibus Chinenſium hiſtorias *fabuloſas nugas* pronuntiare. Et Confutii novem libros eſſe *librorum Sinenſium antiquiſſimos è quibus reliqui prodierunt*, teſtatur Trigautius lib. 1. de expeditione Chriſtiana apud Sinas cap. 4. Quid prohibet dicere, Confutium hunc aliosque antiquitates Sinenſium crepantes, æquè fingendi genio indulſiſſe, atque olim indulſere Manethos, Cteſias, alii! Quis ferat ejusmodi telis authentiam veritatis Hebraicæ impugnantes?

X. Morinus calculi Hebraici fidem imminuere conatur inter alia hoc etiam argumento, quòd juxta cum Abrahamo bellum gerente, & exteris Regibus Pentapolitanos oppugnante ſuperſtes adhuc fuerit Noachus & Semus. Quod tanquam abſurdum ita ille exaggerat: *Nullamne filii, nepotes, pronepotes venerandi ſenis rationem habuerunt? Nullamne Noachi? Num Regibus ceſſerant Noe, Sem, Arphaxad, cæterique majores jus imperii Babyloniorum, Ægyptiorum, Sicyoniorum, aliorumque populorum; cùm ætate, viribus, & animo maximè vigerent? Num ſiccis oculis filios ſuos barbarè ſeſe trucidantes conſpexerunt? Nulláne patria poteſtate aut interceſſione ſua pacem conciliare ſatagebant? Eſau boni patris peſſimus filius, extrema fratri minitans, in ipſo iracundiæ fervore patrem lecto decumbentem reverebatur.* Venient,

inquit, dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. *Credibile non eſt, Noachi tot poſteros ita hominem exuiſſe penitus, ut parentes ſuos ætate vigentes, filioſque alios generantes nullo loco habuerint.* Sed frigidiſſimæ hæ conjecturæ ſunt, quibus contra veritatem Hebraici calculi nequicquam pugnat ille. Primò enim ii, qui à Noacho & Semo jam pridem ſeceſſerant, inita contra Deum impia conſpiratione turrim Babylonicam machinati, divino judicio diſperſi ſunt varias in terræ hactenus inhoſpitæ oras. Non igitur ceſſionis aliquod jus expectare neceſſum habuerunt. Sufficiebat nempe coloniarum ductoribus & urbium conditoribus conſenſus populorum, quibus præerant. Neque aliud omnino jus quærendum iis fuit. Secundò Noachum fuiſſe ſuperſtitem, quo tempore bellum Pentapolitanum gerebatur, ex calculo Hebraico minimè ſequitur. Vixit enim poſt diluvium annos trecentos & quinquaginta, uti colligitur ex Geneſ. IX. 29. At bellum id plus quàm quadringentis poſt diluvium annis geſtum eſt. Tertiò quæ Semo, Arphaxado, aliiſque componendarum inimicitiarum eſſe cura potuit, cùm fuerint à bellatoribus illis procul diſſiti, neque illis omnino liqueret, quid rerum attentarent illi, qui pridem ab ipſis diſceſſionem fecerant? Mirumne erat, abſentiâ & diſtantiâ majorum effectum eſſe, ut ex poſterorum pectoribus, tum erga majores tum erga æquales, quantumvis proxima neceſſitudine junctos, στοργὴ illa & naturalis conſanguinitatis affectus plurimum imminueretur & debilitaretur? Cujus rei evidentiſſimum præbet exemplum Joſephus, qui quamvis Midianitis & Iſmaelitis proxima neceſſitudine innexus eſſet (tertius enim conſanguinitatis gradus eos conjunxerat) tamen iis ab invidis fratribus venditus, adeò eorum habitatione diſſitorum benevolentiam nullam expertus eſt, ut eum à Midianitis & Iſmaelitis, perinde ac è noſtris aliquem à Turcis, ut mancipium cöemptum, & poſtea ab iiſdem pro mancipio venditum eſſe videamus. Denique an bellatoribus illis fratribus defuerunt, ſi Græcum magis quàm Hebraicum calculum libeat nobis ſectari? An Eſavi conſilium de fratris nece differenda ob reverentiam patris, plus adverſus bella faciet, quàm pro illis fratricidium à Caino & Abſolone, nequicquam obſtante reverentiâ parentibus vivis debitâ, perpetratum?

XI. Præcipua hæc argumenta, quibus Hebraicus calculus ab hoſtibus Hebraicæ veritatis impetitur, attuliſſe ſufficiat. Nam quod de Cainane inprimis urgent *οἱ ἐξ ἐναντίας*, jam prima exercitatione nodum illum expedivimus. Reliqua quoque quæ afferri ſolent pro Græco calculo argumenta ad compendium ponimus, tum quia leviſſima adeóque planè

Digitized by Google

planè ἀδιέλεγκτα ſunt, tum quia fuſè diſcuſſa ab aliis, inprimis Uſſerio & Roberto Baillio.

XII. Sequitur annus nativitatis Abrahami. Eum inter ἄλυτα jam olim numerârunt Hieronymus & Auguſtinus, ac noſtro ſeculo Joſephus Scaliger, qui in Elencho poſterioris orationis Chronologicæ Paræi, Eliam expectandum eſſe ait, qui nodum huncce ſolvat. Nempe cùm Moſes Geneſ. xi. 26. dicat, Thærachum anno ætatis ſeptuageſimo generâſſe Abrahamum, Nachorem & Haranem, nec difiniverit, quis horum primogenitus fuerit, natum inde dubium: An Abrahamus, qui primus à Moſe numeratur, primogenitus ille, adeóque anno Thærachi ſeptuageſimo natus fuerit? Primogenitum fuiſſe veteres plerique aſſerunt, non alio ferè argumento, quàm quia primo loco recenſetur à Moſe, unde neceſſum ſit, ut ab eo factum ſit gignendi initium, adeóque is anno ætatis Thærachi ſeptuageſimo natus fuerit. At primogenitum non fuiſſe, ſed anno demum Thærachi centeſimo trigeſimo natum ſtatuunt alii, inter veteres Procopius Gazæus, Chryſoſtomus, Theodoretus ab Uſſerio hanc in ſententiam citatus: inter recentiores verò Lyranus, Cajetanus, Lipomannus, Calvinus, Beroaldus, Pareus, Uſſerius, Ger. J. Voſſius, alii. Argumento illis eſt, quòd Geneſ. xi. 32. Thærachus vixiſſe dicatur annos ducentos & quinque, cùm moreretur Charane: Abrahamus autem tum, quando egreſſus eſt Charane, egiſſe annum ſeptuageſimum quintum, diſertè dicatur cap. xii. 4. Hoſce LXXV. annos ſi auferas de annis Thærachi CCV. reſidui erunt anni CXXX. Tot igitur annorum fuiſſe Thærachum colligunt. Accedit authoritas Protomartyris Act. vii. 4. ubi diſertè ait, exiviſſe Abrahamum Charane demum poſt mortem Thærachi. Fateor ſanè poſteriorem ſententiam argumento tam valido ſuffultam, ejusmodi eſſe, ut longè magis quàm prior aſſenſum impetrare debeat.

XIII. Cùm verò in verbis illis Stephani, quibus aſſeritur, Abrahamum poſt mortem patris in terram Canaan progreſſum eſſe, adeóque ſecundum Moſen anno Thærachi CCV. Abrahami verò LXXV. totius ferè rei cardo vertatur, paucis quid ad ea reſpondeant alii, expendere animus eſt. Et Syncellus quidem, Maſius, Nicolaus Abramus, qui verba Stephani non de morte Tharæ naturali, ſed de ſpirituali idololatriæ morte, eò quòd apud Deos ſuos Charane manere, quàm filium divinitus vocatum ſequi maluiſſet, interpretantur, digni haud ſunt, qui in numerum perveniant. Quid enim attinet relicta proprietate literæ ad ſenſum tropicum confugere? Inprimis, cùm piè credendum ſit, Thærachum cum Abrahamo patriâ deſertâ in terram Canaan pro-

Digitized by Google

perantem converſum fuiſſe unâ cum filio ad veri Dei cultum. Neque etiam Angelocrator ſe expedit, qui in Chronologiæ ſuæ prodromo putat, vocem μετὰ in verbis Stephani poſſe habere ſignificatum *circa*, non *poſt*, ut ſenſus ſit, quòd ſub vel circa mortem patris, hoc eſt, ingraveſcente ejus ætate Abrahamus profectus ſit. Nam ea latitudo vocis μετὰ non eſt, ut *circa* vel *ſub* ſignificare poſſit. Deinde dici non poteſt, *circa* vel *ſub* mortem Thærachi profectum eſſe Abrahamum, ſi inter eam filii profectionem & mortem patris 60 anni interceſſerunt.

XIV. Alii duas profectiones Abrahami ex Charane diſtinguunt. Priorem cùm eſſet annorum LXXV. patre adhuc vivente; poſteriorem, cùm eſſet annorum CXXXV. defuncto jam patre. De priori illa loqui Moſen, de poſteriori Stephanum. Per LX. autem poſtremos annos ajunt Abrahamum non tam habitâſſe in terra Canaan, quàm peregrinatum eſſe, eò quòd per intervalla patrem & fratres viſeret. Renuntiata patris morte reverſum eſſe in Charan, tum ad curandum paternum funus, tum ad cernendam hæreditatem, atque inde poſtea egreſſum animo certiſſimo atque firmiſſimo nunquam eò revertendi in poſterum, ut perpetuus deinceps terræ Canaan colonus & habitator eſſet. Ita Pererius *in Geneſ. lib.* XVI. *Num.* 199 &c. Boulducus *de Eccl. ante legem pag.* 319. ubi crebrò remeâſſe Abrahamum ad inviſendum parentem contendit; Dionyſius Petavius *Ration. Temp. part.* II. *lib.* 2. *cap.* 2. ubi docet, Abrahamum anno ætatis LXX. Chaldæâ ceſſiſſe, & in Meſopotamiam ejuſque oppidum Charran abiiſſe: tum poſt annos V. relicto patre ac propinquis in terram Chanaan migrâſſe anno ætatis LXXV. ibi cùm annos circiter LX. conſediſſet, ſub Thærachi obitum divino inſtinctu Meſopotamiam adiiſſe, cùm ageret annum ætatis CXXXV. Inde mortuo parente ac ſepulto, diviſoque cum fratribus patrimonio, in Chanaan rediiſſe, ac tum demum *tranſlatum* dici à Stephano Abrahamum, vel, ut legit Auguſtinus, *collocatum* in Chananitide, cùm jam nullam bonorum partem extra eam reliquam haberet. Hactenus enim non omnino, hoc eſt, πανοικὶ illum migrâſſe.

XV. Verùm geminum illud profectionis commentum eliſerunt alii, nominatim Torniellus, Salianus, Bonfrerius, & fuſè Harvillæus *Iſag. Chronol. ſect.* 33. Etenim illud μετοικίζειν nihil aliud demonſtrare poteſt, quàm facere, ut quis migret vel ſedes mutet: ſive is qui migrat, fixè & conſtanter maneat in termino quem petit, ſive ad tempus ibi permanſurus ſtatuatur. Unde & transmigratio Babylonica nomine μετοικεσίας

Digitized by Google

σίας venit ipſi Stephano eodem cap. v. 43. Et Threnor. I. 3. Μετῳκίσθη Ἰουδαία ἀπὸ ταπεινώσεως αὐτῆς, καὶ ἀπὸ πλήθους δουλείας αὐτῆς. *Migravit Judæa præ humiliatione ſua, & præ multitudine ſervitutis ſuæ.* Quin & univerſa tum Abrahami tum poſterorum ejus in terra Canaan commoratio venit nomine peregrinationis non tantùm apud Apoſtolum Hebr. XI. 9. ſed etiam ipſum Moſen Geneſ. XXXVI. 7. XXXVII. I. Exod. VI. 4. Præterea verba illa Apoſtoli Geneſ. XII. 15. *ſi patriæ illius memores fuiſſent, ex qua exiverunt, habebant opportunitatem ad revertendum*; in Abrahamo præcipuè habuerunt locum, qui urgente fame in Ægyptum potiùs non ſine vitæ diſcrimine proficiſci, quàm in patriam reverti maluit, ac præterea tantopere cavit, ne filius Iſacus in eam terram reduceretur, ex qua ipſe egreſſus fuerat Geneſ. XXIV. 5, 6, 7. Præterea jugulum aſſertioni illi petit ſeries verborum Stephani, ex qua collato nimirum v. 4. & 5. liquidò apparet, Abrahamo, cùm poſt mortem Thærachi migraret in terram Canaan, adeóque poſt ſecundam, ut authores illi pertendunt, profectionem, filium non fuiſſe. Atqui anno CXXXV. adeóque poſt ſecundam, quam illi ſupponunt, migrationem, Abrahamo non tantùm Iſmael, ſed etiam Iſacus jam natus fuerat. Neque verò ſatisfacit hic Petavius, ajens, *ſolam κατάσχεσιν repromiſſionem factam dici antequam haberet filium; non autem translationem & ſecundam in Canaanæam migrationem, quaſi diceret: Repromiſit illi jam tum, cùm non haberet filium. Porro illam repromiſſionem jam pridem editam eſſe, cùm primùm è Chaldæa proficiſceretur.* Atqui promiſſionis illius Abrahamo è Chaldæa proficiſcenti ne uno quidem verbo Stephanus meminit. Quin potiùs intellexit eam *κατάσχεσιν repromiſſionem*, quam Deo Abrahamo jam in Chananæam tranſlato impertiverat Geneſ. XII. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.*

XVI. Cùm igitur ſolidi nihil afferri poſſit contra collectionem ex Protomartyre Stephano factam, nos ſecurè concludimus, Abrahamum, qui poſt patris annum ducenteſimum quintum agentis mortem relicta Charane in terram Canaan iter ſuum proſecutus eſt, annos agens tum ſeptuaginta quinque, natum eſſe anno Thærachi non ſeptuageſimo, ſed centeſimo trigeſimo. Neque omnino ſalvam & illibatam eſſe poſſe veritatem concionis Stephani arbitramur, ſi obtineat prior illa, quam impugnatum imus, ſententia.

XVII. Sed duo potiſſimùm Petavius obducit. Primò ita argutatur: *Sicut in octo prioribus Patriarchis, qui Abrahamum antecedunt, nemo dubitat, quin eo parentum anno nati ſint, qui à Moſe ponitur, ut puta Thare anno Nachoris 29. Nachor anno Serugi 30 & ita reliqui, per quos annorum ab diluvio*

diluvio ſumma decurrit: ita cùm Scriptura anno Tharachi 70. natum aſſerat Abrahamum, qui præcipuum in ea ſerie locum ſibi vendicat; adeò ut ejus propemodùm unius cauſâ narratio hæc & enumeratio Patriarcharum inſtituta ſit; non eſt conſentaneum alteri, quàm ſeptuageſimo patris anno ortum illius adſcribere, pag. 70, 71. Sed judicent hic omnes, an levis ejuſmodi argumentatio præpollere poſſit argumento fortiſſimo à Moſis & Stephani narratione petito? Equidem planè præpoſtera eſt comparatio πιδογονίας octo præcedentium Patriarcharum cum πιδογονίᾳ Thærachi. In illa enim uniuscujusque Patriarchæ ortus ſingulariter & diſtinctè eſt memoratus. Unde neceſſum eſt dicamus, eo parentum anno natum eſſe quemque, qui à Moſe ponitur, ut puta Thare anno Nachoris 29. Nachor anno Serugi 30. & ſic deinceps: In hac verò, Thærachi nimirum, non unus diſtinctè ponitur filius, ſed tres confuſè & mixtim. Proinde abrumpitur hic, nominatis tribus fratribus, ætatis mundi continuatio, & à nova deinceps epocha, nimirum peregrinatione Hebræorum, ſive Abrahami ex Charane in terram Canaan profectione cum obitu Thærachi patris, deducitur: Planè ut Geneſ. V. 32. nominatis tribus filiis Noachi, Semo, Chamo & Japheto, abrumpebatur Chronologia, & continuabatur nova epocha à diluvio petita, uti ex Geneſ. XI. 10. liquet. Quòd verò negat Scaliger, *vel in ſacris vel in exoticis ſcriptis filios aliter recenſeri quàm genituræ ordine*; id ipſum quoque dilutum eſt, uti ex iis liquet, quæ ſuperiùs à nobis dicta. Ita I. Chron. I. 28. filii Abrahami Iſacus & Iſmael, cùm tamen Iſacus anno Abrahami centeſimo, Iſmael verò anno ejusdem LXXXVI. in lucem editus fuerit. In filiorum Jacobi recenſione idem obſervari poteſt nullo negotio Geneſ. XLVI. XLIX. I. Chron. II. 1, 2. &c. Ita dignitatis habita ratione Iſacus Iſmaeli Geneſ. XXV. 9. Jacobus Eſavo Geneſ. XXVIII. 5. Joſ. XXIV. 4. Ephraim Manaſſi Geneſ. XLVIII. 20. & ob principatus prærogativam Judas reliquis fratribus I. Chron. II. 3. cum V. 2. & Moſes Aharoni Exod. VII. 7. præponitur.

XVIII. Deinde Petavius tanquam abſurdiſſimum exaggerat, quòd hac ratione Abrahami natalis annus prætermiſſus eſſet, in quem tamen Moſes præcipuè animum ac ſtilum intendebat. *Quæ*, inquit, *fingi cauſa poteſt, cur cùm Tharæi poſteritatem per Abrahamum potiſſimùm Scriptura propagare vellet, ejus ortum in obſcuro reliquerit, imò verò fucum fecerit, ac ludicra ambiguitate lectorum judicia fruſtrata ſit?* pag. 71. Verùm annum natalem Abrahami à Moſe prætermiſſum eſſe negamus. Nam ſubducto ab integræ vitæ Thærachi annis CCV. numero annorum LXXV. quos Abraham

Digitized by Google

ham egiſſe dicitur Charane egreſſus: inter nativitatem Thærachi & filii ejus Abrahami cxxx. annorum ſpatium interceſſiſſe intelligitur. Ac proinde juxta ipſum Moſen Abrahamus natus fuerit anno patris Thærachi cxxx. Non igitur ejus ortum in obſcuro reliquit, multò minùs fucum facere voluit Moſes lectori, quod procaciter nimis diſſentientibus impingit Jeſuita.

XIX. Habemus igitur confectam ſummam annorum, à diluvio nimirum ad Thærachum usque generare incipientem annos CCXCII. à Thæracho verò generare incipiente ad Abrahami nativitatem usque annos LX. à nativitate Abrahami ad ejusdem egreſſum è Charane annos LXXV. Conſiunt à diluvio ad migrationem Abrahami ex Charane in terram Canaan in univerſum anni CCCCXXVII. Atque hæc prior epocha eſt Patriarcharum poſtdiluvianorum.

XX. Poſteriorem epocham auſpicamur à peregrinatione Abrahami in terra aliena, adeóque ab ingreſſu Abrahami in terram Canaan. Anni porro peregrinationis illius definiuntur à Moſe Exod. XII. 40. ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה *Et peregrinatio filiorum Iſrael, qui in Ægypto commorati ſunt, fuit quadringentorum triginta annorum.* Ad quem locum tria potiſſimùm obſervat eruditè Uſſerius Aramachanus *Chronol. S. lib.* II. *cap.* 8. Primò מושב ut generatim quamvis habitationem, ita ad externos & advenas relatam *peregrinationem* notare. Unde apud Hebræos תושב *inquilinum* & peregrinum deſignat: & Abrahamus ipſe Geneſ. XXIII. 4. ſe in terra Canaan גר ותושב *πάροικον καὶ παρεπίδημον* fuiſſe dicit. Et Geneſ. XXI. 34. pro ויגר Chaldæus habet ותותב. Et cap. XXVIII. 4. pro את ארץ מגוריך idem habet ית ארעא תותבותך Secundò terram Canaan *terram peregrinationis* ut Abrahami, Iſaci & Jacobi, ita etiam Iſraelitarum ab iis deſcendentium habitam fuiſſe: propter arctiſſimum videlicet, quod inter majores & poſteros intercedit neceſſitudinis vinculum. Et ſanè tribus illis Patriarchis, Abrahamo, Iſaco & Jacobo terram hanc peregrinationis ipſorum hæreditariò poſſidendam eis ſe daturum Deus promiſerat Pſal. CV. 11. quod in poſteris demum eorum completum fuit. Ut igitur poſterorum poſſeſſio patribus: ita & patrum peregrinatio hic tribuitur poſteris. Exempla ejus rei plura Vide Pſal. LXVI. 6. Hoſ. XII. 4. Amos. V. 25. Act. VII. 42. Judic. X. 11, 12. Tertiò cùm Hebræi caſibus careant, pronomen אשר ambiguæ hic eſſe relationis. Unde & in ipſa editione Vulgata Latina, Biblia Polyglotta, Antverpiana Regia, & Jayana Pariſienſia hic legant: *Habitatio autem filiorum Iſrael, QUI manſerint in Ægypto, fuit* 430 *annorum.* Ubi

 alia

alia ejusdem editionis exemplaria habent: *Habitatio filiorum Iſrael, QUA manſerunt in Ægypto.* Quæ poſterior relativi pronominis acceptio χρονογραφίαν determinans cùm manſioni Iſraelitarum in Ægypto tribuit annos 430. quæ tota parte dimidiâ brevior fuit; omnino præferenda fuerit prior, quæ incommodum illud tollit, & προσωπογραφίαν tantùm nobis exhibet ſive deſcriptionem eorum, quorum univerſa παροίκησις ſive peregrinatio, ab anno 76. Abrahami cœpta, inde ad egreſſum ex Ægypto usque 430. annorum ſpatio eſt continuata. Eam autem Iſraelitarum deſcriptionem cur ab Ægypti tantùm incolatu petierit Moſes, quia illa patrum peregrinatio & paucorum hominum exiſtit, & interrupta fuit aliquoties, & minùs in oculos hominum incurrit, cùm eſſent videlicet *numero modici, pauciſſimi & inquilini in ea, & pertranſirent de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*, Pſal. cv. 12, 13. hæc verò filiorum in Ægypto ingentem complexa multitudinem hominum, ſtabilis & apud omnes celebrata fuerit. Tria enim, uti Pererius etiam notat, habitationem Iſraelitarum in Ægypto noſcibilem & illuſtrem reddiderunt. Primò Joſephi principatus, quo vigente maxima in dignatione populus Iſraeliticus fuit. Secundò poſt mortem Joſephi inſignis & admiranda multiplicatio populi, licet laborioſiſſima ſervitute affligerentur. Tertiò liberatio eorum atque exitus ex Ægypto tot tantisque cum prodigiis conjunctus.

XXI. Cæterùm viri quidam doctiſſimi negant, annos illos ccccxxx. auſpicandos eſſe ab Abrahami in terram Canaan migratione, & ordiendos potiùs contendunt vel à Jacobi μετοικεσίᾳ in Ægyptum, vel à Joſephi venditione & abductione in Ægyptum. Hac in ſententia eſt Stapletonus in *Antidotis Apoſtolicis Act.* VII. Genebrardus *Chronograph. lib.* I. Thaddæus Dunus Loccarnenſis (quem à Baillio tanquam obſcurum verbis *neſcio quibus* traduci ægrè fero, cùm notiſſimum in literis nomen fuerit, Loccarna religionis gratiâ Tigurum profugus, Vir planè egregius) *de Peregrinat. Fil. Iſrael in Ægypto*, Nicolaus Abramus *Pharo V. T.* pag. 221, 222. &c. Gerhardus Johannes Voſſius *Chronol. S. diſſert.* VII. aliique plurimi. Quorum priores Stapletonus & Genebrardus à Jacobi; poſteriores, Dunus & Nicolaus Abramus à Joſephi in Ægyptum deſcenſu eos interpretantur. Voſſius verò ita diſtinguit, ut anni quadringenti à Jacobi, anni verò 430 à Joſephi in Ægyptum deſcenſu ſupputentur. Nos eam aſſertionem, quæ Iſraelitas in Ægypto peregrinatos eſſe ſive 400. ſive 430. annos, undecunque ſumatur initium, ſtatuit, ſequentibus potiſſimùm argumentis oppugnatum imus.

XXII. Primò

Digitized by Google

XXII. Primò Caathum filium Levi cum Jacobo avo ſuo deſcendiſſe in Ægyptum, conſtat ex Geneſ. XLVI. 11. Hujus vitæ anni fuerunt CXXXIII. Filii ejus Amrami CXXXVII. Exod. VI. 18, 20. Filius Amrami Moſes annorum fuit LXXX. cùm liberandi eſſent Iſraelitæ à ſervitute Ægyptiaca Exod. VII. 7. Hi omnes anni ſimul juncti efficiunt ſummam annorum CCCL. A qua tamen ſumma ſubducendi eſſent anni Caathi, quos in Ægyptum deſcendens cum avo jam egerat, tum quos Caath egit poſt natum Amramum: tum denique quos egit Amramus poſt natum Moſen, ne videlicet ii anni omnes bis numerentur. Ex quibus apodictica demonſtratio conficitur, non potuiſſe Iſraelitas in Ægypto commorari per integros annos CCCCXXX. quot annis earum peregrinationem definit Moſes Exod. XII. 40. & Paulus Gal. III. 17. Excipit Genebrardus primò, *annos vitæ Amrami intelligendos eſſe non de omnibus totius vitæ ejus annis, ſed de annis vitæ, quam agebat cùm amiſit patrem, aut cùm genuit filios.* Atqui Scriptura quoties loquitur de annis vitæ, loquitur de annis vitæ totius. Deinde ne ſic quidem reperiri poſſent anni CCCCXXX. incolatus in Ægypto. Secundò cauſatur Genebrardus, *fortaſſe Scripturam ſacram more ſuo aliquos inter Levi & Moſen obſcuriores tranſiliviſſe, quemadmodum S. Matthæus inter Joram & Oziam tres Judæorum Reges præteriit.* Sed quas Scriptura ſacra perſonas uno in loco præterit, easdem alibi recenſet. Deinde ipſum Moſen aut quis avus ſuus fuiſſet, ignorare potuiſſe: aut ſi ſciret, in genealogia nomen ejus præterire voluiſſe, quis animum, ut credat, poterit inducere? Præterea cauſa erat, cur Scriptura has generationes nominaret, neque ullam omitteret: quia nimirum prædictum erat, quarta generatione reverſuros eos in terram Canaan Geneſ. XV. 15. Quòd ſi nobis permittimus in filiis Levi infulcire generationes, non habebimus in Scriptura argumentum, quo probetur, quartam generationem aſcendiſſe ex Ægypto.

XXIII. Secundò idem liquet ex generatione Jochebedæ matris Moſis, filiæ Patriarchæ Levi. Amram enim Exod. VI. 2. dicitur uxorem accepiſſe Jochebedam דודתו *amitam ſuam* uti Jarchius, Abulenſis, Cajetanus, aliique plures interpretantur. Vulgata quidem editio *patruelem*, & Græca θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ *filiam fratris ſui* reddunt. Verùm ex verbis Moſis Numer. XXVI. 59. ubi dicitur Jochebeda filia Levi אשר ילדה אתו ללוי במצרים *quam peperit ipſi Levi in Ægypto* mater ejus, quod ſubaudiendum eſſe arguit verbum fœmininum ילדה. Porro ex annis CXXXVII. quos vixit Levi, in Ægypto vulgò transegiſſe putatur annos XCIII. juxta calculum verò Uſſerii LXXXVII. Anni porro XXIII.

Digitized by Google

junċti annos LXXX. quos tempore Exodi agebat Moſes Exod. VII. 7. efficiunt annos CLXXIII. qui à CCCCXXX. ſubducti relinquunt annos CCLVII. quot annorum, admiſſa Genebrardi ſupputatione, Jochebedam fuiſſe oporteret, quo tempore Moſen peperit etiamſi ipſo Levi patris anno CXXXVII. genitam fuiſſe poneremus. Id autem quàm abſurdum ſit, omnes intelligunt. Ad eludendam argumenti hujus vim Salianus, Bonfrerius, aliique dicunt, Jochebedam non fuiſſe filiam ſed neptem Levi, & filiam dici eodem modo, quo Ephraim & Manaſſes filii Jacobi, Chriſtus Dominus filius David. Verùm id pugnat cum Num. XXVI. 59. ubi mater Jochebedæ eam dicitur peperiſſe marito ſuo Levi.

XXIV. Tertiò etiam Pauli inſigne teſtimonium Gal. III. 17. obſtat iis, qui annos 430. interpretantur de commoratione in Ægypto. Sic autem illud habet: Τῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τῦ θεῦ εἰς χριςὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος ὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. *Hoc autem dico, pactionem prius ſancitam in Chriſtum, lex quæ poſt quadringentos & triginta annos extitit, irritam non facit, ut evanidam reddat illam promiſſionem.* Ubi à promiſſione Abrahamo facta de benedicendo ejus ſemine uſque ad legem, datam poſt egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto menſe tertio, diſertè putat annos quadringentos triginta. Genebrardus loco clariſſimo tenebras inferre conatur. Ait enim, illud μετὰ *poſt* non referendum eſſe ad promiſſionem Abrahæ, ſed ad legem, quæ data ſit poſt annos 430. cùm nempe Hebræi venerunt in Ægyptum. Senſum igitur eſſe: *Lex quæ poſt* 430. *annos lata legitur Exod.* XII. *teſtamentum Dei prius Abrahæ factum, non facit irritum.* Atque manifeſtum eſt, robur argumentationis Apoſtolicæ pendere à tempore promiſſionis Abrahæ, non à tempore habitationis Hebræorum in Ægypto. Hujus enim ne quidem meminit Paulus. Imo parùm juviſſet ejus conſilium & propoſitum. Sic nempe argumentatur Apoſtolus: Quod magno intervallo ſeriùs extitit promiſſione, illud teſtamentum antea ratificatum caſſum irritumque reddere nequit. At lex magno intervallo, nimirum 430 annorum, ſeriùs promiſſione extitit. Ergo. Clarum eſt, Paulum illud intervallum expreſſis annis definire voluiſſe. Quòd ſi Paulus credidit, inter promiſſionem & legem non 430. ſed 645. ut illi volunt, annorum ſpatium interceſſiſſe, cur non potiùs majorem illum numerum, plus roboris inſtituto conciliaturum, quàm minorem in ſubſidium adhibuiſſet?

XXV. Alia ratione elabi conatur Nicolaus Abramus: *Non ait*, inquit,

Digitized by Google

quit, *Apoſtolus annis 430. poſt promiſſiones dictas Abrahamo, latam eſſe legem, ſed poſt teſtamentum confirmatum à Deo. Confirmari porro dicitur, non cùm primis velut lineis informatur, promittitur aut etiam primò conditur, ſed cùm informatum & conditum antea fuerat, iterata teſtatoris voluntate renovatur.* Poſtremam autem confirmationem, quæ priusquam Deus Moſi loqueretur, facta eſt Patriarchis, ait eam promiſſionem fuiſſe, quæ Jacobo in Ægyptum profecturo facta legitur Geneſ. XLVI. 4. hiſce verbis: *Ego deſcendam tecum in Ægyptum, & inde reducam te*, quæ verba immediatè præcedunt illa: *In gentem magnam ponam te ibi.* Quibus verbis contineri complementum omnium promiſſionum tribus Patriarchis factarum, Regnerus Barelius, vel quisquis author fuit problematum harmoniæ chronologicæ in Geneſin, *diſſert.* IV. *Num.* 21 & 25. aſſerit. Et ab eadem promiſſione annos 430. auſpicatur etiam Voſſius *diſſert.* VII. *cap.* 10. Verùm nullo negotio convellitur hoc χειρόφυκτον. Apoſtolus enim loquitur non de qualibet promiſſione, ſed de illa, quæ in omnes gentes redundatura erat: *ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu, ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem*, v. 14. At pollicitationes Jacobo in Ægyptum migranti factæ vocationem & benedictionem illam gentium minimè complectuntur. Sed inſtat Abramus: *Paulum promiſſionem à teſtamenti confirmatione disertè diſtinguere.* Ita eſt ſanè. Sed ita diſtinguit, ut poſterius membrum contineat explicationem prioris. Simplicem enim Dei promiſſionem pro pactione in ſe authentica agnoſci debere, ſatis ipſe indicat.

XXVI. Accedit Græcorum & Samaritani Interpretum conſenſus. Græci enim locum Exod. XII. 40. ſic tranſtulére. ἡ δὲ παροίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. *Peregrinatio filiorum Iſrael, quà peregrinati ſunt in terra Ægypti & in terra Canaan, ipſi & patres eorum, anni ſunt* 430. Ita habent Codex Alexandrinus, editio Complutenſis & Aldina. Quin & hoc modo jam olim lectum eſſe, liquere poteſt ex Euſebio in Chronico, Quinto Julio Hilarione in libello de mundi duratione, Auguſtino quæſt. 47. in Exodum, Sedulio in Gal. III. Quin & Apoſtolorum temporibus Doſitheus hunc locum ex Græca tranſlatione interpolatum ſic Samaritis ſuis tradidit: ומושב בני ישראל ואבותם אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים שלושים שנה וארבע מאות שנה: *Peregrinatio autem filiorum Iſrael & patrum eorum, qua commorati ſunt in terra Canaan & in terra Ægypti, fuit quadringentorum & triginta annorum.* Ut fruſtrà planè ſit Abramus, cùm ex unius Codicis Romani diſcrepantia verba illa Græca, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες

 αὐτῶν,

Digitized by Google

αὐτῶν, necnon *καὶ ἐν γῇ χαναὰν* traducit tanquam gloſſema, quod initiò margini adſcriptum, lapſu temporis in contextum irrepſerit.

XXVII. Sed opponit Genebrardus, aliique ejus ſuffragatores, locum Geneſ. xv. 13. Act. vii. 6. citatum: *Scito prænoſcens, quòd peregrinum ſit futurum ſemen tuum* בארץ לא להם *in terra non ſua; ſed ſubjicient eos ſervituti, & affligent eos annis quadringentis.* Hic *terram non ſuam* ſignificare Ægyptum illi pertendunt. In ea igitur peregrinatos fuiſſe Iſraelitas annos 430. rotundâ annorum 400 ſumma, prætermiſſis fractis, hic expreſſos. Verùm per *terram non ſuam* hic tum terram Canaan, tum Ægyptum deſignari, rectè etiam Pererius obſervavit, qui tria tempora, nempe peregrinationis ſeminis Abrahæ in terra non ſua, ſervitutis & afflictionis diſtinguunt, non disjunctè & ſeparatim, ſed conjunctim eventura & implenda intra ſpatium 400 annorum. Perperam verò Nicolaus Abramus ארץ לא להם *terram non ſibi* vel *ſuam* interpretatur terram non promiſſam, *non debitam, non deſtinatam* Iſraelitis, adeoque non terram Canaan, ſed Ægyptum. Quomodo etiam Voſſius ait, *terram non ſuam* Ægyptum notare, nullo modo terram Canaan, quæ fuerit patria terra, natalis & propria ſeminis Abrahami. Sed planè hæc inconſideratè dicuntur. Nam ſimpliciſſimo ac maximè germano ſenſu Græca reddit, *ἐν γῇ οὐκ ἰδίᾳ in terra non ſua* Stephanus Act. vii. 6. *ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ in terra aliena.* Talis nempe fuit terra Canaan, quam incoluere Patriarchæ. Quin Deus ipſe mentem ſuam explicavit Exod. vi. 4. ubi Patribus illis daturum ſe dixit terram Canaan ארץ מגריהם אשר גרו בה *terram peregrinationum ipſorum, in qua peregrinabantur.* Et Iſacus Jacobo filio optavit ut hæreditario jure poſſideret ארץ מגרי *terram peregrinationum, quam Deus dedit Abrahamo.* Geneſ. xxviii. 4. Confer Geneſ. xxxvi. 7, 8, 9, 43. & xxxvii. 1. Quamobrem etiam Paulus Hebr. xi. 8, 9. ſcribit. Abrahamum per fidem peregrinatum eſſe in terra promiſſionis *ὡς ἀλλοτρίαν tanquam peregrina*, in tabernaculis habitantem unà cum Iſaco & Jacobo cohæredibus ejusdem promiſſionis. Optimè omnium Auguſtinus *de Civit. D. lib.* xvi. 24. locum hunc propheticum explicat, inter alia ſic ajens: *Quemadmodum ſcriptum eſt de Thara patre Abrahami*; Et fuerunt dies ejus Charane quinque & ducenti anni; *non quia omnes ibi acti ſint, ſed quia ibi completi ſint: ita & hic propterea interpoſitum eſt*, & in ſervitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, *quoniam iſte numerus in eadem afflictione impletus eſt: non quia ibi univerſus peractus eſt, computantur ab anno ſeptuageſimo Abrahæ, quando ad eum facta eſt promiſſio, usque ad exitum Iſrael ex Ægypto quadringenti & triginta anni.* Patres maximo numero ſequi hanc expo-

expoſitionem, fatetur ipſe Voſſius. Quòd verò idem Voſſius ulteriùs inſtat, *verba Moſis loqui de ſemine Abrahami, at noſtram explicationem includere ipſum Abrahamum ejusque peregrinationem*, id ipſum quoque dilutum eſt: Quæ enim de Abrahami ſemine dicuntur, ipſi quoque Abrahamo rectè attribuuntur. Ita Deus Abrahamo promiſit terram Canaan in poſſeſſionem, quæ tamen promiſſio non in ipſo, ſed ſemine potiùs ejus impleta eſt. Tum peregrinationem Abrahami à ſeminis ejus peregrinatione noſtra aſſertio diſtinguit; cùm eos locos, qui de quadringentis annis loquuntur, de ſolis Abrahami poſteris: eos autem qui de annis 430. loquuntur, de poſteris ſimul & Abrahamo ipſo ejusque peregrinatione interpretantur. Denique Voſſii expoſitio à 430 annis excludit non ſolùm Abrahamum, ſed ipſum etiam Iſacum per totam vitam, & Jacobi peregrinationem ad annum usque centeſimum triceſimum: à ſervitute autem excludit omnes Jacobi poſteros ad mortem uſque Levi, quæ plus quàm nonaginta annis accidit poſt introitum in Ægyptum.

XXVIII. Denique Nicolaus Abramus ſecutus Genebrardum ſuum urget verba Achioris Ammonitæ, ex capite v. libri Judithæ, ubi Achior Iſraelitas habitâſſe in Ægypto per annos 400. profiteatur. Sed fatetur Voſſius, argumentum hoc leve eſſe, non tantùm quia liber eſt apocryphus, & Achior Ammonita res judaicas ignoravit: ſed inprimis quia in Codice Originali Græco nihil habetur de tempore. Nempe additio illa eſt à Chaldaico editore ex loco Geneſ. xv. minus attentè conſiderato. Videſis plura apud Torniellum ad A. M. 2329. Num. 17.

XXIX. Hactenus manifeſtum fecimus, quadringentos & triginta annos non à deſcenſu Jacobi in Ægyptum, ſed ab Abrahamo deducendos eſſe. Cæterùm ii ipſi, qui ſub Abrahamo epocham hancce conſtituendam eſſe conſentiunt, in eo tamen diſſentiunt, quo potiſſimùm Abrahami tempore ea figenda ſit. Alii enim eam figunt in id tempus, quo ex Ure Chaldæorum ſeptuaginta, ut illi volunt, annos agens egreſſus Charane quinque poſt annos conſederit: alii in tempus aliquod egreſſum ex Charane conſecutum. Priorem ſententiam amplectuntur Hebræi in Seder Olam cap. 1. 3. Mechilta rabba, Tanchuma, Paraphraſi Chaldaica Jonathanis in Exod. XII. 40. & vulgari Judæorum computo. Secutus eſt eandem jam olim Quintus Julius Hilarion in libello *de mundi duratione*. Sequuntur ex recentioribus plurimi, Cajetanus, Genebrardus, Arias Montanus, Bonfrerius, Bibliander, Beza, Tremelius,

Digitized by Google

melius, Temporarius, Capellus, Lydiatus, Lansbergius, alii. In ea aſſerenda prolixus eſt inprimis Harvillæus *ſub finem ſect.* 43. *tertiæ temporis periodi*, &, quem Uſſerius allegat, Thomas Pius in *Clepſydra* Anglicè conſcripta. Argumenta quibus Abrahamum diutinam moram traxiſſe Charane probare conantur Petavius, Harvillæus, aliique, diſcuſſa jam à nobis ſunt Exercit. III. §. 13. Ubi etiam oſtendimus, exigui temporis moram ibi traductam eſſe, quantam videlicet poſtulavit invaletudo & ſepultura Thærachi. Argumenta verò plura Thomæ Pii, quibus perſuadere laborat, ab anno Abrahami ſeptuageſimo & vocatione ex Ure Chaldæorum, peregrinationis ipſius & poſterorum ejus deducendum eſſe initium, ad partes vocavit vir maximorum in Rempublicam literariam meritorum, Uſſerius Armachanus *Chronol. S. cap.* IX. Cùm verò addictus hypotheſi ſuæ de gemina Abrahami vocatione, à nobis improbata ſuperiùs Exercit. III. §. 14. alicubi haud ex mente noſtra reſpondeat, nos eadem argumenta Pii paucis repetere, & noſtræ de unica Abrahami vocatione hypotheſi conformiter refellere conabimur.

XXX. Sunt autem argumenta ea ſequentia. I. *Abrahami peregrinatio eſt inchoanda ab eo tempore, quo natale ſolum reliquit*: Juxta Geneſ. XII. I. לך מארצך וּממולדתך *abi è terra tua & è cognatione tua. At reliquit, non cùm Charane, ſed cùm Ure Chaldæorum exceſſit.* Reſp. Terra & cognatio Abrahami eo loco omnino ſignificat non tam Charanem, quàm Ur Chaldæorum. Nam Ur Chaldæorum ipſi natalis erat. Neque obſtat locus Geneſ. XXIV. 4. ab Uſſerio objectus, ubi ארץ ומולדת *terra & cognatio* Abrahami non Charanem in ſpecie, ſed in genere Meſopotamiam, in qua & Charanem & Ur Chaldæorum ſitam fuiſſe largitur Uſſerius, ſignificat. Reſpondendum potiùs, peregrinationem Abrahami cœpiſſe tum, cùm deſerta & relicta Meſopotamia ingreſſus eſt terram peregrinam, nimirum Chanaan. Id autem factum non anno LXX. ſed LXXV. Abrahami, quo uno eodemque & Ure Chaldæorum & Charane diſceſſit. II. *Stephanus Act.* VII. *affirmat peremptoriè, celebre illud* לך לך *Geneſ.* XII. I. *conſignatum, fuiſſe Abrahamo dictum, antequam veniſſet in Charan; quod & ipſe Moſes ſufficienter inſinuat Geneſ.* XI. 31. *affirmans, Abrahamum cum Thara ex Ure veniſſe, ut iret in Chanaanem.* Fatemur id ipſum & nos. Sed perperam inde colligitur, exitum illum ex Ure Chaldæorum quinque annis contigiſſe priùs, quàm Charane diſcederet. Imo uterque exitus quo minùs uno eodemque anno contigerit, nihil prohibet. Idem dicendum ad argumentum ejuſdem Pii

ex

Digitized by Google

ex Gal. III. 17. ubi anni 430. computantur inde à promiſſione. Non enim hoc arguit moram quinque annorum Charane tranſactam eſſe. Eodem nempe anno incipiunt anni 430. quo Abrahamo Ure Chaldæorum verſanti promiſſio facta eſt. Sed potiſſimum, quo inducti ſunt viri docti, argumentum eſt, quod ſequitur. III. *Abrahamus*, inquiunt, *erat 75 annorum, quando relicta Charane in Chananæam profectus eſt: centum quando ei natus Iſacus. Unde liquet, à diſceſſu Abrahami Charane usque ad nativitatem Iſaci exactos eſſe annos 25. Porro Abrahami ſemen peregrinum futurum in terra non ſua per annos quadringentos, prædictum eſt* Geneſ. XV. 13. *qui anni à nativitate Iſaci incipiunt* Act. VII. 6. 8. *& in exitu poſterorum ejus ex Ægypto deſinunt. Cùm igitur à diſceſſu Abrahami ex Charane usque ad Exodum tantùm* 425. *annorum ſpatium interceſſerit, & totius peregrinationis anni fuerint* 430. *ut integræ ſummæ conſtet ratio, quinquennio ante profectionem Abrahami ex Charane horum annorum calculus incipiendus eſt, & ad illud tempus profectio Abrahami ex Ure Chaldæorum referenda.* Ad hoc jam argumentum rectè reſpondet Uſſerius, à nativitate nimirum Iſaci usque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto fuiſſe annos 405; quos uſitato omnibus more Scripturà pleno & rotundo 400 annorum numero expreſſerit. Ita Auguſtinus de Civ. D. lib. XVI. 24. *Quadringenti ſanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamvis aliquantò amplius ſint.* Et quæſt. 47. in Exodum: *Quia ſcriptum eſt*, In Iſaco tibi vocabitur ſemen; *ex anno nativitatis Iſaci usque ad annum egreſſionis ex Ægypto computantur anni* 405. Cùm ergo de 430. detraxeris 25. qui ſunt à promiſſione usque ad natum Iſaac, non mirum eſt, ſi 405 annos *ſummâ ſolidâ* 400 *voluit appellare Scriptura, quæ ſolet tempora ita computare, ut quod de ſumma perfectionis numeri paululum excreſcit, aut infra eſt, non computetur.* Deinde ſi omnino 400 horum annorum numerum ut præciſum & exactum accipere hic libeat, nihil adhuc prohibet, quò minùs ablactato Iſaco, & à fratre Iſmaele irriſo ejectum fuiſſe ancillæ filium Iſmaelem annos 19. & Iſacum liberæ filium annos 5. natum, promiſſionis ſemen declaratum fuiſſe, & ab hac diſcretione & determinatione ſeminis annos 400. deducendos eſſe dicamus.

XXXI. Quibus epôcham 430. annorum figere libuit in tempus aliquod ingreſſum Abrahami in terram Canaan conſecutum, non eâdem omnes viâ incedunt. Alii enim referunt ad tempus illud, à promiſſione Abrahæ in valle illuſtri facta Geneſ. XII. 7. Factam autem eſſe illam promiſſionem anno Abrahami 76. R. Moſes Lathiph Hieroſolymitanus & Johannes Benedictus ad Exod. XII. 40. Alii, ut Laurentius

tius Codomannus, ad annum Abrahami 77. quo profectus fuerit in Ægyptum. Hebræi verò plerique arceſſunt ab eo tempore, quo cum Abrahamo Deus inter diſſectas hoſtias fœdus percuſſit Geneſ. xv. Quibus conſentit David Pareus, eo argumento ductus, quòd ante id tempus *διαθήκης κεκυρωμένης fœderis ſanciti* ſeu *confirmati*, ut appellat Paulus Gal. III. 17. nulla uſpiam mentio occurrat. Quo verò anno poſt Abrahami in terram Canaan introitum contigerit illud fœdus, inter Hebræos & Pareum haud convenit. Illi enim contigiſſe ajunt anno poſt egreſſum Abrahami quinto, adeoque ætatis ejus octogeſimo: hic verò decimo poſt egreſſum, ætatis octogeſimo quinto. Verùm perperam hi, Chriſtiani inprimis, fœderis duntaxat, non etiam peregrinationis vel habitationis in terra non ſua, rationem habuere. Deinde *διαθήκην καὶ ἐπαγγελίαν*, *fœdus* & *promiſſionem* perperam à ſe invicem Pareus diſtinguit, cùm unam eandemque rem utroque illo nomine fuiſſe ſignificatam, ex Pſal. cv. 8, 9, 10, 11. aliiſque Scripturæ locis ſit manifeſtum. Sanè etiam Paulus Gal. III. 17. ponit tanquam æquipollentia *διαθήκην προκεκυρωμένην ἀκυροῦν fœdus prius ſancitum facere irritum*, & *καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν abolere promiſſionem.* Præterea definitus annus fœderis cum Abrahamo per בתרים ſeu *διχοτομήμασι diſſectas victimas* initi, ex ſacris literis nulla ratione elici poteſt. Nam quòd Pareus objicit locum Geneſ. xvi. 3. ubi Hagar Abrahamo data dicitur decimo anno habitationis Abrahami in terra Canaan, ſolidum haud eſt, cùm nota illa temporis non fœderi Abrahamico, ſed hiſtoriæ de Hagara ancilla à Sara Abrahamo in uxorem tradita quadret. Non enim quia cohæret narratio utriuſque hiſtoriæ, eodem illam contigiſſe tempore ſequitur. Etenim cap. xv. promittitur Abrahamo filius, futurus hæres. Sequenti verò hiſtoria ſubintroductæ Hagaris, quis credat Abrahamum tam impatientem fuiſſe deſiderii, ut ſtatim concubinam admitteret? Imprimis cùm textus poſt illam promiſſionem diſertè dicat, Saram, cùm videret ſe à Domino concluſam ne pareret, tum demum dediſſe Abrahamo uxorem.

XXXII. Abarbanel, Gerundenſis, aliique ex Hebræis 430. computant ab anno Abrahami centeſimo, natali Iſaci. Quadringentis nempe illis Geneſ. xv. 13. enuntiatis, additos contendunt triginta ob Iſraëlitarum in Ægypto peccatum. Sed & Procopius Gazæus minorem illum numerum ſub majore comprehendi potuiſſe affirmat, ad verba illa Geneſ. xv. 13. Quin & vir doctiſſimus Wilhelmus Langius de *Annis Chriſti* lib. II. 4. diſertè affirmat, annos quadringentos Deum numeraviſſe,

raviſſe,

Digitized by Google

raviſſe, ***non exactè***, *ſed ſicut Hiſtorici ſolent*, ***numero rotundo uſum.*** Verùm cùm conſtans ſit omnium Codicum lectio, neque rotundatio numeri, neque de mutato poſtea Dei conſilio Rabbinicum illud commentum efficere poteſt, ut 430. anni in Exodo ἀναφορικῶς interpretationem ſuam mutuentur ex annis quadringentis in Geneſi denominatis. Accedit, quòd circa nativitatem Iſaci nulla peculiaris promiſſio extet, cùm tamen Paulus 430. annos perſpicuè derivet à διαθήκῃ προκεκυρωμένῃ ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς Χριστὸν *fœdere prius confirmato à Deo in Chriſtum.* Neque enim nuda nativitas Iſaci, ut contendit Langius pro *confirmatione fœderis in Chriſtum* accipi poteſt: inprimis cùm Paulus promiſſionem & confirmationem fœderis ut ἰσοδύναμα ponat.

XXXIII. Reſtat igitur, ut epocha 430 annorum deducatur ab eo tempore, quo Abrahamus agens anno 75. prima promiſſione excitus Meſopotamiâ relictâ in Canaan movit. Illa nempe erat promiſſio prima non ordine duntaxat & tempore, ſed etiam dignitate, in cujus poteſtate ſubſecutæ promiſſiones omnes continebantur. Et ab eo tempore initium ſumpſit מגור *peregrinatio* Patriarcharum, incolere incipientium terram non ſuam. Quæ ſententia fuit antiquiſſimorum quorumque, teſte Georgio Syncello in Chronico pag. 117. ἡ τῶν υλ ἐτῶν ἀπαρίθμησις τῆς ἐν γῇ Χαναὰν παροικίας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, κατὰ τὴν πρὸς Ἀβραὰμ τοῦ θεοῦ πρόῤῥησιν, κατὰ τοὺς πάντας ἑρμηνεύσαντας καὶ ἱστορικοὺς ἀπὸ τοῦ ε. καὶ ο. ἔτους ἀριθμεῖται. *Supputatio* 430 *annorum peregrinationis Iſraelis in terra Canaan & Ægypto, juxta prædictionem Dei Abrahamo factam, communi interpretum & hiſtoricorum ſuffragio, à* 75. *Abrahami anno ducit exordium.* Neque aliter doctiſſimi Chronologi, inprimis Joſephus Scaliger, Dionyſius Petavius, Uſſerius Armachanus: & ex Judæis Philo Judæus, R. Eliezer, Abenezra, alii plurimi, & nuperrimè etiam doctiſſimus Menaſſe ben Iſrael *Conciliatore in Geneſin* quæſt. 41. Anni verò quadringenti, quorum mentio eſt Geneſ. xv. 13. ab anno Abrahami vel centeſimo, quo Iſacum genuit, vel centeſimo quinto, quo facta eſt diſcretio ſeminis Abrahami, & determinatio hæredis Iſaci, Iſmaele in exilium amandato, quin deducendi ſint, nemo ambigere poterit. Etenim Deus in ea prophetia, in qua quadringentos annos peregrinationi, afflictioni & ſervituti poſterorum definit, diſerte facit mentionem זרע *ſeminis* peregrinaturi, affligendi & ſervituri. Proinde ante ſemen illud vel præſtitutum vel diſcretum actu & determinatum anni illi 400. putari minimè poſſunt.

XXXIV. Annorum porro 430. ſpatiùm in duo æqualia partiuntur

intervalla non tantùm Euſebius aliique Chriſtiani Chronographi, ſed etiam Joſephus, & ante Chriſti tempora Demetrius non Phalereus ſed junior, ex quo Alexander Polyhiſtor refert, ἀφ' οὗ ἐκλεγῆναι Ἀβραὰμ ἐκ τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐλθεῖν ἐκ Χαῤῥὰν εἰς Χαναὰν, ἕως ἂν εἰς Αἴγυπτον τοὺς περὶ Ἰακὼβ ἐλθεῖν, ἔτη σιέ. *Ex quo electus eſt è gentibus Abraham & ex Charan in Chanaanem venit, uſque ad Jacobi in Ægyptum adventum, annos fuiſſe* CCXV. Ita etiam Joſephus Antiquit. 11. 6. Quæ quidem 215. annorum ſumma nullo negotio confici poteſt ex Scripturis. Abrahamus enim in terram Canaan profectus fuit annorum 75. Geneſ. XII. 4. Anno ætatis centeſimo, adeoque peregrinationis 25. genuit Iſacum, Geneſ. XXI. 5. Iſacus genuit gemellos Jacobum & Eſavum anno ætatis 60. Geneſ. XXV. 26. A Jacobi nativitate usque ad deſcenſum in Ægyptum decurrerunt anni 130. Geneſ. XLVII. 9. Calculus ita habet:

Abrahamus 75 annos natus profectus eſt in terram Canaan, ibique anno 100 genuit Iſacum. Utrumque inter numerum intercedunt anni	25
Iſacus Jacobum genuit anno ætatis	60
Jacobus in Ægyptum deſcendit anno ætatis	130
Summa	215

Reliquos verò 215. annos in Ægypto fuiſſe tranſactos usque ad Exodum, ſuo etiam loco, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, demonſtrabitur. Nunc igitur ex annorum, quos Patriarchæ tum ante tum poſt diluvium vixerunt, epilogiſmis ſumma nullo negotio colligi poterit. Ante diluvium enim exactos eſſe annos 1656. menſem unum & 16 dies, tomo. I. Exercit. XIII. oſtendimus. Poſt diluvium usque ad Tharachum generare incipientem anni effluxere 292. Inde usque ad nativitatem Abrahami anni 60. A nato Abrahamo ad ejusdem exitum ex Meſopotamia & peregrinationem anni 75. Inde verò à peregrinatione ad deſcenſum usque in Ægyptum anni 215. Qui epilogiſmi collecti conficiunt ſummam annorum poſt diluvium usque ad deſcenſum in Ægyptum 642. in univerſum verò, additis nimirum annis ante diluvium traductis, ſummam annorum 2298. quibus ætas univerſa Patriarcharum finitur. Quæ quidem annorum Patriarcharum ratio ex Chronologia Patriarcharum annexa uberiùs liquere poterit.

XXXV. Atque heic gradum ſiſtimus, metasque adeò hiſtoriæ noſtræ

Digitized by Google

ſtræ Patriarcharum ſtringimus. Deo optimo benigniſſimoque Patri & Myſtagogo noſtro gratias immortales agimus, quòd gratia ſua nos proſequi hactenus dignatus fuerit, ut & incipere & ad finem perducere opus multis modis intricatum ac perplexum integrum fuerit. Eundem toto pectore veneramur, ut noſtras hasce lucubrationes, quarum ornamenta, ſi qua inſita habent, in ſolidum ejus gratiæ accepta ferimus, ad ſancti in Eccleſia fœnoris uſuram provehat, per Jeſum Chriſtum Soſpitatorem unicum, cui unà cum Patre almoque utriusque flamine perennis laus & gloria conſtet.

FINIS.

CHRO-

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONOLOGIA
SACRA
PATRIARCHARUM.

Annus Mundi.

Adamus creatur die ſexto mundi circa autu- 1
mnum, die, ultimo Octobris noſtri reſpondente.
Geneſ. I. 26, 27. *Tom.* I. *Exerc.* IV. 15.

Cainus primus mortalium naſcitur ex matre Eva. *Geneſ.* 2
IV. I. *Tom.* I. *Exerc.* V. 2, 3.

Habel quo anno natus ſit, parum conſtat.

Cain furore percitus occidit fratrem, *Geneſ.* IV. 8. *Tom.* 129
I. *Exerc.* V. 33.

Hunc in annum probabiliter incidit cædes Habelis. Nam Sethus anno Adami 130. *dicitur ſurrogatus in locum Habelis. Proinde paulò ante natum Sethum Habel peremptus fuerat. Geneſ.* IV. 25. V. 3.

Naſcitur Sethus, ſecundus ab Adamo. *Geneſ.* IV. 25. V. 3. 130

Naſcitur Enoſchus tertius ab Adamo ex Setho, 235
cùm is eſſet annorum 105. Circa cujus tempora corruptus Dei cultus. Unde factum ut ſinceri unius Dei adoratores *filii Dei* audirent, & in publicis cœtibus Deum ſeorſim invocarent, reliquis *Filiis hominum* magis magiſque degenerantibus. *Geneſ.* IV. 26. V. 6. VI. I. *Tom.* I. *Exerc.* VI. I, 2. & 26, 27.

Naſcitur Cainan quartus ab Adamo ex Enoſcho agente 325
annum nonageſimum. *Geneſ* V. 9. *Tom.* I. *Exerc.* V. 50.

Mahaleel quintus ab Adamo naſcitur ex Cainane agen- 395
te annos 70. *Geneſ* V. 12. *Tom.* I. *Exerc.* VI. 31.

Jared ſextus ab Adamo naſcitur ex Mahaleele agente 460
annum 65. *Geneſ.* V. 15. *Tom.* I. *Exerc.* VI. 32.

Digitized by Google

An. M. Enoch ſeptimus ab Adamo naſcitur ex Jaredo agente
622 annum 162. *Geneſ.* v. 18. *Tom.* 1. *Exerc.* VI. 33.

687 Mathuſala octavus ab Adamo naſcitur anno patris Enochi 65. *Geneſ.* v. 21. *Tom.* 1. *Exerc.* VI. 34.

874 Lamech nonus ab Adamo naſcitur anno patris Mathuſalæ 187. *Geneſ.* v. 25. *Tom.* 1. *Exerc.* VI. 35.

930 Adamus generis humani parens ac ſator moritur, agens annum 930. *Geneſ.* v. 5. *Tom.* 1. *Exerc.* IV. 73.

987 Enochus poſtquam cum Deo ambulavit annos 365. vivus in cœlum abripitur, *Geneſ.* v. 23, 24. *Hebr.* XI. 5. *Tom.* 1. *Exerc.* IX.

1042 Sethus moritur, exactis annis 912. *Geneſ.* v. 8.

1056 Noe decimus ab Adamo naſcitur anno parentis Lamechi 182 *Geneſ.* v. 28. *Tom.* 1. *Exerc.* VI. 35, 36.

1140 Enoſchus moritur, exactis 905. annis. *Geneſ.* v. 11.

1235 Cainan moritur, anno vitæ 910 *Geneſ.* v. 14.

1290 Mahaleel moritur, anno vitæ 895. *Geneſ.* v. 17.

1422 Jared moritur, anno vitæ 962 *Geneſ.* v 20.

1536 Noë juſtitiæ præco mittitur ad mundum, cujus caro coram Deo corrupta erat, pænitentiam prædicaturus, eique 120 annos longanimitatis divinæ terminum præſtituturus. *Geneſ.* VI. 3. 1. *Pet:* III. 20. 2. *Pet.* II. 5. *Tom.* 1. *Exerc.* XVIII. 6.

1556 Noë annos agens 500. liberis dat operam, & ſucceſſu temporum gignit Semum, Chamum, & Japhetum, quos inter Japhetus primogenitus fuiſſe videtur. *Geneſ.* v. 32. *cum* X. 21. *Tom.* 1. *Exerc.* XX. 4.

1558 Semus undecimus ab Adamo naſcitur ex Nöe, quippe qui biennio poſt diluvium nempe Anno Mundi 1658. centenarius fuit. *Geneſ.* XI. 10. *Tom* II. *Exerc.* XXIII.

1651 Lamech moritur anno vitæ 777. *Geneſ.* v. 31.

1656 Mathuſala moritur, anno vitæ 969. mortalium omnium, quod conſtat, maximè longævus, *Geneſ.* v. 27.

In

In hunc annum incidit Univerſale diluvium mundi, quo is in impietate jacens, exeptis octo animabus & delectis animalibus, abſorbetur. *Geneſ.* VII. VIII. *Matth.* XXIV. 38. *Tom.* I. *Exerc.* XVIII. *An. M*

In eum annum incidiſſe diluvium, ſic colligitur. Nöe natus eſt Anno Mundi 1056. *Sexcenteſimo Noë anno, adeoque* 1656. *menſe* 2. *die decimoſeptimo Deus pluviam demiſit ſuper terram* 40. *dies &* 40. *noctes. Geneſ.* VII. 1, 4, 6, 11. *&c.*

Menſis primi die primo ſiccata eſt ſuperficies terræ, & removit Noë operculum arcæ. *Geneſ.* VIII. 13. 1657

Menſis 2. die 27. cum exaruiſſet terra, Noë cum omnibus incluſis exit ex arca. Geneſ. VIII. 14–19. Egreſſus ſoteria Deo immolat. Deus mundum gratioſè reſtaurat. *Geneſ.* VIII. IX *Tom.* I. *Exerc.* XIX.

Arphaxadus duodecimus ex Adamo naſcitur ex Semo 102. annos agente, ſub finem anni. *Geneſ.* XI. 10. *Tom.* II. *Exerc.* I. 7. 1658

Salah decimustertius naſcitur anno patris Arphaxadi 35. *Geneſ.* XI. 12. *Tom.* II. *Exerc.* I. 13. 1693

Heber decimusquartus naſcitur anno Salæ Patris 30. *Geneſ.* XI. 14. *Tom.* II. *Exerc.* I. 14. *&c.* 1723

Phaleg decimusquintus ab Adamo naſcitur anno 34. parentis Heberis. *Geneſ.* XI. 16. *Tom.* II. *Exerc.* I. 24. 1757

Phalegi hujus ætate ineunte cæpit diſperſio gentium paulò poſt attentatam turris Babylonicæ ſtructuram. *Geneſ.* X. 25. 1. *Chron.* I. 19. *Tom.* I. *Exerc.* XXII 7.

Babylonii, rerum potiente Nimrodo, ſyderum contemplationi vacare incipiunt. Colligitur ex Porphyrio apud Simplicium, in lib. II. de Coelo, *teſtante, ad captam uſque Babylonem ab Alexandro, annorum* 1903. *obſervationes cæleſtes inde in Græciam, Ariſtotele procurante, à Caliſthene fuiſſe miſſas. Quod ipſum* 1903. *annorum initium in hunc annum incidit.* 1771

Digitized by Google

An. M.
1787 Reu decimusſextus ab Adamo naſcitur anno Parentis Phalegi 30. *Geneſ.* XI. 18.

1816 *Incipit Ægyptiorum poteſtas ac Regium in ſubjectos imperium. Illud enim duràſſe annos* 1663 Conſtantinus Manaſſes *è veterum Hiſtoricorum fragmentis refert in Annalibus. Anni hi à tempore, quô Ægyptus à Cambyſe ſubjugata eſt, retro numerati hoc anno exordiuntur.*

1819 Serug decimusſeptimus ab Adamo naſcitur anno Patris Reu 32. *Geneſ.* XI. 20.

1849 Nachor decimusoctavus ab Adamo naſcitur anno Patris Serug 30. *Geneſ.* XI. 22.

1878 Thærachus undevigeſimus ab Adamo naſcitur anno Patris Nachoris 29. *Geneſ.* XI. 24. *Tom.* II. *Exerc.* I. 27.

1948 Thærachus generare incipit anno ætatis 70. Primogenitus fuit non Abram, ſed Haran, Nachoris ſocer ex filia Milca *Geneſ.* XI. 26, 28, 29. *Tom.* II. *Exerc.* III. I. *&c.* *&* XXIV. 12, 13. *&c.*

1996 Phaleg moritur anno ætatis 239. *Geneſ.* XI. 18, 19.

1997 Nachor moritur anno ætatis 148. *Geneſ.* XI. 24, 25.

2006 Noë præco juſtitiæ moritur, anno ætatis 950. poſt finitum diluvium annis 350. *Geneſ.* IX. 28, 29.

2008 Abramus viceſimus ab Adamo naſcitur anno Patris Thærachi 130. *Geneſ.* XI. 32. XII. I, 4. Act. VII. 4. *Tom.* II. *Exerc.* XXIV. 12.

2018 Sarai uxor Abrahami naſcitur, utpote decennio marito ſuo Abrahamo minor natu. *Geneſ.* XVII. 17. *Tom.* II. *Exerc.* III. 2.

2026 Reu moritur anno ætatis 239. *Geneſ.* XI. 20, 21.

2049 Serug moritur anno ætatis 230. *Geneſ.* XI. 22, 23.

2076 Chedarlaomer Rex Elon, ſeu Elymaidis, Pentapolitanos in ſervitutem redigit, quarto ante Abrami in terram Canaan ingreſſum anno. *Geneſ.* XIV. 4. Ita probabiliter ſtatui patebit ad annum 2091. & 2092.

Abra-

Abrahamus Ure Chaldæorum divinitus vocatur in eam terram, quam ipſi Deus oſtenſurus erat, nempe Canaan. *Geneſ.* XI. 31. XII. 1, 2. *&c.* *Act.* VII. 4. *Tom.* II. *Exerc.* III. 6, 7. *&c.* & XXIV. 12, 13. *&c.* *An. M.* 2083

Eodem anno Thærachus in medio itinere, Charane nimirum, morbo correptus eſt. Unde retardatus Abram & comites aliquot ibi menſes conſederunt; donec Thærachi beata ἀνάλυσις contingeret, anno ætatis ejus 205. *Geneſ.* XI. 31, 32. *Tom.* II. *Exerc.* III. 14.

Vere inſecuto, uti videtur, Abramus non nova, uti plerique putant, vocatione excitus, ſed vigente adhuc prima, obſequendum ei ſine mora ratus, Charane migrat cum Sara & Lotho, & in terram Canaan ingreditur. *Geneſ.* XII. 4, 5. *Tom.* II. *Exerc.* III. 16. XXIV. 14, 15. *&c.*

Prima ei ſtatio obtingit circa Sichem & Elon More. Ibi dominus ipſi apparens, promiſit ſe ſemini ejus datúrum regionem illam. *Geneſ.* XII. 6, 7. *Tom.* II. *Exerc.* III. 16, 17.

Inde refigens Abram proficiſcitur ad montana verſus Orientem tractum Luzæ, poſtea Bethelis dicti, proficiſcitur, atque ibi in ſecunda ſua ſtatione altare condit. *Geneſ.* XII. 8. *Tom.* II. *Exerc.* III. 19.

Inde denuo, pergendo in meridianum regionis tractum, qui Ægyptum ſpectat, proficiſcitur. *Geneſ.* XII. 9. *Tom.* II. *Exerc.* III. 21.

Abram fame cogente in Ægyptum hoc, uti videtur, 2084
anno, migrat, ubi uxoris raptæ & adulterandæ periculum ſubit. *Geneſ.* XII. 10–20. *Tom.* II. *Exerc.* III. 22, 23. & IV. 1. *&c.*

Sequente, uti videtur, anno Abram onuſtus muneribus 2085
ex Ægypto cum Lotho revertitur in terram Canaan. Cumque uterque abundaret pecoribus, & inter utriusque paſtores crebræ orirentur lites, ſeparatio inſtituitur, Lotho ad Sodomitas migrante, Abramo verò à loco

Mmmmm 3 inter

An. M. inter Bethelem & Hai tentoria movente, & in planitie Mamre, quæ eſt ad Hebronem, habitante. *Geneſ.* XIII. I, 2. *&c. Tom.* II. *Exerc.* III. 24, 25.

2088 Bera Rex Sodomæ & Pentapolitani Reguli adverſus Chedarlaomer Regem Elymaidis rebellant, anno 13. ex quo in ſervitutem redacti fuerant. *Geneſ.* XIV. 4.

2089 Chedarlaomer unà cum fœderatis Principibus adverſus rebelles Regulos ſuſcepta expeditione, & Raphæis, Zuzæis, Emæis, Choræis priùs percuſſis, Pentapolitanos in valle Siddim profligat, & Lothum unâ cum omnibus facultatibus Sodomæ & Gomorrhæ ſecum abducit. Sed Abram eos fugientes aſſecutus cæcidit, Lothum & reliquum captivum populum vindicavit. *Geneſ.* XIV. I, 2. *&c. Tom.* II. *Exerc.* V. I, 2. *&c.*

In hunc annum cum doctiſſimis Chronologis, bellum Pentapolitanum referimus. Perperam enim vel Hebræi eosque ſecutus Genebrardus, omnia quæ hactenus inde ab ingreſſu Abrami in terram Canaan narrat Moſes, in unum eundemque annum Abrami 76. compingunt, cùm fieri haud potuerit, ut tam brevi tempore omnia hæc contingerent; vel Chronicum Alexandrinum bellum hoc rejicit in annum Abrami 74. quo tempore nondum Ure Chaldæorum Abramus diſceſſerat: vel Epiphanius hæreſi 55. in annum Abrami 90. cùm tamen bellum hoc confectum fuerit antequam Abramus Hagarem duceret uxorem, quod factum anno Abrami 85: vel denique Tertullianus pluribus locis pugnam hanc pugnatam eſſe ab Abramo jam circumciſo. Diſceſſimus etiam hic ab Uſſerio, qui in 82. Abrami annum cladem hanc retulit, cùm tamen inter natum Iſmaëlem & bellum hoc omnino aliquod intervallum temporis ponendum ſit, niſi dicamus, Saram ſtatim poſt promiſſionem Abramo Hagarem dediſſe, quod utriusque impotentiam ſatis argueret.

2090 Deus Abramo in Elon Mamre apparet, eidemque poſte-

poſteritatem numero comparandam ſtellis Cœli promittit, expreſſo fœdere cum eo inito, in quo etiam 400. annorum in terra non ſua peregrinationem & afflictionem prædicit. *Geneſ.* xv. 1, 2. *&c.* *Tom.* 11. *Exerc.* III. 29, 30. *&c.* *An. M.*

Sara Seminis benedicti deſiderio, Abramo viro ſuo, exactis decem annis, ex quo habitavit in terra Canaan, Hagarem ancillam Ægyptiam tradidit in uxorem. Quæ gravida ex hero, & à Sara ob inſolentiam repreſſa fugit, donec ab Angelo promiſſionibus Dei revocata, ad officium rediit. *Geneſ.* XVI. 1, 3--14. *Tom.* 11. *Exerc.* VI. 1, 3, 4. *&c.* 2093

Hagar Abramo 86. annos nato filium Iſmaëlem peperit. *Geneſ.* XVI. 15, 16. XVII. 24, 25. *Tom.* II. *Exerc.* VI. 18. 2094

Arphaxad moritur anno ætatis 438. *Geneſ.* XI. 12, 13. 2096

Deus cum Abramo nato annos 99. fœdus init, in ſemine Iſaaci proximè naſcituri, illudque ſancit ſacramento circumciſionis, utriusque etiam nomine, *Abrami* in *Abraham*, & *Sarai* in *Sarah*, mutato. Quod fœdus Abrahamus per fidem amplexus, eodem die ſe & Iſmaëlem ac domeſticos circumcidit. *Geneſ.* XVII. 1, 21--23. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* VII. 1, 2. *&c.* 2107

Abraham proximo ante nativitatem Iſaaci anno Angelos humanâ formâ iter facientes ad ſe invitat & convivio excipit. Hi repetita de Iſaaco naſcituro promiſſione, conſilium de Pentapoleos exciſione ei aperiunt: Qui ſolicitus pro ſalute Lothi & familiæ pro Sodoma interpellat. *Geneſ.* XVIII. XIX. 29. *Tom.* II. *Exerc.* VIII. 2. 3, 4. *&c.*

Paulò pòſt Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim igne & ſulphure cœlitus demiſſo conflagrant. Lothus ante pluviam ab Angelis eductus evaſit ad exiguam Belæ civitatem, uxore Lothi in via converſa in ſtatuam ſalis. Paulò pòſt Lothus in montana ſeceſſit, ubi inceſtu ſe con-

Digitized by Google

An. M. contaminavit. *Geneſ.* XIX. *Tom.* II. *Exerc.* VIII. 19, 20. *&c.*

Abraham ex planitie Mamre ad regionem meridianam profectus, ut habitaret Beerſebæ apud Abimelechum, Regem Philiſtæorum, Gerari divertit. Ubi denuò periculum adulterandæ conjugis ſubivit. *Geneſ.* XX. *Tom.* II. *Exerc.* IV. 11, 12, 13. *&c.*

2108 Iſaacus filius promiſſionis viceſimus primus ab Adamo, naſcitur Abrahamo centenario & Saræ nonagenariæ. *Geneſ.* XVII. 17, 21. XXI. 1, 7. *Rom.* IV. 19. *Tom.* II. *Exerc.* XI. 2, 3. *&c.*

Eodem anno Moab & Ammon ex eodem Patre & avo Lotho naſcuntur. *Geneſ.* XIX. 36, 37, 38. *Tom.* II. *Exerc.* VIII. 29, 30.

2113 Ablactato Iſaaco, parens quinto ejusdem anno ingens convivium apparat. Cumque Iſmaël Iſaaco illuderet, ipſe unâ cum matre Hagare expellitur, atque ſic ſemen promiſſionis, hæres actu determinatur. A quo tempore auſpicari lubet annos 400. peregrinationis, ſervitutis & afflictionis ſeminis Abrahami. *Geneſ.* XXI. 8–12. *Gal.* IV. 29. *Geneſ.* XV. 13. *Act.* VII. 6. *Tom.* II. *Exerc.* VI. 19, 20. *&c.* XI. 5. XXIV. 27.

2126 Salah moritur anno ætatis 433. *Geneſ.* XI. 15.

2133 Hunc in annum incidit ligatio Iſaaci ad holocauſtum, juxta Joſephum quidem, qui eum, cùm offerretur, fuiſſe annorum 25. tradit *Antiquit. lib.* I. 14. Et ſanè ſatis jam adultum fuiſſe, liquere ex eo poteſt, quòd par fuit tantæ lignorum ſtrui geſtandæ. *Geneſ.* XXII. 1, 2, 6. *&c.* *Hebr.* XI. 17, 19. *Tom.* II. *Exerc.* IX. 1, 2. *&c.*

2145 Sara moritur Hebrone, anno ætatis 127. Ad ſepulturam ejus Abrahamus emit ſpeluncam Macpelæ ab Ephrone Hittæo. *Geneſ.* XXIII. 1, 2, 19, 20. *Tom.* II. *Exerc.* III. 55. 56.

2148 Abrahamus mittit Eliezerem in Meſopotamiam, nuptum Iſaaco,

Digitized by Google

Iſaaco, Ubi Rebeccam filiam Bethuelis pro eo obtinet, An. M.
quam Iſacus anno ætatis 40. adeoque hoc ipſo in uxorem accipit. *Geneſ.* XXIV. 1, 67. XXV. 20. *Tom.* II. *Exerc.* XI. 6,7. *&c.*

Semus natus annos 600. moritur. *Geneſ.* XI. 10, 11. 2158

Rebecca undeviginti poſt nuptias annis, intercedente 2167
pro ea Iſaco, gemellos concipit. *Geneſ.* XXV. 21. *Tom.* II. *Exerc.* XI. 15, 16.

Naſcuntur ex Rebecca juxta præcedens oraculum ge- 2168
melli, Eſavus & JACOBUS viceſimus ſecundus ab Adamo. *Geneſ.* XXV. 22, 26. *Hoſ.* XII. 3. *Tom.* II. *Exerc.* XII. & XIII.

Abraham Pater credentium moritur anno ætatis 175. 2183
poſtquam peregrinatus eſt annos centum. *Geneſ.* XXV. 7, 10. *Tom.* II. *Exerc.* III. 66, 67.

Heber moritur anno ætatis 464. omnium poſt diluvium 2187
natorum maximè longævus. *Geneſ.* XI. 16, 17.

Eſavus anno ætatis 40. duas uxores Hittæas, Iſaco 2208
& Rebeccæ moleſtiſſimas ducit. *Geneſ.* XXVI. 34, 35. *cum* XXVII. 46. & XXVIII. 8. *Tom.* II. *Exerc.* XII. 10. *&c.*

Iſmael anno ætatis 137. moritur. *Geneſ.* XXV. 17. 2231

Iſacus 40. ante abitum anno benedicere parat filiis. Ja- 2245
cobo matris aſtu & divina diſpenſatione potiorem benedictionem obtinente. *Geneſ.* XXVII. 1. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* XIV. 1, 2. *&c.*

Jacobus inſidiis Eſavi appetitus fugit in Meſopotamiam, in medio itinere Bethele per ſomnium videt ſcalam cæleſtem, & in Charan à Labane paciſcitur ſibi uxorem Rachelem pretio ſervitutis ſeptem annorum, quos ante ductam Rachelem impleviſſe ipſam probamus adverſus Uſſerium, Lydiat &c. *Geneſ.* XXVII. 43. XXVIII. XXIX. *&c.* *Tom.* II *Exerc.* XV & XVI.

Exacto ſeptennio ſervitutis Jacobus Rachelem ducere 2252

An. M. cogitans, fallitur à Labane, Leam ipſi ſupponente: cum qua completa nuptialis convivii ſeptimana, traditur ei Uxor Rachel, pacto pro ea altero ſervitutis ſeptennio. Leæ Laban ancillam dedit Zilpam, Racheli Billham. Cumque minùs à marito adamata eſſet Lea, quàm Rachel, hæc ſterilis divinitus, illa quatuor filiorum mater, redditur. *Geneſ.* XXIX. 21, 22. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* XV. 14. XVIII. 2.

Menſe decimo præter propter ejus anni naſcitur Ruben primogenitus ex Lea. *Gen.* XXIX. 32. *Tom.* II. *Ex.* XVIII. 3.

2253 Menſe octavo naſcitur Simeon ex Lea. *Geneſ.* XXIX. 33. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 8.

2254 Menſe ſexto naſcitur Levi ex Lea. *Geneſ.* XXIX. 35. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 9.

2255 Menſe quarto naſcitur JUDAS viceſimus tertius ab Adamo ex eadem matre Lea. *Geneſ.* XXIX. 35. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. II.

2256 Menſe ſecundo naſcitur ex Billha Dan. *Geneſ.* XXX. 3, 4. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 30.

Eodem anno ex Zilpa natus videtur Gad. *Geneſ.* XXX. 9, 10. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 32.

2257 Menſe circiter primo naſcitur Nephthali ex Billha. *Geneſ.* XXX. 7, 8. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 31.

Eodem anno naſcitur ex Zilpa Aſcher. *Geneſ.* XXX. 12, 13. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 33.

Eodem anno naſcitur ex Lea Iſaſchar. *Geneſ.* XXX. 17, 18. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 34.

2258 Naſcitur ex Lea Zabulon. *Geneſ.* XXX. 19, 20. *Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 35.

2259 Naſcitur ex Lea Dina. *Geneſ.* XXX. 21.

Ex Rachel verò exaudita tandem eodem anno naſcitur Joſephus, ad finem vergente ſeptennio altero ſervitutis. *Geneſ.* XXX. 23, 24. *&c.* *Tom.* II. *Exerc.* XX.

Hoc anno natum eſſe Joſephum ſic collegimus. Hic annus eſt

91.

Digitized by Google

91. Jacobi. Atqui in 91. Jacobi annum præciſe incidit nativitas Joſephi. Nam Jacobo 130. annos nato, cùm ſtetiſſet coram Pharone, exactis ſeptem annis copiæ & duobus famis, uti liquet ex Geneſ. XLV.6. *cum* XLVII.9. *Joſephus fuit annorum 39. utpote natus 30. annos, cùm ſtetiſſet & ipſe coram Pharaone, ſtatim ante ſeptem annos copiæ, uti habetur Geneſ.* XLI 32--46. *Subductis annis hiſce Joſephi 39. ab annis Jacobi 130. reſidui ſunt anni Jacobi 91. adeoq; Joſephus anno Jacobi 91. qui erat Annus Mundi 2259. natus fuerit.* *An. M.*

Jacobus finito altero ſeptennio, petita à Labane dimiſſione in patriam, nova pactione detentus eſt, ſex aliis annis pro certa gregis parte Labani ſerviens. *Geneſ.* XXX. 22, 25, 31. *cum* XXXI. 41. *Tom.* II. *Exerc.* XV. 15, 16, 17. *&c.*

Jacobus ſoceri fraudibus varie circumſcriptus, divinitus redire in patriam, ſexto poſt noviſſimam pactionem anno, jubetur. Divino ille oraculo, re cum uxoribus communicata, paret, & Labane ad tondendum oves peregrè profecto fugam adornat, & Euphratem trajicit. *Geneſ.* XXXI. 1, 3. *&c. Tom.* II. *Exerc.* XV. 23, 24, 25. *&c.* 2265

Naſcitur Benjamin ex Rachele in Cananæa non procul Bethlehemo, in ipſo Jacobi itinere. *Geneſ.* XXXV. 18, 19. *Tom.* II. *Exerc.* XIII. 22. *&c.*

Rachel enixa Benjaminem ſtatim animam exhalat, & à Jacobo in via quâ itur Ephratam, ſepelitur. *Geneſ.* XXXV. 17. *&c. Tom.* II. *Exerc.* XIII 22, 23. *&c.*

Joſephus anno ætatis 17. à lividis fratribus venditur, & ab Iſmaelitis in Ægyptum transportatur pro mancipio. *Geneſ.* XXXVII. 2--36. *Tom.* II. *Exerc.* XX. *Sect.* 1. 2276

Paulò poſt venditionem Joſephi Judas ſecedit à fratribus ad virum Adulamitem, ibique nubit Thamari, & ex ea gignit liberos. *Gen.* XXXVIII. 1, 2. *&c. Tom.* II. *Ex.* XVIII. 13, 14.

Diſſentiunt hic Chronologi tum Hebræi, Abenezra, aliique, tum Chriſtiani, Auguſtinus, Pareus, Mercerus, Uſſerius,

Digitized by Google

An. M. *Capellus, alii, qui ſeceſſum & matrimonium Judæ putant aliquot ante venditionem Joſephi annis contigiſſe. Cæterùm eam litem expedivimus Tom.* II. *Exerc.* XVIII. 17.

2287 Joſephus duobus aulicis Pharaonis ſomnia ipſorum convenienter eventui interpretatur, biennio nimirum, antequam accerſeretur ad Pharaonem. *Geneſ.* XL. XLI. *Tom.* II. *Exerc.* XX. *Sect.* 10, 11, 12, 13. *&c.*

2288 Iſacus moritur anno ætatis 180. *Geneſ.* XXXV. 28, 29.

2289 Joſephus Pharaoni interpretatur ſomnia, atque inde à Rege ſolutus carcere Proregiam ad dignitatem evehitur. *Geneſ.* XL. *Tom.* II. *Exerc.* XX. *Sect.* II. & III.

Proinde à meſſe hujus anni numerandi ſunt ſeptem anni fertilitatis.

2296 Incipiunt anni ſeptem famis, quibus Joſephi providentiâ & ſolertiâ & Ægyptus & vicinæ regiones mirificè ſublevatæ ſunt. *Geneſ.* XLI. 54, 57.

2297 Jacobus fame compulſus decem filios prima vice pro annona in Ægyptum mittit, qui variè à Joſepho diſſimulante exagitati, & tandem dimiſſi, Simone relicto obſide, patri omnia exponunt, & fratris Benjaminis ſiſtendi neceſſitatem eidem perſuadere laborant. *Geneſ.* XLII. *Tom.* II. *Exerc.* XX. *Sect.* IV. 2.-18.

2298 Jacobus ſecunda vice Benjaminem & reliquos filios in Ægyptum mittit, frumentum comparaturos. Qui humaniter primò excipiuntur convivio, mox poculo in mantica Benjaminis abdito, & ab iis tanquam furibus repetito, denuò exagitantur, donec Joſephus oratione Judæ pathetica permotus ſe cum uberibus lachrymis patefacit, & parentem cum univerſa familia in Ægyptum invitat. *Geneſ.* XLIII. XLIV. XLV. *Tom.* II. *Exerc.* XX. *Sect.* IV. 18-*f.*

Jacobus invitationi Joſephi, divino oraculo confirmatus, paret, & anno ætatis 130. cum univerſa familia in Ægyptum migrat. *Geneſ.* XLVI. XLVII. *Tom.* II *Exerc.* XXI.

Finis Chronologiæ ſacræ Patriarcharum.

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,

Qui allegantur, explicantur vel vindicantur.

GENESIS.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	24.	XV.	13.
III.	15.	XX.	11, 18.
V.	11--27.	XXIV.	3, 4.
	29.	XXIII.	VII. 2.
	31.	XXIV.	2.
VI.	3.	VI.	12.
VII.	21	III.	66.
IX.	1-7.	XXIV.	5.
	24.	XXIV.	2.
	26, 27.	II.	17.
X.	10.	V.	3.
		XXIV.	2.
	25.	I.	2.
	27.	I.	17.
XI.	1,2.	I.	3.
	9.	I.	4.
		V.	3.
	10.	I.	7.
		XVII.	1, 2.
	12.	I.	13.
	16.	I.	24.
	18.	I.	26.
	20.	I.	26.
	24.	I.	21.
	26.	I.	28.
	28.	I.	2.
		III.	5.
	29.	III.	3, 4.
	31.	I.	39.
		III.	10-13.
XII.	1.	XXIV.	30.
	1, 2.	III.	14.
	5.	III.	12, 13, 14.
	6.	III.	16.
	7.	III.	17.
	8.	III.	19,20.
	9.	III.	20.
	10.	III.	22.
	11-20.	IV.	1-11.
	11, 12, 13.	IV.	2.
	12.	IV.	4.
	15.	IV.	6.
	16.	IV.	8.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
		XII.	17.
	17.	IV.	8.
XIII.	3.	III.	24.
	8.	III.	3.
	8, 9.	III.	24.
	10.	VIII.	21.
	13.	XVIII.	17.
	14.	XVIII.	17.
	14, 18.	III.	26.
	15.	III.	31.
	18.	III.	27.
XIV.	1-f.	V.	1.f.
	1.	V.	2, 3.
	2.	V.	5.
		VIII.	18.
	5, 6, 7.	V.	7.
	3, 8.	V.	9.
	10.	V.	10.
	11, 12.	V.	10.
	13.	V.	13.
		III.	28.
	14.	V.	13.
		I.	11.
	15.	V.	16, 17, 18.
	16.	V.	18.
	17.	V.	19.
	18.	II.	21, 22.
	19, 20.	V.	20.
		XIV.	3.
	20.	V.	21.
	22, 24.	V.	23.
XV.	1.	III.	29.
	2, 3.	III.	30.
	4, 5.	III.	32.
		VI.	1.
	6.	III.	33.
	8.	III.	35.
	9.	III.	37.
	10	III.	38.
	14, 15.	III.	38.
	15.	XXIV.	32.
	16.	V.	12.
	17.	III.	39.
	18.	III.	41.
XVI.	1.	VI.	2.
	2.	VI.	3.
	3.	VI.	3.
	4.	VI.	9.
	6.	VI.	10-11.
	7.	VI.	11.
	10-12.	VI.	11.
	11.	VI.	12.
	12.	VI.	13, 14, 29.
	13.	VI.	16.
	14.	VI.	17.
	16.	VI.	18.
	20.	VI.	13.
XVII.		VII.	
	1.	VII.	1.
	2, 3.	VII.	4.
	5.	III.	1.
	6.	VII.	5.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	7.	VII.	6. &c.
	8.	VII.	8.
	9.	VII.	12.
	10, 11.	VII.	13.
	11.	VII.	23.
	12	VII.	14.
	13.	VII.	18.
	14.	VII.	19.
	15.	III.	2.
	19.	XI.	1.
	23.	VII.	27.
XVIII.		VIII.	
	1.	VII.	27.
	2.	VIII.	2.
	3.	VIII.	3.
	3, 4. 5.	VIII.	5.
	17, 18.	VIII.	7.
	20.	VIII.	8.
	21.	VIII.	9.
XIX.		VIII.	
	1.	VIII.	3, 10.
	3.	VIII.	13.
	4.	VIII.	14.
	11.	VIII.	16.
	17.	VIII.	18.
	21.	VIII.	18.
	24, 25.	VIII.	19, 21.
	25.	VIII.	22.
	27.	VIII.	11.
	31.	VIII.	26.
	32.	VIII.	26.
	33, 34.	VIII.	27.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	36.	VIII.	29.
XX.	2-18.	IV.	11.f.
	2.	IV.	2, 12.
	3, 4, 5.	IV.	13.
	12.	III.	3.
	15.	IV.	15, 16.
	16.	XI.	12.
	18.	IV.	19.
XXI.	4.	XI.	3.
	7.	XI.	3.
	8.	XI.	3.
	9.	VI.	19.
		XI.	5.
	10.	VI.	20.
	11.	VI.	20.
	12.	VII.	6.
	14.	VI.	21, 22,
			23.
	20.	VI.	25.
	22.	III.	50.
	33.	III.	52.
XXII.		IX.	
	1.	IX.	2, 3.
	2.	IX.	4.
	3.	IX.	5.
	4.	IX.	7.
	5.	IX.	7.
	7, 8.	IX.	8.
	9.	IX.	9.
	10.	IX.	9, 11.
	11, 15.	II.	11.
	11-14.	IX.	14.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	14.	IX.	19.
	16.	IX.	20.
	22.	III.	5.
XXIII.		III.	
	1, 2.	III.	55.
	2.	III.	56.
	3.	III.	56.
	6.	III.	58, 72.
		IX.	21.
	9.	III.	58.
	16.	XIII.	8.
XXIV.	3.	III.	60.
	4.	III.	13.
		XXIV.	30.
	5, 6.	XXIV.	15.
	10.	III.	11.
	11.	VI.	11.
	14-16.	XI.	7.
	21.	XI.	8.
	22.	XI.	8.
	25.	XV.	29.
	28.	XI.	10.
	50.	XI.	10.
	60.	XI.	10.
	62.	VI.	11.
		XI.	11.
	65.	XI.	12.
	67.	XI.	13.
XXV.	1-6.	III.	61.
	2.	III.	64.
	5.	XI.	14.
	5, 6.	III.	65.
	8.	III.	66.
	9.	III.	68.
	12-16.	VI.	26.
	17.	VI.	29.
	19.	III.	11.
	21.	XI.	17, 18.
	22.	XI.	19, 20.
	23.	XI.	21.
	25.	XIV.	5.
		XII.	1.
	26.	XIII.	1, 2.
	27.	XIII.	3.
		XII.	4.
	28.	XII.	5.
	30.	XII.	7.
	31.	XII.	8.
	32.	XII.	9.
XXVI.	2, 6.	XI.	22, 23.
	12.	XI.	24.
	22.	XI.	25.
	26.	III.	50.
	28.	XI.	26.
	33.	III.	50.
	34.	XII.	10.
	35.	XII.	10.
XXVII.	1.	XI.	27.
	3.	XIV.	2.
	4.	XIV.	3.
	13.	VI.	9.
		XIV.	5.
	19.	XIV.	6.
	26.	XIV.	12.

Digitized by Google

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
	27.	XIV.	12.
	27-29.	XIV.	13.
	28.	XIV.	13.
	31.	XII.	5.
	33.	XIV.	19
	34.	XIV.	20.
	36.	XIII.	2.
		XIV.	20.
	38.	XIV.	20.
	39, 40.	XIV.	21.
XXVIII.	4.	XXIV.	27.
	11.	XVI.	2, 3.
	12.	XVI.	4, 5.
	13-15.	XVI.	6.
	15.	XVI.	11.
	16.	XVI.	15.
	17.	XVI.	15.
	18.	XVI.	16.
	19.	XVI.	20.
	20-22.	XVI.	22,23.
		XIII.	17.
XXIX.	1.	XV.	3.
	11, 12.	XV.	3.
	14.	XV.	4.
	17.	XV.	5.
	19.	XV.	6.
	20.	XV.	7.
	22.	XV.	8.
	25.	XV.	9.
	27.	XV.	11.
	28.	XV.	12.
	30.	XV.	14.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
	32.	XVIII.	3.
	33.	XVIII.	8.
	34.	XVIII.	9.
	35.	XVIII.	11.
XXX.	1.	XVIII.	30.
	3.	XVIII.	30.
	6.	XVIII.	31.
	13.	XVIII.	33.
	14	XIX.	1,2,&c.
	18.	XVIII.	34.
	20.	XVIII.	35.
	25,26.	XV.	14.
	27, 28.	XV.	15.
	29, 30.	XV.	15.
	32.	XV.	16.
	32, 33.	XV.	16.
	34.	XV.	18.
	35.	XXIV.	8.
	37, 38.	XV.	19.
XXXI.	1.	XV.	23.
	7.	XV.	24.
	8.	XV.	21.
	11-13.	XV.	22.
	14-16.	XV.	25.
	19.	XIII.	21.
		XV.	26.
	20.	XV.	28.
	24.	XV.	29.
	26-28.	XV.	30.
	30.	XV.	30.
	31.	XV.	31.
	32.	XV.	31.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	38, 43.	XV.	31.
	42.	XV.	31.
	43.	XV.	32.
	45.	XV.	33.
	49, 53.	XV.	34.
	53.	XV.	35.
		I.	33.
	54.	XV.	35.
XXXII.	1.	XV.	36.
	4, 5.	XV.	37.
	6.	XV.	38.
	9-13.	XV.	39.
	10.	XV.	40.
	14.	XV.	41.
	20.	VIII.	18.
	24.	XVII.	2-6.
	25.	XVII.	7,8.
	28.	XIII.	19.
	28.	XVII.	13.
	29.	XVII.	15.
	30.	XVII.	16.
		VI.	16.
	31, 32.	XVII.	17.
	32.	XVII.	18.
XXXIII.	16.	XII.	12.
	18.	XIII.	7.
	18-20.	XIII.	7.
	18.	II.	8.
	19.	XIII.	8.
XXXIV.	1.	XXII.	11.
	2.	XIII.	9.
	11, 12.	XIII.	11.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	21.	XXIV.	8.
	24.	VII.	14.
	24, 25.	XIII.	11.
	25, 26.	XIII.	12.
	25.	XXIII. III:	5.
	31.	XIII.	15.
XXXV.	1.	XIII.	16.
	2.	XIII.	16.
	4.	XIII.	16.
	5.	XIII.	17.
	6.	XIII.	17.
	9.	XIII.	19.
	10.	XIII.	19.
	11, 12.	XIII.	19.
	14.	XIII.	20.
		XVI.	16.
	16.	XIII.	21.
	16, 17.	XVIII.	36.
	19.	XIII.	22.
	21.	XIII.	24.
		XVIII.	5.
	27.	XI.	28.
		XIII.	25.
XXXVI.	1.	XII.	20.
	2.	XII.	10.
	7.	XXIV.	15.
	9.	XII.	20.
	10-14.	XII.	15.
	20, 21.	XII.	15.
	24.	XII.	17.
	37, 42.	XII.	15.
XXXVII.	1, 2.	XX. I:	2.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
		XIII.	25.
	3.	XX. I:	3.
	4.	XX. I:	4.
	6-8.	XX. I:	5.
	10.	XX. I:	5.
		XVIII.	7.
	19, 20.	XX. I:	7.
	21.	XX. I:	9.
	23.	XX. I:	10.
	24.	XX. I:	10.
	25.	XX. I:	11.
	25, 27.	VI.	27.
	28.	XX. I:	12.
	29.	XX. I:	13.
	34.	XX. I:	14.
	35.	XX. I:	15.
	36.	XX. I:	16.
XXXVIII.		XVIII.	
	1.	XVIII.	13,14.
	2.	XVIII.	15.
	3-5.	XVIII.	16.
	6.	XVIII.	16.
	7.	XVIII.	17.
	8.	XVIII.	18.
	9.	XVIII.	19.
	14.	XVIII.	20.
	15.	XVIII.	21.
	16-18.	XVIII.	21.
	24.	XVIII.	24.
	26.	XVIII.	26,27.
XXXIX.	2.	XX. II:	1.
	6.	XX. II:	2, 3.
	8.	XX. II:	2.
	11, 12.	XX. II:	5.
	17.	VI.	19.
	17, 18.	XX. II:	6.
	20.	XX. II:	6.
	21.	XX. II:	8.
	23.	XX. II:	8.
XL.	2.	XX. II:	10.
	4.	XX. II:	12.
	9, 10, 11.	XX. II:	13.
	12, 13.	XX. II:	15.
	15.	XX. II:	16.
	18, 19.	XX. II:	17.
XLI.	1-7.	XX. II:	20.
	5-7.	XX. II:	22.
	8.	XX. II:	23.
	14.	XX. II:	24.
	40.	XX. III:	1.
	42.	XX. III:	2.
		I.	21.
	43.	XX. III:	6.
	44.	XX. III:	7.
	45.	XX. III:	8,9.
	49.	XX. III:	12.
	51.	XX. III:	13.
	56.	XX. III:	14.
XLII.	1, 2.	XX. IV:	2.
	3.	XX. I:	16.
	4.	XX. IV:	2.
	6.	XX. IV:	3.
	7.	XX. IV:	4.
	9.	XX. IV:	4.

Digitized by Google

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
	11.	XX. IV:	4.
	15, 16.	XX. IV:	8.
	21, 22.	XX. IV:	12.
	36, 37.	XX. IV:	14.
XLIII.	9.	XX. IV:	17.
	11.	XX. IV:	18.
	14.	XX. IV:	18.
	23.	XX. IV:	19.
	28.	XX. I:	5.
	33.	XX. IV:	20.
	34.	XX. IV:	23.
XLIV.	5.	XX. IV:	24.
	20.	XVIII.	36.
XLV.	3.	XX. IV:	28.
	5.	XX. IV:	28.
	8.	XX. III:	16,
		21. IV:	
			28.
	12.	XX. IV:	29.
	21, 22.	XX. IV:	30.
	23.	XII.	17.
	24.	XX. IV:	31.
	26.	XX. IV:	32.
XLVI.	1.	XXI.	1.
	3, 4.	XXI.	2.
	4.	XXIV.	25.
	7.	XXI.	3.
	11.	XXIV.	22.
	24.	XXIII. X:	5.
	26.	XXI.	5.
	27.	XXI.	6.
	28.	XXI.	10.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
	29.	XXI.	11.
	30.	XXI.	11.
XLVII.	2.	XXI.	13.
	7.	XXI.	14.
	7, 9.	XIV.	14.
	9.	XXI.	15.
	11.	XXI.	16.
	14, 15.	XX. III:	15.
	17.	XV.	41.
	20.	XX. III:	15.
	21.	XX. III:	16.
	22.	XX. III:	17.
	29.	III.	60.
		XXII.	2, 3.
	30, 31.	XXII.	6.
XLVIII.	5.	XXII.	10.
	6.	XXII.	10.
	7.	XIII.	21.
		XXII.	10.
	8.	XXII.	13.
	12.	XXII.	14.
	15, 16.	XXII.	17.
	19.	XXII.	20.
	20.	XXII.	22.
	22.	XIII.	8.
XLIX.	1, 2.	XXIII. I:	5.
	3.	XXIII. II:	2.
	4.	XXIII. II:	5.
	5.	XXIII. III.	3.
	6.	XXIII. III:	4.
	7.	XXIII. III:	8.
	8.	XXIII. IV:	2, 3.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XLIX.	9.	XXIII. IV:	6.
	10.	XIV.	15.
		XXIII. IV:	12, 13,&c.
	11, 12.	XXIII. IV:	27, 28,&c.
	13.	XXIII. V:	1.
	14, 15.	XXIII. VI:	2, 3, &c.
	16.	XXIII. VII:	2, 3, &c.
	17.	XXIII. VII:	4.
	19.	XXIII. VIII:	1, 2.
	20.	XXIII. IX:	1, 2, &c.
	21.	XXIII. X:	1,2.
	22.	XXIII. XI:	1.
	23.	XXIII. XI:	2.
	24, 25.	XXIII. XI:	45.
	26.	XXIII. XI:	6.
	27.	XXIII. XI:	1,2.
	33.	XXII.	24.
L.	2.	XXII.	25.
	3.	XXII.	25.
	5.	XXII.	27.
	10.	XXII.	29.
	11.	XXII.	29.
	19, 20.	XX. IV:	33.
	20.	XX. IV:	28.
	23.	XX. IV:	34.

EXODUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	5.	XXI.	6.
	8.	XX. III:	21.
	11.	XXI.	15.
III.	7.	VIII.	8.
IV.	10.	XV.	23.
	20.	IX.	6.
	24.	VII.	19.
	25.	VII.	22, 26.
	27.	XV.	3.
V.	18, 20.	XXIV.	22.
VI.	2.	XXIV.	23.
	4.	XXIV.	27.
VII.	8.	XXIV.	6.
VIII.	18,19.	XX. II:	23.
XII.	4.	XXIV.	12.&c.
	7-13.	VII.	15.
XV.	13.	VII.	8.
XXX.	13-15.	XI.	8.
XXXII.	25.	IV.	6.
XXXIII.	11.	XVII.	16.
	20.	XVII.	16.
XXXIV.	19.	XXIII. II:	3.
XXXVIII.	26.	XI.	8.
XXXIX.	3.	XVIII.	21.
	27.	XX. III:	3.

LEVITICUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XII.	2,4.	XVIII.	2.
XVIII.	21.	IX.	4.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XX.	10.	XVIII.	25.
XXVI.	11.	VII.	7.
	30.	I.	37.
XXVIII.	11.	II.	22.

NUMERI.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	49.	XX. II:	15.
III.	21.	III.	58.
IV.	27.	XXI.	3.
XI.	14.	XXIII. IV:	23.
	25.	XVIII.	27.
XII.	6.	XVI.	4.
XIII.	23.	I.	19, 20, 23.
		III.	23.
	33.	I.	19.
XIV.	22.	XV.	24.
XVIII.	19.	VIII.	23.
XXI.	33.	III.	30.
XXII.	21.	IX.	6.
XXIII.	14.	IX.	7.
XXIV.	9.	XXIII. IV:	6.
XXVI.	29.	XV.	33.
	30.	I.	19.
	59.	XXI.	4.
		XXIV.	23.
XXVII.	18.	XXII.	16.

DEUTERONOMION.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	10.	V.	7.
III.	9.	XXIII. V:	2.
IV.	15.	III.	17.
	30.	XXIII. I:	7.
VIII.	17.	III.	12.
IX.	2.	I.	21.
X.	16.	XVII.	25.
XI.	10, 11.	XII.	17.
XVI.	26.	III.	53.
XVII.	8, 9, 10.	XXIII. IV:	23.
XXI.	27.	XXIII. II:	3.
XXII.	8.	IX.	7.
XXIII.	1.	XX. I:	16.
	3.	II.	22.
	7.	XX. III:	21.
XXIV.	7.	VII.	18.
XXIX.	23.	V.	9.
		VIII.	20, 21.
XXX.	6.	VIII.	25.
XXXI.	29.	I.	7.
XXXII.	15.	IX.	5.
	15.	XXIII. XI:	4.
XXXIII.	10.	XXIII. III:	11.
	18.	XXIII. V:	3.
	22.	XXIII. IV:	6.
XXXIV.	9.	XXII.	16.

JOSUA.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	18.	VII.	15.
IV.	12, 13.	XXIII. VIII:	2.
V.	2.	VII.	22.
	4, 5, 6.	VII.	20.
VIII.	2.	V.	17.
X.	3.	II.	13.
XI.	21, 22.	I.	21.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
xii.	14.	V.	5.
xiii.	2,3.	III.	41.
	15-24.	XXIII.ii:	7.
xiv.	15.	I.	18.
xv.	18.	IX.	6.
xvi.	10.	XXIII.vi:	4.
xvii.	13.	XXIII.vi:	4.
	18.	XIII.	21.
	22.	XVI.	21.
xix.	10-17.	XXIII.v:	4.
	17-23.	XXIII.vi:	9.
	47.	V.	16.
		XXIII.vii:	9.
xxi.	38.	XV.	36.
xxiv.	2.	I.	6,29, 30,31.
		III.	5,6.

JUDICES.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
iii.	16,21.	III.	60.
v.	9.	XXIII.iv:	23.
	16.	XXIII.vi:	3, 8.
vi.	15.	III.	36.
	22.	XVII.	16.
	31.	XV.	27.
vii.	12.	VI.	29.
	16.	V.	17.
ix.	7.	III.	19.
	21.	XX. iv:	19.
x.	4.	IX.	6.
xi.	23,25.	V.	22.
xii.	14.	IX.	6.
xiii.	18.	XVII.	15.
	23.	VI.	16.
xiv.	12.	XV.	11.
xvi.	9.	XVIII.	21.
xviii.	2.	XXI.	13.
xxi.	21.	XXIII.xii:	3.

I. Samuelis.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
i.	22.	VII.	18.
ii.	27.	XXIII.iii:	7.
vi.	23.	XVI.	6.
vii.	13.	XXIII.iv:	19.
ix.	4.	VIII.	18.
x.	1.	XV.	3.
xi.	15.	VI.	14.
xiv.	14.	XIII.	21.
	47,48.	XXIII.xii:	5.
xv.	11.	XX. iv:	18.
xvi.	11.	X.	12.
xix.	13.	I.	38.
		XV.	26.
xxiii.	19.	III.	58.
xxv.	20.	IX.	6.
	25.	XXIII.vii:	2.
xxxi.	13.	III.	53.

II. Samuelis.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
viii.	3-6.	III.	42.
	14.	XIV.	22.
xiii.	16.	VI.	20.
xiv.	17.	XV.	40.

Digitized by Google

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
XV.	6. XV.	28.
XVII.	23. IX.	6.
XVIII.	17. X.	8.
XXIII.	5. XXIII. VII:	9.
	15. XX. I:	15.

I. REGUM.

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
I.	47. XXII.	6,8.
II.	6. XX. I:	15.
VIII.	1. VIII.	19.
IX.	26. XII.	18.
X.	8. XVI.	11.
	17. XX. I:	11.
XI.	26. XXII.	20.
XII.	16. XIII.	8.
XV.	2. XII.	10.
	6. XIII.	8.
	29. XXIII. X:	5.
XVII.	4-6. IX.	17.
XVIII.	21. XI.	20.
XX.	3. XV.	32.
	13. XX. IV:	26.

II. REGUM.

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
III.	15. XIV.	2.
V.	19. XIII.	21.
VI.	16, 17. XV.	36.
VII.	16. IX	17.
VIII.	20. XIV.	22.
X.	30. XI	22
XIV.	7. XIV.	22.

I. PARALIPOMENON.

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
I.	28. XXIV.	17.
	32. III	63.
IV.	38. XXIII. III:	10.
V.	1, 2. XXIII II:	8.
	18, 19. XXIII VIII:	3.
X.	12. III.	52.
XII.	32. XXIII. VI.	8, 11.
XVIII.	12. V.	9.
	13. XIV.	22.
XX.	6. V.	7.
XXVIII.	32. III.	61.

II. PARALIPOM.

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
XIII.	18. XIII.	8.
XIX.	11. XXIII. IV:	23.
XXI.	8. XIV.	22.
XXII.	3. XII.	17.
XXXVI.	14. XXIII. IV:	23.

ESAIAS.

Cap.	Verſ. Exerc.	Th.
I.	9. VIII.	22.
III.	20. XI.	8.
VII.	21, 22. III.	37.
VIII.	23. XXIII. VII:	9.
IX.	1. V.	4.
	6. IX.	22.
	18. IX.	16.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
X.	8.	V.	3.
	33.	XXIII. IV:	22.
XI.	1.	XXIII. I:	7.
XV.	5.	III.	37.
XVI.	8.	XXIII. X:	5.
XIX.	7.	XX. II:	21.
XXI.	11.	VI.	26.
	13.	XII.	9.
XXIII.	2.	XXIII. V:	5.
XXV.	6.	X.	11.
XL.	29, 30.	III.	64.
XLII.	10.	XXII.	20.
XLIII.	1.	XXII.	19.
XLIV.	6.	XXII.	19.
XLIX.	10.	XV.	41.
LI.	1,2.	XI.	2.
LIII.	7.	IX.	22.
	8.	II.	7.
		XXIII. VIII:	9.
LVIII.	11.	XVIII.	16.
LXIII.	1.	XIV.	21.
	2.	XXIII. IV:	32.

JEREMIAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	18.	III.	41.
IV.	6.	XXIII. IV:	6.
V.	6.	XXIII. XII:	2.
VIII.	22.	XX. I:	11.
IX.	4.	XIII.	2.
	23.	VIII.	7.
XXII.	29.	XX. I:	15.
	30.	XXIII. IV:	19, 21.
XXIII.	5,6.	II.	28.
	32.	XXIII. II:	5.
	39.	XVII.	18.
XXIV.	1,2.	XIX.	9-11.
XXV.	23.	III.	65.
		VI.	26.
XXXI.	18-20.	XXII.	21.
		XXIII. XI:	8.
XXXIV.	18.	III.	40.
XLVIII.	34.	VIII.	18.
XLIX.	7.	III.	65.

EZECHIEL.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XVI.	3.	XXIII. III:	3.
	16.	XV.	16.
XX.	15.	XI.	22.
XXV.	12,13.	XIV.	22.
XXVII.	6.	III.	16.
	7.	XX. III:	3.
	23.	I.	7.
XXVIII.	9.	XV.	27.
XXIX.	19.	XI.	22.
XXXV.	13.	XI.	17.
XXXVI.	3.	XX. I:	2.
XXXVIII.	16.	XXIII. I:	7.
XL.	43.	XXIII. VI:	3.

DANIEL.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	2-20.	III.	5.
	28.	XX. II:	24.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
III.	93.	II.	12.
IV.	7.	III.	5.
IX.	27.	XXIII. IV:	16.

HOSEAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
III.	2.	XV.	5.
VIII.	9.	VI.	13.
IX.	10.	XIX.	10.
XI.	10, 11.	XXIII. IV:	8.
XII.	4, 5.	XVII.	5, 12.

AMOS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	5.	V.	18.
III.	2.	VIII.	7.

ZEPHANIAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	9.	X.	30.
III.	1.	IX.	5.
	4.	XXII.	5.

HAGGÆUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	8.	XXIII. IV:	26.

ZACHARIAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
IX.	1.	V.	18.
	9.	IX.	6.
	11.	XX. I:	10.
X.	2.	XV.	27.
XIV.	4.	X.	8.

MALACHIAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	3.	XIV.	22.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
IV.	5.	II.	11.

JOB.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	1.	VII.	4.
IV.	13.	XI.	20.
VI:	10.	I.	13.
	18.	VI.	26.
VIII.	11.	XX. II:	31.
XIII.	11.	XXIII. II:	4.
XIV.	2.	XXIII. XII:	2.
XV.	1.	XXIII. IV:	32.
	14.	VII.	4.
XIX.	3.	XV.	24.
XXIII.	4.	IV.	18.
XXIV.	5.	VI.	13.
XXVII.	9.	XVIII.	32.
XXVIII.	32.	XVIII.	32.
XXIX.	12, 13.	VIII.	15.
XXXVIII.	41.	XXIII. IV:	6.
XXXIX.	2.	XXIII. IV:	6.
	8.	VI.	13.
XLI.	16.	XXIII. II:	4.
XLII.	8, 9.	VIII.	18.

PSALMI.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	3.	XV.	15.
II.	6.	II.	28.
IV.	2.	XI.	25.
X.	9.	XXIII. IV:	6.
XVI.	2.	VI.	9.
	5.	XX. IV:	23, 25.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	9.	XXIII. III:	4.
XIX.	13.	XV.	13.
XXII.	21.	IX.	4.
XXIII.	1, 2.	XV.	41.
XXVI.	2.	IX.	3.
XXXIII.	12.	VII.	7.
XXXIV.	1.	IV.	12.
XLII.	1.	XXIII. X:	8.
XLV.	3.	XXIII. X:	8.
	4.	III.	60.
	11.	XX. III:	13.
L.	21.	VII.	7.
LV.	3.	XI.	11.
LX.	9.	XXIII. IV:	23.
LXVIII.	1,2.	I.	22.
	14.	XXIII. VI:	3.
	19.	XXIII. IV:	10.
LXXIV.	5.	IX.	16.
LXXVI.	3.	II.	17,20.
LXXVIII.	12.	III.	23.
LXXX.	2.	XXIII. XI:	8.
LXXXI.	5.	XXIII.	8.
LXXXII.	1.	VIII.	19.
LXXXIII.	7.	VI.	26.
LXXXVI.	16.	XVIII.	4.
LXXXIX.	44.	VII.	22.
XCI.	11,12.	XVI.	11.
XCVI.	11.	XXII.	20.
CI.	4.	VIII.	7.
CII.	17.	IX.	9.
CV.	14.	IV.	8.
	17-19.	XX. II:	30.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	21.	XX. III:	1.
	36.	XXIII. II:	3.
CVII.	34.	V.	9.
CVIII.	9.	XXIII. IV:	23.
CX.	4.	II.	10.
CXV.	18.	XX. II:	6.
CXVIII.	22.	XXIII. XI:	4.
CXXVI.	1.	XX. IV:	32.
CXXXIX.	2.	XX. III:	7.
CXL.	10.	X.	12.

PROVERBIA.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
IV.	17.	XX. I:	11.
IX.	16,17.	XVIII.	20.
X.	18.	XX. I:	2.
XIV.	12.	XV.	7.
	16.	XV.	31.
XVIII.	9.	XXIII. III:	2.
	16.	XI.	25.
XIX.	21.	XX. I:	7.
XXI.	14.	XV.	39.
XXIII.	29.	XXIII. IV:	29.
XXIV.	6.	V.	17.
XXIV.	26.	XX. III:	1.
XXVIII.	14.	XV.	31.
XXX.	16.	XX. I:	15.
XXX.	17.	XXIII. IV:	25.
	31.	XV.	39.

CANTICUM.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	5.	VI.	26.
	11.	XV.	16.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	13.	XIX.	10.
IV.	8.	XXIII. IV:	6.
VI.	9.	VII.	4.
VII.	2.	XX. II:	6.
	13.	XIX.	4.

JUDITH.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
IX.	2, 3.	XIII.	15.

SAPIENTIÆ.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XIX.	6.	VIII.	16.

ECCLESIASTICUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
VII.	15.	XI.	11.
XXII.	12.	XXII.	29.
XL.	16.	XX. II:	21.

I. MACHAB.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	12.	VII.	30.
V.	65.	XIV.	22.

II. MACHAB.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
VII.	28.	XX. I:	13.

MATTHÆUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	19.	XXIII. II:	3.
II.	25.	XVI.	6.
IV.	13-15.	XXIII. VII:	9.
V.	4.	X.	4.
	22.	VI.	19.
VIII.	11-8.	IV.	11.
XI.	24.	VIII.	22.
XII.	34.	XV.	26.
XIII.	17.	II.	11.
XIV.	20.	XV.	26.
XVI.	17.	IX.	22.
XVIII.	10.	XVI.	11.
XX.	25.	II.	23.
XXI.	2.	IX.	6.
XXIII.	2.	XXIII. IV:	34.
XXVI.	3.	XXIII. IV:	23.
XXVIII.	20.	XVI.	6.

MARCUS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
VI.	5.	XVII.	7.
IX.	49.	VIII.	24.
XIV.	53.	XXIII. IV:	23.

LUCAS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	34.	III.	36.
	36.	XI.	15.
	41.	XI.	19.
II.	30.	XXIII. VII:	9.
	1.	XX. III:	14.
	21.	VII.	21.
	42.	XX. IV:	23.
III.	19.	VIII.	19.
	36.	I.	10, 11, 12.
	38.	II.	5.
IX.	62.	VIII.	24.
XVI.	22, 23.	X.	1.
	26.	X.	8.
XVII.	29, 30.	VIII.	20.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	32.	VIII.	24.
XX.	38.	II.	17.
XXII.	13.	XXIII. IV:	23.
XXIII.	51.	XXIII. III:	3.

JOHANNES.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	14.	IX.	5.
	29.	IX.	22.
	52.	XVI.	13.
III.	8.	XX. IV:	32.
	16.	IX.	22.
	27.	II.	8.
	33.	IX.	4.
IV:	5.	XXII.	11.
V.	28.	XX. I:	15.
VIII.	56.	VIII.	3.
XII.	4.	IX.	7.
XIII.	23.	X.	12.
XV.	15.	XIII.	19.
XVIII.	31.	XXIII. IV,	34.

ACTA.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	9.	V.	4.
III.	25.	III.	8.
V.	21.	XXIII. IV:	23.
VII.	2,3.	III.	14.
	6.	I.	18.
		XXIV.	27.
	14.	XXI.	8.
	16.	XIII.	8.
	22.	III.	22.
VIII.	32.	IX.	22.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
XIII.	19.	III.	43.
XV.	10.	VII.	31.
XVI.	1-3.	VII.	31.

EPIST. AD ROMANOS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
III.	8.	VIII.	15.
IV.	5.	III.	33.
	12.	III.	32.
	15, 16.	III.	32.
	19.	XI.	2.
VIII.	23.	IX.	22.
	29.	VIII.	7.
IX.	3-5.	VII.	31.
	6-8.	XII.	20.
	13.	XII.	19.
X.	6-8.	III.	33.
	20.	IX.	22.
XI.	11.	XII.	5.
	25.	XXII. XI:	7.
XIII.	14.	XIII.	16.

I. AD CORINTHIOS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
V.	1.	XVIII.	5.
VII.	18.	VII.	30.
	19.	VII.	23.
X.	3.	VII.	22.
	12.	XVII.	7.
XI.	10.	IV.	16, 17.
		XI.	12.
XV.	5.	XVIII.	36.
	20.	IX.	22.
	25.	XXII. IV:	10.

II. Ad Corinthios.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	15.	XIII.	13.
V.	16.	VII.	31.
VI.	16.	VII.	7.
XI.	22.	I.	15.
XII.	9.	XVII.	10.

Ad Galatas.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
III.	7.	VII.	6.
	8.	III.	8.
	15-17.	III.	18.
	16.	III.	8.
		XVI.	6.
		III.	33.
	17.	XXIV.	24, 30,31.
IV.	24.	VII.	10.
	29.	VI.	19.
V.	25.	VII.	26.

Ad Ephesios.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	12.	VII.	7.
IV.	8.	XXIII.	IV:10.

Ad Philippenses.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	7.	II.	12.
	9.	IX.	14.
		XXIII.	IV: 8.

Ad Coloſsenses.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	11,12.	VII.	25.
III.	10.	XIII.	16.
	11.	I.	30.

I. Timoth.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
II.	9.	XI.	9.

II. Timoth.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
III.	8.	I.	23.
		II.	16.

Epist. ad Hebræos.

Cap.	*Verſ.*	*Exerc.*	*Th.*
I.	1.	XXIII.	I: 7.
V.	1.	II.	6.
VI.	1.	II.	1.
	13.	IX.	20.
VII.	1-f.	II.	1-f.
	1, 2, &c.	II.	7, 11, 26.
	2.	II.	9.
	4.	V.	21.
	7.	II.	1.
		XIV.	3.
	11.	XXIII.	III: 7.
VIII.	9.	III.	20.
IX.	26.	II.	8.
XI.	8.	III.	10.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
	8-10.	III.	9.
	9.	I.	18.
		XXIV.	15.
	11.	XI.	2.
	16.	XVI.	6.
	17-19.	IX.	13.
	19.	IX.	6.
	21.	XXI.	7.
XII.	17.	XIV.	22.
XIII.	2.	VIII.	3,4.

I. PETRI.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
III.	3.	XI.	9.

II. PETRI.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
II.	6.	VIII.	22.

EP. JACOBI.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	13.	IX.	3.
II.	24.	IX.	20.

APOCALYPSIS.

Cap.	Verſ.	Exerc.	Th.
I.	14.	XXIII. IV:	32.
	18.	II.	16.
III.	18.	IX.	22.
V.	5.	XXIII. IV:	8.
XI.	8.	II.	16.
XIX.	14.	XX. III:	3.

IN-

Digitized by Google

INDEX AUTHORUM

Tum Eccleſiaſticorum, tum Profanorum:

Qui citantur, laudantur, explicantur vel notantur.

Numerus Romanus prior Exercitationem, poſterior, ſicubi occurrit, Sectionem; cifra theſin deſignat.

A.

Abarbanel. IX. 16. XII. 12. XIII. 9. XV. 7. 25. 28. 29. 31. 34. 35. 36. XV. 39-41. XVI. 9. XVII. 2. 4. 7. 9. 11. 14. 15. XVIII. 5. 9. 12. 14. 16. XVIII. 19. 22. 25. 28. XX. I: 3. 5. 8. 15. XXIII. I: 5-8. II: 5. 29. VIII: I. XXIV. 32.

Abenephi. III. 23.

Abenezra I. 28. 38. II. 25. III. 3. 13. 16. 56. 57. 58. 60. 61. 68. IV. 3. 9. 13. 16. V. 10. 11. 13. VI. 8. 13. 17. 21. VII. 19. VIII. 2. 11. 16. 19. 23. IX. 2. 3. XI. 8. 11. 25. XII. 5. 7. 9. 16. XIII. 1. 8. 13. 16. 19. 20. XIV. 5. 6. 20. 21. 24. XV. 4. 11. 15. 25. 26. 27. 28. 29. 31. XVI. 16. 23. XVII. 6. 13. XVIII. 13. 15. 16. 17. 20. 27. 36. XIX. 13. XX. I: 3. 15. II: 2. 6. 23. III: 6. IV: 4. 8. 18. XXI. 2. 4. XXII. 6. 10. 12. 13. 15. XXIII. III: 3. 5. 9. IV: 11. VI: I. X: 3. XII: 3.

Abraham Salom. IX. 3.

Abraham Sepharadi. XX. II: 2.

Abraham Zachut. III. 71. VI. 2.

Abramus (Nicolaus) III. 1. 10. IV. 5. XX. IV: 11. XXIV. 8. 21. 24. 25. 26. 28.

Abulenſis. II. 20. III. 1. 2. IX. 7. XI. 20. XXIV. 23.

Abul-

Abulfarajus VI. 27.
Abulfedes VI. 27.
Achilles Tatius XXIII. IV: 27.
Achmes XX. I: 5.
Adrichomius III. 16. V. 9. 19. VI. 11. XII. 6. 16. XIII. 8. XX. II: 5.
Ælianus XII. 6. XIII. 8. XX. II: 5. XXIII. IV: 6. 8. 39.
Æthiopicus Interpres VI. 20.
Agatharchides XII. 2.
Agathias I. 37.
Agellius XI. 3. XX. I: 5.
Ahmed Ben Joſeph III. 23.
Alcaſar XVI. 5.
Alcoranus I. 16. 24. III. 70. IV. 17. VI. 30. X. 11. XI. 12. XXIII. IV: 23.
Alexander Polyhiſtor I. 19. III. 65. 72. XXIV. 34.
Alting (Jac.) XXIII. IV: 14.
Amama I. 19. IV. 18. VIII. 19.
Ambroſius I. 31. III. 25. IV. 4. V. 15. VI. 5. 6. VIII. 7. IX. 7. 8. 16. X. 1. XII. 7. XXIII. I: 4. XII: 3.
Ammianus Marcellinus I. 37. III. 5. V. 17. VI. 13. XXII. 29.
Ammonius VII. 28.
Anaſtaſius Germanus XX. I: 13.
Andradius XX. I: 15.
Apollinaris II. 20.
Apollodorus XII. 19.
Appianus XX. III: 13.
Apulejus XIX. 14.
Aquila I. 38. III. 30. V. 19. IX. 4. 5. 16. X. 8. XI. 19. 25. XIII. 21. XV. 8. 16. 19. XVIII. 16. XIX. 2. XX. I: 2. 11. II: 13. 23. IV: 2. 28. XXIII. II: 3. VI: 3. 4. XII: 1.
Arabs Interpres I. 9. 38. III. 12. 16. 17. 30. 34. 52. 57. 60. IV. 9. 16. 18. 19. V. 13. 19. VI. 11. 13. 14. 16. 21. 29. VII. 22. VIII. 5. 9. 16. IX. 3. 5. 8. 16. 19. 20. X. 8. XI. 8. 19. 20. 24. 25. 26. XII. 1. XIII. 7. 8. 13. 16. 23. 28. 35. 39. 40. XVI. 22. XVII. 3. 8. 20. 21. 32. 33. 35. XX. I: 2. 3. II: 8. 13. 23. III: 16. IV: 32. 33. XXI. 10. XXII. 11. XXIII. II: 3. 5. 9. III: 5. 9. V: 1. VI: 2. 3. IX: 1. X: 1. 5. XI: 1. XII: 1.
Arias Montanus XX. III: 3.
Arianus I. 7.
Ariſtophanes XX. IV: 26.
Ariſtoteles III. 23. 62. V. 9. VIII. 23. X. 8. XII. 4. XIV. 24. XV. 21. 28. XVI. 4. XX. III: 17.
Arnobius VII. 22. XVI. 16.
Artapanus III. 22. 72.
Artemidorus XVI. 4. XX. I: 11. XXIII. III: 5.
Athanaſius II. 3. 6. III. 71. VIII. 19. XXII. 19.

Digitized by Google

Athenæus VIII.5. XII.6. XIX.5.
Athenagoras XV. 23.
Avicenna XV.39. XIX. 13.
Auguſtinus I. 28. III. 1.2.3.25. 26. 36. 42. 62. 63. 64.68. IV.5. V.17. VI. 4.6.10. VII.19.24. VIII.3.15.16.19. 24.26.27. IX.12. X.4. XI.1. 4.11.19.22.23. XII.6.11.12. XIII.16. XIV.7.8.19.22.24. 25. XV. 11.12.15. 20.41. XVI. 10. 17. XVII. 9.13. XVIII. 3. 13.22.32. XX. IV: 10. XXI.8. XXII 25. XXIII. IV: 18. VII: 6. XII:3. XXIV. 1.5.26.27.30.

B.

Baal Hathurim II.16. III. 3. 60. IV.16. V.11. VI.19. VII. 27. 30. VIII.2. XXIII.IV:7. XII:2.
Babye III.5. IX.3.
Baillius (Robertus) XXIV.11.
Balmis I. 22.
Barelius XXIV.25.
Barneſius XIV.11.
Baronius XXIII.XII: 3.
Barradius IX.5. XXIII.XII:3.
Barthius XX.III:5.
Baſilius III. 17.20. X.5.
Becanus VII.5.
Bechai VIII. 7. XV.7. XVIII. 25.27. XX.IV: 26. XXII. 27. XXIII.III:11. IV:17.
Beda I. 8.32. VII. 19. X.4. XXIV. I.
Beidavi VI.23.
Bellarminus II. 6. 22. III. 4. 17.57. VI.7. VII.13. X. 8. XII.19. XV.13. XVI.16. XXII. 3.
Bellonius XXIII.VII:4.
Benaja IX. 18.
Benjamin Tudelenſis III. 16. VIII. 23. XIII. 21. XVIII. I.
Bereſith rabba I.19. III.37. VI. 14. VII.22.27. IX.8.16. XI. 4. XII.17. XV.3.39. XVIII. 25. XXIII.IV:13.
Berneggerus XVIII. I.
Beroaldus III.65.
Beroſus Chaldæus III.72.
Beroſus Annianus I. 3.5.23.
Bertramus (Cornelius Bonav.) XIII.16. XXI.8.
Beza I.11. XIII. 8. XXI.8.
Bibliander IV.16. XV. 26.38.
Bochartus I.8. III.23.37. V.4. VI.11. IX.6.14. XII.17. XV. 15.16. XVI.18. XX.I:11. II: 23. III:22. XXIII.II:3. X:5.
Boemus Aubanus I.31.
Bonfrerius I. 22. III. 30. 32. VIII. 16. XI. 8. 26. XII.16. XIII.

Digitized by Google

xiii.15. xiv.11. xv.41. xx. iii:16.18. xxiv.23.
Bootius v. 16. xiv. 13. xxiii. iii:9.
Boulduc. I. 3. 4. 5. 14. 18. 22. II. 22. iii. 6. 7. 12. 15. 30. iv. 12. v. 6. xi. 20. xiii. 7. xiv. 17. xv. 26. xxi. 16. xxiii. iii: 7. x: 4. xi: 8. xxiv.14.
Briſſonius i.37. xv.5.
Brocardus iii. 41. v. 9. viii. 23. xii.16.
Brodæus iii.23.
Brougthonus xx. I: 15.
Budæus x. 8. xx.I: 16.
Bullingerus xvi.13.
Burgenſis iii. 68. iv.5.
Buxtorfius (Pater). viii.10.
Buxtorfius F. iv. 8. viii. 10. ix. 16. xiv. 22. xv.3. xx. I: 13. xxii. 2. 16. xxiii. x: 4.

C.

Cajetanus iii. 3. 16. v. 21. viii. 15. 27. xiii. 19. xiv. 8. xvi. 23. xxiii. viii: 3. xi:2. xxiv.23.
Calixtus xx. iv:8. xxii.19.
Calliſtenes xxiv. 8.
Calvinus iv. 5. vi. 7. vii.20. viii.2. ix.7. xiii.1. xiv. 2. xvi. 13. xx. iii: 6. 11. 17. iv:7. 9.12.16.28. xxii. 18. 30. xxiii.iv:28.
Camerarius iii.5.
Camero ii.5.18.
Canus ix.7.
Cantacyzenus ix.7.
Capellus (Jacobus) i. 19. 27. II. 16. ix. 21. xvi. 20. xviii.13.
Capellus (Ludovicus) xxiii. iii: 3.
Cardanus xvi.4.
Caſaubonus iv.6. xi.22. xiv. 22. xx I:15. II:17. iv:19. xxiii.iv: 19.20.
Caſſianus xiv. 7.
Caſtalio xiv. 21.
Cato xx.i: 7.
Catullus iii.32.
Cedrenus I. 12.28.32. xiii.23.
Celſus vii.30.
Cenſorinus xxiv.1.
Cevalerius ix.2.
Chiſquuni xix.13.
Chronicon Alexandrinum I. 12.37. v.2.
Chryſippus xviii.20.
Chryſoſtomus I. 17. 28. iii.1. 3. 18.22.25.28.29.31.36-39. 60. iv. 3. 5. 8. 9. 16. v. 16. vii. 27. viii. 8. 15. 19. 26. 27. ix. 6. 12. x. 1. 5. xi. 3. 15. xii. 4-6. xiv. 7. 13. 19.

23.27. xv.11.20. xvii.7.12. xviii. 22. xxi. 1. xxii. 19. xxiii.iv:31. xxiv. 1.
Chythræus (David) xx.II:5.
Cicero II.22. iii.66. ix.4. xvi. 4. xx.I:3. II:25. iii:2. xxii. 25. xxiii.I: 1.
Curio viii. 6.
Clarius I.28.
Claudius Mammertus x.8.
Cleodemus iii.65. vii.28.
Clemens Alexandrinus iii. 3. ix.21. xiv.2. xvi.16. xx.II: 25.26. iii:20.22.
Cloppenburgius iii. 5. 16. 17. 53. vii.16.
Coccejus xxiii.iv:24.x:8.xii:3.
Codomannus iii.3.10.
Cœlius Rhodiginus x.1. xv. 1.
Columella xix.13.
Comeſtor xi.20.
Concilium
Nicenum I. v. 14.
Nicenum II. xxii. 8.
Sirmienſe viii. 9.
Tridentinum II. 22.
Confutius xxiv. 9.
Contius I. 8.
Cornelius à Lapide ix. 5. 16. xx. II: 29. iv:8.
Cordeſius I. 11.
Cosri iii. 71.
Covarruvias xx.iii:18.
Crocus xx.iv: 11.
Crocius (Johannes) I.31.
Cteſias xxiv. 8.
Cunæus II.7. vii.30.
Curtius xii.18.
Cyprianus viii. 19.
Cyrillus ix.16. xv.28.

D.

Dallæus x.5.
Damaſcenus (Joh.) xxiv.1.
Damaſcenus(Nicol.)iii.15.72.
Damianus à Goes vii. 31.
David Ganz v.4. xxiii.iv:35.
De Dieu I. 11. 16. iv.18. v.13. vi.16. viii. 5.9. xi.24. xii. 17. xiii.21. xv.26.33. xx. I:16. iii:3.
Delrio iv.19. xv.21.
Demetrius I. 11. xxiv. 37.
Deodatus xx. iii: 1.
Deuſingius xix. 8. 12.
Dicæarchus I.25.
Dictys Cretenſis iii.40. ix.21.
Didymus II. 3.
Dio Caſſius xii. 4. xiv. 2. xviii.25.
Dio Chryſoſtomus xiii.21.
Diodorus Siculus I. 23. v.3.9. 14. vii.28. viii.30. xx.iii: 17. xxii.25. xxiv. 7.
Diogenes Laertius xx.iii:2.
Dionyſius Areopagita x. 5.

Dio-

Dionyſius Carthuſianus VII.9. XIV.3.
Dionyſius Halicarnaſſæus V.22. IX.21. XIII.21. XVIII.36.
Dionyſius Periegetes I. 6.
Dioſcorides IX.16. XIX. 3.11. XX.I:11. XXIII.IV.27.
Doſitheus I.9. VII.19. XXIV.26.
Druſius III.66. VII.28. 30. VIII. 10. 19. XIV. 26. XV. 3. XVII. 13. XX.II:14. IV:24. XXIII. VI: 3. XXIV.30.
Dunus (Thaddæus) XXIV. 21.

E.

Ebnol Athir VII. 29.
Egeſippus II. 20.
Elias Levita III. 63. XIX.2.
Eliezer III. 55.56. 58.60. V.11. VI. 12. 22. 23. VII. 17. 23. 27. VIII.8.23. IX. 1. 6.7.9. 10.11.17. XI. 1.4.5. XII. 3. 13. XIII. 13. XV. 11. XVI. 9. 17. XX. I: 13. III:1.9.25. XXI. 4. XXIII. III: 3. X:2.
Elmacinus I. 14. 16. 27. XX. II: 23.
Empedocles XV.2.
Eniedinus VIII. 2.
Eraſmus X. 8.
Eucherius VIII. 9.
Eudæmon-Johannes XXIII. IV: 20.
Eugubinus V. 9. XII. 16. XX. III. 8.
Eupolemus I. 9. III. 21. V.3. X. 8.
Euſebius II. 22. III. 65.72. IV. 6. V. 3. VII. 28. VIII.3. IX. 21. XIII.12. XIV.22. XV.24. XX. II: 29. XXIII. IV: 37. XXIV. 34.
Euſebius Emiſenus IX. 16.
Euſtathius II.20. III 41. VI.26. XI. 19. XV.22. XVI.10.
Eutychius Alexandrinus. *Vide* Patricides.
Euthymius X. 5.

F.

Fagius VI.14. XV.19. XVII.18. XVIII.16.20. XX.II: 5.
Faſti Siculi I.10. XIII.23.
Fauſtus Manichæus IV.5.
Ferrarius XV.16.33.
Fevardentius VI. 7. X. 8. 9. XI. 11.
Feſtus X. 8.
Flaminius Nobilius I. 10.
Florus V. 21.
Franciſcus Georgius Venetus XIX. 4.
Franzius II. 21.
Fullerus V. 7. XII. 2. 18. XIII. 21. XIV. 2. XX. II: 23.

G.

Galatinus X.3. XX.I: 15. XXII.16.

Galenus VIII.5. XV.21.
Gaon XXII.10.
Gattakerus VIII. 5.
Gemara Hieroſolymitana III. 63.
Genebrardus I. 39. V.2. XIII. 21. XXIII.IV:11. XXIV.21.
Geneven ſes XX.III:1.
Georgius Syncellus XXIV.33.
Gerundenſis XIII.9. XXIV. 32.
Geſnerus II.3.
Gillius (Petrus) XIII.21.
Glaſſius III.3.
Gloſſarium Syro-Arabicum XV. 33.
Godiginus III.40.
Goldaſtus XX.III:18.
Golius (Jacobus) XIX.8.
Gomarus I.11. VII.21.
Gordonus II.22.
Gorionides. I. 8.35.
Græci LXX. Interpretes I.8. 10. 19. III. 2.5. 12. 16. 21. 27. 29. 37. 50. 52. 58. IV. 9. 16. 19. 29. VII. 4. 19. 22. VIII. 5. 9. 16. 17. 18. 23. 27. IX. 3. 4. 6. 8. XI. 8. 11. 26. XII. I. 10. 17. XIII. 2. 3. 7. 19. 21. XIV. 2. 24. 27. XV. 4. 8. 15. 16. 19. 25. 28. 29. 32-35. 39. XVI. 20. XVII. 3. 7. 8. 15. 18. XVIII. 16. 20. 21. 27. 31. 32. 33. 35. XIX. 2. 15. XX. I: 2. 3. 11. 12. 15. 16. II: 1. 6. 12. 13. 15. 21. 23. III: 1. 16. IV: 2. 4. 18. 19. 23. 24. 30. 31-33. XXI.7. 10. XXII.7. 11. XXIII. II: 3. 4. 5. III: 3. 4. 5. IV: 5. 23. 25. 27. V: 1. 2. 3. VI: 2. 3. 4. VII: 4. 6. VIII: 1. IX: 1. XI: 1. 2. 4. XXIV.26.
Græco-Latinus Codex antiquiſſimus I. 11.
Gratianus XII. 4.
Grotius (Hugo) I. 8. 25. III. 20. 63. 72. V.22. VIII. 4. 19. IX.17. XV.31. XVI.16. XVIII. 36. XX. I: 2. 11. XXII. 16. 27. XXIII. III: 3. 5. VI: 2. 4. XI: 1.
Gregorius M. VIII. 8. 15. 20. XVI. 4. XVII. 9. XX. IV: 7. XXIII. VII: 9.
Gregorius Nazianzenus X: 5.
Gregorius Nyſſenus X. 10. 11. XI. 2. XX. I: 12.
Gronovius XX. I: 12.

H.

Hakſpanius III. 43. VI. 11. VIII. 19.
Harvillæus I. 8. III. 12. IX.2. XXIV. 14. 15.
Hecatæus III. 72.
Hermannus Contractus I. 11.
Hermannus Dalmata I. 27.

He-

Digitized by Google

Herodotus VII. 28. XIII. 8. XX. II: 18. III:17.22. XXII. 25.
Heinſius (Daniel) II. 7. VIII. 23. X.8.
Heſiodus X.8. XXIII.VI:6.
Heſychius III.I. IX.16. XI.II. XIV. 2. XVI. 18. XIX. 3.9. XX. I: 11. 12. 15. II:21. III: 3. XXIII.V: 3. XII: 4.
Hierax Ægyptius II. 3.
Hieronymus I. 10. 17. II. 3. III. I. 2. 48. 59. 60. IV. 5.6. V. 16. 18. 19. VII. 24. 30. VIII. 18. 19. 22. 23. IX. 5. 16. 19. XI. 12. 26. XII. 2. 4. 17. XIII. 21. 24. XIV. 7. XV. 11. 19. 24. XVI. 10. XVII. 5. 13. XVIII. 14. 20. XX. I: 6. 16. II: 11. III: 6. 9.17. XXI.8. XXII.12. XXIII. III: 4. IV: 37. VIII: I. 2. X: 4. XI: 2.
Hieronymus Prado XX.III:3.
Hieroſolymitanum Targum V. 3. VI. 11. 27. VIII. 19. 23. XII. 10. XIV. 21. XV. 11. 14. 16. 30. XXII. 6. XXIII. I: 8. II: 9. III: 5. 11. IV: 30. VII: 4.5. X: 2.
Hieroſolymitanum itinerarium XXIII. X: 2.
Hilarius VIII. 19. XVII. 13.
Hipparchus III. 32.
Hippocrates VIII. 5.
Hippolytus II. 3. 10. XXIII. VII: 6.
Homerus IV. 17. VIII. 6. XII. 17. XVI. 14. XVII. 3. XX. II: 1. 23. IV:18. XXII.25. XXIII. I: 1. VI: 6. 7.
Horapollon XXIII. III: 5. IV: 7.
Horatius XX. IV:30. XXIII.III: 4. XII. 4.
Hoſpinianus XVI. 24.
Hottingerus I. 16. 24. II. 3.20. VI. 26. VII. 31. XX. II: 21.
Huetius IX. 14.
Hugo Cardinalis XXII. 18.
Hugo Victor II. 22.
Huldricus (Johannes) IV. 6.
Hunnius VIII. 19.
Hyginus IX. 21.

J.

Jacob ben Habib XXII.3.
Jalcut II. 25.
Janſenius VIII. 16. X. 6.
Jarchius I. 17. 18. 23. 28. II. 22. III. 12. 30. 36. 37. 38. 43. 52. 55. 58. 61. 66. IV. 3. 8. 9. 13. V. 4. 7. 10. 11. 14. 19. VI. 2. 13. 19. 21. 23. VII. 4. VIII. 2. 7. 20. 24. 25. IX. 6. 7. 17. 18. 19. XI. 4. 17. 18. XII. 5. 7. 8. 9. 15. XIII. 3. 7.

3. 7. 11. 18. 19. XIV. 2. 5. 12. 24. XV. 3. 10. 15. 16. 25. 27. 29. 31. 33. 37. 40. 41. XVI. 2. 22. XVII. 3. 8. 10. 11. 12. 15. XVIII. 5. 9. 16. 20. 25. XIX. 5. XX. I: 3. 5. 11. 14. 15. II: 2. 5. 11. 12. 15. III: 1. 2. 8. IV: 3. 12. 20. 28. 29. 32. XXI. 4. 11. 13. XXII. 3. 6. 10. 12. 20. XXIII. III: 3. 5. 9. 11. IV: 25. VII: 3. XII: 2. 23.

Ibn Beitar XIX. 8.

Ibn Sina VIII. 24.

Jehuda Hacſid XVIII. 25.

Jelammedanu IV. 8.

Iguatius VIII. 19.

Jonah XX. IV: 26.

Jonathanis Uzielidis Thargum II. 16. III. 3. 37. 61. V. 3. 5. 9. 14. VI. 2. IX. 5. 16. 17. XII. 17. XIII. 7. 9. XV. 8. 16. XVI. 17. XVIII. 5. 27. XIX. 5. XX. I: 11. III: 6. 9. IV: 31. XXIII. IV: 30. X: 2. XXIV. 29.

Joſe Galilæus IX. 3.

Joſephus Chriſtianus I. 10.

Joſephus Fl. I. 5. 18. 28. 39. II. 20. III. 3. 15. 22. 37. 60. 65. IV. 6. 8. 9. VII. 28. 30. VIII. 21. 23. 26. IX. 2. XI. 10. 23. XII. 7. 17. XIII. 9. 16. 21. 22. XIV. 22. XV. 5. 9. 11. 27. 36. XVII. 2. 10. XIX. 2. 13. XX. I: 11. 16. II: 17. 22. III: 3. 8. 9. XXII. 29. XXIII. IV: 11. 34. V: 4.

Joſua filius Karcha VI. 2.

Irenæus II. 3. 20. VIII. 23.

Iſidorus I. 14. 32. II. 22. III. 1. XII. 17. XIX. 14. XXIV. 1.

Iſidorus Peluſiota IX. 12. XII. 23.

Iſac Arama XV. 25.

Juchaſin XXIII. IV: 20.

Julius Africanus I. 9. 10.

Julius Firmicus Maternus I. 37. XX. III: 20.

Julius Hilarion XXIV. 29.

Julius Serenus XX. IV: 25.

Junius (Franciſcus) IV. 16. V. 18. VI. 9. VII. 20. XIII. 7. XIV. 18. XV. 25. 31. XVI. 22. XVIII. 2. 13. 18. 28. XX. I: 11. III: 1. XXI. 9. XXIII. VII. 9.

Juvenalis VII. 22. X. 12.

Juſtinus Tragi Epit. I. 31. V. 9. VIII. 19. XVIII. 1. XX. II; 26.

Juſtinus Martyr XX. III: 11. XXIII. IV: 20. 31. 39.

Juſtinianus XII. 19.

K.

Kaab III. 23.

Keſſæus II. 20. III. 70.

Digitized by Google

Kimchi (David) I.19. III.37. 66. V.9. VII.4.18. IX.5. XI. 25. XIV.2. XV.16.26. XVII. 2. XVIII.27.35. XX. I:11.III: 6. IV:2.26. XXIII. II:6.
Kircherius (Athanaſius) I.22. 38. III.23. XX.III:8.

L.

Lemnius XV.21. XIX.3.
Lempereur XX.II:23.
Langius (Wilhelmus) XXIV. 32.
Lansbergius XXIV.29.
Leo Afer III.41.
Leo Africanus VI.13.27.
Leo Caſtrius IX.18.
Leſſius XIV.7.
Levi Barzelonita VIII.21. XVII. 19.
Levi Ben Gerſon XVII.4. XVIII.36. XX. I:15. II:20. III:12. XXI.2.3.4.12. XXIII. X:3.
Leunclovius XIV.2.
Lipmannus II.25. VIII.2. IX. 12. XXIII.IV:15.
Lipſius X.12. XX.III:3.
Livius V.17. XIII.21.
Lucanus IV.17. XX.I:15.
Lucianus XXII.26.
Lucidus I:11.
Lucretius IX.21.
Lutherus III.4. XV.13.
Lycophron XXIII. XII:4.
Lydiat XV 6. XVIII.2. XXIV.8.
Lyranus II.16. IV.5. XIII.15. XIV.2. XVI.3. XVIII.15. XX. I:5.

M.

Macarius XXIII.III:5.
Machir XX. IV:18.
Macrobius XVI.14. XX.IV:13.
Magalianus I.39.
Malderus XIV.7.
Maldonatus X.6.7.8.
Majmonides III.17.37. VI.22. VII.16.19.21.22.23.24. VIII. 3.5. IX.3.9. XI.25. XVIII.22. XXII.13.
Manetho XXIV.7.
Marcellus Donatus VIII.23.
Mareſius VII.16.
Martialis I.32. X.12. XX.IV:11.
Martyr (Petrus) XV.29.41.
Martinus (Raymundus) VII.8. 23. X.3.
Martyrologium Romanum XVI.10.
Maſius I.18.39. III 16. V.4. XV. 33. XXII.12. XXIII. V:3. X:7. XXIV.13.
Maſſæus I.9.
Matthæus Sylvaticus XIX.2.5.
Matthiolus XIX.8.12.

Manaſſes Conſtant. XIII. 21.
Medina XX. III: 18.
Mela III. 40. IX. 16. XII. 18.
Menaſſe ben Iſrael III. 5. VIII. 19. IX. 3. XII. 12. XIII. 5. XVII. 13. 18. 36.
Mercator III. 19.
Mercerus III. 51. VIII. 19. IX. 2. XIII. 1. XIV. 5. XV. 5. 11. XVI. 23. XVII. 2. XVIII. 13. XX. III: 1. XXIV. 2.
Methodius I. 3. 4. 5.
Michlol Jophi XXII. 26.
Midras Agadah II. 16.
Minutius Felix VII. 22.
Mokius VIII 23.
Molinæus (Petrus) II. 7.
Montacutius XVIII. 36.
Morinus I. 8. XXV. 5. 6. 10.
Moſes Hadarſchan I. 39.
Moſes Lathiph XXIV. 31.
Munſterus XVIII. 32. XX. I: 12.
Muſculus III. 3. IV. 10. VIII. 2. 27.

N.

Nachmanides XIII. 21. XV. 11. 26. XVI. 9. XVII. 15. XIX. 13. XX. III: 8. XXI. 4. XXIII. I: 7.
Natalis Comes I. 25.
Niſſim XXIII. IV: 15.
Noldius XXIII. IV: 35.

O.

Oleaſter XII. 2. XIX. 4.
Onkeloſi Thargum I. 9. 38. II. 22. III. 12. 16. 24. 27. 30. 37. 58. IV. 9. 16. 18. V. 4. 7. 9. 13. 19. VI. 11. 13. 14. 16. 17. 29. VII. 4. 19. 22. VIII. 5. 9. 10. 11. 16. 17. 18. 23. 27. IX. 5. 6. 16. 20. XI. 8. 11. 19. 20. 24. 25. XII. 1. 7. 10. XIII. 3. 7. 11. 13. 17. 19. 21. 22. 23. XIV. 2. 5. 22. 24. 27. XV. 5. 8. 15. 16. 19. 31. 35. 39. 40. XVI. 15. 23. XVII. 3. 8. 18. XVIII. 15. 16. 20. 21. 22. 27. 31. 32. 33. 36. XIX. 2. 11. XX. I: 11. 15. II: 5. 6. 12. 13. 15. 23. 24. 28. III: 7. 16. IV: 4. 18. 22-25. 30-32. XXI. 10. 11. XXIII. II: 4. 5. 6. III: 3. 4. 5. IV: 3. 4. 8. 12. 17. 23. 25. 29. 30. V: 1-4. VII: 3. 4 5. VIII: 2. IX: 1. X: 5. XI: 1. 2. 6. 8. XII: 2.
Oppianus XIV. 2. XV. 20.
Origenes II. 3. III. 34. 70. IV. 5. 6. IX. 7. 14. X. 8. 9. XIV. 7. XVI. 10. XVII. 5. XVIII. 37. XXIII. III: 4.
Orpheus III. 72.
Ovidius I. 25. III. 32. VIII. 9. XXI. 2. XXIV. 1.

P.

P.

Pagninus IX. 5. XII. 17. XX. I: 15. III: 1.
Panodorus I. 10.
Pareus (David) VIII. 19. XVIII. 13. XXIV. 31.
Patricides I. 12. 14. 16. 27. II. 4. 22. III. 3. 55. 61. VI. 23. VII. 31. IX. 2.
Paulus de Abbatia Pollicinii XVIII. 27.
Pauſanias XIII. 23. XX. III: 3.
Pawellus III. 14.
Pellicanus VIII. 19. XV. 7. 38. XVIII. 19.
Pererius I. 9. III. 15. 32. IV. 6. 13. VI. 6. VII. 19. VIII. 22. XI. 11. 12. XII. 19. XV. 27. XVII. 2. XXIII. I: 5. VIII: 3. XXIV. 14.
Perſicus Interpres I. 9.
Petavius III. 12. XVIII. 2. XXIV. 14. 15. 17. 18.
Petitus XV. 15. XX. IV: 11.
Petrus Meſſias XV. 21.
Phavorinus IX. 16.
Pherecrates I. 25.
Philippæus I. 8.
Philo Biblius I. 4. III. 72. XVI. 18.
Philo Judæus I. 9. 37. III. 1. 56. 68. IV. 6. VI. 4. VII. 24. IX. 12. XVI. 7. XVII. 9. XVIII. 9. XX. I: 5. II: 4.
Philoſtorgius III. 65.
Philoſtratus XIII 21.
Philoxenus XX. I. 16.
Photius XIV. 22. XVI. 18. XVIII. 36.
Picus (Franciſcus) XVI. 4.
Pierius XXIII. IV: 27. VI: 7.
Pignorius V. 14.
Pindarus XVI. 4.
Pirke Avoth IX. 17.
Piſcator III. 3. VIII. 19. XXIII. 20.
Plato I. 25. XII. 4. XV. 39. XVIII. 25.
Plautus XV. 28. XX. I: 5. 15. XXIII. XII: 4.
Plinius I. 7. 22. III. 5. 11. 23. VI. 15. 26. VIII. 30. X. 12. XII. 18. XIII. 21. XIX. 3. 11. 13. XX. I: 15. II: 25. III: 2. 9.
Plinius Secundus XI. 22. XII. 4.
Plotinus III. 9.
Plutarchus III. 41. IV. 17. V. 14. 23. IX. 21. X. 12. XI. 13. XV. 19. XX. I: 11. III: 21. IV: 23. XXII. 12.
Pocokius I. 23. VI. 27. VII. 29. X. 11.
Pollux X. 12. XIV. 5. XX. III: 3. XXIII IV: 6.

Digitized by Google

Polybius I.7. II.22. XX.III:22.
Pomarius XV.16.
Porphyrius I.25. III.72. V.14. IX.21. XXIV.8.
Poſſinus I.8.
Pricæus X.8.
Prideaux XII.19. XVI.24.
Procopius Gazæus I. 10. V.4. IX.16. XIII.9. XVII.5. XVIII. 37. XX.I:15. XXIV. 32.
Propertius IX.21.
Proſper III.60. XVI. 17. XVIII. 13. XXIII. VII:6.
Ptolemæus III. 11. 32. VI. 11. XX.III:9.
Publius Syrus XX.II:3.

Q.

Quintus Fabius Pictor I.25.
Quintus Julius Hilarion I.10.

R.

Raderus I.4.
Ralbag. XIII. 22. XV. 34. 36. XVI. 9. *Vide* Levi ben Gerſon.
Ranciretus VII.22.
Ravius (Chriſtianus) IX.14.
Reuchlinus III.3.
Ribera I.8. II:20. XXII.18.
Rittershuſius XIV.23. XX.I:16.
Rivetus II. 20. III.3. IV.9.16. V.12. VII.31. VIII.18.19. IX. 7. XIV. 2. XV. 11. 31. XVI. 12. 13. 22. 24. XVII. 15. XX. IV:9.28. XXIII.IV:21.
Robertus Lincolnienſis XVIII. 37.
Rodericus Toletanus VI.23.
Ruffinus II.8. XX.III:21.
Rupertus III.36. XI.4. XVII.5. XXII.4.

S.

Saadias II.25.
Sadoletus X.7.
Salianus I.8. III.14.22. XI.20. XV. 12. XVIII. 2. XXIV. 15. 23.
Salmaſius I. 22. 31. III.58. IV. 17. V.19. VI.15.27. VIII.8. 30. XII. 18. XX.III:3.
Salmero I.8.
Samaritanus Interpres I.9. III. 37. 57. V.4.9. VII.19. IX. 4.5.16. XI.26. XV.16. XX. IV. 18.33. XXIV. 26.
Samuel Japhe IX.3.
Sanchoniaton III. 72. IX. 21. XVI.18.
Scaliger (Joſephus) I.10. III. 5.15. IV.6. VI.27. VII.31. X.8. XIV.22. XV. 33. XVI.18. XVIII. 13. XX. III:22. IV: 11. XXIV.7.9.
Scaliger (Julius) III.53.
Schalſcheleth Hakalbalah I.27. III.30. IV.6. XX II:29.

Sche-

Schemoth rabbah xv. 3.
Schikhardus I.16. xxiii.x:5.
Schindlerus iv.18.
Schlichting viii. 3.
Schmalcius vii. 8.
Schotanus (Chriſtianus) I. 25. xiv. 3. xx.iv:16.
Screvelius ix. 16.
Seder Olam I.17. xiii.21. xv. 11. xxiv. 29.
Seldenus I.32. 34.38. II.22. v. 7. vii. 19. ix.9.xv.11.xviii. 22.27.32.xx.I:13.iv:11.xxi. 8. xxiii.iv:23. vi:4.
Seneca iii.25. xi.24. xvi.14. xx.I:15.II:11.
Serarius I. 18.39. xii. 16. xx: iii: 3.
Simeon Ben Joachi. I.38.
Simeon de Muis xv. 40. xvii. 13. xxiv. 8.
Simplicius xxiv. 8.
Sionita (Gabriel) vi.27.vii.29. xv.16.
Sixtus Senenſis II.3. iii.3.vii. 15.ix.14.x.3. xvi.19.xviii. 22.37.
Socrates viii 19.
Solinus Polyhiſtor viii. 21.30. xix. 3.
Sophocles xx.I:13.
Sotus iii.3
Spanhemius I.8.
Stapletonus xxiv.21.
Statius xiii.16. xvi.14.
Stephanus vi.11. xii.2.xiii.8.
Strabo I.22.37. iii.23.41. v.4. vii.28. viii.22.30. xii.2.18. xiii.21. xx.I: 11. II:23.
Stratonicus xvi.19.
Stukius (Guilielmus) II. 22. viii.24. x.12. xx.iv:20.
Suarez II.16. xx.iv:28.
Suetonius iii.66. x.12.
Suidas I.24. II.20.xi.11.xii.2. xiv.27. xix.3. xx. I:15. II: 13. iii:20.21. xxiii.xii:4.
Sulpitius Severus vii.31.
Symmachus v.8. ix.4. 5.16. xi.19. xv.8.16. xx.II: 13. iv: 2. xxiii.vi: 4.
Syrus Comicus xxiii. vi: 6.
Syrus Interpres I.38. iii. 12. 16. 27. 29. 30. 37. 52. 57. 58. iv.16.18. v.4.9.13. 19. 21. 29. vii. 4. 19. 22. viii. 5.9.16. 17. ix. 5.6.8. 16. x.8. xi.8. 19. 24. 26. xii. 1. 7. 17. xiii. 8. 16. xiv. 2. 22. 24. xv. 11. 16. 19. 35.41. xvi. 20. xvii. 8. xviii. 16.20. 31. 35. xx. I: 3. 11. 16. II: 12. 23. III: 3. 8. 16. iv:2.4.18.19.xxii. 11. xxiii. iii: 5. iv: 25. vi: 2. 3. xii: 1.

Digitized by Google

T.

Tacitus v. 3. 9. VIII. 30. XIII. 3. XIV. 24. XX. II: 22. III: 22. VI: 6.
Tanchuma VII. 27. IX. I. 17. XIII. 13. XIV. 19. XXII. 3.
Tarich Regum Perſiæ XVIII. I.
Tarnovius (Johannes) VI. 29. XXI. 6. XXIII. IV: 22.
Tawuſus XIX. 8.
Temporarius I. 5.
Terentius Varro XXIV. I.
Tertullianus III. 24. IV. 17. V. 9. VIII. 19. 23. X. 4. XI. 12. XVI. 10. XX. I: 13. IV: 9. XXI. 6. XXIII. III: 4. XII: 3.
Teſtamentum Patriarcharum XII. 13. XV. 12. XVIII. 37.
Thalmud. Codex
Bava Bathra I. 27. X. 11. XII. 7. XX. III: 6.
Berachot III. 30.
Bikurim III. 2.
Cholin XVI. 5. XVII. 18.
Gittin XIV. 21.
Jevamoth XI. 13.
Joma XX. I. 15.
Kidduſchin X. 13.
Nedarim V. 13. VII. 4.
Sanhedrin III. 70. VIII. 22. IX. 2. XIV. 14. XVI. 2. XIX 2. 5. XXIII. IV: 15. 23.
Schabbath XII. 7.
Sebochim XXIII. X: 2.
Sotha XII. 13. XX. II: 23.
Taan XIV. 14.
Theodorus Tarſenſis Epiſcopus V. 3.
Theodoretus II. 15. III. 44. 72. XI. 20. XIII. 12. XV. 20. XVII. 2. 4. 8. XVIII. 22. XXII. 4. XXIII. IV: 19. 31.
Theodotio III. 30. IX. 4. X. 8. XV. 16.
Theophanes VI. 23.
Theophilus Antiochenus I. 9. 10. XXIV. 8.
Theophraſtus XX. III: 2.
Theophylactus X. I. 10.
Thomas Anglicus VIII. 12. XVII. 5.
Thomas à Navaria XV. 16.
Thomas Aquinas X. 3. XI. 17. XIV. 2.
Thomas Argentarius II. 3.
Thomas Pius XXIV. 29.
Thomas Vienus XV. 21.
Tigurina verſio IV. 18. XII. 17. XVII. 3. 8. XVIII. 20. XXIII. III: 5.
Torniellus I. 8. 39. III. 10. V. 2. XII. 16. XXIV. 28.
Torquemada XV. 21.
Toſtatus II. 16. III. 19. 68. VI. 21. VII. 24. XIV. 8. XX. I: 15.
Tremelius III. 11. VIII. 18. XVII. 14. XIX. 6. XXIII. IV. 22.

Digitized by Google

Trigautius xxiv.9.
Tyrius I.22. III.41. VI.26.
Tzezes IX. 21. XX.III: 2.

U.

Valerius Maximus IV. 17. XX. II: 5.
Valeſius (Franciſcus) VII. 14.
Varinus III. 35.
Varius XV. 21.
Varro XV. 39. XX. II: 25.
Vaſquez III.35. XXII.8.
Vatablus III.66. XVIII. 16.
Vegetius XIV.2.
Verronius I. 8.
Viccars (Joh.) XX. III: 8.
Villalpandus II. 3. 6. XX.III:3.
Virgilius III.20. V.17. XXI.2.
Vitriacus V.9.
Vives IV.6.
Vogelſang VII.16. VIII. 11.
Vorſtius (Guilielmus Henricus) II. 16. III 70.
Vorſtius (Johannes) XXIII. IV: 27.
Voſſius (Gerhardus Johannes) VII 19. IX.21. XV.21. XX. II:17. XXIV.2.7.21.25.27.29.
Voſſius (Iſacus) III.5. V 7. IX. 16. XVI.20 XX.I.2.12 XXIII. III:4. XI:1.
Urſinus (Henricus) XX. IV: 25.
Uſſerius Armachanus III.5.12. XV.6. XVIII.2.13. XXIV.2.8. 11. 12. 20.
Vulgatus Interpres III.5.6.27. 29. 30. V. 9. VI. 15. 19. 21. VIII.5.18.21. IX. 8. 16. X. 8. XI. 8. 20. 24. 25. XII. 7. XIII.7. 12. 19. 21. XIV. 20.22. XV. 5.8.11.16.18.19. 29. XVII.6.8.18 XVIII.16. 20.21.31.33.35. XIX.15. XX. I: 2. 3 15. 16.17.21.23. III: 1.6.8. XXIII. II: 3.4. III: 3.4.25. VI: 3. VIII:3. IX:1. XI: 1.4.

W.

Waltonus XXIV.5.
Windetus X.11. XX.I:15.

X.

Xenophon V. 21. XX. II: 11. XXIII.I:1. IV:6.

Z.

Zagazabo VII. 31.
Zegerus X. 8.
Zephyrus XX. IV:9.
Zepperus XVI.24.
Zonaras XX. III: 3.
Zwinglius XX.III: 12. XXIII. 4. 28.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Vocum Orientalium, Hebraicarum, Chaldaicarum, Syriacarum & Arabicarum.

א

אבריר xvi. 18.
אבק xvii. 3.
אברהם III. 1.
אברך xx. III: 6.
אברם III. 1.
ארום xii. 2.
אולם לוז xvi. 20.
אופרה xx. II: 10.
אחו xx. II: 21.
אחרית הימים xxiii. I: 6.
אחות xi. 20.
אחם xv. 16.
אודות vi. 20.
אילכה שלוחה xxiii. x: 5. 6.
אין xxiii. II: 3.
איתן xxiii. vi: 2.
אלגוהל III: 37.
אלון III. 16.
אלון בכות xiii. 18.
אם xvi. 22.
אנפטר xxiii. II: 3.
אסון xx. iv: 2.
אצל xiv. 20.
ארבע I. 19.
ארחות xx. I: 11.
אשל III. 52.

ב

באר שבע III. 50.
באר לחי ראי vi. 17.
בגר xviii. 32.
בגל xii. 17.
בון xx. III: 3.
בטנים xx. iv: 18.
בכזיב xviii. 16.
בן vi. 3.
בן אתי xiii. 2[illegible] xviii. 36.
בנה ix. 9.
בנימין xiii. 22. xviii. 36.
בקע xi. 8.
בתולה xi. 7.

ג

גאר xviii. 32.
גאל xxii. 19.
גדוד xxiii. viii: 2. 3.
גוארה xx. I: 16.
גוהל III. 37.
גור xxiii. iv: 6.
גיד הנשה xvii. 18.
גל xv. 33.
גלעד xv. 33.
גנב הלב xv. 28.
גשנה xxi. 10.

Digitized by Google

ד

דברה xx. I: 2.
דבורה II. 10.
דודאים xix. 1.
דלוב xv. 19.
דולב xv. 19.
דמשק III. 30.

ה

האגר vi. 27.
הליעט xii. 7.
התיחש xxiii. II: 8.
התיעלף xviii. 21.
התרצץ xi. 19.

ז

זוזים v. 7.
זמרה xx. iv: 18.

ח

חברון I. 18.
חבש ix. 6.
חום xv. 16.
חורף xv. 19.
חלילה viii. 11.
חללה xxiii. II: 6.
חלק v. 16. xxiii. III: 9.
חמנים I. 37.
חמר גרם xxiii. vi: 2.
חנט xix. 10.
חניכים v. 13.
חקורה xi. 22.
חרד xx. II: 23.
חרטמים xx. II: 23.
חרי xx. II: 14.
חרן iii. 11.
חשב iii. 35.

ט

טבח xx. iv: 19.
טלה xv. 16.

י

יאר xx. II: 21.
יברוחין xix. 2.
יגר שהדותא xv. 33.
ידע viii. 7.
יחיד ix. 8.
ימים xii. 17. xx. II: 12.
יסמין xix. 5.
יסף xviii. 27.
יעקב xiii. 2.
יקרה xxiii. iv: 25.
ירדן v. 16.
ירך xxiii. v: 1.
ירק v. 13.
ישורון ix. 5.
ישראל xvii. 13.

כ

כבור xxiii. III: 4.
כברת הארץ xiii. 21.
כהן II. 25. xx. III: 9.
כותא xii. 17.
כלה III. 4.
כמרים I. 37. III. 5.
כסות עינים iv. 16.
כסף xx. I: 12.
כף xvii. 8.
כרוב xiii. 21.
כרית ארבע I. 18. 19.

ל

לארן xx. I. 11.
לבאחא xix. 2.
לוז xv. 19.
לוט xx. I: 11.

מ

מגדל עדר xiii. 24.
מורה III. 16.
מושב xxiv. 20.

מול xviii. 32.
מחקק xxiii. iv: 23.
מטה xxii. 7.
מעינים xiv. 2.
מכפלה III. 58.
מכר xxiii. III: 3.
מכורות xxiii. III: 3.
מכה נפש xx. I: 9.
מליחה v. 9.
מלח v. 9.
מצבה xiii. 23. xv. 33.
מקדשות xv. 19.
מריה ix. 5.
משאת xx. iv: 23.
משלחת III. 37.
משפתים xxiii. vi: 3.
משקה III. 30.

נ

נהל xv. 41.
נוכחת iv. 18.
נזיר xii. 6.
נזיר אחיו xxiii. xi: 8.
נום xi. 8.
נחל מצרים III. 41.
נחש xv. 15. xx. iv: 25. 26.
נבאת xx. I: 11.
נבירת xx. I: 11.
נסה ix. 3.
נפל vi. 29.
נקד xv. 16.
נרגל I. 37.
נשה ראש xx. II: 17.
נשק xx. III: 1.

ס

סכה x. 12. xxiii. iv: 6.
סכך ix. 16.
סהר xx. II: 6.
סיגלי xix. 2.
סלם xvi. 9.
סמך x. 12.
סנהדרין xxiii. iv: 23.
סנורים viii. 16.
סעיר לב viii. 5.
סער xi. 24.
ספסרא xiv. 2.
סרס xx. I: 26.
סרק vi. 27.

ע

עאבר I. 13.
ענות viii. 5.
עד xiii. 9. xxi. 11.
עלם xiii. 19.
עון III. 38.
עטפים xv. 19.
עיץ xii. 2.
עלה xxiii, II: 6.
עצבים I. 34.
עקרים xv. 16.
עקידות xxiii. III: 5.
עקש vii. 4.
ערון xxiii. vii: 4.
ערכון xv. 19.
עשו xii. 2.
עשק xi. 25.
עשתרות קרנים v. 7.
עתר xi. 17.

פ

פוג xx. iv: 32.
פחז xxiii. II: 6.
פטר xxiii. II: 3.
פטר רחם xxiii. II: 3.
פילגש III. 63.
פסים xx. I: 3.
פצלות xv. 19.
פרא vi. 12.
פרר xii. 17.

Digitized by Google

פרע iv. 6.
פריעה iv. 6.
פתיל xviii. 21.
פתח עינים xviii. 20.
פת לחם viii. 5.

צ

צור vii. 22.
צחק vi. 19.
ציון xxiii. v: 3.
ציץ iv. 17. xviii. 20.
צפנת פענח xx. III: 7. 8.
צרי xx. I: 11.

ק

קדר vi. 26.
קינן I. 13.
קמצים xx. III: 12.
קצרה xxi. 13.
קרח xv. 16.
קשם III. 40.

ר

ראתן iv. 8.
רך xx. III: 6.
רחבות xi. 25.
רכות xv. 5.
רפאים III. 43. v. 7. xxii. 25.
רקיע x. 8.

ש

שאל xx. I: 15.
שארה xxiii. II: 4.
שבט xxiii. iv: 15. 16. &c.
שבין xv. 11.
שביעה xi. 26.
שבר xx. iv: 2.
שרים v. 9.
שה ix. 8.
שוה v. 19.
שוח xi. 11.
שור vi. 11.
שטב xiv. 24.
שיחור III. 41.
שילה xxiii. iv: 13. 14. &c.
שלח I. 13.
שלם xiii. 7.
שנאם xix. 8.
שיר xi. 24.
שיעפים xi. 20.
שעי xii. 2.
שפיפ xxiii. vii: 4.
שפר xxiii. vi: 3.
שר הטבחים xx. I: 16.
שרג xx. II: 13.
שרה III. 2.
שרי III. 2.
שרק xxiii. iv: 27.
שש xx. III: 3.

ת

תוכחו iv. 18.
תו xiv. 22.
תישי xv. 39.
י xiv. 2.
תם vii. 4.
[illegible] xvii. 8.
תרם I. 38. xv. 26.

Digitized by Google

INDEX

Vocum Græcarum.

ᾍδης XX. I: 15.
Ἀδολεσχεῖν XI. 11.
Ἅλση III. 53.
Ἀπανθρακίδες VIII. 5.
Ἀρνειὸς III. 37.
Ἀρχιερεὺς XXIII. IV: 23.
Γόερις XX. II: 14.
Ἐγκρυφίαι VIII. 5.
Ἐδώμ XII. 2.
Εἴδωλον I. 34.
Ἕλιξ XXIII. IV: 27.
Ἐπασπασμός VII. 30.
Ἐρίμυκος VIII. 18.
Ἐρυθρός XII 2. 18.
Θέρμστρον IV. 17.
Θετταλικὴ ἔνθεσις XX. IV: 23.
Κλιτήρια X. 12.
Κόνδυ XX IV: 25.
Λάφυρα XXIII. XII: 1.
Λογίζεσθαι III 35.
Λυκηθμος XXIII. XII: 4.
Μάνδρα XIX. 9.
Μετοικίζειν XXIV. 15.
Ξίφος XIV. 2.
Πτερνιστὴς XIII. 2.
Πυθμὴν XX. II: 12.
Πύρεθοι I. 37.
Ράβδος XXII. 7.
Σαβὲκ IX. 16.
Σαμψήρα XIV. 2.
Σάραπις XX. III: 3.
Σάρλδον XIV. 2.
Σικχασία XIV. 27.
Σπαθαρίσκον XVIII. 20.
Στερέωμα X. 8.
Στηρίζειν X. 8.
Στιβάδες X. 12.
Στικτὰ XV. 16.
Στύραξ II. 10.
Τάξις II. 10.
Φακὴ XII. 6.
Χαβραθὰ XIII. 21.
Χάσμα X. 8.
Χημία XV. 16.
Χονδρίτης XX. II: 14.
Ψοντομφανὴχ XX. III: 8.

I N-

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A.

Abdir, *Abadir*, *lapis Saturno ſacer.* XVI. 18

Abimelechi cum Abrahamo fœdus. III. 50. *Nomen eſt Regum Philiſtæorum* IV. 2. *Is qui rapuit Saram, fueritne fidelis?* IV. 13. *Is cum quo egit Iſacus fueritne is ipſe, cum quo egit Abraham?* XI. 24. *Ejus cum Rebecca luſus. ib. fœdus cum Iſaco* 26.

Abrahamus an idololatriæ in Chaldæa deditus? I. 39.

Abrahami Hiſtoria. III. 1-*f. Primo Abram, poſtea Abraham vocatur.* 1. *Patria ejus Ur Caſdim quæ fuerit?* 5. *Vocatur ex Ure Chaldæorum.* 6. 7. *Promiſſio ipſi facta qualis?* 8. *Ejus obſequium & fides.* 10. *Advenit Charane.* 11. *Migrat in terram Canaan.* 15. *Prima ejus ſtatio in Sichem & Elon Moreh, ubi Deus ei apparet.* 17. 18. *Secunda ejus ſtatio in montanis Betheli occidentalibus.* 19. 20. *Proficiſcitur meridiem verſus.* 21. *Ægyptum petit ob famem.* 22. 23. *Redit in terram Canaan, ubi ejus paſtores cum Lothi paſtoribus diſceptant.* 24. 25. *Tertiò ei Deus apparet.* 26. *Proficiſcitur in Elon Mamreh.* 27. *Altare ibi ædificat, & fœdus init cum Principibus Hebronitis.* 28. *Quartò ei Deus apparet in Elon Mamre.* 29. *Promiſſam mercedem detrectat.* 30. *Semen ipſi promittitur.* 30. 31. *Promiſſioni ei habita fides ipſi imputatur ad juſtitiam.* 31. 32 33. 34. *Signum additur promiſſioni, & fœdus cum eo initur inter diſſecta animalia.* 36 44. *Hagar ipſi jungitur, ex qua Iſmaelem tollit.* 45. *Fœdus cum eo initum, ejusque ſignum circumciſio:* 46. *Excidium Sodomæ ipſi nuntiatur.* 47. *Migrat in Gerar.* 48. *Iſacus ei naſcitur.* 49. *Cum Abimelecho fœdus init.* 50. 51. *Nemus plantat in Beerſeba.* 53 *Tentatur.* 54. *Saram defunctam plangit & ſepelit.* 55. 56-59. *Servam ablegat in Meſopotamiam nuptum Iſaco.* 59. *Ducit Cethuram.* 61. *Morti vicinus Iſacum hæredem inſtituit.* 65. 66. *Iſaco moribundus an benedixerit?* 67. *Ejus mors & ſepultura.* 68. *Hebræorum & Muhammedanorum de eo traditiones.* 69. 70. *Pſeudepigrapha ei tributa.* 71. *Exoticorum de ipſo teſtimonia.* 72.

Abrahamus inducens Saram, uti ſororem ejus ſe venditet, leno non fuit. IV. 4. 5. *quo ſenſu propheta*

à Pharaone nuncupatus? 14. *Intercedit pro Abimelecho.* 19.

Abrahami expeditio adverſus Reges exteros. V. 11--*f.*

Abrahamus Hagaræ ſe conjungens humanitus aliquid patitur. VI. 1. 2. 3. 4. *renuit dimittere Hagarem.* 19.

Abrahamicum fœdus, ejusque ſignum circumciſio. VII. 1--*f.* Vide Breviarium.

Abrahamus Angelos hoſpitio excipit. VIII. 2. 3. 6. *Ejus fides in publica inſtitutione.* 7. *Intercedit pro Sodoma.* 10. *Interceſſionis ejus argumentum quale?* 11. *Judicium Dei religioſè admiratur.* 25.

Abrahamus mandatum accipit offerendi Iſacum, adeóque tentatur. IX. 1--*f.* Vide Breviarium.

Abrahami Sinai quid ſit? X. 1--*f.* Vide Breviarium.

Abrahami convivium in ablactatione Iſaci. XI. 4.

Abrahami annus nativitatis diſcutitur. XXIV. 11. 12. *&c. non fuit primogenitus Tharachi.* 12. *an bis profectus Charanem?* 15. 16. *an ibi* 5. *annos conſederit?* 29. 30.

Abrec qualis acclamatio? XX. III: 46.

Abyſſinorum circumciſio. VII. 31.

Adith uxor Lothi vocatur Hebræis. VIII. 23.

Adullamites quis fuerit? XVIII. 14.

Ἀδύνατον *refertur ad* τὸ ἀθέλητον. XVII. 7.

Æchmalotarchæ Babylonii non ſunt שבט *ſeu ſceptrum Judæ.* XXIII. IV: 15.

Ægyptus an poſt Homeri ætatem fluminis limo invecta? III. 23.

Ægypti flumen Nilus eſt. III. 41.

Ægyptiacæ ſervituti prælusit raptus Saræ. IV. 10.

Ægyptiorum circumciſio. VII. 28. *Cum Hebræis communi victu cur non uſi?* XX. IV: 22. *Eorum in cibis parandis peculiaria inſtituta. ib. Eorum mos condiendi cadavera.* XXII. 25.

Ægyptiaci regni antiquitas diſceptatur. XXIV. 7. *Dynaſtiæ ejus. ib.*

Æquivocationes rejectæ. XIV. 6.

Æthiopum circumciſio. VII. 28.

Africani ſalis firmitas. VIII. 23.

Agareni poſteritas Hagaris. VI. 26.

Aggregari ad populum. III. 68.

Agricolarum felicitas. XXIII. VI: 6.

Aholibama uxor Eſavi. XII. 10.

Ἀκρόχολοι XIV. 26.

Alexandrini hippodromi magnitudo. XIII. 21.

Allon bacuth. XIII. 18.

Altaris ſtructura in monte Moriah. IX. 9.

Altare à Jacobo extructum. XIII. 7.

Altare El-bethel. XIII. 17.

Amabæi continentia. XX. II: 5.

Ambulare coram Deo. VII. 4.

Ammonis nativitas. VIII. 29.

Amorrhæorum iniquitas nondum impleta quo ſenſu dicatur? III. 39.

Amraphel reliquique Reges exotici qui fuerint? V. 2.

Ana, Seir Horræi nepos quo ſenſu in deſerto dicatur inveniſſe הימים? XII. 17.

An-

Digitized by Google

Anchialus apud Martialem quis, & unde dictus? xx. iv: ii.
Aner, Mamre & Eſcol, eorúmque cum Abrahamo fœdus. iii. 28. *Fuerintne fideles?* v. 12.
Angelus qui Hagarem conſolatus eſt, Jehova fuit. vi 11.
Angeli apparent Abrahamo. viii. 2. *unus ex illis Jehova fuit.* 3. *Sodomæ adveniunt.* 13. *Cur recuſaverint apud Lothum divertere, cùm id poſtea fecerint? ib.*
Angelus Jehovæ probibens ictum Abrahami quis fuerit? ix. 15.
Angeli Dei Jacobo occurrentes in Machanaim, qui fuerint? xv. 36.
Angeli in ſcala Jacobi aſcendentes & deſcendentes cujus rei ſymbolum fuerint? xvi. 12.
Angelorum eſſe manè Deo cantare hymnos, ob beneficium conditi ſolis, ſentiunt Hebræi. xvii. 11.
Angelus vindicans Jacobum ab omni malo, Chriſtus fuit. xxii. 19.
Ανθρωποθυσία *gentium.* ix. 4. 21.
Animas facere quid? iii. 12.
Anima poſita pro vita. xx. I: 9.
Animalia mactare, & per eorum ſegmenta transire, qualis olim ritus? iii. 40.
Animum hominis morti appropinquantem diviniorem eſſe, olim ſenſere gentiles. xxiii. I: 1.
Anni Patriarcharum Chaldæorum ab Arphaxado ad Abrahamum uſque diſceptantur. xxiv. 3-13.
Annorum à diluvio ad Thærachum generare incipientem epilogiſmus. xxiv. 19.
Anni peregrinationis Patriarcharum 430 *fusè ventilantur.* xxiv. 20. 21. *Dividuntur in duo ſpatia æqualia.* 35.
Annuli ſignatorii uſus antiquiſſimus. xx. iii: 2. *dignitatis & ingenuitatis olim ſymbolum fuit. ib.*
Anobret Saturni conjux, Sara fuit. iii. 72.
Antichriſtus an ex tribu Danis oriundus? xxiii. vii: 6. 7.
Apis non fuit Joſephus. xx. iii: 20.
Apocalypſis Abrahæ. iii. 7.
Appetitus collium Seculi Chriſtus eſt. xxiii. xi: 6. 7.
Arabum diſtinctio in puros & Monſtarabes. vi. 27.
Archelai ſomnium. xx. II: 22.
Arietis in locum Iſaci ſubſtituti hiſtoria. ix. 16. *&c.*
Armenia non eſt vitifera. I. 4.
Arphaxadus an ſit Jonithus Methodii? I. 3. *An migraverit ex Thamua in Etham?* 4. *Ejus hiſtoria.* 7. *Ejus annus nativitatis diſceptatur.* xxiv. 2.
Aſcheris nativitas & nomen. xviii. 33.
Aſelliceps homo quid? xxiii. vi: 7.
Aſinorum apud Orientales uſus & pretium. ix. 6.
Aſinæ pullus alligandus ad vitem quis? xxiii. iv: 27. 32.
Aſini fortis cum Iſſaſchare comparatio. xxiii. v: 4. 5.
Aſinus Kabaliſtis ſapientiæ ſymbolum habitus

Digitized by Google

habitus. XXIII. VI: 6. *Ægyptiis verò ſtoliditatis. ib.*

Aſnath filia Potipharis nubit Joſepho. XX. III: 9. *Cujus Potipharis filia? ib. Liberi ex ea prognati?* 13.

Aſphaltites lacus quo ſenſu mare appellatur? V. 9. *quo ſenſu mare ſalſum? ib.*

Aſſamonæi an fuerint ex tribu Juda? XXIII. IV: 19.

Aſſumptio Abrahæ liber apocryphus. III. 71.

Aſſyriaci Imperii antiquitas ventilatur. XXIV. 8.

Aſtaroth Carnaim. V. 7.

Aſtrologiam an docuerit Abrahamus. III. 22.

Aſterenk Perſis eſt mandragora. XIX. 13.

Augurium ex ſtellis XX. I: 5.

Aves in auguriis olim denotabant annos. XX. II: 25.

Aureum Seculum quò referendum? I. 25.

B

Baaras radix apud Joſephum. XIX. 3.

Babyloniæ pars magna olim Meſopotamiæ tributa. III. 5.

Bætulia, Bætuli quid notent Sonchoniathoni? XVI. 18.

Barbariſmus Epiphanii. I. 30.

Bath Suah uxor Judæ. XVIII. 15. 16.

Beatitudinis Cæleſtis & convivii terreſtris analogia. X. 11.

Beerſebæ nomen impoſitum ab Iſaco. III. 50. XI. 26.

Bellum Pentapolitanum. V. 1--f. Vide Breviarium.

Benedictio ſacerdotalis à Patriarchali diſtinguitur. XIV. 3.

Benedictio Cæli, abyſſi, uberum. XXIII. XI: 5.

Benjamin unde dictus? XIII. 22. *Ejus nativitas & nomen.* XVIII. 36. *An Romanis Originem dederit?* 37. *Ejus filii quo ſenſu dicantur Ægyptum ingreſſi.* XXI. 6. *Ejus benedictio.* XXIII. XII: 1--f.

Ben-Oni unde dictus. XIII. 22.

Bethel urbis ſitus. III. 19. XVI. 21.

Bethuel pater Rebeccæ fuerítne in vivis, cùm illa Jacobo nuberet? XI. 10.

Billha Jacobo ſuperinducitur. XV. 12. XVIII. 30.

Boves ex Nilo aſcendentes fæcunditatis & ſterilitatis ſymbolum. XX. II: 25.

Boſmath uxor Eſavi. XII. 10. *Quomodo fuerit filia Anæ ſimul & Sibhon.* XII. 10.

Bottica regio Chaldææ. V. 3.

Bryoniæ abuſus. XIX. 13.

Byſſus in ſacris memorata ſitne eadem cum illa, quæ apud Elidem in Græcia colligebatur. XX. II: 3. *Ægyptia eſt goſſipion ſeu xylon. ib. Byſſus Sacerdotum & Levitarum diſtincta fuit. ib. à ſerico & bombyce rectène diſtinguatur? ib.*

Byzantinus hippodromus. XIII. 21.

C.

Cades & Bered quæ loca fuerint? VI. 11.

Cadmo-

Cadmonæi qui fuerint? III. 43.
Cainan LXX *Interpretum fuſè diſceptatur.* I. 8 9. *&c. Apud Lucam eſt inſititius.* 11. *Eſt* עאמר *Authoris Tharicb.* 12.
Camarina Ur dicta. I. 36.37. III. 5.
Canaan Pentapoli contradiſtincta quænam fuerit? III. 24. *Quo ſenſu Abrahamo promiſſa in ſeculum?* III. 26. *Promiſſa eſt tanquam pignus Chriſti.* VII. 8.
Cananæam mulierem cur Iſaco deſponderi noluerit Abrahamus? III. 60.
Capernaitæ cum cerva dimiſſa comparati. XXIII. X: 8.
Catonis abſtinentia. V. 23.
Cedorlaomer Rex Elam. V. 3.
Ceraſtes cur שפיפון *dictus?* XXIII. VII: 4. *Cum eo tribus Dan quo ſenſu comparetur?* 5.
Cenizæi quinam fuerint? III. 43.
Cereth pœna qualis? VII. 19.
Cethura Abrahamo nubit. III. 61. *non fuit Hagar. ib. Qui ex Abrahami corpore mortuo liberos gignere potuerit?* 64. *Ejus filii.* 65.
Chaos quid, & unde dictum? X. 8.
Charanis mors & de eo fabulæ Hebræorum. I. 28.
Chriſtum inter & Melchiſedecum analogia. II. 29.
Chriſtus Abrahamo apparuit. VIII. 3.
Chriſti comparatio cum Iſaco & ariete ejus. IX. 22.
Chriſtus cum Leone comparatus. XXIII. IV: 8. *Agnus fuit in morte, leo in reſurrectione. ib. Similitudo leonis ei per gradus applicata.* IX. 10.
Chriſtus eſt appetitus collium ſeculi. XXIII. XI: 6.
Chriſtianorum veterum mos jurandi per ſalutem, non genium Imperatoris. XX. IV: 9.
Cinæi quinam fuerint? III. 43. XXIII. X: 4.
Circumciſio latè explicata. VII. 12. *ſ.* Vide Breviarium.
Circus maximus Romanus. XIII. 20.
Clamor Sodomæ. VIII. 8.
Claves vitæ, pluviarum, reſurrectionis. XV. 14.
Cleri à ſumma poteſtate exemptio rectène probetur exemplo Sacerdotum Ægyptiacorum. XX. III: 18.
Clitimarchi continentia. XX. II: 5.
Colchorum circumciſio. VII. 28.
Collegio ſæpe tribuitur, quod quidam ex eo deſignarunt. IX. 7.
Comæ falſis Numinibus dicatæ. XIII. 16.
Conchyliati. XX. III: 4.
Conditura apud Ægyptios ratio. XXII. 25.
Confutii libri de rebus Sinenſib. XXIV. 9.
Concubinæ & uxoris diſcrimen. III. 65.
Convivii terreſtris & beatitudinis cœleſtis analogia. X. 11.
Convivia veterum & in iis discumbendi mos. X. 12.
Convivium Abrahami in ablectatione Iſaci. XI. 4.
Convivia genethliaca Regum. XX. II: 18.
Continentiæ ſingularis exempla exotica. XX. II: 5.
Crucis propriè dictæ apud Hebræos

antiquos & Ægyptios uſus an fuerit? XX. II: 17.

Cteſianæ fabulæ. XXIV. 8.

D.

Dameſchek Eliezer quis fuerit? III. 30.

Dan primitus Leſem dicta. V. 16. *Ejus urbis ſitus. ib.*

Danis nativitas & nomen. XVIII. 31.

Dani Jacobus benedicit. XXIII. VII: 1--*f.* Vide Breviarium.

Daricus nummus XX. I: 12.

Deboræ nutricis Rebeccæ mors cur memorata? XIII. 18.

Decimas ſacrandi Diis mos antiquus. V. 21. *An eas ex præda univerſa Melchiſedeco dederit Abrahamus?* 22. *an miniſtris eccleſiæ jure naturali debeantur?* XVI. 24.

Deſtanbovie quid. VII. 3.

Deus quo ſenſu tentaverit Abrahamum? IX. 3. *non obligavit eum ad credendum falſum* 4. *non fuit ſibi ipſi contrarius, mandans primò mactationem & eandem poſteà prohibens.* 15. *quomodo per ſe ipſum juraverit?* IX. 20.

Dei erga Eſavum odium quale? XII. 19. 20.

Deus quomodo dicatur aſcendiſſe à Jacobo. XV. 19.

Deum videri non poſſe ſine diſcrimine mortis unde crediderint veteres? XVII. 16. 17.

Deus heros Jacobi, paſtor, lapis Iſraelis. XXIII. XI: 4.

Dii alieni, quos abjicere Jacobus juſſus, qui fuerint. XIII. 16.

Dinæ raptus. XIII. 9.

Diſcumbendi in conviviis mos veterum X. 12.

Diſſimulatio quæ licita quæve illicita? IV. 11. VIII. 13.

Dividendi antiqua conſuetudo, ut major dividat, minor eligat. III. 25.

Divinorum conceptuum cum ſignis externis harmonia. IX. 15.

Doctores legis an ex tribu Simeonis & Levi oriundi? XXIII. III: 11.

Dudaim quid fuerint, prolixè diſceptatum. XIX. 1--*f.* Vide Breviarium.

E.

Eccleſia an poſſit affligere hæreticos exemplo Saræ affligentis Hagarem? VI. 10.

Edom Romanum imperium an deſignet? XI. 21.

Edom. XII. 12.

Edom in ſacris non notat Imperium Romanum. XIV. 21.

Eiz Muhammedanorum eſt Eſavus. XII. 2.

Elam eſt Elymais. V. 3.

Eliezer Abrahami famulus quis fuerit? III. 30. *Ejus pronubi ablegatio in Meſopotamiam.* XI. 6.

Ellaſar fueritne Pontus? V. 3.

Elon Mamre. III. 27.

Elon Moreh ſitus. III. 16. *Eſt Aulon Hieronymi. ib.*

Elroi Deus appellatur ab Hagare. VI. 16.

Emæi ab Ana oriundi. XII. 17.

Emor

Emor vendit portionem agri Jacobo. XIII. 7.
Enoſchæorum ſecta fictitia. III. 28.
Epiphanii de quatuor matricibus hæreſeon ſententia. I. 30.
Ἐπαναζυὸς *Judæorum.* VII. 30.
Ephraim unde dictus? XX. III: 13.
Ephraimi & Manaſſis benedictio. XXII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Ephron Abrahamo ſpeluncam & agrum vendit. III. 59.
Eris nativitas. XVIII. 16. *malitia & cædes.* 17.
Erythræum mare unde dictum? XII. 18.
Eſavi hiſtoria. XII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Eſavi Benedictio. Vide Iſaci Benedictio.
Eſavi in Jacobum dominio non notatur Romanorum dominium in Judæos. XIV. 21.
Eſavitarum אלופים *Duces.* XII. 15. *Regimen eorum quale fuerit? ib.*
Eſiongaber civitatis ſitus. XII. 18.
Eſtheræ ad Regem adducendæ unctio. IV. 9.
Etham Methodii. I. 3.
Eunuchorum in aulis Regum potentia. XX. I: 16.
Europæ raptus. IV. 7.

F.

Faciem alicujus videre. V. 40.
Ficuum rami an Dudaim? XIX. 9. 10. 15.
Fides Abrahami in Chriſtum. III. 33. 34. *&c.*
Fidei falſum ſubeſſe non poteſt. IX. 4.
Flammei uſus. IV. 17.
Fœcunditatis claves. VI. 3.
Fœderalis ritus mactandi animalia, & per eorum ſegmenta transeundi. III. 40.
Fœdus Dei cum Abrahamo. III. 41.
Fœderum diſtinctio. III. 50.
Fœdus cum Rege infideli an licitum? III. 51.
Fœdus Abrahamicum. VII. 1--*f.*
Fœdus Jacobum inter & Labanem. XV. 32.
Fœminarum raptus. IV. 7.
Fœtui quomodo imprimantur notæ? XV. 21.
Fons aquæ in via Sur. VI. 11.
Fratrum geminorum in utero materno colluctationes. XI. 19.
Fratrum odia. XIV. 24.
Fratres minores majoribus prælati inde ab initio mundi. XXII. 21.
Frugalitas veterum. XII. 6.
Frumentum ex Ægypto allatum quomodo ſuffecerit familiæ Jacobi. XX. IV: 16.
Furari cor. XV. 28.

G.

Gadis Benedictio. XXIII. VIII: 1-*f.*
Galilæi cum cerva dimiſſa comparati. XXIII. X: 8.
Garizim & Hebal montium ſitus. III. 19.
Gehenna unde dicta? IX. 4.
Gentes decem quomodo promiſſæ Abrahamo? III. 43.
Gentium converſio prædicta & impleta. XXIII. IV: 38. XI: 7.

Digitized by Google

Gentiles extra eccleſiam an ſalvari potuerint? II. 24.
Goim Rex quis fuerit? V. 3.
Goren Atad. XXII. 29.
Goſen terram paternæ familiæ cur procuraverit Joſephus? XXI. 12.
Græca LXX. *Interpretum verſio duplex diſtinguitur.* I. 10.

H.

Habitandi vox quantum temporis requirat? III. 13.
Hæretici an poſſint affligi? VI. 10.
Hagarꝰ hiſtoria. V. 1--*f.* Vide Breviarium.
Hai ſitus. III. 19.
Haranis ſitus. III. 11.
Harpe Thracica. XIV. 2.
Hebdomade, quam explere juſſus Jacobus à Labane, qualis? XV. 11.
Heber unde dictus? I. 14. *ab eo Hebræi nuncupati.* 15. *eſt Orientalium Hudus.* 16. *an propheta fuerit?* 17. *condiderítne Hebronem?* 18-21. *ordinem Torquatorum an inſtituerit?* 21. *Tanim an ædificaverit?* 22. *Titan an fuerit?* 23.
Hebræorum & Græcorum codicum circa annos Patriarcharum Chaldæorum diſſenſus diſcutitur. XXIV. 3. 4. 5. *&c.*
Helenæ raptus. IV. 7.
Helleniſmus Epiphanii. I. 30.
Herculis ætas. III. 65.
Herodes M. an ἀλλόφυλος fuerit? XIV. 22.
Hieroſolymam an condiderit Melchiſedecus? II. 20.
Hieroſolymitanorum Epiſcoporum circumciſio. VII. 31.
Hippodromus Alexandrinus & Byzantinus, ac utriusque magnitudo. XIII. 21.
Hobæ topographia. V. 18.
Hædos duos cur Iſaco appoſuerit Jacobus? XIV. 5.
Homeri ætas. III. 23.
Homeritæ an ſint Sabæi? III. 65.
Hominis figura juxta vim ſymbolicam mandragoræ fueritne in vexillo Rubenis? XIX. 13.
Horræorum genealogia. XII. 16.
Hoſpitalitatis laus. VIII. 6.
Humanis victimis Deus nunquam delectatus. IX. 4.

I.

Jacobi hiſtoria. XIII. 1-*f.* Vide Breviarium.
Jacobo benedicit Iſacus. Vide Iſaci benedictio.
Jacobus an deſignatus ſacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedeci? XIV. 17.
Jacobus videt ſcalam. Vide Scala Jacobi.
Jacobus luctatur cum Deo. XVII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi liberi ex IV *uxoribus.* XVIII. 2--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi peregrinatio in Meſopotamiam, ejusque res ibi geſtæ. XV. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobus quomodo ſe incurvaverit Joſepho. XX. I: 5.
Jacobi luctus ob jacturam Joſephi. XX. I: 14.
Jacobus munera mittit in Ægyptum. XX. IV: 18.

Jacobi ob nuntium de Joſepho ſuperſtite affectus. XX. IV: 23.
Jacobi migratio in Ægyptum. XXI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi ultima. XXII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobus benedicit filiis. XXIII. *ſect.* 1--XII. Vide Breviaria.
Jaman quid. VI. 22.
Jathreb deſertum quid notet Arabibus? VI. 22.
Idumæi. XII. 2.
Idumeæ Orientalis & Auſtralis diſtinctio. XII. 16.
Idumæorum animi militares. XIV. 22. *Iſraelitis ſæpius ſubjecti.* 23. *Poſt Hircani tempora cum Iſraelitis facti ſunt unus populus.* 24. *quando Iſraelitarum jugum excuſſerint? ib.*
Jehudith uxor Eſavi. XII. 10.
Jeſchurun unde dictus? IX. 5.
Jeud Saturni eſt Iſacus. III. 72. IX. 21.
Jezira liber tributus Abrahamo. III. 71.
Ignis Symbolum ſolis. I. 35. *Ejus cultus à Chaldæis tranſiit ad Perſas.* I. 36. 37.
Jiſca an eadem cum Sara? III. 4.
Imaginum uſus refellitur. XIII. 23.
Impoſitionis manuum origo, uſus & ratio. XXII. 16.
Inaures Numinibus falſis dicatæ. XIII. 16.
Infernus notione ſepulchri acceptus. XX. I: 15.
Inſomnius quid Catoni? XX. I: 7.
Jochebedæ generatio. XXIV. 23.
Johannes dictus ἐγχόλπιος. X. 12.
Johannis ſubſultatio in utero materno. XI. 19.
Jona mater Abrahami juxta Orientales. I. 27.
Jonathanis paraphraſis, ejúſque antiquitas. II. 16.
Jordanis planities. III. 24. *ante exortum maris mortui ubi ſe exoneraverit?* VIII. 21.
Joſephi hiſtoria. XX. *ſect.* 1--IV. Vide Breviaria.
Joſephi filii quo ſenſu dicantur Ægyptum ingreſſi. XXI. 6.
Joſepho Jacobus benedicit. XXIII. XI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jovis aurea catena an ex ſcala Jacobi efficta? XVI. 14.
Iphigeniæ à Calchante mactandæ fabula unde exorta? IX. 21.
Iſaci hiſtoria. XI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Iſacus hæres inſtituitur. III. 65. *an ei benedixerit Abrahamus moribundus?* III. 67.
Iſacus ligatur in holocauſtum. IX. 1-*f.* Vide Breviarium.
Iſaci epitheton Jeud. III. 72.
Iſaci erga Eſavum affectus. XII. 5.
Iſaci ſepultura. XII. 13.
Iſacus benedicit filiis, Jacobo & Eſavo. XIV. 1---*f.* Vide Breviarium.
Iſidis raptus. IV. 7.
Islamiſmi confeſſio. VII. 29.
Iſmaelitarum ſedes ab Havila Sur *uſque*

Digitized by Google

uſque. VI. 25. *poſteritas*. 26. *cameli quid vexerint*. XX. I: 11.

Iſrael unde dictus? XVII. 13.

Iſraelitæ in deſerto incircumciſi an peccaverint contra legem Dei. VII. 20.

Iſſaſcharis nativitas & nomen. XVIII. 34. *an datus ſit Leæ ut merces ſubſtitutæ Zilpæ?* 36.

Iſſaſchari benedicit Jacobus. XXIII. VI: 1--*f*. Vide Breviarium.

Jurandi ritus, manum ſupponendi femori, explicatur. III. 60.

Juramentum Labanis idololatricum an admittere Jacobus potuerit? XV. 35.

Jurare per ſalutem, non genium Imperatoris veteres ſoliti. XX. IV: 9.

Judæ hiſtoria. XVIII. 11--*f*. Vide Breviarium.

Judæ Jacobus benedicit. XXIII. IV: 1--*f*. Vide Breviarium.

K.

Kedar Kedarenis originem dedit. VI. 25.

L.

Labanis hiſtoria. XV. Vide Breviarium.

Labanis conſenſus in matrimonium ſororis. XI. 10.

Ladanum quid, & unde dictum? XX. I: 11.

Lapis fundationis. XVI. 17.

Lazari & Epulonis parabola. X. 1. *in eadem voragine an fuerint?* 8.

Leæ oculi רכות. XV. 5. *an fortunæ tanquam idolo litaverit?* XVIII. 32.

Lectorum apud veteres ſummi, medii, imi uſus. X. 12.

Lenticulæ uſus apud varias gentes. XII. 6.

Levi Nativitas & nomen. XVIII. 9. 10.

Levi benedicitur à Jacobo. XXIII. III: 1--*f*. Vide Breviarium.

Lilia alba an veniant nomine Dudaim? XIX. 4. 14.

Limbus Patrum refutatus. X. 3.

Leo Symbolum eſt generoſi. XXIII. IV: 6. *è præda aſcendit in montana. In luſtris cubat. Tutò excitari nequit. ib. Regiæ fortitudinis ſymbolum eſt*. 7. *Chriſti cum eo comparatio*. 8.

Lothi & Abrahami Paſtorum contentio ſopita. III. 24.

Lothi filia an vivicomburio deſtinata. VIII. 8.

Lothus filias ſuas proſtituit. VIII. 15. *Liberatur à vi Sodomæorum*. 16. *Educitur ex Sodoma*. 17. *Cur reſpicere prohibitus?* 18. *Uxoris ejus metamorphoſis*. 23. *Ex Zoar in montem aſcendit*. 25. *Se inebriat & inceſto contaminat*. 26. *Qualis ejus ignorantia? ib. De ejus inceſtu & ebrietate judicium*. 28. *Uxoris ejus hiſtoria converſa in fabulam Niobes*. 30.

Lotio pedum qualis uſitata Orientalibus? XX. IV. 20.

Lotio veſtimentorum in vino Schilonis. XXIII. IV: 32.

Lucus an rectè ab Abrahamo plantatus. III. 53. *Unde dictus? ib.*

Lu-

Digitized by Google

Lugentes Regem adire non poterant. xx. II: 24.
Lugendi mos per ſeptiduum. XXII. 29.
Lupi veſpertini. XXIII. XII: 1. *Prædam prius dividunt quàm ea veſcantur.* XXIII. XII: 1. *Fortitudinis ſymbolum.* 4. *Lupi Martiales dicti. ib.* Μονόπειροι *qui dicti? ib.*

M.

Machanaim. XV. 36.
Macpelah ſpelunca unde dicta? III. 58.
Mamre, Aner, Eſcol fuerintne fideles? V. 12.
Manaſſes unde dictus? XX. III: 13.
Manaſſes benedicitur à Jacobo. XXII. 1--*f*.
Mandragora philtris idonea à veteribus credita. XIX. 3. *Ejus vis ſomnifica, fructus & amabilitas. ib. ad fœcunditatem an conferat?* 11. *non eſt Dudaim.* 11. 12. 13. *Cur* ἀνθρωπόμορφας *dicta?* 13. *de humana ejus forma fabula refellitur. ib.*
Manethonis impoſturæ detectæ. XXIV. 7.
Manichæorum in Abrahamum impietas. IV. 5. VI. 4.
Matrimonium ad Morgengabicam. III. 63.
Medeæ raptus. IV. 7.
Medica Tempe. I. 6.
Mediocritatis laus. XXIII. VI: 6.
Mel olim inter magnatum dapes. XX. IV: 18.
Melchiſedeci proſopographia. II. 1--*f*. Vide Breviarium.
Melchiſedecus Abrahamo occurrit. V. 20. *Decimas ab eo acceperit, an dederit?* 21.
Melones an veniant nomine Dudaim. XIX. 8. 14.
Mendacia officioſa rejecta. XIV. 6.
Mereri apud Latinos idem quod conſequi. XI. 22.
Meretricum in biviis ſe proſtituentium conſuetudo. XVIII. 20.
Meſſiæ exhibiti invicta contra Judæos demonſtratio. XXIII. IV: 36.
Methodii narrationes apocryphæ. I. 3. 4.
Michael non fuit nuntius Abrahamo abducti Lothi. V. 11.
Midian Abrahami ex Cethura filius. III. 65.
Migdal Eder. XIII. 24.
Migratio familiæ Jacobi in Ægyptum. XXI. I. 2. *&c.*
Militiæ & venationis communes labores ac pericula. XIV. 2.
Mina non convenit cum darico. XX. I: 12.
Miſſæ an præluſerit Melchiſedecus? II: 22.
Mizpa tumulus Jacobi. XV. 33.
Moabi nativitas. VIII. 29.
Mohel Judæorum. VII. 21.
Moriah terra quæ fuerit. IX. 5.
Moſen an filium incircumciſum Deus occidere voluerit? VII. 19.
Muhammedanorum circumciſio ejúſque origo. VII. 29.
Mulos progignendi ratio quo tempore exorta? XII. 17.

Digitized by Google

Myxaria. xx. I: 11.

N.

Nachor unde dictus? I. 26. *an exiverit cum patre Chaldæa?* I. 28.
Namphananes qui fuerint Pœnis? III. 15.
Naziræus fratrum Joſephus. xxiii. xi: 8.
Nebajoth Iſmaelis filius Nabathæis dedit originem. vi. 25.
Nephtalitæ. xxiii. x: 5.
Nephtali nativitas & nomen. xviii. 31. *Benedicitur à Jacobo*. xxiii. x: 1--*f.* Vide Breviarium.
Nergal. I. 36. 37.
Nervum contractionis comedendum non eſſe, inſtitutum familiæ Jacobi. xvii. 18. 19.
Nilus eſt à נחל. III. 41. *Cur* שיחור Μέλας, *Melo dictus? ib.*
Nini ætas. xxiv. 8.
Noe ubi conſederit poſt diluvium. I. 3. 4. &c. *an in planitie Armeniæ?* 4. 5. *an in montanis Scythicis?* 5.
Noe an Olibama. I. 23.
Noæ filiorum ordo diſceptatus. xxiv. 2.
Noachidarum poſt diluvium migrationes. I. 6.
Numerus eorum, qui Ægyptum ingreſſi, ventilatur. xxi. 4. 5.

O.

Obnubendi mos fœminarum in Arabia, Græcia, &c. iv. 17.
Ochozathi fœdus cum Iſaco. xi. 26.
Oculos claudendi morituris ritus antiquiſſimus. xxi. 2.
Oleo Jacobus inungit lapidem. xvi. 16.
Olibama. I. 23.
Onanis nativitas. xviii. 16. *Conjugium cum Thamare*. 18. *ſcelus & cædes*. 19.
Oniropolici libri. xvi. 14.
Opher Abrahami ex Cethura filius. iii. 65.
Ori & Oſiridis fabula. iii. 23.
Oſculum dignitatis, occurſus, diſceſſus, propinquitatis. xv. 3.
Ovium fœtus autumnales vernalibus præſtare. xv. 19.
Oves Labanis artificio ex concoloribus efficiuntur variegatæ. xv. 20. 21.

P.

Palatium Melchiſedeci. II. 20.
Palæſtritarum mos ſe aſpergendi pulvere. xvii. 3.
Palmites & propagines diſtinguuntur. xx. II: 13.
Papæ poteſtas an Melchiſedeci poteſtate ſtabiliatur? II. 23.
Parentum pro filiis poſitorum exempla. xiii. 8.
Patriarchæ Chaldæi. I. 1--*f.* Vide Breviarium.
Patriarcharum Chaldæorum idololatria. I. 29--*f.*
Patriarcharum habitatio in tabernaculi, ejúsque myſterium. III. 20. *Eorum Kabala*. viii. 7.
Patriarcharum benedictio prophetica. xiv. 1.
Patriarcharum duodecim hiſtoria. xviii. 1--*f.* Vide Breviarium.
Patriarcharum ſacrificia. xxi. 1.
Pavor Iſaci quid? xv. 31.
Peccatum clamans. viii. 8.
Penatum Deorum cultus. I. 38.

Peniel

Digitized by Google

Peniel. XVII. 16.
Pentapolitanum bellum. V. 1. *ſ.* Vide Breviarium.
Phœnicum aliarúmque gentium ἀνθρω-ποθυσία unde ortum duxerit? IX 21.
Phaleg unde dictus? I. 24. *Eſt Zælachus Muhammedanorum* XXIV. 16.
Phantaſiæ vires in imprimendis fœtui notis. XV. 21.
Pharao unde dictus? IV. 6.
Pharaonis Saram rapientis hiſtoria. IV. 1-10.
Pharaonis miniſtrorum peccatum & captivitas XX. II: 11.
Pharaonis ſomnia eorúmque interpretatio XX II: 20, 21.
Pharos unde dicta? IV. 6.
Philiſtæorum invidia erga Iſacum. XI. 25.
Picol quis fuerit? III. 50.
Πικρόχολοι. XIV. 26.
Piſtores qui fuerint olim? XX. II: 10.
Pluvia Dei ex Cœlo. VIII. 19. *ſulphuris & ignis.* 20.
Pocillatorum dignitas. XX. II: 10.
Polygamia Jacobi. XV. 13.
Portiones diſtribuendi in menſis mos vetus. XX. IV: 23.
Potiphar quo ſenſu dictus שר הטבחים? I. 16. *quo ſenſu* כרים? *ib.*
Potipharis uxor Joſephum ſolicitat & perfidè accuſat. XX. II: 3. 4.
Præputii adductio. VII. 30.
Precibus ſanctorum juvatur prædeſtinatio. XI. 17.
Primogenituræ jus quomodo vendere Eſavus, & emere Jacobus potuerit? XII. 9.
Principum mos in menſis fercula mittentium. XX. IV: 23.
Promiſſio facta ob cauſam illegitimam an obliget? XVIII. 23.
Providentia Divina Jacobo per ſcalam adumbrata. XVI. 11.
Purificatio à Jacobo imperata qualis? XIII. 16.
Purpura & byſſus cur ſæpe in ſacris conjungantur? XX. III: 3.

R.

Rachelis ſepulchri ſitus. XIII. 21.
Rachelis partus emortualis & obitus. XIII. 22.
Rachel à Jacobo ſalutatur. XV. 2, 3. &c.
Rachelis ſterilis expoſtulatio cum Jacobo. XVIII. 30.
Rameſſes terra quo ſenſu dicatur Jacobo data לאחזת. XXI. 16.
Raphaim, Zuzim, Emim ſtrages V. 7.
Rapiendi fœminas mos antiquus. IV. 7.
Rebecca occurrit Iſaco. XI. 7, 8. &c. Vide Breviarium.
Rebeccæ & Jacobi in intercipienda benedictione fraudes. XIV. 4-9. *Ejuſdem ad Iſacum de ablegando in Meſopotamiam Jacobo oratio.* 27.
Recutiti unde dicti? VII. 30.
Reges olim dicti unius civitatis domini. V. 4.
Reges & populi ex Abrahamo orti. VII. 5.
Reperta in publico loco quomodo ſint reperientis? IX. 17.
Reprobationis abſolutum decretum aſſeritur. XII. 19, 20.
Reu unde dictus? I. 26.
Riſus Abrahæ & Saræ. XI. 1.

Ros Cæli. XIV. 13.
Rubedo oculorum Schilonis. XXIII. IV: 32.
Rubenis nativitas. XVIII. 3. *Invenit Dudaim.* 4. *Billham inceſto contaminat.* 5. *an ſtrata duntaxat contaminaverit?* 6. *Joſephum liberat.* 7.
Rubenis Dudaim. XIX. 1-*f.*
Ruben conſiliis fratrum intercedit, & Joſephum liberat. XX. I: 9.
Ruben benedicitur à Jacobo. XXIII. II: 1-*f.* Vide Breviarium.
Rufus color cujus rei Signum? XII. 1.

S.

Sabec. IX. 16.
Sacrificia Patriarcharum non fuerunt theatrica ſpectacula. XXI. 1.
Salem cujus Rex fuit Melchiſedecus, nomen proprium fuerit an appellativum? II. 9. *an Hieroſolyma?* 20.
Sal hoſpitalitatis ſymbolum. VIII. 24.
Salinarum vallis in hiſtoria Davidis fueritne mare ſalſum? V. 9.
Salſugo Hebræis idem quod ſterilitas. V. 9.
Samaritanorum ὑπομνήματα. VII. 30.
Sanguinis in circumciſione effuſi myſterium VII. 26.
Sara cur Sarai dicta? III. 2. *non fuit eadem cum Jiſca Haranis filia.* 3. *Ejus mors.* 55. *Plangitur ab Abrahamo.* 56.
Saræ raptus geminus. IV. 1--*f.* Vide Breviarium.
Saræ conſilium de conjungenda marito Hagare. VI. 3. *Eundem ejici curat.* 19.
Sara & Hagar typus eccleſiæ V. & *N. T.* VI. 30.
Saræ riſus. XI. 1.
Sara vetula cur lactaverit Iſacum? XI. 3.
Saraceni unde dicti? VI. 26.
Sathan an comitatus Iſacum in montem? IX. 8.
Saturni filium ſacrificantis hiſtoria unde nata? IX. 21.
Satyrorum habitus. XIV. 5.
Save vallis ſitus. V. 19. *Fueritne Gymnaſium religioſum? ib.*
Schælachus unde dictus? I. 13.
Scala Jacobi. XVI. 1-*f.* Vide Breviarium.
Scenitarum mos prædictus. VI. 15.
Sceptri Judæ abolitio. XXIII. IV: 34.
Schilo Chriſtus eſt. XXXIII. IV: 13, 14. *&c.* Vide Breviarium.
Scortum cur Hebræis חללה *nuncupatum?* XXIII. II: 6.
Scythiſmus Epiphanii. I. 30.
Seir. XII. 2.
Sem non fuit Melchiſedecus. II. 16. *Ejus Scholam an frequentaverit Jacob?* XIII. 3. *quo anno genuerit Arphaxadum.* XXIV. 2.
Sennaar eſt Babylonia. V. 2.
Sepulchri jus ab Abrahamo emptum. III. 58. 59.
Sepeliri dicuntur qui terræ mandantur. XX. I: 15.
Serapis an fuerit Joſephus? XX. III: 20. *Ejus cultus in Ægyptum ex Ponto invectus.* 22.
Serbonides lacus an mare ſalſum notet? V. 9.
Sericum à bombyce perperam diſtinguunt

Proceres, florentiſſimas Eccleſias, Academias & Scholas, omnes denique Ordines, ſed & nominatim Vos, lectiſſima Fœderati Belgii decora, ſplendidiſſima communis Reip. Lumina, Viros geſtis rebus, actis honoribus, infinitis erga Patriam meritis verè inclytos, incolumes florentésque, & in ſuo quemque munere fidos, induſtrios, felices eſſe jubeat! Scribebam Tiguri d. Cal. April. Anno Æræ Dionyſianæ M DC LXXI.

Illuſtr. Nobiliſſ. & Ampliſſ.

D. D. V. V.

Obſervantiſſimus Cultor

J. HENRICUS HEIDEGGERUS.

Elen-

Digitized by Google

Elenchus Exercitationum.

I. *De Patriarchis Chaldæis.*
II. *De Melchiſedeco.*
III. *De Abrahamo.*
IV. *De Raptu Saræ gemino.*
V. *De Bello Pentapolitano.*
VI. *De Hagare & Iſmaële.*
VII. *De Fœdere Abrahamico ejusque ſigno Circumciſione.*
VIII. *De Excidio Sodomæ.*
IX. *De tentatione Abrahami & ligatione Iſaci.*
X. *De ſinu Abrahæ.*
XI. *De Iſaco.*
XII. *De Eſavo.*
XIII. *De Jacobo.*
XIV. *De Teſtamento Iſaci.*
XV. *De Jacobi peregrinatione Meſopotamica.*
XVI. *De ſcala Jacobi.*
XVII. *De Monomachia Jacobi.*
XVIII. *De duodecim Patriarchis.*
XIX. *De Dudaim Rubenis.*
XX. *De Hiſtoria Joſephi.*
XXI. *De Jacobi* μετοικεσίᾳ *in Ægyptum.*
XXII. *De Ultimis Jacobi.*
XXIII. *De Jacobi teſtamento, ſeu Benedictionibus Propheticis* XII *Patriarcharum.*
XXIV. *De Annis Patriarcharum poſt diluvium.*

EXER-

Digitized by Google

eruditionis prætexto ornatos, & qua parte eminere voluerunt, perfectiſſimos, ſummaque ingenii gloria præditos habito ingeniorum curioſo delectu conquiſitos ei præficere, legibus inſtitutisque optimis eam ordinare & componere, hactenus Vobis curæ cordique fuit. Sed hoc, & ſi quid aliud, prædicabunt & acri tibia decantabunt alii, quando in promptu eſt, quod propioribus me lineis contingit, quodque ſi diſſimulare inſtituerim, ingrati immemorisque animi invidiam nullo pacto evitaturus aut unquam aboliturus ſim. Veſtra enim hæc gratia, Veſtra dignatio eſt, quòd nuper Viro ſummo & perpetuo vigore digniſſimo *Johanni Coccejo*, in quo major pietas & morum ſanctitas, an eruditio & in interpretandis Scripturis ſubactiſſimi judicii acrimonia emicuerit, dicere non habeo; lucis hujus uſura maximo mœrore bonorum omnium privato, juxta nominis Clariſſimi Virum *Fridericum Spanhemium*, Theologica in cathedra tum veſtris tum Præpotent. Fœderati Belgii, nec non Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum Literis clementiſſimis humaniſſimisque Succeſſor quæſitus deſtinatusque fui. Quæ quidem gratia ac benevolentia eò ſolidioribus firmioribusque radicibus nititur, quòd ad illuſtrem ejusmodi Spartam ne minima quidem ſignificatione prenſatam non ambitio mea, non natales aut neceſſitudines, non fortunæ, non denique artificium ullum, ſed ſola veſtra de me meisque in Vinea Domini conatibus honeſta exiſtimatio velificata eſt. Hoc veſtro de me ſtudiisque meis teſtatiſſimo judicio ne quidquam indignum unquam

** com-

Digitized by Google

committam, nihil noctes diésque frequentiùs apud animum meum reputabo. Tametſi verò citantibus Vobis ad nomen reſpondere mihi integrum haud fuerit, intercedentibus obſequio meo humillimo fatis, infirmitatis animi & corporis conſcientiâ, & nutu dominantium, qui me civem ſuíque beneficii hominem, & in patriæ ſpem patria charitate eductum, Eccleſiæ & Scholæ ſuæ neceſſitatibus vindicandum rati, negatæ miſſionis Præpotentibus Ordinibus cauſas graviſſimas ipſi ſubmiſſè reddiderunt: nihil tamen contentionis mihi faciam reliquum, ut ſuaviſſimo hoc incitati ſtimulo amplior deinceps de publico bene merendi pro tenuitate virium conatus eniteſcat. Quòd ſi apud Vos, *Viri Illuſtres & Nobiliſſimi*, tanquam apud verè promerentes, largos & benignos hactenus non alio mihi opus eſt ad liberandam propenſiſſimæ benevolentiæ erga me Veſtræ fidem, quàm illo fœnore gratiarum, laudis, obſervantiæ & addictiſſimi ſtudii: promitto ſanctè non tantùm me reliquatorem non futurum, ſed vel quaternis centeſimis, quod ajunt ſatisfacturum. Patimini igitur æquo animo præſens hoc devotæ venerationis, & ut tantò conſpectior gratitudo mea emicet, hunc ipſum in finem in vulgus monumentum extare, &, quod novum beneficium obnixè expeto, ſimul imbelli fœtui patrocinium adverſus malevolorum perverſa & diſtorta judicia promittite. Quod ſupereſt Deum O. M. caſtis precibus interpellare non deſinam, uti Potentiſſimam Illuſtriſſimamque Rempublicam Veſtram, Illuſtriſſimos ejus

Pro-

gunt veteres. xx. III: 3.
Serug unde dictus? I. 26.
Sichem ubi ſita? III. 16.
Sichemitarum circumciſio. XIII. 11. *cædes & direptio.* 12.
Sidon Phœniciæ regionem integram quandoque notat. XXIII. V: 3.
Siddim vallis. V. 9.
Sileni fabula unde orta? XXIII. IV: 39.
Silicis in circumciſione uſus. VII. 22.
Simeonis nativitas, nomen, mores. XVIII. 8. *Ejus & Levi facinus.* XII. 14. *Perperam ab Hebræis elevatum.* 15. *Ligatus datur Joſepho obſes.* XX. IV: 12. *Benedicitur à Jacobo.* XXIII. III: 1-*f.* Vide Breviarium.
Simile an poſſit eſſe idem? II. 12.
Simulachrorum loco veteribus fuerunt rudia ſaxa. XIII. 23.
Sinenſis Imperii fabuloſa antiquitas. XXIV. 9.
Sinus Abrahæ. X. 1-*f.*
Sirenes unde dicti? XXIII. IV: 39.
Sodomæ excidium. VIII. 1-*f.* Vide Breviarium.
Sodomæ & Gomorrhæ Reges quo ſenſu cecidiſſe dicantur? V. 10.
Solis adoratio prima fuit idololatria. I. 35.
Somniorum diſtinctio. XVI. 4. *Ariſtotelis de iis ſententia. ib.*
Cur Deus in ſomno ſuis arcana olim revelaverit? ib.
Somnium Joſephi. XX. I: 5.
Somnia miniſtris Pharaonis oblata. XX. II: 10. 11.
Sophnath Paaneach. XX. III: 7.
Spatha quid? XIV. 2.
Spelunca Macpelah unde dicta? III. 58.
Stare coram Domino. VIII. 10.
Statuarum in eccleſia Judaica uſus & abuſus. XIII. 23.
Stibadio accubare. X. 2.
Storacis proventus in Syria. XX. I: 11.
Strobila quid? XX. IV: 23.
Stratagematis in bello uti licitum. V. 17.
Suctio à Judæis in circumciſione adhibita. VII. 23.
Suffetes Carthaginenſium. XV. 33.
Suffragia pro defunctis refutantur. XI. 11.
Supplicandi mos apud Orientales. VIII. 18.
Synedrii inſtitutio. XXIII. IV: 23, 24. *&c.*
Synedrii abolitio & mutationes variæ. XXIII. IV: 34.

T.

Tanis an ab Hebere condita? I. 22.
Taniticum oſtium. I. 24. *Lapis Tanites. Accipiter Taniticus.* 22.
Taurus viri fortis apud exoticos ſymbolum. XXIII. III: 5.
Tehevitha mater Saræ juxta Orientales. I. 27.
Temporum duorum & cataſtrophes utriusque diſtinctio. XXIII. I: 7.
Temporum mundi partitio varia. XXIV. 1.
Templi Hieroſolymitani ſitus. IX. 9.
Teraphim figura & cultus. I. 38.
Teſtamenti à fœdere diſtinctio. VII. 10.

Digitized by Google

Gentiles extra eccleſiam an ſalvari potuerint? II. 24.
Goim Rex quis fuerit? v. 3.
Goren Atad. XXII. 29.
Goſen terram paternæ familiæ cur procuraverit Joſephus? XXI. 12.
Græca LXX. *Interpretum verſio duplex diſtinguitur.* I. 10.

H.

Habitandi vox quantum temporis requirat? III. 13.
Hæretici an poſſint affligi? VI. 10.
Hagarus hiſtoria. V. 1--*f.* Vide Breviarium.
Hai ſitus. III. 19.
Haranis ſitus. III. 11.
Harpe Thracica. XIV. 2.
Hebdomade, quam explere juſſus Jacobus à Labane, qualis? XV. 11.
Heber unde dictus? I. 14. *ab eo Hebræi nuncupati.* 15. *eſt Orientalium Hudus.* 16. *an propheta fuerit?* 17. *condiderítne Hebronem?* 18-21. *ordinem Torquatorum an inſtituerit?* 21. *Tanim an ædificaverit?* 22. *Titan an fuerit?* 23.
Hebræorum & Græcorum codicum circa annos Patriarcharum Chaldæorum diſſenſus diſcutitur. XXIV. 3. 4. 5. *&c.*
Helenæ raptus. IV. 7.
Helleniſmus Epiphanii. I. 30.
Herculis ætas. III. 65.
Herodes M. an ἀλλόφυλος *fuerit?* XIV. 22.
Hieroſolymam an condiderit Melchiſedecus? II. 20.
Hieroſolymitanorum Epiſcoporum circumciſio. VII. 31.
Hippodromus Alexandrinus & Byzantinus, ac utriusque magnitudo. XIII. 21.
Hobæ topographia. V. 18.
Hædos duos cur Iſaco appoſuerit Jacobus? XIV. 5.
Homeri ætas. III. 23.
Homeritæ an ſint Sabæi? III. 65.
Hominis figura juxta vim ſymbolicam mandragoræ fueritne in vexillo Rubenis? XIX. 13.
Horræorum genealogia. XII. 16.
Hoſpitalitatis laus. VIII. 6.
Humanis victimis Deus nunquam delectatus. IX. 4.

I.

Jacobi hiſtoria. XIII. 1-*f.* Vide Breviarium.
Jacobo benedicit Iſacus. Vide Iſaci benedictio.
Jacobus an deſignatus ſacerdos ſecundũ ordinem Melchiſedeci? XIV. 17.
Jacobus videt ſcalam. Vide Scala Jacobi.
Jacobus luctatur cum Deo. XVII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi liberi ex IV *uxoribus.* XVIII. 2--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi peregrinatio in Meſopotamiam, ejusque res ibi geſtæ. XV. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobus quomodo ſe incurvaverit Joſepho. XX. I: 5.
Jacobi luctus ob jacturam Joſephi. XX. I: 14.
Jacobus munera mittit in Ægyptum. XX. IV: 18.

Jaco-

Digitized by Google

Jacobi ob nuntium de Joſepho ſuperſtite affectus. xx. IV: 23.
Jacobi migratio in Ægyptum. XXI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobi ultima. XXII. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jacobus benedicit filiis. XXIII. *ſect.* I--XII. Vide Breviaria.
Jaman quid. VI. 22.
Jathreb deſertum quid notet Arabibus? VI. 22.
Idumæi. XII. 2.
Idumeæ Orientalis & Auſtralis diſtinctio. XII. 16.
Idumæorum animi militares. XIV. 22. *Iſraelitis ſæpius ſubjecti.* 23. *Poſt Hircani tempora cum Iſraelitis facti ſunt unus populus.* 24. *quando Iſraelitarum jugum excuſſerint?* ib.
Jehudith uxor Eſavi. XII. 10.
Jeſchurun unde dictus? IX. 5.
Jeud Saturni eſt Iſacus. III. 72. IX. 21.
Jezira liber tributus Abrahamo. III. 71.
Ignis Symbolum ſolis. I. 35. *Ejus cultus à Chaldæis tranſiit ad Perſas.* I. 36. 37.
Jiſca an eadem cum Sara? III. 4.
Imaginum uſus refellitur. XIII. 23.
Impoſitionis manuum origo, uſus & ratio. XXII. 16.
Inaures Numinibus falſis dicatæ. XIII. 16.
Infernus notione ſepulchri acceptus. XX. I: 15.
Inſomnius quid Catoni? XX. I: 7.
Jochebedæ generatio. XXIV. 23.
Johannes dictus ἐγκόλπιος. X. 12.
Johannis ſubſultatio in utero materno. XI. 19.
Jona mater Abrahami juxta Orientales. I. 27.
Jonathanis paraphraſis, ejúsque antiquitas. II. 16.
Jordanis planities. III. 24. *ante exortum maris mortui ubi ſe exoneraverit?* VIII. 21.
Joſephi hiſtoria. XX. *ſect.* I--IV. Vide Breviaria.
Joſephi filii quo ſenſu dicantur Ægyptum ingreſſi. XXI. 6.
Joſepho Jacobus benedicit. XXIII. XI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Jovis aurea catena an ex ſcala Jacobi efficta? XVI. 14.
Iphigeniæ à Calchante mactandæ fabula unde exorta? IX. 21.
Iſaci hiſtoria. XI. 1--*f.* Vide Breviarium.
Iſacus hæres inſtituitur. III. 65. *an ei benedixerit Abrahamus moribundus?* III. 67.
Iſacus ligatur in holocauſtum. IX. 1-*f.* Vide Breviarium.
Iſaci epitheton Jeud. III. 72.
Iſaci erga Eſavum affectus. XII. 5.
Iſaci ſepultura. XII. 13.
Iſacus benedicit filiis, Jacobo & Eſavo. XIV. 1--*f.* Vide Breviarium.
Iſidis raptus. IV. 7.
Islamiſmi confeſſio. VII. 29.
Iſmaelitarum ſedes ab Havila Sur uſque

uſque. VI. 25. *poſteritas*. 26. *cameli quid vexerint*. XX. I: 11.
Iſrael unde dictus? XVII. 13.
Iſraelitæ in deſerto incircumciſi an peccaverint contra legem Dei. VII. 20.
Iſſaſcharis nativitas & nomen. XVIII. 34. *an datus ſit Leæ ut merces ſubſtitutæ Zilpæ?* 36.
Iſſaſchari benedicit Jacobus. XXIII. VI: 1--*f*. Vide Breviarium.
Jurandi ritus, manum ſupponendi femori, explicatur. III. 60.
Juramentum Labanis idololatricum an admittere Jacobus potuerit? XV. 35.
Jurare per ſalutem, non genium Imperatoris veteres ſoliti. XX. IV: 9.
Judæ hiſtoria. XVIII. 11--*f*. Vide Breviarium.
Judæ Jacobus benedicit. XXIII. IV: 1--*f*. Vide Breviarium.

K.

Kedar Kedarenis originem dedit. VI. 25.

L.

Labanis hiſtoria. XV. Vide Breviarium.
Labanis conſenſus in matrimonium ſororis. XI. 10.
Ladanum quid, & unde dictum? XX. I: 11.
Lapis fundationis. XVI. 17.
Lazari & Epulonis parabola. X. 1. *in eadem voragine an fuerint?* 8.
Leæ oculi רכות. XV. 5. *an fortunæ tanquam idolo litaverit?* XVIII. 32.
Lectorum apud veteres ſummi, medii, imi uſus. X. 12.
Lenticulæ uſus apud varias gentes. XII. 6.
Levi Nativitas & nomen. XVIII. 9. 10.
Levi benedicitur à Jacobo. XXIII. III: 1--*f*. Vide Breviarium.
Lilia alba an veniant nomine Dudaim? XIX. 4. 14.
Limbus Patrum refutatus. X. 3.
Leo Symbolum eſt generoſi. XXIII. IV: 6. *è præda aſcendit in montana. In luſtris cubat. Tutò excitari nequit. ib. Regiæ fortitudinis ſymbolum eſt*. 7. *Chriſti cum eo comparatio*. 8.
Lothi & Abrahamii Paſtorum contentio ſopita. III. 24.
Lothi filia an vivicomburio deſtinata. VIII. 8.
Lothus filias ſuas proſtituit. VIII. 15. *Liberatur à vi Sodomæorum*. 16. *Educitur ex Sodoma*. 17. *Cur reſpicere prohibitus?* 18. *Uxoris ejus metamorphoſis*. 23. *Ex Zoar in montem aſcendit*. 25. *Se inebriat & inceſto contaminat*. 26. *Qualis ejus ignorantia? ib. De ejus inceſtu & ebrietate judicium*. 28. *Uxoris ejus hiſtoria converſa in fabulam Niobes*. 30.
Lotio pedum qualis uſitata Orientalibus? XX. IV. 20.
Lotio veſtimentorum in vino Schilonis. XXIII. IV: 32.
Lucus an rectè ab Abrahamo plantatus. III. 53. *Unde dictus? ib.*

Digitized by Google

Lugentes Regem adire non poterant. xx. II: 24.
Lugendi mos per ſeptiduum. XXII. 29.
*Lupi veſpertini.*XXIII.XII: 1. *Prædam prius dividunt quàm ea veſcantur.* XXIII.XII: 1. *Fortitudinis ſymbolum.*4. *Lupi Martiales dicti. ib.* Μονόπειροι *qui dicti? ib.*

M.

Machanaim. XV. 36.
Macpelah ſpelunca unde dicta? III. 58.
Mamre, Aner, Eſcol fuerintne fideles? V. 12.
Manaſſes unde dictus? XX. III:13.
Manaſſes benedicitur à Jacobo. XXII. 1--*f.*
Mandragora philtris idonea à veteribus credita. XIX. 3. *Ejus vis ſomnifica, fructus & amabilitas. ib. ad fœcunditatem an conferat?* 11. *non eſt Dudaim.* 11. 12. 13. *Cur* ἀνθρωπόμορφας *dicta?* 13. *de humana ejus forma fabula refellitur. ib.*
Manethonis impoſturæ detectæ. XXIV. 7.
Manichæorum in Abrahamum impietas. IV. 5. VI. 4.
Matrimonium ad Morgengabicam. III. 63.
Medeæ raptus. IV. 7.
Medica Tempe. I. 6.
Mediocritatis laus. XXIII. VI: 6.
Mel olim inter magnatum dapes. XX. IV: 18.
Melchiſedeci proſopographia. II. 1--*f.* Vide Breviarium.
Melchiſedecus Abrahamo occurrit. V. 20. *Decimas ab eo acceperit, an dederit?* 21.
Melones an veniant nomine Dudaim. XIX. 8. 14.
Mendacia officioſa rejecta. XIV. 6.
Mereri apud Latinos idem quod conſequi. XI. 22.
Meretricum in biviis ſe proſtituentium conſuetudo. XVIII. 20.
Meſſiæ exhibiti invicta contra Judæos demonſtratio. XXIII. IV: 36.
*Methodii narrationes apocryphæ.*I. 3. 4.
Michael non fuit nuntius Abrahamo abducti Lothi. V. 11.
Midian Abrahami ex Cethura filius. III. 65.
Migdal Eder. XIII. 24.
Migratio familiæ Jacobi in Ægyptum. XXI. I. 2. *&c.*
Militiæ & venationis communes labores ac pericula. XIV. 2.
Mina non convenit cum darico. XX. I: 12.
Miſſæ an præluſerit Melchiſedecus? II: 22.
Mizpa tumulus Jacobi. XV. 33.
Moabi nativitas. VIII. 29.
Mohel Judæorum. VII. 21.
Moriah terra quæ fuerit. IX. 5.
Moſen an filium incircumciſum Deus occidere voluerit? VII. 19.
Muhammedanorum circumciſio ejúſque origo. VII. 29.
Mulos progignendi ratio quo tempore exorta? XII. 17.

Myxa-

Digitized by Google

Myxaria. xx. I: 11.

N.

Nachor unde dictus? I. 26. an exiverit cum patre Chaldæa? I. 28.
Namphananes qui fuerint Pœnis? III. 15.
Naziræus fratrum Joſephus. XXIII. XI: 8.
Nebajoth Iſmaelis filius Nabathæis dedit originem. VI. 25.
Nephtalitæ. XXIII. X: 5.
Nephtali nativitas & nomen. XVIII. 31. Benedicitur à Jacobo. XXIII. X: 1--f. Vide Breviarium.
Nergal. I. 36. 37.
Nervum contractionis comedendum non eſſe, inſtitutum familiæ Jacobi. XVII. 18. 19.
Nilus eſt à נחל. III. 41. Cur שיחור Μέλας, Melo dictus? ib.
Nini ætas. XXIV. 8.
Noe ubi conſederit poſt diluvium. I. 3. 4. &c. an in planitie Armeniæ? 4. 5. an in montanis Scythicis? 5.
Noe an Olibama. I. 23.
Noæ filiorum ordo diſceptatus. XXIV. 2.
Noachidarum poſt diluvium migrationes. I. 6.
Numerus eorum, qui Ægyptum ingreſſi, ventilatur. XXI. 4. 5.

O.

Obnubendi mos fœminarum in Arabia, Græcia, &c. IV. 17.
Ochozathi fœdus cum Iſaco. XI. 26.
Oculos claudendi morituris ritus antiquiſſimus. XXI. 2.
Oleo Jacobus inungit lapidem. XVI. 16.
Olibama. I. 23.
Onanis nativitas. XVIII. 16. Conjugium cum Thamare. 18. ſcelus & cædes. 19.
Oniropolici libri. XVI. 14.
Opher Abrahami ex Cethura filius. III. 65.
Ori & Oſiridis fabula. III. 23.
Oſculum dignitatis, occurſus, diſceſſus, propinquitatis. XV. 3.
Ovium fœtus autumnales vernalibus præſtare. XV. 19.
Oves Labanis artificio ex concoloribus efficiuntur variegatæ. XV. 20. 21.

P.

Palatium Melchiſedeci. II. 20.
Palæſtritarum mos ſe aſpergendi pulvere. XVII. 3.
Palmites & propagines diſtinguuntur. XX. II: 13.
Papæ poteſtas an Melchiſedeci poteſtate ſtabiliatur? II. 23.
Parentum pro filiis poſitorum exempla. XIII. 8.
Patriarchæ Chaldæi. I. 1--f. Vide Breviarium.
Patriarcharum Chaldæorum idololatria. I. 29--f.
Patriarcharum habitatio in tabernaculi, ejúsque myſterium. III. 20. Eorum Kabala. VIII. 7.
Patriarcharum benedictio prophetica. XIV. 1.
Patriarcharum duodecim hiſtoria. XVIII. 1--f. Vide Breviarium.
Patriarcharum ſacrificia. XXI. 1.
Pavor Iſaci quid? XV. 31.
Peccatum clamans. VIII. 8.
Penatum Deorum cultus. I. 38.

Peniel

Peniel. XVII. 16.
Pentapolitanum bellum. V. 1. *ſ.* Vide Breviarium.
Phœnicum aliarúmque gentium ἀνθρωποθυσία unde ortum duxerit? IX 21.
Phaleg unde dictus? I. 24. *Eſt Zælachus Muhammedanorum* XXIV. 16.
Phantaſiæ vires in imprimendis fœtui notis. XV. 21.
Pharao unde dictus? IV. 6.
Pharaonis Saram rapientis hiſtoria. IV. 1-10.
Pharaonis miniſtrorum peccatum & captivitas XX. II: 11.
Pharaonis ſomnia eorúmque interpretatio XX II: 20, 21.
Pharos unde dicta? IV. 6.
Philiſtæorum invidia erga Iſacum. XI. 25.
Picol quis fuerit? III. 50.
Πικρέχολοι. XIV. 26.
Piſtores qui fuerint olim? XX. II: 10.
Pluvia Dei ex Cœlo. VIII. 19. *ſulphuris & ignis*. 20.
Pocillatorum dignitas. XX. II: 10.
Polygamia Jacobi. XV. 13.
Portiones diſtribuendi in menſis mos vetus. XX. IV: 23.
Potiphar quo ſenſu dictus שר הטבחים? I. 16. *quo ſenſu* כריס? *ib.*
Potipharis uxor Joſephum ſolicitat & perfidè accuſat. XX. II: 3. 4.
Præputii adductio. VII. 30.
Precibus ſanctorum juvatur prædeſtinatio. XI. 17.
Primogenituræ jus quomodo vendere Eſavus, & emere Jacobus potuerit? XII. 9.
Principum mos in menſis fercula mittentium. XX. IV: 23.
Promiſſio facta ob cauſam illegitimam an obliget? XVIII. 23.
Providentia Divina Jacobo per ſcalam adumbrata. XVI. 11.
Purificatio à Jacobo imperata qualis? XIII. 16.
Purpura & byſſus cur ſæpe in ſacris conjungantur? XX. III: 3.

R.

Rachelis ſepulchri ſitus. XIII. 21.
Rachelis partus emortualis & obitus. XIII. 22.
Rachel à Jacobo ſalutatur. XV. 2, 3. *&c.*
Rachelis ſterilis expoſtulatio cum Jacobo. XVIII. 30.
Rameſſes terra quo ſenſu dicatur Jacobo data לאחזת. XXI. 16.
Raphaim, Zuzim, Emim ſtrages V. 7.
Rapiendi fœminas mos antiquus. IV. 7.
Rebecca occurrit Iſaco. XI. 7, 8. *&c.* Vide Breviarium.
Rebeccæ & Jacobi in intercipienda benedictione fraudes. XIV. 4-9. *Ejuſdem ad Iſacum de ablegando in Meſopotamiam Jacobo oratio*. 27.
Recutiti unde dicti? VII. 30.
Reges olim dicti unius civitatis domini. V. 4.
Reges & populi ex Abrahamo orti. VII. 5.
Reperta in publico loco quomodo ſint reperientis? IX. 17.
Reprobationis abſolutum decretum aſſeritur. XII. 19, 20.
Reu unde dictus? I. 26.
Riſus Abrahæ & Saræ. XI. 1.

Ros Cœli. XIV. 13.

Rubedo oculorum Schilonis. XXIII. IV: 32.

Rubenis nativitas. XVIII. 3. *Invenit Dudaim.* 4. *Billham inceſto contaminat.* 5. *an ſtrata duntaxat contaminaverit?* 6. *Joſephum liberat.* 7.

Rubenis Dudaim. XIX. 1-*f.*

Ruben conſiliis fratrum intercedit, & Joſephum liberat. XX. I: 9.

Ruben benedicitur à Jacobo. XXIII. II: 1-*f.* Vide Breviarium.

Rufus color cujus rei Signum? XII. 1.

S.

Sabec. IX. 16.

Sacrificia Patriarcharum non fuerunt theatrica ſpectacula. XXI. 1.

Salem cujus Rex fuit Melchiſedecus, nomen proprium fuerit an appellativum? II. 9. *an Hieroſolyma?* 20.

Sal hoſpitalitatis ſymbolum. VIII. 24.

Salinarum vallis in hiſtoria Davidis fueritne mare ſalſum? V. 9.

Salſugo Hebræis idem quod ſterilitas. V. 9.

Samaritanorum ὑποταξμός. VII. 30.

Sanguinis in circumciſione effuſi myſterium VII. 26.

Sara cur Sarai dicta? III. 2. *non fuit eadem cum Jiſca Haranis filia.* 3. *Ejus mors.* 55. *Plangitur ab Abrahamo.* 56.

Saræ raptus geminus. IV. 1-*f.* Vide Breviarium.

Saræ conſilium de conjungenda marito Hagare. VI. 3. *Eundem ejici curat.* 19.

Sara & Hagar typus eccleſiæ V. & *N. T.* VI. 30.

Saræ riſus. XI. 1.

Sara vetula cur lactaverit Iſacum? XI. 3.

Saraceni unde dicti? VI. 26.

Sathan an comitatus Iſacum in montem? IX. 8.

Saturni filium ſacrificantis hiſtoria unde nata? IX. 21.

Satyrorum habitus. XIV. 5.

Save vallis ſitus. V. 19. *Fueritne Gymnaſium religioſum? ib.*

Schælachus unde dictus? I. 13.

Scala Jacobi. XVI. 1-*f.* Vide Breviarium.

Scenitarum mos prædictus. VI. 15.

Sceptri Judæ abolitio. XXIII. IV: 34.

Schilo Chriſtus eſt. XXXIII. IV: 13, 14. &c. Vide Breviarium.

Scortum cur Hebræis חללה *nuncupatum?* XXIII. II: 6.

Scythiſmus Epiphanii. I. 30.

Seir. XII. 2.

Sem non fuit Melchiſedecus. II. 16. *Ejus Scholam an frequentaverit Jacob?* XIII. 3. *quo anno genuerit Arphaxadum.* XXIV. 2.

Sennaar eſt Babylonia. V. 2.

Sepulchri jus ab Abrahamo emptum. III. 58. 59.

Sepeliri dicuntur qui terræ mandantur. XX. I: 15.

Serapis an fuerit Joſephus? XX. III: 20. *Ejus cultus in Ægyptum ex Ponto invectus.* 22.

Serbonides lacus an mare ſalſum notet? V. 9.

Sericum à bombyce perperam diſtingvunt

Proceres, florentiſſimas Eccleſias, Academias & Scholas, omnes denique Ordines, ſed & nominatim Vos, lectiſſima Fœderati Belgii decora, ſplendidiſſima communis Reip. Lumina, Viros geſtis rebus, actis honoribus, infinitis erga Patriam meritis verè inclytos, incolumes florentésque, & in ſuo quemque munere fidos, induſtrios, felices eſſe jubeat! Scribebam Tiguri d. Cal. April. Anno Æræ Dionyſianæ M DC LXXI.

Illuſtr. Nobiliſſ. & Ampliſſ.

D. D. V. V.

Obſervantiſſimus Cultor

J. HENRICUS HEIDEGGERUS.

Elen-

Digitized by Google

Elenchus Exercitationum.

I. *De Patriarchis Chaldæis.*
II. *De Melchiſedeco.*
III. *De Abrahamo.*
IV. *De Raptu Saræ gemino.*
V. *De Bello Pentapolitano.*
VI. *De Hagare & Iſmaële.*
VII. *De Fœdere Abrahamico ejusque ſigno Circumciſione.*
VIII. *De Excidio Sodomæ.*
IX. *De tentatione Abrahami & ligatione Iſaci.*
X. *De ſinu Abrahæ.*
XI. *De Iſaco.*
XII. *De Eſavo.*
XIII. *De Jacobo.*
XIV. *De Teſtamento Iſaci.*
XV. *De Jacobi peregrinatione Meſopotamica.*
XVI. *De ſcala Jacobi.*
XVII. *De Monomachia Jacobi.*
XVIII. *De duodecim Patriarchis.*
XIX. *De Dudaim Rubenis.*
XX. *De Hiſtoria Joſephi.*
XXI. *De Jacobi* μετοικεσία *in Ægyptum.*
XXII. *De Ultimis Jacobi.*
XXIII. *De Jacobi teſtamento, ſeu Benedictionibus Propheticis* XII *Patriarcharum.*
XXIV. *De Annis Patriarcharum poſt diluvium.*

EXER-

Digitized by Google

eruditionis prætexto ornatos, & qua parte eminere voluerunt, perfectiſſimos, ſummaque ingenii gloria præditos habito ingeniorum curioſo delectu conquiſitos ei præficere, legibus inſtitutisque optimis eam ordinare & componere, hactenus Vobis curæ cordique fuit. Sed hoc, & ſi quid aliud, prædicabunt & acri tibia decantabunt alii, quando in promptu eſt, quod propioribus me lineis contingit, quodque ſi diſſimulare inſtituerim, ingrati immemorisque animi invidiam nullo pacto evitaturus aut unquam aboliturus ſim. Veſtra enim hæc gratia, Veſtra dignatio eſt, quòd nuper Viro ſummo & perpetuo vigore digniſſimo *Johanni Coccejo*, in quo major pietas & morum ſanctitas, an eruditio & in interpretandis Scripturis ſubactiſſimi judicii acrimonia emicuerit, dicere non habeo; lucis hujus uſura maximo mœrore bonorum omnium privato, juxta nominis Clariſſimi Virum *Fridericum Spanhemium*, Theologica in cathedra tum veſtris tum Præpotent. Fœderati Belgii, nec non Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum Literis clementiſſimis humaniſſimisque Succeſſor quæſitus deſtinatusque fui. Quæ quidem gratia ac benevolentia eò ſolidioribus firmioribusque radicibus nititur, quòd ad illuſtrem ejusmodi Spartam ne minima quidem ſignificatione prenſatam non ambitio mea, non natales aut neceſſitudines, non fortunæ, non denique artificium ullum, ſed ſola veſtra de me meisque in Vinea Domini conatibus honeſta exiſtimatio velificata eſt. Hoc veſtro de me ſtudiisque meis teſtatiſſimo judicio ne quidquam indignum unquam

Digitized by Google

gunt veteres. xx. III: 3.
Serug unde dictus? I. 26.
Sichem ubi ſita? III. 16.
Sichemitarum circumciſio. XIII. 11. *cædes & direptio.* 12.
Sidon Phœniciæ regionem integram quandoque notat. XXIII. V: 3.
Siddim vallis. V. 9.
Sileni fabula unde orta? XXIII. IV: 39.
Silicis in circumciſione uſus. VII. 22.
Simeonis nativitas, nomen, mores. XVIII. 8. *Ejus & Levi facinus.* XII. 14. *Perperam ab Hebræis elevatum.* 15. *Ligatus datur Joſepho obſes.* XX. IV: 12. *Benedicitur à Jacobo.* XXIII. III: 1--*f.* Vide Breviarium.
Simile an poſſit eſſe idem? II. 12.
Simulachrorum loco veteribus fuerunt rudia ſaxa. XIII. 23.
Sinenſis Imperii fabuloſa antiquitas. XXIV. 9.
Sinus Abrahæ. X. 1--*f.*
Sirenes unde dicti? XXIII. IV: 39.
Sodomæ excidium. VIII. 1-*f.* Vide Breviarium.
Sodomæ & Gomorrhæ Reges quo ſenſu cecidiſſe dicantur? V. 10.
Solis adoratio prima fuit idololatria. I. 35.
Somniorum diſtinctio. XVI. 4. *Ariſtotelis de iis ſententia. ib.*
Cur Deus in ſomno ſuis arcana olim revelaverit? ib.
Somnium Joſephi. XX. I: 5.
Somnia miniſtris Pharaonis oblata. XX. II: 10. 11.
Sophnath Paaneach. XX. III: 7.
Spatha quid? XIV. 2.
Spelunca Macpelah unde dicta? III. 58.
Stare coram Domino. VIII. 10.
Statuarum in eccleſia Judaica uſus & abuſus. XIII. 23.
Stibadio accubare. X. 2.
Storacis proventus in Syria. XX. I: 11.
Strobila quid? XX. IV: 23.
Stratagematis in bello uti licitum. V. 17.
Suctio à Judæis in circumciſione adhibita. VII. 23.
Suffetes Carthaginenſium. XV. 33.
Suffragia pro defunctis refutantur. XI. 11.
Supplicandi mos apud Orientales. VIII. 18.
Synedrii inſtitutio. XXIII. IV: 23, 24. &c.
Synedrii abolitio & mutationes variæ. XXIII. IV: 34.

T.

Tanis an ab Hebere condita? I. 22.
Taniticum oſtium. I. 24. *Lapis Tanites. Accipiter Taniticus.* 22.
Taurus viri fortis apud exoticos ſymbolum. XXIII. III: 5.
Tebevitha mater Saræ juxta Orientales. I. 27.
Temporum duorum & cataſtrophes utriusque diſtinctio. XXIII. I: 7.
Temporum mundi partitio varia. XXIV. 1.
Templi Hieroſolymitani ſitus. IX. 9.
Teraphim figura & cultus. I. 38.
Teſtamenti à fœdere diſtinctio. VII. 10.

Digitized by Google

Teſtamenti Patriarcharum cenſura. XVIII. 37.
Thærachus eſt Azara Muhammedanorum. I. 27. *Ejus uxores, filii.* 27, 28.
Thamaris Hiſtoria. XVIII. 12, 17. &c. Vide Breviarium.
Thimnath ad quam aſcendit Judas, fueritne eadem cum illa, ad quam deſcendit Samſon? XVIII. 20.
Tikun Sopherim. VIII. 10.
Timoleontis abſtinentia prædæ. V. 23.
Timothei circumciſio. VII. 31.
Titanum fabula unde orta? I. 23.
Titulorum apud veteres uſus. XIII. 23.
Torquatos an inſtituerit Heber? I. 21.
Tophet vallis. IX. 4.
Torrens Gerar. XI. 25.
Tranquillitatis laus. XXIII. VI: 6.
Tribus X. *Iſraelitarum an perierint in captivitate Babylonica?* XXIII. IV: 21.
Tubera an Dudaim? XIX. 7. 14.
Tzophim quid loci? IX. 7.

V.

Vaticinia emortualia Virorum Sanctorum. XXIII. I: 2.
Velamen Saræ. IV: 16.
Velaminis uſus apud veteres. IV. 17.
Venationis uſus & laus. XII. 4.
Venatorum mentio in Sacris Διασυρτικῆ. XII. 4.
Venationis & militiæ labores ac pericula conjuncta XIV. 2.
Venus Μανδραγορίτης *cur appellata?* XIX. 3.
Vernæ Abrahami חניכים. V. 13. *Eorum numerus. ib.*
Veſpaſianus an ex poſteris Eſavi? XIV. 20.
Vexilla Judæorum an depicta habuerint quatuor animalia? XXIII. IV: 11.
Violæ an ſint Dudaim? XIX. 5. 14.
Vitæ æternæ promiſſiones in lege continentur etiam juxta Hebræos. VII. 7.
Ulam Luz. XVI. 20.
Votum Jacobi. XVI. 22.
Ur Caſdim patria Chaldæorum Patriarcharum. I. 6. *Ejus ſitus. ib. Unde dicta?* 37. III. 5. *Camarine vocatur ab Eupolemo. ibid.*
Uroe dicta Ur. I. 37.
Urſo cur inditum nomen דוב*?* XX. I: 2.
Uxoris & concubinæ diſcrimen. III. 63.
Uxores ſteriles cur Deus junxerit Patriarchis? XI. 15.

Z.

Zabulonis *ortus & nomen.* XVIII. 35, 39. *Ei benedicit Jacobus.* XXIII. V: 1--*f.*
Zaleuci *lex de iis qui pervertunt legem.* I. 7.
Zilpa *Jacobo ſuperinducta.* XV. 12.
Zoar *urbs.* VIII. 18. *an Saliſſa? ib.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google